MORALIS
DIVI THOMÆ
DOCTORIS ANGELICI
ORDINIS PRÆDICATORVM,

Ex omnibus ipſius operibus ita exactè deprompta, vt cenſeri poſſit

OPVS NOVVM:

Omnibus cuiuſque conditionis Perſonis, ſed maximè confeſſariis, & concionatoribus vtiliſſimum: in eo enim nedum caſus conſcientiæ reſoluuntur, ſed omnia etiam, quæ ad mores ſpectant, mirum in modum explicantur.

Adiecta ſunt variis in locis decreta ſummorum Pontificum, quibus iuxta doctrinam Sancti Doctoris plures opiniones morales damnata fuerunt.

Accedit quoque opuſculum de caſtitate, in quo nouum, ac ſingulare traditur remedium, tam facile quàm efficax, ad hanc virtutem conferens, & etiam ad ſanitatem.

Authore R. P. LVDOVICO BANCEL Valentino, eiuſdem Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Doctore aggregato & Decano, ipſiuſque Profeſſore perpetuo in ſchola S. Thomæ in Vniuerſitate, necnon Examinatore totius Diœceſis & Legationis Auenionenſis.

TOM. II.

AVENIONE,
Ex Typographia P. OFFRAY, S. Officij Typographi, in foro S. Deſiderij, ſub ſigno Bibliothecæ.

M. DC. LX XVII.
Cum Permiſſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

ET REVERENDISSIMO

D. D. Ludouico Alphonſo de Suarez Epiſcopo Vaſionenſi, Comiti Caprearum &c.

ACCEPTA facultate ab authore moralis D. Thomæ eam typis mandandi, dummodo primum illius tomum Excellentiſsimo huius vrbis Archipræſuli, alterum verò tibi inſcriberem; meo munere fungens iſtum tuæ nuncupo celſitudini (PRÆSVL ILLVSTRISSIME) plures authorem ad id, vt mihi quidem ſignificauit, rationes impulerunt. In primis enim acceptis à celſitudine tua, totaque tua familia variis veſtræ in ſe beneuolentiæ ſignis, iam diu eſt, cùm nihil magis in votis habuit, quàm vt aliquod vobis exhiberet ſuæ in vos gratitudinis, ſuique obſequii argumentum. Certè neç aptiùs nec fortè etiam tibi gratiùs, ſuis ſe votis putauit facturum ſatis, quàm ſi tibi alteram huius operis partem dedicaret: vtpote quod totum elucubratum eſt ex ſolis textibus Doctoris Angelici, cui te ita impensè addictum videbat, vt erectum ab annis aliquot in hac vrbe ſub eiuſdem D. Thomæ nomine ſodalitium, & dato tuo nomine, & tuâ quandoque præſentiâ, ac tuis etiam muneribus, quibus & auguſtius, & celebrius redderetur, volueris cohoneſtare.

Accedit quòd hoc ab authore poſtulabat ordo quem profitetur Prædicatorum, cui te ita affectum ſignificaſti, vt vix initâ Epiſcopatûs

ā il

tui poſſeſſione cogitaueris de inſtituendo vaſione eius ordinis monaſterio, vocatis ob hanc Cauſam Religioſis ex congregatione venerabilis Patris Antonii, cuius vitam planè mirabilem iam aliqui ſummatim deſcriptam prælo mandandam curarunt, & quam alii breui curabunt longiùs exſcribendam.

Nec ſanè immeritò hunc ſacrum ordinem ſingulari beneuolentiâ complecteris, cùm notum ſit ex ipſis eius annalibus nobiliſſimam Suareſiorum gentem Guſmanorum atque adeo D. Dominici huius ordinis fundatoris Inclytæ familiæ eſſe affinitate deuinctam. Compertum eſt etiam eamdem Suareſiorum familiam affinitate pariter coniunctam eſſe nobiliſſimæ familiæ Rocabertinæ, quæ eidem ordini dedit Reuerendiſſimum Thomam de Rocaberty penultimum eiuſdem Generalem, nunc autem illuſtriſſimum Archiepiſcopum in hiſpania valentinum. Is vt ſuum teſtaretur affectum tum in ſibi affinem Suareſiorum familiam, tum in celeberrimam Ieſu ſocietatem à ſanctiſſimo Domino noſtro Papa Innocentio XI. nunc Eccleſiæ capite adeptus eſt (vt à fide dignis accepimus) apoſtolicum breue, quo Reuerendis eius ſocietatis Patribus per totam hiſpaniam conceditur, vt officium recitent in memoriam R. P. Antonii Suarez Cordubenſis eiuſdem Societatis braſiliæ anno 1570. martyrio coronati.

Ad hæc etiam, ſi vniuerſæ conſulantur hiſtoriæ, tot emicuerunt ex familia Suareſiana & armis & togâ viri proceres, meliùs dixerim heroes, vt vel hoc ſolo omnium veneratione ſit digniſſima. Vix ſufficeret volumen integrum ſi hîc exſcribenda forent, quæ in hoc genere ſe offerunt obſeruanda. Nonnulla tantùm delibabo, ne leges breuitatis Epiſtolæ nuncupatoriæ videar prætergreſſus. Familia veſtra à nongentis, & amplius annis floruit in hiſpania; & inde ſicut vitis palmites ſuos vndequaque diffundens expandit ſeſe in luſitaniam, galliam, pleraſque alias Europæ partes. Pluribus inſignita fuit ordinis ſancti Iacobi, & ſancti Iuliani ſupremis commendatoribus, & equitibus citra numerum melitenſibus: quos inter Dom. Benedictus Suarez à ſummo Pontifice Innocentio 3. petiit confirmationem dicti ordinis ſancti Iuliani, quam meruit feliciter aſſequi: Itidem Laurentius Suarez cordubam patriam ſuam anno 1265. de manibus ſarracenorum recuperauit; Ferdinandus etiam Suarez, qui ſub ferdinando & Elizabetha,

Digitized by Google

cùm in obſidione granatæ muros primus, vt erat generoſiſſimus, conſcendiſſet, vexillumque poſuiſſet ſuum, præclariſſimo iſto facinore meruit, vt argenteæ turri, quam in eam vſque diem habuerat pro ſtemmate familiæ gentilitio, aurea volans aquila, atque etiam coronata, quam illo ex tempore familia cuſtodit, ſuperponeretur.

Neque verò habet heroas tantùm bello inclytos, habet & togâ inſigniores: inter eos recenſentur Laurentius Suarez Orator Legatus Regis ferdinandi ad venetos; Philippus Suarez totius luſitaniæ ſummo iure præfectus à Philippo 2. Hiſpaniæ Rege; alter Philippus Suarez regnante Philippo 3. Francorum Rege libellorum ſupplicum magiſter: Petrus Suarez Seneſcallus Regni legionenſis: Emanuel, Rodericus, & Iacobus Suarez celeberrimi tres Iuriſconſulti, vt varia prædicant opera, quæ in materia iuris prælo mandarunt, quæque à viris in iure peritioribus magnì penduntur.

Accedunt Perſonæ ſanctitate illuſtres, quæ eamdem proſapiam reddidere nobiliorem; Beatus nimirum Antonius Suarez iam laudatus; Beatus Ioannes Suarez ordinis RR. PP. Capucinorum, qui fidem mahumetanis Alexandriæ prædicans, fuit ibidem martyrio Laureatus; Beata Maria Suarez ordinis ſanctæ Claræ immortale decus & ornamentum. Ab aliis recenſendis ſuperſedeo, cùm texere Hiſtoriam Conſ.ium mihi non ſit. Vnum præterire nequeo, ſatis eſſe ad gloriam immortalem familiæ de Suarez, & Societati Ieſu, & in ea toti Eccl ſiæ ſuppeditaſſe celeberrimum illum Franciſcum Suarez, qui ſuis tum in Philoſoph.a, tum maximè in Theologia vberrimis & doctiſſimis ſcriptis meruit in Scholis à Doctoribus omnibus celebrari; Inter quos adeo notus eſt, vt commendatione non egeat.

Quid porro dicam de eiuſdem familiæ Eccleſiæ Præſulibus. Mirum plane eſt duos ſupra v.ginti ex gente Suareſia erupiſſe viros infulatos. Notiores inter eos ſunt Epiſcopi Ouietenſes, mindontenſes, Tudenſes, Pacenſes: Petrus Suarez Epiſcopus Salmanticenſis ab Alexandro 3. ſummo Pontifice conſecratus; Dominicus Suarez Epiſcopus Abulenſis Orator Alphonſi Regis dicti communiter Sapientis ad Alexandrum 4. ſummum Pontificem; Ioannes Suarez Epiſcopus con-

Digitized by Google

imbricenſis, orator à Ioanne 3. Luſitaniæ Rege miſſus ad concilium Tridentinum; Iacobus de Suarez ex ordines Franciſci aſſumptus ad Epiſcopatum ſagienſem, Henrici 4. galliarum Regis Prædicator eximius; Franciſcus de Suarez ex ordine Carmelitarum Epiſcopus menphiſius, qui fuit Annæ Auſtriacæ in gallia Reginæ àconcionibus, & Thelogus peritiſſimus.

Venio iam ad propinquiores. Hæc enim familia de Suarez Auenione domicilium elegit ab hinc centum quinquaginta circiter annis, & viros illuſtriſſimos miniſtrauit, qui dignitates ſublimiores & obtinuerunt & egregiè ſuſtinuerunt. Nemo neſcit plures ex ipſis fuiſſe Præpoſitos Eccleſiæ metropolitanæ, & Vicarios Generales illuſtriſſimorum eiuſdem ciuitatis Archiepiſcoporum; plures S. Officii conſultores, conſultorumque decanos; plures rotæ auditores, & decanos pariter auditorum; plures etiam vicegerentes vrbis & legationis, & Rectores comitatûs venayſſini; plures Profeſſores, comites Palatinos, & Primicerios vniuerſitatis. Inter eos Ioſephus de Suarez nomine totius vrbis coram Henrico 3. Galliæ Rege perorans, eique torquem aureum offerens, aureamque ſuæ maieſtatis effigiem ei appenſam, Rex eumdem collo eius impoſuit & dono dedit.

Denique vt finem dicendi faciam, D. Franciſcus de Suarez Dominus d'Aulanch adhuc ſuperſtes, & colendiſſimus Pater tuus munere Primicerii pro dignitate functus eſt, qui anno ætatis ſuæ decimo nono inter Auditores Rotæ fuit aſcriptus, nuncque vt Auditorum Decanus colitur, quem vtique magiſtratum hucuſque cum ſumma fide, parique prudentia, feliciqueſucceſſu geſſit. Et Chariſſimus frater eius Ioſephus Maria de Suarez, qui etiam in viuis eſt, vbi coadiutor fuit Præpoſiti Eccleſiæ Cathedralis Auenionenſis, eiuſdemque ciuitatis, & legationis vicegerens, & camerarius ſummi Pontificis vrbani 8. honorarius, ad Epiſcopatum vaſionenſem eſt ſublimatus, quem ſub Alexandro 7. abdicauit; Romamque reuerſus Vicarium agit in Baſilica S. Petri, ſub Eminentiſſimo Cardinali Barberino, eſtque aſſiſtens ſummi Pontificis. Apprime is verſatus eſt in antiquitatibus, ac omni politiori litteratura inſigniter excultus; cuius altæ peritiæ opera in lucem emiſſa egregia extant argumenta. Huic in Epiſcopatu ſucceſſit Ioſephus de Suarez Germanus ipſius, cùm fuiſſet antea eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, Vicarius Generalis, atque vniuerſita-

Digitized by Google

tis Primicerius Illuſtriſſimus. Is condidit egregium poëma de apibus, ſcripſit epitomen vitæ D. de Chaſtuel quondam in monte libani ſolitarii, quibus ex operibus facilè iudicaueris quantùm & ſtrictâ & oratione ſolutâ valuerit. Intempeſtiua mors, ne opus vitæ ſanctorum, & Auenionis & comitatûs venayſſini in lucem ederet (vt cogitauerat) inhibuit; ſed nihil inhibere potuit quin cum ſanctimoniæ exiſtimatione ex hac vita exceſſerit. Tandem Ludouicus Maria de Suarez eorumdem frater dilectiſſimus, præpoſitus fuit eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis, ac per quinque ſupra viginti annos Vicarius Generalis, necnon conſultor Sancti officij. Vir erat ingenuarum artium periτiſſimus; humanitatis officioſæ, & comis affabilitatis in omnia hominum genera; eximiæ pietatis, & ardentiſſimæ charitatis in pauperes, ac proinde etiam in Deum ipſum; adeo vt materiam ſuppeditauerit ampliſſimam orationi funebri iam typis mandatæ, quam R. P. de Gourdan ſocietatis Ieſu cum ſingulari eloquentia pro mor ſuo coram tua celſitudine habuit. e

Cæterum iam tempus eſt vt ad te (Illuſtriſſime Præſul) noſtra conuertatur oratio. Tot tantiſque Heroibus domeſticis addis te nec inferior ipſis; qui & conſtanter fideliterque Anteceſſorum inſtas veſtigiis, & gentilitiæ virtutis extas ditiſſimus hæres. hereditariæ equidem dotes S. adduxere Pontificem, vt te à lege conſtitutæ ætatis ſolueret, quò poſt patruos tuos vaſionenſem Epiſcopatum digniſſimè occupares. Maiorum in te emicat paſtoralis zelus, qui ita te in diœceſis tuæ commodum ſtimulat, vt illi aſſiduè inuigiles: emicat & comis humanitas, qua omnium animos qui tuo beantur alloquio, tibi ſuauiſſimè deuincis: emicat & eximia dicendi facultas, qua in ſacris pulpitis audientes in admirationem traducis: cuius ſanè venuſtæ ac ſacræ ſuadæ argumento ſunt, conciones quas coram Alexandro. 7. Pontifice maximo, ac alibi ſæpius, præſertim in ædibus ſacris R R. P P. Prædicatorum ſolemnitatem octo eiuſdem ordinis Sanctorum noua Apotheoſi inauguratorum inchoans habuiſti. Et verò hunc te deferre honorem decuit ordini Prædicatorum, qui te tanquam ILLVSTRILSIMVM filium veneratur, cùm tecum geras veſtem tertii ordinis D. Dominici perinde atque Patrui tui, eorum non modò dignitatis, ſed & religionis ſplendidus ſucceſſor. Quapropter non immerito ſinguli huius Inclyti ordinis Re-

ligioſi familiam Suareſiam prædicant ſuam, ſemper accincti quoties ſe dederit occaſio, illam omni officiorum genere ſibi demereri. Nulli Patrum ſuorum vult Author huius operis hac in parte inferior eſſe. Nec ego vlli mortalium cedam; ſed licèt non iiſdem, aliis tamen titulis me celſitudini tuæ, & inclytæ tuæ familiæ obſtrictum ſemper fatebor, eroque ſemper.

Veſter humillimus, & obſequentiſſimus ſervus P. OFFRAY, Bibliopola Avenionenſis.

INGRATITVDO.

Quær. 1. quid ſit ingratitudo, an ſit ſpeciale peccatum, & quinam ſint gradus ipſius.

RESPONDET D. Thomas, dicendum quòd omne vitium ex defectu virtutis nominatur, quod magis virtuti opponitur, ſicut illiberalitas magis opponitur liberalitati, quàm prodigalitas: poteſt autem virtuti gratitudinis aliquod vitium opponi per exceſſum, puta ſi recompenſatio beneficij fiat, vel pro quibus non debet, vel citiùs quàm debet; ſed magis opponitur gratitudini vitium, quod eſt per defectum, quia virtus gratitudinis in aliquid amplius tendit: & ideo propriè ingratitudo nominatur ex gratitudinis defectu.

Omnis autem defectus, ſeu priuatio ſpeciem ſortitur ſecundùm habitum oppoſitum; differunt enim cæcitas, & ſurditas ſecundùm differentiam viſus, & auditus: vnde ſicut gratitudo, vel gratia eſt vna ſpecialis virtus, ita etiam ingratitudo eſt vnum ſpeciale peccatum.

Habet tamen diuerſos gradus ſecundùm ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur; in qua primum eſt quòd homo acceptum beneficium recognoſcat; ſecundum eſt, quòd laudet, & gratias agat, tertium eſt, quòd retribuat pro loco, & tempore ſecundùm ſuam facultatem: ſed quod eſt vltimum in generatione, eſt primum in reſolutione: ideo primus ingratitudinis gradus eſt, vt homo beneficium non retribuat; ſecundus eſt, vt diſſimulet, quaſi non demonſtrans ſe beneficium accepiſſe: tertium, & grauiſſimum eſt, quòd non recognoſcat, ſiue per obliuionem, ſiue quocunque alio modo; & quia in affirmatione oppoſita intelligitur negatio, ideo ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quòd aliquis retribuat mala pro bonis; ad ſecundum, quòd beneficium vituperet, ad tertium quòd beneficium quaſi maleficium reputet. 2. 2. q. 107. a. 2. in corp. 4. ſent. d. 22. q. 1. a. 2. q. 1 in corp.

Quæritur 2. an ingratitudo ſemper ſit peccatum mortale, vel ſaltem veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ingratus dicitur aliquis dupliciter: vno modo per ſolam omiſſionem, puta quia non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto; & hoc non ſemper eſt peccatum mortale: quia debitum gratitudinis eſt, vt homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur; & ideo ſi illud prætermittit, non peccat mortaliter.

Eſt tamen peccatum veniale: quia hoc prouenit ex negligentia

quadam, aut ex aliqua indiſpoſitione hominis ad virtutem. Poteſt tamen contingere, quòd etiam talis ingratitudo ſit mortale peccatum; vel propter interiorem contemptum; vel etiam propter conditionem eius, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio, ſiue ſimpliciter, ſiue in aliquo neceſſitatis caſu.

Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non ſolum prætermittit implere gratitudinis debitum, ſed etiam contrarium agit: & hoc etiam ſecundùm conditionem eius, quod agitur, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. Sciendum tamen, quòd ingratitudo, quæ prouenit ex peccato mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem: illa verò, quæ prouenit ex peccato veniali, imperfectam. 2.2. *quaſt.* 107. *a.* 3. *in corp.*

Quæritur 3. vtrum homo venialiter peccans ſit ingratus Deo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per peccatum veniale non eſt aliquis ingratus Deo ſecundùm perfectam ingratitudinis rationem: habet tamen aliquid ingratitudinis inquantum peccatum veniale tollit aliquem actum virtutis, per quem homo Deo obſequitur. 2.2.*q.*107.*a.*3. *ad* 1.

Quær. 4. in quo ſenſu Seneca dicit in 2. de beneficiis: hac beneficii inter duos lex eſt, alter ſtatim obliuiſci debet dati, alter accepti nunquam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd idem Seneca dicit in 7. de beneficiis, *errat ſi quis exiſtimat, cùm dicimus eum qui beneficium dedit obliuiſci oportere, excutere nos illi memoriam rei præſertim honeſtiſſimæ: Cùm ergo dicimus*, meminiſſe non debet, *hoc volumus intelligi, prædicare non debet, nec iactare. Ibid. ad* 5.

Quær. 5. quomodo, ſicut Seneca dicit in 2. de beneficiis cap. 9. interdum & ipſe qui iuuatur, fallendus eſt, vt habeat, nec à quo acceperit ſciat: cùm tamen ex hoc detur ingratitudinis occaſio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui ignorat beneficium, non eſt ingratus, ſi beneficium non recompenſet; dummodo ſit paratus recompenſare, ſi noſſet: eſt autem laudabile quandoque vt ille cui prouidetur, beneficium ignorat: tum propter inanis gloriæ vitationem, ſicut beatus Nicolaus aurum furtim in donum proiiciens, vitare voluit humanum fauorem; tum etiam quia in hoc ipſo amplius beneficium facit, quòd conſulit verecundiæ eius qui beneficium accipit. 2.2. *q.* 107. *a.* 3. *ad* 4.

Quæritur 6. vtrum ingratis ſubtrahenda ſint beneficia, vt tollatur eis ſpes quidquam amplius recipiendi, ſecundùm quod Sap. 16. dicitur: ingrati ſpes tanquam Hybernalis glacies tabeſcet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa ingratum duo conſideranda ſunt: primò quid eſt, quod ipſe dignus ſit pati; & ſic certum eſt, quòd meretur beneficij ſubtractionem: alio modo conſiderandum eſt, quid oporteat beneficum facere: primò namque

Digitized by Google

non debet eſſe facilis ad ingratitudinem iudicandum, *quia frequenter aliquis*, vt Seneca dicit, *qui non reddidit, gratus eſt; quia fortè non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi*: ſecundò debet tendere ad hoc, quòd de ingrato gratum faciat, quòd ſi non poteſt primo beneficio ſatisfacere, fortè faciet ſecundo. Si verò ex beneficiis multiplicatis ingratitudinem augeat, & peior fiat, debet à beneficiorum exhibitione ceſſare. 2. 2. q. 107. a. 4. *in corp.*

Qu. 7. an peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundùm quatuor genera peccatorum, ſcilicet ſecundùm odium fraternum, Apoſtaſiam à fide contemptum confeſſionis, & dolorem de pœnitentia habita, ſecundùm quod quidam metricè dixerunt.

Fratres odit, apoſtata fit, ſpernitque fateri.
Pœnituiſſe piget. Priſtina culpa redit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccata dimiſſa per pœnitentiam, redire dicuntur inquantùm reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato ſequenti: ingratitudo autem poteſt committi dupliciter. Vno modo ex eo, quòd aliquid fit contra beneficium: & hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remiſit; & ſic per quodlibet peccatum mortale ſequens redeunt peccata priùs dimiſſa, ratione ingratitudinis.

Alio modo committitur ingratitudo non ſolùm faciendo contra ipſum beneficium, ſed etiam faciendo contra formam beneficij præſtiti: quæ quidem forma, ſi attenditur ex parte benefactoris eſt remiſſio debitorum; vnde contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, ſed odium tenet.

Si autem attendatur ex parte pœnitentis, qui recipit hoc beneficium, inuenitur ex parte eius duplex motus liberi arbitrij: quorum primus eſt motus liberi arbitrij in Deũ, qui eſt actus fidei formatæ; & contra hoc facit homo apoſtatando à fide: ſecundus autem eſt motus liberi arbitrij in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ, ad quem primò pertinet, quòd homo deteſtetur peccata præterita; & contra hoc facit ille, qui dolet ſe pœnituiſſe: ſecundò pertinet ad actum pœnitentiæ, vt pœnitens proponat ſe ſubiicere clauibus Eccleſiæ per confeſſionem, ſecundùm illud Pſalm. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*: & contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri ſecundùm quòd propoſuerat. Et ideo dicitur, quòd ſpecialiter ingratitudo horum peccatorum, facit redire peccata prius dimiſſa. 3. q. 88. a. 2. *in corp.* 4. *ſent. d.* 22. *q.* 1 *a.* 1. *in corp. a.* 3. *q.* 2. *in corp.* 4. *ad Hann. d.* 22. *a.* 1.

Quær. 8. an peccata venialia, & peccatum originale redeant per ingratitudinem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam peccata venialia, & ipſum originale redeũt modo præ-

dicto, ſicut & peccata mortalia, inquantùm contemnitur Dei beneficium, quo hæc peccata ſunt remiſſa. Non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitudinem: quia homo peccando venialiter non facit contra Deum, ſed præter ipſum: & ideo per peccata venialia, nullo modo peccata dimiſſa redeunt. *3. p. q. 88. a. 2. ad 2. 4. ſent. d. 22. q. 1. a. 3. q. 1. & 2. in corp.*

Quæritur 9. quomodo peccata remiſſa redeant quantùm ad ingratitudinem in eo, qui recidiuat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid poteſt redire dupliciter: vel in ſe, & ſic peccata dimiſſa nullo modo redeunt quantùm ad maculam, & per conſequens nec quantùm ad reatum; vel in ſuo effectu, & hoc modo peccata dimiſſa redeunt inquantùm ex dimiſſis peccatis aliquid in ſequentibus relinquitur; ex hoc enim quòd homo Deum per peccatum offendit, poſt remiſſionem præcedentium peccatorum, quandam deformitatem ingratitudinis actus ſequentis peccati acquirit:& ideo dicitur communiter, quòd redeunt quantùm ad ingratitndinem. *4. ſent. d. 22. quæſt. 1. art. 1. in fine corporis. 3. p. q. 88. a. 1.*

Qu. 10. quomodo intelligatur venerabilis Beda ſuper illud Lucæ 11. reuertar in domum meam vnde exiui, dicens: timendus eſt iſte verſiculus non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in illis verbis non intendit dicere Beda, quòd culpa prius dimiſſa hominem opprimat per reditum reatus præteriti, ſed per iterationem actus. *3. p. q. 88. a. 1. ad 2.*

Qu. 11. an per ingratitudinem peccati ſequentis redeat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimiſſorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt, quòd ex peccato ſequenti propter ingratitudinem conſurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum prius dimiſſorum ſuper reatum proprium huius peccati. Sed hoc non eſt neceſſarium: quia reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum ſequens inquantùm ſequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, ſed inquantùm conſequitur actum ſequentis peccati; & ideo oportet, quòd quantitas reatus redeuntis ſit ſecundùm grauitatem peccati ſubſequentis.

Poteſt autem contingere, quòd grauitas peccati ſubſequentis adæquetur grauitati omnium peccatorum præcedentium. Sed hoc non ſemper eſt neceſſe; ſiue loquamur de grauitate eius, quam habet ex ſua ſpecie (cùm quandoque peccatum ſequens ſit fornicatio ſimplex, peccata verò præterita fuerunt adulteria, vel homicidia, ſeu ſacrilegia) ſiue etiam loquamur de grauitate, quam habet ex ingratitudine annexa: non enim oportet, quòd quantitas ingratitudinis ſit abſolutè æqualis quantitati beneficij ſuſcepti, cuius quãtitas attenditur ſecundùm quanti-

tatem peccatorum priùs dimiſſorum; contingit enim, quod contra idem beneficium vnus eſt multùm ingratus, vel ſecundùm intenſionem contemptus beneficij, vel ſecundùm grauitatem culpæ contra benefactorem commiſſæ; alius autem parùm, vel quia minùs contemnit; vel quia minùs contra benefactorem agit: ſed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficij; ſuppoſito enim æquali contemptu beneficij, vel offenſæ benefactoris, tantò erit grauior ingratitudo, quantò beneficium fuit maius.

Vnde manifeſtum eſt, quòd non eſt neceſſe, quòd propter ingratitudinem ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: ſed neceſſe eſt, quòd proportionaliter quantò peccata priùs dimiſſa fuerunt plura, & maiora, tantò redeat maior reatus per qualecumque ſequens mortale peccatum. *3. p. q. 88. art. 3. in corp. 4. ſent. d. 22. quaſt. 1. art. 2. quaſt. 3. in corp.*

Qu. 12. an, & quando ingratitudo ſit ſpecialis peccatum, vel ſolummodo circunſtantia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ingratitudo peccantis quandoque eſt ſpeciale peccatum, quandoque autem non, ſed eſt circunſtantia generaliter cōſequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur; peccatum enim ſpeciem recipit ex intentione peccantis; vnde vt Philoſophus dicit in 5. eth. *ille, qui mœchatur, vt furetur, magis eſt fur, quàm mœchus.* Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei, & ſuſcepti beneficij aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad ſpeciem ingratitudinis; & hoc modo ingratitudo peccantis eſt ſpeciale peccatum: ſi verò aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium, aut adulterium, non retrahatur ab hoc, propter hoc quòd pertinet ad contemptum Dei, ingratitudo non erit ſpeciale peccatum, ſed trahetur ad ſpeciem alterius peccati, ſicut circunſtantia quædam: vt autem Auguſtinus dicit in lib. de natura, & gratia, *non omne peccatum eſt ex contemptu; & tamen in omni peccato Deus contemnitur in ſuis præceptis.* Vnde manifeſtum eſt, quòd ingratitudo peccantis quandoque eſt ſpeciale peccatum, ſed non ſemper. *3. p. q. 88. a. 4. in corp. 2. 2. q. 107. a. 2. ad 1. 4. ſent. d. 22. qu. 1. a. 3. quaſt. unc. 3.*

Quæritur 13. quiſnam ſit magis ingratus, an peccans poſt innocentiam, an peccans poſt pœnitentiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd beneficium aliquod poteſt penſari dupliciter: vno modo ex quantitate ipſius beneficij, & ſecundùm hoc innocentia eſt maius Dei beneficium, quàm pœnitentia, quæ dicitur ſecunda tabula poſt naufragium: alio modo poteſt penſari beneficium ex parte recipientis, qui minùs eſt dignus; & ſic magis fit ſibi gratia, vnde & ipſe magis eſt ingratus, ſi contemnat: & hoc modo beneficium remiſſionis culpæ eſt maius inquantum præſtatur totaliter indigno: & ideo ex hoc ſequitur maior ingratitudo. *3. p. q. 88. a. 2. ad*

Digitized by Google

3. 4. *ſent. d.22.q.1.a.2.q.2.in corp.*

Quær. 14. *ad quam ſuperbiæ ſpeciem pertineat ingratitudo.*

Reſp. v. *ſuperbia.*

Quær. 15. *an & quomodo tenetur recidiuans ingratitudinem ſuam confiteri.*

Reſp. v. *recidiuans.*

INIMICI.

Quæ. 1. *an ſit de neceſſitate charitatis, quòd inimici diligantur, iuxta præceptum Chriſti Matth. 5. diligite inimicos veſtros: vbi dicit gloſſa: non ſufficit non odiſſe, ſed quod contra naturam eſt, præcipitur diligere.*

RESp. D. Thomas, dicendũ quòd dilectio inimicorum tripliciter poteſt conſiderari: vno modo vt inimici diligantur, inquantùm ſunt inimici, & hoc eſt peruerſum, & charitati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius: alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum quantùm ad naturam, ſcilicet in vniuerſali, & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate charitatis, vt ſcilicet aliquis diligens Deum, & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat: tertiò poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali, vt ſcilicet aliquis in ſpeciali moueatur motu dilectionis ad inimicum, & iſtud non eſt de neceſſitate charitatis abſolutè, quia nec etiam moueri motu dilectionis in ſpeciali ad quoſlibet homines ſingulariter eſt de neceſſitate charitatis, quia hoc eſt impoſſibile.

Eſt tamen de neceſſitate charitatis ſecundùm præparationem animi, ſcilicet quòd homo habeat animum paratum ad hoc, quòd in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret, ſed quòd abſque articulo neceſſitatis homo etiam hoc actu impleat, vt diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis: cùm enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quantò aliquis magis diligit Deum, tantò etiam magis ad proximum dilectionem extendit nulla inimicitia impediente, ſicut ſi aliquis multùm diligeret aliquem hominem, amore ipſius filios amaret etiam inimicos ſibi. 2.2. *quæſt.* 25. *art.*8. *in corp.* 3. *ſent. diſt.* 30. 3. *ad hann. a.* 1. *q.* 1. *a.* 1. *qu.*2. *de virtut. a.*8.

Qu. 2. *an & quando ſit de neceſſitate ſalutis, vel de perfectione, quòd aliquis ſigna, & effectus dilectionis exhibeat inimicis, iuxta gloſſam ſuper illud Matth. 5. benefacite his qui oderunt vos, dicentem: benefacere inimicis, & orare pro eis eſt cumulus perfectionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd effectus, & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur; dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem eſt de neceſſitate præcepti abſolutè; in ſpeciali autem eſt non abſolutè, ſed ſecundùm præparationem animi: ſic ergo dicendum eſt de effectu, & ſigno dilectionis exteriùs exhibendo: ſunt enim quædam ſigna, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis

in communi, puta cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati; & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere eſt de neceſſitate præcepti: ſi enim non exhiberentur inimicis hoc pertineret ad liuorem vindictæ contra id, quod dicitur Leuitici 19. *Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum.*

Alia verò ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis: & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundùm præparationem animi, vt ſcilicet ſubueniatur eis in articulo neceſſitatis, ſecundùm illud Prouerbiorum vigeſimoquinto: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, da illi potum.*

Sed quòd præter articulum neceſſitatis huiuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non ſolùm cauet vinci à malo, quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt perfectionis; dum ſcilicèt non ſolùm cauet propter iniuriam ſibi illatam trahi ad odium, ſed etiam propter ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſuum amorem. 2. 2. *qu.* 25. *art.* 9. *in corp.* 3. *ſent. d.* 30. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *de Virt. a.* 8.

Quær. 3. an poſſimus ſalua charitate inimicis deſiderare malum, & etiam inferre.

Reſpondetur ſupra v. *deſiderare malum.*

Quær. 4. quomodo poſſimus, vel debeamus inimicis optare bona, vel mala.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd affectus dilectionis eſt duplex; primus innocentiæ, ſecundus beneficentiæ: primo affectu tenemur diligere omnes inimicos, ne optemus eis mala, inquantum mala ſunt (idest, per ſe) ſed mala, inquantum eis expedientia, vel Eccleſiæ, vel reipublicæ fore credimus, per accidens optare poſſumus: ſecundus duplex eſt: quia vnus eſt principalis quem charitas primò & per ſe elicit, vt optare dilecto bono Spiritualia, ſcilicet gratiam & gloriam: alter quem ſecundariò per accidens elicit, & ideo nec ſemper; quia non ſemper expedit dilecto; vt optare ei bona temporalia: Primo modo tenemur affectu diligere inimicos: ſecundo modo non; ſed minùs ſecundo modo debemus diligere inimicos Eccleſiæ quàm perſonæ, nam illis optare proſperitatem temporalem imperfectionis eſt potiùs quàm perfectionis, niſi per accidens; inquantum ſcilicet beneficiis attrahi ſperantur ad Eccleſiæ deuotionem: inimicis autem perſonæ optare bona temporalia perfectionis eſt, niſi per accidens; inquantum putantur eis vel aliis fore nociua. 3. *ad hann. d.* 30. *q. vnica a.* 1. *in corp.*

Quæritur 5. an, & quomodo teneamur inimicis benefacere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut in affectu, ita in effectu ab eo procedente diſtinguen-

dum eſt: ná ad effectum innocentiæ omnes tenentur, vt inimicis mala non inferant, niſi fortè per accidens propter bonum perſonæ vel reipublicæ: quoad effectum beneficentiæ diſtinguendum eſt: quia tenemur eis benefacere beneficio ſpirituali neceſſario ad ſalutem, & pro eis orare, non in ſpeciali, ſed in communi; ſcilicet non excludendo eos ab orationibus noſtris communibus. Temporali autem beneficio non tenemur, niſi in caſu neceſſitatis: Et tunc magis eſt opus iuſtitiæ quàm amicitiæ: Extra caſum verò neceſſitatis in ſtatu opportunitatis non tenemur.

Circa hoc tamen ſecundùm aliquos, eſt diſtinguendum: quia aut eſt inimicus Eccleſiæ, aut perſonæ: inimico perſonæ benefacere perfectionis eſt, niſi per accidens; inquantum ipſum beneficium vel ipſi vel alteri occaſionaliter nociuum eſt; *vtilius enim*, vt ait Aug. *eſurienti panis ſubtrahitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligat, quàm eſurienti panis frangitur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat.* Inimico verò Eccleſiæ beneficium ſubtrahere perfectius eſt, niſi per accidens; inquantùm ipſum beneficium Eccleſiæ fore ſperatur vtile, vt quando per beneficia ſperatur reconciliandus Eccleſiæ. *Ibid. a. 2. in corp. 3. ſent. d. 30. a. 2.*

Quær. 6. vtrum oſtendere inimicis ſigna beneuolentiæ ſit perfectionis; ſed optare ipſis gratiam, & gloriam ſit neceſſitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diligere inimicos quantùm ad oſtenſionem ſignorum beneuolentiæ hoc perfectionis eſt, & ad hoc non omnes tenentur: ſed quòd homo inimico ſuo optet gratiam Dei, & vitam æternam (quod ſpecialiter charitas reſpicit) hoc neceſſitatis eſt. 3. *ſent. d. 30. q. 1. a. 1. ad 1.*

Quær. 7. an & quando ſit peccatum vindicta, ſi aliquis inimico deneget ſigna familiaritatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd negare hominis ſigna familiaritatis, quando neceſſitas exposceret, eſſet vindicta; vel etiam quando veniam peteret; vel quando ſe ille qui hoſtis habetur, ad familiaritatem ingereret, ſi habeatur præſumptio quòd non ſimulatè, vel irriſoriè facit: quia tunc diligit, & inter amicos deputandus eſt: ſed quòd aliquis vltrò ſe ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis eſt. 3. *ſ. d. 30. q. 1. a. 2. ad 5. 3. ad hanc d. 30. a. 2. ad 3.*

Qu. 8. quænam rationes inducant ad dilectionem inimicorum.

Reſp. D. Thomas, multæ rationes inducunt.

Prima eſt propriæ dignitatis conſeruatio: diuerſæ enim dignitates diuerſa ſigna habent: nullus autem propriæ dignitatis ſigna dimittere debet: inter omnes autem dignitates maior eſt quòd quis ſit filius Dei: Huius autem dignitatis ſignum eſt, ſi diligis inimicum; Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt*: ſi enim diligis amicum, non eſt hoc ſignum filiationis diuinæ, nam Publicani & Ethnici hoc

hoc faciunt, vt dicitur Matth. 5.

Secunda eſt victoriæ acquiſitio: omnes enim hoc naturaliter deſiderant: oportet ergo, quòd vel trahas eum, qui te offendit ad dilectionem bonitate tua; & tunc vincis; vel quòd alius trahat te ad odium, & tunc perdis. Ad Rom. 12. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.*

Tertia eſt multiplicis vtilitatis conſecutio: Acquirit enim ex hoc amicos, ad Rom. 12. *ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius:* Auguſtinus, *Nulla maior prouocatio ad amorem, quàm præuenire amando:* nullus enim eſt ita durus, qui etſi dilectionem nolit impendere, nolit tamen rependere; quia vt dicitur Eccl. 6. *Amico fideli nulla comparatio.* Prou. 16. *cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*

Quarta eſt, quia ex hoc preces tuæ faciliùs exaudiuntur. Vnde ſuper illud Ierem. 15. *ſi ſteterint Moyſes, & Samüel coram me,* dicit Gregorius, *quòd fecit potius de iſtis mentionem, quia rogauerunt pro inimicis:* ſimiliter Chriſtus ait, Lucæ 23. *Pater dimitte illis*: item beatus Stephanus orando pro inimicis magnam vtilitatem fecit Eccleſiæ, quia Paulum conuertit.

Quinta eſt peccati euaſio, quam maximè deſiderare debemus: aliquando enim peccamus, nec Deum quærimus: & Deus trahit nos ad ſe vel infirmitate, vel aliquo huiuſmodi, Oſeæ 6. *ſepiam viam tuam ſpinis.* ſic fuit tractus beatus Paulus Pſal. 118. *Erraui ſicut ouis quæ periit, quære ſeruum tuum Domine.* Cant. 1. *Trahe me poſt te, curremus &c.*

Hoc autem conſequimur, ſi inimicum ad nos trahimus primò remittentes; quia vt dicitur Lucæ 6. *Eâdem menſurâ, qua menſi fueritis, remetietur vobis:* Et ibidem 37. *Dimittite, & dimittemini:* Et Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:* Nulla eſt enim maior miſericordia, quàm offendenti dimittere. *opuſc. 4. de decem præceptis cap. 8.*

Quæritur 9. an ſit magis meritorium diligere amicum, quàm inimicum.

Reſp. v. *charitas qu. 28.*

INIVSTITIA.

Quæritur 1. an facere iniuſtum ſit peccatum mortale ex ſuo genere.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd peccatũ mortale eſt, quod contrariatur Charitati, per quam eſt animæ vita: omne autem nocumentum alteri illatum ex ſe Charitati repugnat, quæ mouet ad volendum bonum alterius & ideo cùm iniuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quòd facere iniuſtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale. *2. 2. q. 59. a. 4. in corp.*

Quær. 2. vtrum iniuſtitia excuſetur à peccato mortali ex paruitate materiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille, qui in paruis facit iniuſtitiam, deficit à perfecta ratione eius, quod eſt iniuſtum facere; inquantum poteſt reputari non eſſe omnino contra voluntatem

eius, qui hoc patitur; puta ſi auferat aliquis alicui vnum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile eſt, quòd ille inde non lædatur, nec ei diſpliceat:& ideo non peccat mortaliter. 2. 2. *quæſt.* 59. *a.* 4. *ad* 2.

INOBEDIENTIA.

Quæritur 1. *vtrum inobedientia ſit peccatum mortale.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd peccatum mortale eſt, quod contrariatur Charitati, per quam eſt ſpiritualis vita: Charitate autem diligitur Deus, & proximus; exigit autem Charitas Dei, vt eius mandatis obediatur; & ideo inobedientem eſſe Diuinis præceptis eſt peccatum mortale, quaſi Diuinæ dilectioni contrarium: in præceptis autem Diuinis continetur quòd etiam ſuperioribus obediatur; & ideo etiam inobedientia, quâ quis inobediens eſt præceptis ſuperiorum, eſt peccatum mortale, quaſi Diuinæ dilectioni contraria, ſecundùm illud ad Romanos 13. *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Contrariatur inſuper dilectioni proximi, inquantum ſuperiori proximo ſubtrahit obedientiam, quam ei debet. 2. 2. *q.* 105. *a.* 1. *in corp.*

Quæritur 2. *vtrum omne peccatum tam veniale quàm mortale ſit inobedientia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum veniale non eſt inobedientia, quia non eſt contra præceptum, ſed præter præceptum.

Nec etiam omne peccatum mortale eſt inobedientia propriè, & per ſe loquendo, ſed ſolùm tunc quando aliquis præceptum contemnit; quia ex fine morales actus ſpeciem habent: cùm autem facit aliquid contra præceptum non propter præcepti contemptum, ſed propter aliquid aliud, eſt inobedientia materialiter tantùm, ſed pertinet formaliter ad aliam ſpeciem peccati. 2. 2. *quæſt.* 105. *a.* 1. *ad* 1.

Quæritur 3. *an ſubditus excuſetur à peccato inobedientiæ, ſi tot ei præcepta imponantur, vt ea implere non poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus obligatur ad impoſſibile:& ideo ſi tot præcepta Prælatus aliquis ingerat, ſeu iniungat, quòd ſubditus ea implere non poſſit, excuſatur à peccato: & ideo Prælati abſtinere debent à multitudine præceptorum. 2. 2. *q.* 105. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 4. *vnde ſumatur differentia grauitatis in peccato inobedientiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non omnis inobedientia eſt æquale peccatum: poteſt enim vna inobedientia eſſe grauior altera dupliciter.

Vno modo ex parte præcipientis: quamuis enim omnem curam homo apponere debeat ad hoc, quòd cuilibet ſuperiori obediat, tamen magis eſt debitum, quòd homo obediat ſuperiori, quàm inferiori poteſtati: cuius ſignum eſt quòd præceptũ inferioris prætermittitur, ſi ſit præcepto ſuperioris

contrarium; vnde conſequens eſt, quòd quantò ſuperior eſt ille, qui præcipit, tantò ei inobedientem eſſe ſit grauius: & ſic inobedientem eſſe Deo grauius, quàm inobedientem eſſe homini.

Secundò ex parte præceptorum: non enim præcipiens æqualiter vult impleri omnia, quæ mandat; magis enim vnuſquiſque præcipiens vult finem, quàm id, quod eſt fini propinquum: & ideo tantò eſt inobedientia grauior, quantò præceptum, quod quis præterit, magis eſt de intentione illius, qui præcipit: & in præceptis quidem Dei manifeſtum eſt, quòd quantò præceptum datur de meliori, tantò eſt eius inobedientia grauior, quia cùm voluntas Dei per ſe feratur ad bonum, quantò aliquid eſt melius, tantò Deus vult illud magis impleri; vnde qui inobediens eſt præcepto de dilectione Dei, grauiùs peccat, quàm qui inobediens eſt præcepto de dilectione proximi: voluntas autem hominis non ſemper magis fertur in melius; & ideo vbi obligamur ex ſolo hominis præcepto, non eſt grauius peccatum ex eo, quòd maius bonum præteritur, ſed ex eo, quòd præteritur illud, quod eſt magis de intentione præcipientis.

Sic ergo oportet ſecundùm diuerſos inobedientiæ gradus diuerſis peccatorum gradibus comparare. Nam inobedientia, quâ contemnitur Dei præceptum ex ipſa ratione inobedientiæ grauius eſt peccatum, quàm peccatum, quo peccatur in hominem, ſi ſecerneretur inobedientia Dei; & hoc ideo dico, quia qui contra proximum peccat, etiam contra præcepta Dei agit: ſi tamen in aliquo potiori præceptum Dei contemneret; adhuc peccatum grauius eſſet: inobedientia autem, qua contemnitur præceptum hominis, leuior eſt peccato, quo contemnitur ipſe præcipiens; quia ex reuerentia præcipientis procedere debet reuerentia præcepti: & ſimiliter peccatum, quod directè pertinet ad contemptum Dei, ſicut blaſphemia, vel aliquid huiuſmodi, grauius eſt, etiam ſemotâ per intellectum inobedientiâ à peccato, quàm eſſet illud peccatum, in quo contemnitur ſolùm Dei præceptum. 2. 2. *quæſt.* 105. *a.* 2. *in corp.*

Quæritur 5. vtrum omnis inobedientia ſit peccatum in Spiritum-Sanctum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non omnis inobedientia eſt peccatum in Spiritum Sanctum, ſed ſolùm illa, cui obſtinatio adhibetur: non enim contemptus cuiuſcunque quod peccatum impedit, conſtituit peccatum in Spiritum-Sanctum; alioquin cuiuſlibet boni contemptus eſſet peccatum in Spiritum-Sanctum, quia per quodlibet bonum poteſt homo impediri à peccato; ſed bonorum illorum contemptus facit peccatum in Spiritum-Sanctum, quæ directè ducunt ad pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. 2. 2. *q.* 105. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 6. quomodo intelligi debet illud Samuelis 1. Reg. 15. quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illa comparatio Samuëlis non eſt æqualitatis, ſed ſimilitudinis; quia inobedientia redundat in contemptum Dei, ſicut & idololatria, licèt idololatria magis. *ibid. ad 1.*

Quær. 7. vtrum inobedientia oriatur ex vana gloria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inanis gloria appetit manifeſtationem alicuius excellentiæ: & inde eſt quòd inobedientia ex inani gloria oritur. Nihil autem prohibet ex peccato veniali oriri mortale; cùm veniale ſit diſpoſito ad mortale. 2.2. *q.* 105.*a.*1.*ad* 2.2. *d.*42. *q.*2.*a.*4.*ad* 5.

INSENSIBILITAS.

Quæritur 1. cur inſenſibilitas propria nomine careat.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in 3. eth. *inſenſibilitas, quæ opponitur temperantiæ, non multùm contingit*: & ideo tam ipſa, quàm omnes eius ſpecies, quæ opponuntur diuerſis ſpeciebus temperantiæ, nomine carent. 2.2.*q.*150. *a.* 1. *ad* 1.

Quær. 2. an inſenſibilitas ſit vitium nimis retrahens à delectationibus: & quibuſnam conueniat à delectationibus abſtinere abſque tali vitio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omne illud, quod contrariatur ordini naturali, eſt vitioſum: natura autem delectationem appoſuit operationibus neceſſarijs ad vitam hominis: & ideo naturalis ordo requirit, vt homo intantum huiuſmodi delectationibus vtatur, inquantùm neceſſarium eſt ſaluti humanæ; vel quantùm ad conſeruationem indiuidui; vel quantùm ad conſeruationem ſpeciei: ſi quis ergo intantùm delectationem refugeret, quòd prætermitteret ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſeruationem naturæ, peccaret, quaſi ordini naturali repugnans; & hoc pertinet ad vitium inſenſibilitatis.

Sciendum tamen, quòd ab hujuſmodi delectationibus conſequentibus hujuſmodi operationes quandoque laudabile, vel etiam neceſſarium eſt abſtinere propter aliquem finem; ſicut propter ſanitatem coporalem aliqui abſtinent à quibuſdam delectationibus potus, & venereorum; & etiam propter alicuius officij executionem, ſicut athletas, & milites neceſſe eſt à multis delectationibus abſtinere, vt officium proprium exequantur; & ſimiliter pœnitentes ad recuperandum animæ ſanitatem abſtinentiâ delectabilium, quaſi quadam dieta vtuntur; & homines volentes contemplationi, & rebus Diuinis vacare, oportet quòd ſe magis à carnalibus deſideriis abſtrahant: nec aliquid prædictorum ad inſenſibilitatis vitium pertinet, quia ſunt ſecundùm rationem rectam. 2.2.*q.*142.*a.*1 *in corp.*

Quærit. 3. an vitium oppoſitum luxuriæ contineatur ſub inſenſibilitate; & in eo accidat, qui debitum coniugale non reddunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oppoſitum luxuriæ non contingit in multis: eo quòd homines

magis ſunt proni ad delectationes: & tamen oppoſitum vitium continetur ſub inſenſibilitate: & accidit hoc vitium in eo, qui intantum deteſtatur mulierum vſum, quòd etiam vxori debitum non reddit. 2. 2. *q.*153.*a.*3.*ad* 3.

INSPIRATIONES.

Qu. 1. an & quomodo inſpirationes Diuinæ circa conſilia obligent vt non contemnantur, ſed non vt impleantur.

RESP. D.Thomas, dicitur Conſilium perſuaſio vel inductio ad aliquid agendum non habens vim coactiuam; & ſic Conſilium contra præceptum diuiditur, cuiuſmodi ſunt amicabiles exhortationes. Et ex iſto Conſilio aliquando conſcientia procedit; applicatur enim aliquando cõſcientia hujus conſilij ad particularem actum: ſed cùm conſcientia non liget niſi ex virtute eius quod in conſcientia habetur, conſcientia quæ ex conſilio ſequitur, non alio modo poteſt obligare, quàm ipſum conſilium, ex quo aliquis obligatur; vt non contemnat, ſed non vt impleat. *q.* 17. *de ver.a.*3.*ad* 2.

Qu. 2. vtrum ille, qui inſpiratur ad faciendum aliquod opus conſilij, excuſetur à peccato, etiamſi illud non faciat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conſcientia obligat virtute præcepti diuini, ſub cuius ratione apprehendit illud quod ratio dictat: & ideo ſi illud apprehendatur vt directè cadens ſub præcepto, peccat mortaliter, omittendo quod conſcientia dictat: etiam ſi ſit veniale & indifferens: Si autem apprehendatur vt non directè cadens ſub præcepto vel prohibitione, tunc non fit directè contra conſcientiam, ſed præter eam: & ita non peccatur mortaliter ſed venialiter, vel etiam nullo modo: ſicut quando conſcientia dictat alicui, quòd bonum eſt facere aliquod opus conſilij: ſi non facit, non peccat: quia non apprehendit illud, vt bonum debitum, & neceſſarium ad ſalutem, & præcepto ſubiacens. 2. *ſ.d.* 39. *q.*3. *a.*3. *ad* 6.

Qu. 3. quid ſit agendum, quando dubitatur an inſpirationes ſint ab Angelo tenebrarum transfigurante ſe in Angelum lucis, v. g. inſpiratio de ingreſſu Religionis.

Reſp. D.Thomas, quod proponitur quòd Sathanas *transfigurat ſe in Angelũ lucis* 2. *ad Cor.*11. & multoties bona ſuggerit intentione fallendi, verum eſt. Sed ſicut gloſſa ibidem dicit: *quando Diabolus ſenſus corporis fallit, mentem verò non mouet à vera rectaque ſententia, qua quiſque vitam fidelem gerit, nullum eſt in Religione periculum: vel cùm ſe bonum fingens, ea vel facit, vel dicit, quæ bonis Angelis congruunt: etiamſi credatur bonum, non eſt error periculoſus, aut morbidus: cùm verò per hæc aliena bona ad ſua ducere incipit, nequaquam poſt eum eat, opus eſt magna vigilantiâ.* Detur ergo quòd Diabolus exciter aliquem ad Religionem intrandum, hoc opus bonum eſt, & bonis Angelis congruum: vnde non eſt periculum, ſi quis in hoc conſentiat: ſed vigilandum erit, vt ei reſiſtatur, cùm ad ſuperbiam, vel alia vitia inceperit ducere, frequenter enim contin-

Digitized by Google

git, quòd Deus vtitur malitiâ dæmonum in bonum ſanctorum, quibus præparat coronas inuictis: & ſic eis à ſanctis illuditur.

Sciendum tamen, quòd ſi cui à Diabolo ſuggeratur, vel etiam ab homine Religionis introitus, per quem aliquis accedit ad Chriſtum ſequendum, talis ſuggeſtio efficaciam non habet niſi interiùs trahatur à Deo: dicit enim Auguſt. in lib. de prædeſtin. Sanctorum, quò *omnes ſancti ſunt docibiles Dei, Ioan.* 6. *non quia omnes ad Chriſtum veniant, ſed quia nemo aliter venit:* & ſic Religionis propoſitum à quocumque ſuggeratur, à Deo eſt. *opuſc.* 17. *contra retrahentes ab ingreſſu Religionis, cap.* 19.

Quæritur 4. quid agendum ſit, quando inſpiratur aliquid periculoſum, ſiue aliquod bonum opus, quod poteſt malum exitum habere, vt ingreſſus religionis.

Reſp. D. Thomas, quod proponitur, quòd in his eſt requirendum conſilium, quæ malum exitum poſſunt ſortiri, diſtinctione indiget: aut enim malus exitus poteſt contingere ex parte ipſius rei, quæ aſſumenda imminet, aut ex parte hominis aſſumentis.

Si ex parte rei quæ aſſumenda eſt, periculum imminet, & hoc quidem frequenter accidat, magnâ deliberatione opus eſt, vt periculis obuietur, vel res totaliter relinquatur: Si verò vt in paucioribus periculum accidat, non eſt magnâ deliberatione opus, ſed vigilantiâ, & cautelâ, ne aliquo caſu in periculum incidatur; alioquin daretur occaſio omnia humana ſtudia prætermittendi, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 11. *qui obſeruat ventum non ſeminat; & qui conſiderat nubes, nunquam metet:* & Prouerb. 26. *dicit piger, leo eſt in via, leana in itineribus:* vbi dicit gloſſa: *multi cùm verba exhortationis audiunt, dicunt ſe velle viam iuſtitiæ incipere, ſed à ſathana retrahi ne perficiant.*

Quandoque verò res ipſa in ſe ſecura eſt, habet tamen malum exitum propter hoc quòd homo mutat propoſitum: Et ex iſta cauſa non debet homo retrahi, vel differre ſub ſpecie maioris deliberationis Religionis ingreſſum; quamuis aliqui mutato propoſito à Religione Apoſtatantes deteriores fiant: alioquin etiam ſimilis ratio eſſet de acceſſu ad fidem, & fidei Sacramenta; quia dicitur 2. Petri 2. *melius erat viam veritatis non cognoſcere, quàm poſt agnitam retroire:* & Apoſt. ad Hebræ. 10. *deteriora meretur ſupplicia, qui ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, & ſpiritus gratiæ contumeliam fecerit.* Non eſſet etiam paſſim ad iuſtitiæ opera procedendum; quia ſcriptum eſt Eccli. 26. *qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum, Deus parauit eum ad Romphaam. In eodem opuſc.* 17. *& cap.* 10.

Quær. 5. an inſpirationes ſint à Deo, licèt non perſeuerent us in bono ſtatu, vel opere inſpiratis.

Reſp. D. Thomas, quod conſilium Dei nunquam diſſoluitur, ſecundùm illud Iſa 46. *conſilium meum ſtabit: & omnis voluntas mea fiet.* Ex hoc tamen conſilio immutabili, ſicut datur rebus corruptibilibus eſſe temporale, quibus ſempiternitatem non tribuit, ita

quibuſdam dat iuſtitiam temporalem, quibus non largitur perſeuerantiæ donum, vt Aug. dicit in lib. de perſeuerantia. *opuſc. & cap. tam citatis.*

INTELLECTVS DONVM.

Quær. 1. vtrum intellectus ſit donum Spiritus-Sancti.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd nomen intellectus quandam intimam cognitionem importat: dicitur enim intelligere quaſi intus legere: & hoc maniſeſtè patet conſiderantibus differentiam intellectus, & ſenſus. Nam cognitio ſenſitiua occupatur circa qualitates ſenſibiles exteriores: cognitio autem intellectiua penetrat vſque ad eſſentiam rei: Obiectum enim intellectus eſt *quod quid eſt*, vt dicitur in 3. de anima. Sunt autem multa genera eorum, quæ interiùs latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quaſi intrinſecùs penetrare: nam ſub accidentibus latet natura rei ſubſtantialis; ſub verbis latent ſignificata verborum; ſub ſimilitudinibus, & figuris latet veritas figurata. Res enim intelligibiles ſunt quodammodo interiores reſpectu rerum ſenſibilium, quæ exteriùs ſentiuntur: & in cauſis latent effectus, & è conuerſo: vnde reſpectu horum omnium poteſt dici intellectus. Sed cùm cognitio hominis a ſenſu incipiat, quaſi ab exteriori, manifeſtum eſt, quòd quantò lumen intellectus eſt fortius, tantò poteſt magis ad intima penetrare; lumen autem naturale noſtri intellectus eſt finitæ virtutis: vnde vſque ad determinatum aliquid pertingere poteſt: indiget ergo homo ſupernaturali lumine, vt vlteriùs pertingat ad cognoſcēdum quædam, quæ per lumen naturale cognoſcere non valet: & illud lumen ſupernaturale homini datum, vocatur *donum intellectus. 2.2. q.8.a.1. in corp.*

Qu. 2. quomodo donum intellectus ſe extendat nedum ad myſteria fidei, ſed etiam ad opera bona, iuxta illud Pſal. 110. intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd donum intellectus non ſolùm ſe habet ad ea, quæ primò, & principaliter cadunt ſub fide, ſed etiam ad omnia, quæ ad fidem ordinantur. Operationes autem bonæ quendam ordinem ad fidem habent: Nam *fides per dilectionem operatur*, vt Apoſtolus dicit ad Galat 5. Et ideò donum intellectus etiam ad quædam operabilia ſe extendit, non quidem vt circa ea principaliter verſetur, ſed inquantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conſpiciendis, & conſulendis (ſecundùm Auguſtinum 12. de trinitate) inhæret ſuperior ratio, quæ dono intellectus perficitur. 2. 2. q. 3. *in corp.*

Qu. 3. an & quomodo dono intellectus correſpondeat ſexta beatitudo, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de ſermone Domini in monte: ſexta operatio Spiritus Sancti, quæ eſt intellectus, conuenit mundis corde, qui purgato oculo poſſunt videre, quod oculus non vidit.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd in 6. Beatitudine, ſicut in alijs, duo continentur: vnum, per modum meriti, ſcilicet munditia cordis; aliud per modum præmij, ſcilicet viſio Dei. Et vtrumque pertinet aliquo modo ad donum intellectus. Eſt enim duplex munditia, vna quidem præambula, & diſpoſitiua ad Dei viſionem, quæ eſt depuratio affectus ab inordinatis affectionibus: & hæc quidem munditia cordis fit per virtutes, & dona, quæ pertinent ad vim appetitiuam: alia verò munditia cordis eſt, quæ eſt quaſi completiua reſpectu viſionis diuinæ: & hæc quidem eſt munditia mentis depuratæ à phantaſmatibus, & erroribus: vt ſcilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phātaſmatum, nec ſecundùm hæreticas peruerſitates: & hanc munditiam facit donum intellectus. Similiter etiam duplex eſt Dei viſio: vna quidem perfecta, per quam videtur Dei eſſentia: alia vero imperfecta, per quam etſi non videamus de Deo quid eſt, videmus tamen, quid non eſt: & tantò in hac vita Deum perfectiùs cognoſcimus, quantò magis intelligimus eum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et vtraque Dei viſio pertinet ad donum intellectus: Prima ad donum intellectus conſummatum, ſecundùm quòd erit in patria: ſecunda verò ad donum intellectus inchoatum, ſecundùm quod habetur in via. *2.2. q. 8. a. 7. in corp.*

Qu. 4. quomodo fides, & gaudium prout ſunt fructus Spiritus-Sancti, correſpondeant dono intellectus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fructus Spiritus dicuntur vltima, & delectabilia, quæ in nobis proueniunt ex virtute Spiritus-Sancti: vltimum autem, & delectabile habet rationem finis, qui eſt proprium obiectum voluntatis: & ideo oportet quòd illud quod eſt vltimum & delectabile in voluntate, ſit quodammodo fructus omnium aliorum quæ pertinent ad alias potentias. Secundùm hoc ergo genus doni, vel virtutis perficientis aliquam potentiam poteſt accipi duplex fructus: vnus quidem pertinens ad ſuam potentiam; alius autem quaſi vltimus pertinens ad voluntatem. Et ſecundùm hoc dicendum eſt quòd dono intellectus reſpondet pro proprio fructu fides, ideſt fidei certitudo; ſed pro vltimo fructu reſpondet ei gaudium, quod pertinet ad voluntatem. *2. 2. q. 8. a. 8. in corp.*

INTEMPERANTIA.

Queritur. 1. cur Philoſ. 3. ethic. dicit intemperantiam eſſe puerile peccatum.

Reſpond. ſupra v. *concupiſcentia q. 2.*

Qu. 2. an verum ſit quod Philoſ. dicit 3. Ethic. intemperantia inter alia videtur iuſtè exprobabilis eſſe.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd exprobatio opponi videtur honori, & gloriæ: honor autem excellentiæ debetur; gloria autem Charitatem importat: eſt ergo intemperantia maximè exprobabilis propter duo: primò quidem, quia maximè

maximè repugnat excellentiæ hominis; eſt enim circa delectationes communes nobis, & brutis: vnde in Pſ. 48. dicitur: *homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: ſecundò, quia maximè repugnat eius claritati, vel pulcritudini, inquantùm ſcilicet in delectationibus, circa quas eſt intemperantia, minùs apparet de lumine rationis, ex qua eſt tota claritas; & pulcritudo virtutis; vnde & huiuſmodi delectationes dicuntur *maximè ſeruiles*. *2.2.q.142.a.4.in corp.*

Quær. 3. an & quare peccata intemperantia ſunt minoris culpæ, ſed maioris infamia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Gregorius dicit, *vitia carnalia* (quæ ſub intemperantia continentur) *etſi ſint minoris culpæ, ſunt tamen maioris infamiæ*: nam magnitudo culpæ reſpicit deordinationem à fine; infamia autem reſpicit turpitudinem, quæ maximè conſideratur ſecundùm indecentiam peccantis. *Ibid. ad 1.*

Quæritur 4. an peccata intemperantia ſint minùs exprobrabilia, ex eo quòd ſunt magis communia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conſuetudo peccandi diminuit turpitudinem & infamiam peccati, ſecundùm opinionem hominum; non autem ſecundùm naturam ipſorum vitiorum. *Ibidem ad 2.*

Quæritur 5. quomodo omnia vitia maximè exprobabilia reducantur ad intemperantiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm dicitur intemperantia eſſe maximè exprobabilis, eſt intelligendum inter vitia humana, quæ ſcilicet attenduntur ſecundùm paſſiones humanæ naturæ aliqualiter cõformes: ſed illa vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, ſunt magis exprobabilia: & tamen etiam illa videntur reduci ad genus intemperantiæ ſecundùm quendam exceſſum: ſicut ſi aliquis delectaretur in comeſtione carnium humanarum, aut in coitu beſtiarum, aut maſculorum. *2. 2. q. 142. a. 4. ad 3.*

Quær. 6. quodnam ſit maximum remedium contra intemperantiam.

Reſp. v. *timiditas*.

De intemperantia per comparationem ad incontinentiam agitur ſupra v. incontinentia qu. 6. & ſequentibus.

INTENTIO.

Quæritur. 1. an & quomodo de intentione intelligatur illud Chriſti Matth. 6. ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.

RESp. D. Thomas, Auguſt. de ſerm. Dom. ait: oculum hîc accipere debemus intentionem noſtram; quæ ſi munda fuerit & recta, omnia opera noſtra, quæ ſecundùm eam operamur, bona ſunt; quæ quidem omnia totum corpus appellauit, quia & Apoſtolus menbra noſtra dicit quædam opera, vbi ait; *mortificate membra*

veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, &c. non ergo quid quiſque faciat, ſed quo animo faciat conſiderandum eſt: hoc eſt enim lumen in nobis; quia hoc nobis manifeſtum eſt bono animo nos facere quod facimus: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt, ipſa verò facta quæ ad hominum ſocietatem procedunt, incertum nobis habent exitum, & ideo tenebras ea vocauit: non enim noui, cùm pecuniam porrigo indigenti, quid ſit inde facturus. Si ergo ipſa cordis intentio, quæ tibi nota eſt, ſordidatur ap[illegible] oralium rerum, magis ipſum factum (cuius incertus eſt exitus) ſordidum erit; quia etſi benè alicui proueniat quod tu non rectâ intentione facis, quomodo tu feceris imputabitur tibi, non quomodo illi prouenerit. Si autem ſimplici intentione (id eſt fine charitatis) opera noſtra fiant, tunc munda ſunt, & placent in conſpectu Dei. *In catena aurea ſuper caput 6. Matth.* 1. 2. *quæſt.* 12. *a.* 1. *ad* 1.

Quær. 2. *quomodo intelligatur Gloſſa ſuper illud Matth.* 12. *bonus homo de theſauro bono cordis ſui profert bona, dicens: tantùm boni quis facit, quantum intendit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd gloſſa illa loquitur quantùm ad reputationem Dei, qui præcipuè conſiderat intentionem finis: vnde alia gloſſa dicit ibidem, quòd *theſaurus cordis, intentio eſt, ex qua Deus iudicat opera*: bonitas enim intentionis, vt dictum eſt, redundat quodammodo in bonitatem voluntatis, quæ facit etiam exteriorem actum meritorium apud Deum. 1. 2. *q.* 19. *a.* 8. *ad* 1.

INTERDICTVM.

Qu. an totum regnum ſupponi poſſit interdicto pro peccatis Regis.

Reſponſio videatur ſupra v. *excommunicatio qu.* 16.

INTIMIDITAS.

Qu. 1. *an intimiditas ſit peccatum: & vnde proueniat.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd quia timor ex amore naſcitur, idem iudicium videtur eſſe de amore, & timore: agitur autem nunc de timore, quo mala temporalia timentur, qui prouenit ex bonorum temporalium amore: inditum eſt autem vnicuique naturaliter, vt propriam vitam amet, & ea, quæ ad ipſam ordinantur cum debito modo: vt ſcilicet amētur huiuſmodi non quaſi finis conſtituatur in eis, ſed ſecundùm quòd eis vtendum eſt propter vltimum finem: vnde quòd aliquis deficiat à debito modo amoris ipſorum eſt contra naturalem inclinationem, & per conſequens eſt peccatum: nunquam tamen à tali amore aliquis totaliter decidit; quia id, quod eſt naturale, totaliter perdi non poteſt, propter quod Apoſtolus dicit ad Epheſios 5. *nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*: vnde etiam illi, qui ſeipſos interimunt, ex amore carnis ſuæ hoc faciunt, quam volunt præſentibus anguſtiis liberare: vnde contingere poteſt, quòd aliquis minùs quàm debet, timeat

mortem, & alia temporalia mala propter hoc, quòd minùs debito amet ea; ſed quòd nihil horum timeat, non poteſt ex totali defectu amoris contingere, ſed ex eo, quòd æſtimat mala oppoſita bonis, quæ amat, ſibi superuenire non poſſe.

Quod quandoque contingit ex ſuperbia animi de ſe præſumentis, & alios contemnentis, ſecundùm quod dicitur Iob. 41. *factus eſt vt nullum timeret, omne ſublime videt*: quandoque autem contingit ex defectu rationis, ſicut Philoſophus dicit in 5. Eth. quòd *celtæ propter ſtultitiam nihil timent*. Vnde patet, quòd eſſe impauidum eſt vitioſum: ſiue cauſetur ex defectu amoris; ſiue cauſetur ex elatione animi; ſiue cauſetur ex ſtoliditate, quæ tamen excuſat à peccato, ſi ſit inuincibilis. 2. 2. *q.* 126. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. vtrum intimiditas conueniat homini iuſto, iuxta illud Prouerb. 28. iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuſtus commendatur à timore non retrahente eum à bono; non quòd ſit abſque omni timore; dicitur enim Eccleſ. 1. *qui ſine timore eſt non poterit iuſtificari*. 2. 2. *q.* 126. *a.* 1. *ad* 1.

Quær. 3. an virtus exigat intimiditatem iuxta illud Iſa. 51. quis tu vt timeas ab homine mortali?

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mors vel quidquid aliud ab homine mortali poteſt inferri, non eſt eâ ratione timendum, vt à iuſtitia recedatur; eſt tamen timendum, inquantum per hoc homo poteſt impediri ab operibus virtuoſis; vel quantùm ad ſe, vel quantùm ad profectum quem in aliis facit: vnde dicitur Sapiens. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo. Ibid. ad* 2.

Quær. 4. quomodo intimiditas circa bona temporalia pertineat ad perfectionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd bona temporalia debent contemni, inquantum nos impediunt ab amore, & timore Dei: Et ſecundùm hoc etiam non debent timeri: vnde dicitur Eccl. 34. *qui timet Dominum, nihil trepidabit*: non autem debent contemni bona temporalia, inquantum inſtrumentaliter nos iuuant ad ea quæ ſunt diuini timoris, & amoris. *Ibid. ad* 3.

Quæritur 5. vtrum intimiditas opponatur fortitudini.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fortitudo eſt circa timores & audacias: omnis autem virtus moralis ponit modum rationis in materia circa quam eſt: vnde ad fortitudinem pertinet timor moderatus ſecundùm rationem; vt ſcilicet homo timeat quod oportet, & quando oportet; & ſimiliter de aliis: hic autem modus rationis corrumpi poteſt ſicut per exceſſum, ita & per defectum: vnde ſicut timiditas opponitur fortitudini per exceſſum timoris, inquantum ſcilicet homo timet quod non oportet, vel ſecundùm quòd non oportet, ita etiam im-

pauiditas apponitur ei per defe-ctum timoris, inquantum ſcilicet aliquis non timet quod oportet timere. *in eadem qu. 126. a. 2. in c.*

INVENTA.

Qu. quid fieri debeat de rebus inuentis: & vtrum eas retinendo committatur peccatum furti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa res inuentas eſt diſtinguendum: quædam enim ſunt quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius; ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non eſt aliquis poſſeſſor; niſi quòd ſecundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro inuenerit, propter quod in parabola Euangelij dicitur *Matthæi* 13. de inuentore theſauri abſconditi in agro, quòd *emit agrum*, quaſi vt haberet ius poſſidendi totum theſaurum.

Quædam verò res inuentæ fuerunt de propinquo in aliquibus bonis: & tunc ſi quis eas accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et ſimiliter ſi pro derelictis habeantur, & hoc credat inuentor, licèt ſibi eas retineat, non committit furtum: aliàs autem committitur peccatum furti: vt Auguſtinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. q. 5. *ſi quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

INVIDIA.

Qu. 1. an inuidia ſit triſtitia de bono alieno: & de quibus præſertim bonis ſibi inuicem homines inuideant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obiectum triſtitiæ eſt malum proprium: contingit autem id, quod eſt alienum bonum, apprehendi vt malum proprium; & ſecundùm hoc de bono alieno poteſt eſſe triſtitia. Sed hoc contingit dupliciter: vno modo quando quis triſtatur de bono alicuius, inquantùm imminet ſibi ex hoc periculum alicuius nocumenti; ſicut cùm homo triſtatur de exaltatione inimici ſui, timens ne eum lædat; & talis triſtitia non eſt inuidia, ſed magis timoris effectus vt Philoſophus dicit in 2. Rethoricorum: alio modo bonum alterius æſtimatur vt malum proprium, inquantùm eſt diminutiuum propriæ gloriæ, vel excellentiæ, & hoc modo de bono alterius triſtatur inuidia.

Et ideo præcipuè de illis bonis homines inuident, in quibus eſt gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione eſſe, vt Philoſophus dicit in 2. Reth. 2. 2. q. 36. a. 1. *in corp.*

Quæritur 2. vtrum inuidia ſit ad multùm diſtantes, vel ſolùm ad propinquos, iuxta illud Philoſ. 2. Rethor. inuidebunt tales, quibus ſunt aliqui ſimiles, aut ſecundùm genus, aut ſecundùm cognationem, aut ſecundùm ſtaturam, aut ſecundùm habitum, aut ſecundùm opinionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd quia inuidia eſt de gloria alterius inquantum diminuit gloriam, quam quis appetit; conſequens eſt, vt ad illos tantùm inuidia habeatur quibus homo vult ſe æquare, vel præferre in gloria: hoc autem non eſt reſpectu multùm à ſe diſtantium; nullus enim niſi inſanus ſtudet ſe æquare, vel præferre in gloria his, qui ſunt multò eo maiores; puta plebeius homo Regi, vel etiam Rex plebeio, quem multùm excedit: & ideo his, qui multùm diſtant, vel loco, vel tempore, vel ſtatu homo non inuidet; ſed his, qui ſunt propinqui, quibus ſe nititur æquare, vel præferre: Nam cùm illi excedunt in gloria, accidit hoc contra noſtram vtilitatem, & inde cauſatur triſtitia. 2.2.q.36. a.1. ad 2.

Quær. 3. cur ſicut ait Philoſ. in 2. Rethor. illi quibus modicùm deficit, & qui ſunt amatores honoris, & qui reputantur ſapientes, ſunt inuidi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus conatur ad ea, in quibus eſt multùm deficiens: & ideo cùm aliquis in hoc eum excedat, non inuidet: ſed ſi modicùm deficiat, videtur, quòd ad hoc pertingere poſſit, & ſic ad hoc conatur; vnde ſi fruſtetur eius conatus, propter exceſſum gloriæ alterius, triſtatur: & inde eſt, quòd amatores honoris ſunt magis inuidi.

Et ſimiliter etiam puſillanimes ſunt inuidi; quia omnia reputant magna; & quidquid boni alicui accidat, reputant ſe in magno ſuperatos eſſe: vnde & Iob 5. dicitur, *Paruulum occidit inuidia*: & Gregorius dicit in 5. mor. *inuidere non poſſumus niſi eis, quos nobis in aliquo melio es putamus* 2. 2. qu. 36. *a.* 1. *ad* 3.

Quær. 4. cur ſenes inuidiant iunioribus; & illi qui multum expenderunt ad aliquid conſequendum, illis qui paucis expenſis illud ſunt conſecuti; & ſicut Philoſophus dicit in 2. Rethor. iis aliqui inuident, qui habent, aut poſſederunt, quæ ipſis conueniebant, aut quæ ipſi quandoque poſſidebant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd memoria præteritorum bonorum, inquantùm fuerunt habita, delectationem cauſat; ſed inquantùm ſunt amiſſa, cauſat triſtitiam; & inquantùm ab aliis habentur, cauſat inuidiam; quia hoc maximè videtur propriæ gloriæ derogare: & ideò dicit Philoſophus 2. Reth. quòd ſenes inuident iunioribus; & illi qui multùm expenderunt ad aliquid conſequendum inuident iis, qui paucis expenſis illud ſunt conſecuti: dolent enim de amiſſione ſuorum bonorum; & de hoc quòd alij conſecuti ſunt bona. 2. 2. qu. 36. *a.* 1. *ad* 4.

Quæritur 5. quandonam triſtitia de bono alieno habeat propriè rationem inuidiæ; & ſit laudabilis, aut vituperabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, inuidia eſt triſtitia quædam de alienis bonis. Sed hæc triſtitia poteſt contingere quatuor modis.

Vno quidem modo, cùm aliquis dolet de bono alicuius inquantùm ex eo timetur nocumen-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

tum, vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis: & talis triſtitia nō eſt inuidia; & poteſt eſſe ſine peccato, vnde Gregorius 22. moralium ait, *euenire plerumque ſolet, vt non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſum eius gloria ſine inuidiæ culpa contriſtet; cùm & ruente eo quoſdam benè erigi credimus, & proficiente illo pleroſque iniuſtè opprimi formidamus.*

Alio modo poteſt aliquis triſtari de bono alterius non ex eo, quòd ipſe habet bonum, ſed ex eo quòd nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet; & hoc propriè eſt zelus, vt Philoſophus dicit in 2. reth. & ſi iſte zelus ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt, ſecundùm illud primæ ad *Corinth.* 14. *æmulamini ſpiritualia*; ſi autem ſit de bonis temporalibus poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato.

Tertio modo aliquis triſtatur de bono alterius, inquantum ille, cui accidit bonum, eſt eo indignus; quæ quidem triſtitia non poteſt oriri ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis iuſtus efficitur; ſed ſicut Philoſophus dicit in 2. reth. *eſt de Diuitijs, & de talibus, quæ poſſunt prouenire dignis, & indignis*: & hæc triſtitia ſecundùm ipſum vocatur *Nemeſis*, & pertinet ad bonos mores. Sed hoc ideo dicit, quia conſiderabat ipſa bona temporalia ſecundùm ſe prout poſſunt magna videri non reſpicientibus ad æterna. Sed ſecundùm doctrinam fidei temporalia bona, quæ indignis proueniunt, ex iuſta Dei ordinatione diſponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: & huiuſmodi bona quaſi nihil ſunt in comparatione ad bona futura, quæ ſeruantur bonis: & Ideo huiuſmodi triſtitia prohibetur in ſcriptura Sacra, ſecundùm illud Pſ. 36. *noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*, & alibi Pſal. 72. *penè effuſi ſunt greſſus mei; quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.*

Quarto modo aliquis triſtatur de bonis alicuius inquantum alter excedit ipſum in bonis: & hoc propriè eſt inuidia: & illud ſemper eſt prauum, vt Philoſophus dicit in 2. ret. quia dolet de eo, de quo eſt gaudendum, ſcilicet de bono proximi. 2. 2. *q.* 36. *a.* 2. *in corp. q.* 10. *de malo. a.* 1. *in corp.*

Quæritur 6. an & quando inuidia ſit peccatum mortale, aut veniale tantùm.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inuidia ex genere ſuo eſt peccatum mortale: genus autem peccati ex obiecto conſideratur: inuidia autem ſecundùm rationem ſui obiecti contrariatur Charitati, per quam eſt vita animæ ſpiritualis, ſecundùm illud primæ Ioannis 3. *nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*: vtriuſque autem obiectum, & Charitatis, & inuidiæ eſt bonum proximi, ſed ſecundùm contrarium motum: nam Charitas gaudet de bono proximi; inuidia autem de eodem triſtatur: vnde manifeſtum eſt, quòd inuidia ex ſuo genere eſt peccatum mortale.

Sed in quolibet genere peccati mortalis inueniuntur aliqui imperfecti motus in ſenſualitate exiſtentes, qui ſunt peccata venialia: ſicut in genere adulterij primus

motus concupiſcentiæ, & in genere homicidij primus motus iræ: ita etiam in genere inuidiæ inueniuntur aliqui primi motus, quandoque etiam in viris perfectis, qui ſunt peccata venialia. 2.2.q. 36. a. 3. *in corp. quæſt.* 10. *de malo art.* 2. *in corp.*

Qu. 7. an inuidia excuſetur à mortali peccato, tum ob imperfectionem actus, tum ob materiæ paruitatem.

Reſp. D. Thomas, conſiderandum quòd in genere alicuius peccati mortalis poteſt inueniri aliquis actus, qui non eſt peccatum mortale propter ſuam imperfectionem; quia ſcilicet non attingit ad perfectam rationem illius generis. Quod quidem contingit dupliciter: vno modo ex parte principij actiui, quia ſcilicet non procedit à ratione deliberante, quæ eſt proprium, & principale actiuum principium humanorum actuum; vnde ſubiti motus etiam in genere homicidij, vel adulterij non ſunt peccata mortalia, quia nó attingunt perfectam rationé actus moralis, cuius principium eſt ratio: Alio modo poteſt contingere ex parte obiecti, quod ſcilicet propter ſui paruitatem non attingit ad perfectam rationem obiecti, quod enim paruum eſt quaſi nihil accipit ratio; ſicut patet in ſpecie furti, ſi enim aliquis accipiat de agro alterius vnam ſpicam, vel aliquid huiuſmodi, non eſt credendum, quòd peccet mortaliter, quia hoc quaſi nihil computatur tàm ab illo, qui accipit, quàm ab illo, cuius eſt res ipſa. Secundùm hoc ergo poteſt contingere, quòd aliquis motus inuidiæ non eſt peccatum mortale, quamuis inuidia ſecundùm ſuum genus ſit peccatum mortale, propter imperfectionem ipſius motus; vel quia eſt ſubitus, & non procedit ex ratione deliberata; vel quia homo triſtatur de aliquo bono alterius, quod eſt adeo paruum, quòd non videtur eſſe aliquod bonum, puta ſi quis inuideat alicui ſimul ludenti, quòd vincat in ludo, puta cum eo currendo, vel aliquod huiuſmodi ludicrum faciendo. *qu.* 10. *de malo a.* 2.

Quær. 8. quomodo in viris perfectis, & quandoque etiam in pueris ſint motus inuidiæ, iuxta illud D. Auguſtini 1. *Conf. vidi ego, & expertus ſum zelantem puerum; nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd motus inuidiæ ſecundùm quòd eſt paſſio ſenſualitatis, eſt quoddam imperfectum in genere actuum humanorũ, quorum principium eſt ratio: vnde talis inuidia non eſt peccatum mortale. Et ſimilis eſt ratio de inuidia paruulorum; in quibus non eſt vſus rationis. 2.2.q.36.a.3.ad 1. & 2.

Qu. 9. quibus virtutibus opponatur inuidia: & cur miſericordes non ſunt inuidi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inuidia ſecundùm Philoſophum in 2. reth. opponitur, & Nemeſi, & miſericordiæ; ſed ſecũdùm diuerſa: nam miſericordiæ opponitur directè ſecundùm contrarietatem principalis obiecti; inuidus enim triſtatur de bo-

proximi, miſericors autem triſtatur de malo proximi: vnde inuidi non ſunt miſericordes, ſicut ibidem dicitur, nec è conuerſo: ex parte verò eius, de cuius bono triſtatur inuidus, opponitur inuidia Nemeſi: Nemeſicus enim triſtatur de bono indignè agentium, ſecundùm illud Pſalm. 72. *zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*; inuidus autem triſtatur de bono eorum, qui ſunt digni: vnde patet, quòd prima contrarietas eſt magis directa, quàm ſecunda: miſericordia autem quædam virtus eſt, & Charitatis proprius effectus; vnde inuidia miſericordiæ opponitur, & Charitati. 2. 2. q. 36. a. 3. ad 3.

Quær. 10. *vtrùm inuidia ſit vitium Capitale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut acedia eſt triſtitia de bono ſpirituali Diuino, ita inuidia eſt triſtitia de bono proximi. Dictum eſt autem ſupra acediam eſſe vitium capitale ea ratione quia ex acedia homo impellitur ad aliqua facienda, vel vt fugiat triſtitiam, vel vt triſtitiæ ſatisfaciat: vnde eadem ratione inuidia ponitur vitium capitale 2. 2. q. 36. *a. 4. in corp. q. 10. de malo a. 3. in corp.*

Quær. 11. *quomodo licèt inuidia ſit Capitale vitium, oriatur tamen ex altero vitio, & ſit filia vanægloria, iuxta illud Philoſophi in 2. Rhet. amatores honoris, & gloriæ magis inuident.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Greg. dicit in 31. mor. *Capitalia vitia tantâ ſibi coniunctione iunguntur, vt non niſi vnum de altero proferatur: Prima namque ſuperbiæ ſoboles inanis eſt gloria, quæ dum oppreſſam mentem corrumpit, mox inuidiam gignit; quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit.* Non eſt ergo contra rationem vitij capitalis, quòd ipſum ex alio oriatur, ſed quòd non habeat aliquam principalem rationem producendi ex ſe multa genera peccatorũ. Fortè tamen propter hoc, quòd inuidia manifeſtè ex inani gloria naſcitur, non ponitur vitium capitale, neque ab Iſidoro in lib. 2. de ſummo bono, neque à Caſſiano in lib. de inſtitutis Monaſteriorum. 2. 2. q. 36. a. 4. ad 1.

Qu. 12. *vtrùm conuenienter inuidiæ filias aſſignet D. Greg. 31. mor. dicens, quòd de inuidia oritur odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, & afflictio in proſperis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd numerus filiarum inuidiæ ſic poteſt ſumi: quia in conatu inuidiæ eſt aliquid tanquam principium, & aliquid tãquam medium, & aliquid tãquam terminus. Principium quidem eſt, vt aliquis diminuat gloriam alterius vel in occulto, & ſic eſt ſuſurratio; vel manifeſtè, & ſic eſt detractio. Medium autem eſt, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius; aut poteſt, & ſic eſt exultatio in aduerſis; aut non poteſt, & ſic eſt afflictio in proſperis. Terminus autem eſt in ipſo odio; quia ſicut bonum delectans cauſat amorem, ita triſtitia cauſat odium. Afflictio autem in proſperis proximi,

ximi, vno modo eſt ipſa inuidia, inquantum ſcilicet aliquis triſtatur de proſperis alicuius, ſecundùm quòd habent gloriam quandam: alio verò modo eſt filia inuidiæ, ſecundùm quòd proſpera proximi eueniunt contra conatum inuidentis, qui nititur impedire. Exultatio autem in aduerſis non eſt directè idem, quod inuidia; ſed ex ea ſequitur: nam ex triſtitia de bono proximi, quæ eſt inuidia, ſequitur exultatio de malo eiuſdem. 2.2. qu.36.a.4.ad 3.qu.10. *de malo.a.3. ad 3.*

Qu. 13, quomodo licèt vitia capitalia videantur eſſe leuiora quàm alia, quæ ex eis oriuntur, iuxtà illud Greg. 31. mor. Prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe ingerunt, ſed quæ ſequuntur, dum mentem ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore mentem confundunt: nihilominus inuidia dicatur eſſe grauiſſimum peccatum ab eodem D. Gregor. 5. mor. quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infundatur, in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimenda malitiæ peſtem vomit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex verbis illis non habetur, quòd inuidia ſit maximum peccatum; ſed quòd quando diabolus inuidiam ſuggerit, ad hoc hominem inducit, quòd ipſe principaliter in corde habet. Quia ſicut ibi inducitur conſequenter, *inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Eſt tamen quædam inuidia, quæ inter grauiſſima peccata computatur, ſcilicet inuidentia fraternæ gratiæ; ſecundùm quòd aliquis dolet de ipſo augmento gratiæ Dei, non ſolùm de bono proximi. Vnde ponitur peccatum in Spiritum-Sanctum, quia per hanc inuidentiam homo quodammodo inuidet Spiritui-Sancto, qui in ſuis operibus glorificatur. 2. 2. *q.* 36. *a.* 4. *ad* 2.

Quæritur 14. an & quomodo inuidia ſimul ſit culpa, & pœna, iuxta illud D. Gregorij 5. mor. tabeſcentem mentem ſua pœna ſanciat, quam fœlicitas torquet aliena: & in eodem libro 5. ait: cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum veſania infliget: color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt: fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor: & D. Iſidorus in libro de ſummo bono dicit: quod liuor, ideſt inuidia, ſuum torquet authorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quibuſdam peccatis adiunguntur quædam pœnalitates: & tunc idem eſt culpa & pœna ſecundùm aliud & aliud; culpa quidem ſecundùm quòd procedit ex inordinata hominis volũtate, & ſic non eſt à Deo; pœna autem ſecundùm quòd habet quandam pœnalem afflictionem adiunctam, & hoc eſt à Deo, ſecundùm illud Pſal. *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam:* & Auguſtinus dicit in 1. Confeſſ. *iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Et hoc modo inuidia poteſt eſſe & pœna & culpa. *qu.* 10. *de malo a.* 1. *ad* 9. 2. 2. *q.* 36. *a.* 1. *ad* 1. & *a.* 2. *ad* 4.

Digitized by Google

Quæritur 15. an per inuidiam pereant omnia bona opera.

Reſp. D. Thomas, quòd Greg. dicit in 6. moral. exponens id quod habetur Prouerb. 14. *Putredo oſſium inuidia. Per liuoris,* inquit, *vitium* [illegible] *Dei* [illegible] *pereunt benè* [illegible] *m. q. 10. de malo a. 2. in 1. arg. ſed contra.*

Quæritur 16. vtrum inuidia omni virtuti contrarietur.

Reſp. D. Thomas, Iſidorus dicit in lib. de ſummo bono: *nulla virtus eſt, cui non contrarietur inuidia: ſola enim miſeria caret inuidâ. Ibid. in arg. 3.*

Quæritur 17. an inuidia tandem pœnam mereatur ac detractio, & homicidium.

Reſp. D. Thomas, in Itinerario Clementis narratur quòd Petrus dixit quòd tria peccata æqualiter pœnam merentur; cùm aliquis manu occidit; cùm linguâ detrahit: & cùm corde inuidet, vel odit. *Ibidem in 2. arg.*

Qu. 18. an inuidia ſpiritualiter ipſos inuidos interficiat.

Reſp. D. Thomas, inuidia occidit ſpiritualiter, ſecundùm illud Iob 5. *paruulũ occidit inuidia: & ſuper* illud 2. ad Cor. 2. *Chriſti bonus odor ſumus,* dicit gloſſa: *odor iſte vegetat diligentes, necat inuidentes. in eodem a. 2. argum. 5.*

IOCOSVM VERBVM.

Qu. vtrum omne verbum iocoſum ſit otioſum. Et vtrum liceat quædam ludicra, & iocoſa immiſcere ſacræ doctrinæ.

Reſp. infra v. *ludus qu. 2.* & v. *otioſum verbum qu. 1.*

IRA.

Qu. 1. quid ſit ira, & quando ſit laudabilis, aut vitioſa.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ira propriè nominat quandam paſſionem: paſſio autem appetitus ſenſitiui intantum eſt bona, inquantum ratione regulatur, ſi autem ordinem rationis excludat, eſt mala.

Ordo autem rationis in ira poteſt attendi quantùm ad duo. Primò quidem quantùm ad appetibile, in quod tendit, quod eſt vindicta: vnde ſi aliquis appetat, quòd ſecundùm ordinem rationis fiat vindicta, eſt laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum: ſi autem aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercũque contra ordinem rationis, puta ſi appetat puniri eum, qui non meruit, vel vltra quàm meruit, vel etiam non ſecundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui eſt conſeruatio iuſtitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitioſus, & nominatur ira per vitium.

Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantùm ad modum iraſcendi; vt ſcilicet motus iræ non immoderatè ferueſcat, nec interiùs, nec exteriùs: quod quidem ſi prætermittatur, non erit abſque peccato, etiamſi aliquis appetat iuſtam vindictam. 2. 2. q. 158. a. 2. in corp. q. 12. de malo a. 2. in corp.

Qu. 2. an & quando ira ſit peccatum mortale, aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd motus iræ poteſt eſſe inordinatus, & peccatum dupliciter.

Vno modo ex parte appetibilis, vt pote cùm aliquis appetit iniuſtam vindictam: & ſic ex genere ſuo ira eſt peccatum mortale, quia contrariatur Charitati, & iuſtitiæ. Poteſt tamen contingere, quòd talis appetitus ſit peccatum veniale propter imperfectionem actus: quæ quidem imperfectio attenditur; vel ex parte appetentis, puta cùm motus iræ præuenit iudiciũ rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cùm aliquis appetit in aliquo modico ſe vindicare, quod quaſi nihil eſt reputandum, ita etiam, quòd ſi actu inferatur, non eſſet peccatum mortale; puta ſi aliquis parùm trahit puerum aliquem per capillos, vel aliquid huiuſmodi.

Alio modo poteſt eſſe motus iræ inordinatus quantùm ad modum iraſcendi; vtpote ſi nimis ardenter iraſcatur interiùs; vel ſi nimis exteriùs manifeſtet ſigna iræ: & ſic ira ſecundùm ſe non habet de ſuo genere rationem peccati mortalis. Poteſt tamen contingere, quòd ſit peccatum mortale, puta ſi ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei, & proximi. 2. 2. *q.* 158. *a.* 3. *in corp. q.* 12. *de malo a.* 3. *in corp.*

Qu. 3. *an ſit aliquod vitium oppoſitum iracundiæ, proueniens ex defectu iræ, iuxta illud D. Chryſoſt. ſuper Matth. qui cum cauſa non iraſcitur, peccat: patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit; & non ſolùm malos, ſed etiam bonos incitat ad malum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira dupliciter poteſt intelligi: vno modo ſimplex motus voluntatis, quo aliquis non ex paſſione, ſed ex iudicio rationis pœnam infligit: & ſic defectus iræ abſque dubio eſt peccatum: & hoc modo ira accipitur in verbis Chryſoſtomi, qui dicit *ibidem: iracundia, quæ cum cauſa eſt, non eſt iracundia, ſed iudicium: iracundia enim proprie intelligitur commotio paſſionis: qui autem cum cauſa iraſcitur, ira illius non eſt ex paſſione: ideo iudicare dicitur, non iraſci.*

Alio modo accipitur ira pro motu appetitus ſenſitiui, qui eſt cum paſſione, & tranſmutatione corporali: & hic quidem motus ex neceſſitate conſequitur in homine ad ſimplicem motum voluntatis: quia naturaliter appetitus inferior ſequitur motum appetitus ſuperioris, niſi aliquid repugnet: & ideo non poteſt totaliter deficere motus iræ in appetitu ſenſitiuo, niſi per ſubtractionem, vel debilitatem voluntarij motus: & ideo ex conſequenti etiam defectus paſſionis iræ vitioſus eſt, ſicut & defectus voluntarij motus ad puniendum ſecundùm iudicium rationis. 2. 2. *q.* 158. *a.* 8. *in corp.*

Qu. 4. *vtrum ira ſit peccatum mortale ex diuturnitate, frequentia, aſſiduitate, vel ſcandalo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum eſt quòd cùm ira ſit motus animæ ad nocendum proximo, ſi ſit tale nocumentum in quod tendit motus iræ, quod ex genere ſuo ſit peccatum mortale (ſicut homicidium, vel furtum) talis ira ex genere ſuo eſt peccatum mortale;

Digitized by Google

ſed quòd ſit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, inquantum eſt motus ſubitus ſenſualitatis: ſi verò ſit diuturna, redit ad naturam ſui generis per conſenſum rationis: ſi verò nocumentum in quod tendit motus iræ, eſſet veniale ex genere ſuo (puta cùm aliquis in hoc iraſcitur contra aliquem quòd vult ei dicere aliquod verbum leue, & iocoſum, quod modicum ipſum contriſtet) non erit ira peccatum mortale, quantumcunque ſit diuturna, niſi fortè per accidens; puta ſi ex hoc graue ſcandalum oriatur, vel propter aliquid huiuſmodi. 1.2.qu.88.a.5.ad 1.

Qu: 5. an verum ſit quod ſuper illud ad Epheſ. 4. ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram dicit gloſſa: Chriſtus cum ira nunquam ſimul inhabitat: & D.Greg. 5. Moral. ait: per iram iuſtitia relinquitur, concordia rumpitur, Sancti Spiritus ſplendor excutitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd gloſſa illa loquitur de ira per vitium, quando motus iræ eſt perfectus & ex parte agentis & ex parte obiecti: ſic enim eſt ſemper peccatum mortale. Et ſimiliter dicendum ad author. Greg. q.12. *de malo a.3.ad 1.*

Quær. 6. quomodo ſicut dicitur Iob 5. virum ſtultum interficit iracundia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex illa authoritate non habetur, quòd omnis ira ſit peccatum mortale, ſed quòd ſtulti per iracundiam ſpiritualiter occiduntur; inquantum ſcilicet non refrænando per rationem motum iræ, dilabuntur in aliqua peccata mortalia; puta in blaſphemiam Dei, vel in iniuriam proximi. 2. 2. *qu.158, a.3. ad 1.*

Quæritur 7. vtrum ira ſit vitium capitale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vitium capitale dicitur ex quo multa vitia oriuntur: habet autem hoc ira, quòd ex ea multa vitia oriri poſſunt duplici ratione; primò ex parte ſui obiecti, quod multum habet de ratione appetibilitatis, inquantum ſcilicet vindicta appetitur ſub ratione iuſti, vel honeſti, quod ſuâ dignitate allicit; alio modo ex ſuo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcunque agenda: vnde manifeſtum eſt, quòd ira eſt vitiũ capitale 2. 2. *qu. 158. a. 6. in corp. qu. 12. de malo.a. 5. in corp.*

Qu. 8. vtrum conuenienter aſſignentur ſex filia iræ, ſcilicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blaſphemia.

Reſp.D.Thomas, dicendum quòd ira poteſt tripliciter conſiderari: vno modo ſecundùm quod eſt in corde, & ſic ex ira naſcuntur duo vitia, vnum quidem ex parte eius, contra quem iraſcitur, quem reputat indignum, vt ſibi tale quid fecerit, & ſic ponitur indignatio; aliud autem vitium eſt ex parte ſui ipſius, inquantùm ſcilicet excogitat diuerſas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum ſuum replet, ſecundùm illud Iob. 15. *nunquid ſapiens implebit ardore ſtomachum ſuum*: & ſic ponitur tumor

mentis: alio modo conſideratur ira ſecundùm quod eſt in ore, & ſic ex ira duplex inordinatio procedit; vna quidem ſecundùm hoc quòd homo in modo loquendi iram ſuam demonſtrat, ſicut qui dicit fratri ſuo *Rachà*, & ſic ponitur clamor; per quem intelligitur inordinata, & confuſa locutio; alia etiam eſt inordinatio ſecundùm quod aliquis prorumpit in verba iniurioſa, quæ quidem ſi ſint contra Deum, erit blaſphemia: ſi autem contra proximum, contumelia. Tertio modo conſideratur ira ſecundùm quòd procedit vſque ad factum; & ſic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira 2.2.*qu.* 158.*a*.7. *in corp. qu.* 12. *de malo art.* 5.

Quærit. 9. quomodo tres ſint gradus iræ, ſicut explicat Chriſtus Matt. 5. qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo, rhaca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Reſp. D. Thomas, gradus ſunt in iſtis peccatis: Primò vt vnuſquiſque iraſcatur, & motum retineat corde conceptum. Iam ſi extorſerit vocem ipſa commotio non ſignificantem aliquid, ſed animi motum ipſâ eruptione teſtantem, plus eſt quàm ſi ira ſurgens ſilentio premeretur. Sed adhuc plus eſt ſi etiam verbum proferatur, quod iam certam vituperationem deſignat. Chryſ. ſuper Matth. ſicut autem nemo eſt vacuus qui habet Spiritum-Sanctum, ita nemo eſt fatuus qui Chriſtum cognoſcit; ſed ſi racha, idem eſt quod vacuus, quantùm ad ſenſum verbi, vnum eſt dicere fatue & Racha; ſed differunt quantùm ad dicentis propoſitum: Rhaca enim verbum vulgare erat apud Iudæos, quod non ex ira, neque odio, ſed ex aliquo motu vano dicebant magis fiduciæ cauſâ quàm iracundiæ. Sed ſi iracundiæ cauſâ non dicitur, quare peccatum eſt? quia contentionis cauſâ dicitur non ædificationis; ſi enim nec bonum verbum dicere debemus, niſi pro ædificatione, quantò magis illud quod in ſe naturaliter malum eſt à *in catena aur. ſuper cap.* 5. *Matth.*

Qu. 10. *an conuenienter tres aſſignentur ſpecies iræ, ſcilicet fel, mania, & furor.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tres ſpecies iræ, quas Damaſc. ponit, & etiam Greg. Nyſſen. ſumuntur ſecundùm ea quæ dant iræ aliquod augmentum: quod quidem contingit tripliciter: vno modo ex facilitate ipſius motus, & talem iram vocat fel, quia citò accenditur: alio modo ex parte triſtitiæ cauſantis iram, quæ diu in memoria manet: & hæc pertinet ad maniam quæ à manendo dicitur: Tertiò ex parte eius quod iratus appetit, ſcilicet vindictæ, & hæc pertinet ad furorem, qui nunquam quieſcit donec puniat. 1.2.*q*.46.*a*.8.*in corp.*

Quær. 11. *quomodo ſicut Philoſ. dicit 4. eth. iracundorum quidam ſunt acuti, quidam amari, & quidam difficiles.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſt inordinatio iræ ex

duobus attendi. Primò quidem ex ipſa iræ origine: & hoc pertinet ad acutos, qui nimis citò iraſcuntur, & ex qualibet leui cauſa. Alio modo, ex ipſa iræ duratione: eo ſcilicet quòd ira nimis perſeuerat: quod quidem poteſt eſſe dupliciter: vno modo, quia cauſa iræ, ſcilicet iniuria illata, nimis manet in memoria hominis, vnde ex hoc homo diutinam triſtitiam concipit; & ideo ſunt ſibiipſis graues, & amari. Alio modo contingit ex parte ipſius vindictæ quam aliquis obſtinato appetitu quærit: Et hoc pertinet ad difficiles ſiue graues, qui non dimittunt iram quouſque puniant. 2. 2, *q. 158. a. 5. in corp.*

Qu. 12. quomodo tam amari, quàm difficiles iram habent diuturnam, licèt propter diuerſam cauſam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vtrique ſcilicet amari & difficiles, habent iram diuturnam: ſed propter aliam cauſam. Nam amari habent iram permanentem propter permanentiam triſtitiæ, quam inter viſcera tenent clauſã: Et quia non prorumpunt ad exteriora iracundiæ ſigna; non poſſunt perſuaderi ab aliis: nec ex ſeipſis recedunt ab ira, niſi prout diuturnitate temporis aboletur triſtitia, & ſic deficit ira: ſed in difficilibus eſt ira diuturna propter vehemens deſiderium vindictæ: Et ideo tempore non digeritur, ſed per ſolam punitionem quieſcit. *ibid. ad 2.*

Quæritur 13. vtrum ira ſit aliquando neceſſaria.

Reſp. D. Thomas, Chryſoſt. ſuper Matth. ait: qui ſine cauſa iraſcitur reus erit, qui verò cum cauſa non erit reus: nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. 2. 2. *qu. 158. a. 1. in argum. ſed contra*

Qu. 14. in quo ſenſu Philoſ. dicat 7. Ethic. quòd ira non perfectè audit rationem: & D. Greg. in 5. moral. quòd cum tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodammodo, ſciſſamque perturbat. Et Caſſ. in lib. de inſtitutis Canobiorum: quilibet ex cauſa iracundia motus efferuens, excæcat oculum cordis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira dupliciter ſe poteſt habere ad rationem. Vno quidem modo antecedenter: & ſic trahit rationem à ſua rectitudine, vnde habet rationem mali. Alio modo conſequenter, prout ſcilicet appetitus ſenſitiuus mouetur contra vitia ſecundùm ordinem rationis: Et hæc ira eſt bona, quæ dicitur ira per zelum: vnde Greg. dicit in 5. moral. *Curandum ſummopere eſt, ne ira, quæ vt inſtrumentum virtutis aſſumitur, menti dominetur: ne quaſi domina præeat, ſed velut ancilla ad obſequium parata à rationis tergo nunquam recedat.* Hæc autem ira, etſi in ipſa executione actus iudicium rationis aliqualiter impediat, non tamen rectitudinem rationis tollit: vnde Greg. ibid. dicit, quòd *ira per zelum turbat rationis oculum; ſed ira per vitium excæcat.* Non eſt autem contra rationem virtutis, vt intermittatur deliberatio rationis in executione eius quod eſt à ratione deliberatum: quia etiam ars impediretur

in ſuo actu; ſi dum debet agere, deliberaret de agendis. 2. 2. q. 158. a. 1. ad 2.

Qu. 15. vtrum ira impediat ne ſimus ſimiles Deo, de quo dicitur Sap. 12. Deus cum trãquillitate iudicat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deo aſſimilari poſſumus, & debemus in appetitu boni: ſed in modo appetendi ei omnino aſſimilari non poſſumus: quia in Deo non eſt appetitus ſenſitiuus ſicut in nobis, cuius motus debet rationi deſeruire: vnde Greg. dicit in moral. quòd *tunc robuſtius ira contra vitia orsitur, cùm ſubdita rationi famulatur. Ibid. ad 4.*

Quæritur 16. an, & quomodo debemus iraſci tam contra proximos quàm contra noſipſos.

Reſp. D. Thomas, Greg. dicit 5. mor. *non rectè intelligunt qui iraſci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim ſic proximos vt nos amare præcipimur: reſtat vt ſic eorum erroribus ſicut noſtris vitiis iraſcamur. q. 12. de malo a. 1. in 3. arg. ſed contra.*

Quær. 17. quomodo ira ſit licita, cùm ſit appetitus vindictæ, vt dicit gloſſa ſuper Leuit. non oderis fratrem tuum in corde tuo; & non liceat vltionem appetere, ſecundum illud deuter. mea eſt vltio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd appetere vindictam propter malum eius qui puniendus eſt, illicitum eſt: ſed appetere vindictam propter vitiorum correptionem, & bonum iuſtitiæ conſeruandum, laudabile eſt. Et in hoc poteſt tendere appetitus ſenſitiuus, inquantum mouetur à ratione. Et dum vindicta fit ſecundũ ordinem iudicij fit à Deo: cuius miniſter eſt poteſtas puniens, vt dicitur Rom. 13. 13. 2. 2. q. 158. a. 1. ad 3.

Qu. 18. an verum ſit, quod Caſſianus ait lib. 8. de inſtitut. Cœnobiorum: cùm Apoſtolus dicit. Omnis ira tollatur à nobis, nullam penitus neceſſariam, & vt vtilem nobis excipit. Tullius etiam in 4. de Tuſculanis quæſt. ait: Fortitudo nõ indiget aduocato iracundiâ; ſatis ſuis armis munita perfecta eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira præueniens iudicium rationis, non eſt vtilis ad virtutem, ſed nociua; ſubſequens autem eſt vtilis ad [illegible]equendum. *qu. 12. de malo a. 1. ad 6.*

Quær. 19. vtrum ira impediat optimum hominis actum, ſcilicet contemplationem, cùm D. Gregorius dicat; cùm quis à recti æmulatione concutitur; ea quæ à niſi tranquillo corde percipi non poteſt; contemplatio diſſipatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non omne illud, quod eſt impeditiuum melioris, eſt malum; alioquin matrimonium eſſet malum, quia impedit virginitatem. Sed vlterius id quod eſt impeditiuum alicuius boni ad horam, poteſt etiam pro tempore illo eſſe melius: vnde licèt contemplatio ſit ſimpliciter optima inter humanas operationes, tamen in aliquo caſu poteſt eſſe melior aliqua actio ad quam coadiuuat ira. *Ibid. ad 11.*

Digitized by Google

Quæritur 20. in quo ſenſu dicat D. Chryſoſtomus, quòd nihil eſt turpius viſu furentis, & nihil deformius; ſi verò viſu, multò magis animo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Chryſoſt. loquitur de turpitudine quantùm ad geſtus exteriores, qui proueniunt ex impetu iræ. 2.2.q. 158.a. 4. ad 1.

Quæritur 21. in quo ſenſu verum ſit id quod idem D. Chryſoſtomus ait, ira, & inſania nihil eſt medium: ſed ira temporaneus eſt quidam dæmon, magis autem & dæmonium habente difficilius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procedit ſecundùm inordinatum motum iræ, qui prouenit ex eius impetu. *ibidem ad* 2.

Quær. 22. cur Apoſt. ad Epheſ. 4. ait: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare diabolo.

Reſp. D. Thomas, nolite locum dare diabolo, quaſi dicat: non perſeueretis in ira, quia per hoc datis locum diabolo, quia totus diabolus iracundus eſt. Pſal. 17. *liberator meus de inimicis meis iracundis.* Intrat autem hominem cum furore & ira. Apoc. 12. deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam. Hoc autem non poteſt facere ſaltem in anima, quamdiu homo iuſtus eſt. Hæc autem iuſtitia per iram amittitur, quia ira viri iuſtitiam Dei non operatur, vt dicitur Iac. 1. *ſi ergo non vultis locum dare diabolo, ſaltem in anima, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Eccl. 11. *aufer iram à corde tuo. 4. ad eph. lect.* 8.

Quær. 23. in quo ſenſu verum ſit, quod ſuper illud Pſal. 4. iraſcimini, & nolite peccare, dicit gloſſa: motus iræ non eſt in poteſtate noſtra: & ſicut Philoſ. dicit 7. ethic. iratus cum triſtitia operatur.

Reſp. D. Thomas dicendum quòd homo eſt Dominus ſuorum actuum per arbitrium rationis: & ideo motus, qui præueniunt iudicium rationis, non ſunt in poteſtate hominis in generali; vt ſcilicet nullus eorum inſurgat: quamuis ratio poſſit quemlibet ſingulariter impedire ne inſurgat: & ſecundùm hoc dicitur, quòd motus iræ non eſt in poteſtate hominis, ita ſcilicet quòd nullus inſurgat: quia tamen aliqualiter eſt in hominis poteſtate, non totaliter perdit rationem peccati, ſi ſit inordinatus. Quod autem Philoſophus dicit iratum cum triſtitia operari, non eſt ſic intelligendũ quaſi triſtetur de eo quòd iraſcitur: ſed quia triſtatur de iniuria, quam æſtimat ſibi illatam: & ex hoc triſtitia mouetur ad appetendum vindictam. 2.2. *qu.* 158. *a.* 2. *ad* 3.

Qu. 24. an & quomodo augeatur, vel diminuatur iræ malitia: & vtrum ſit peior quàm odium, vel inuidia, vel concupiſcentia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inordinatio iræ ſecundùm duo attenditur, ſcilicet ſecundùm inditum appetibile, & ſecundùm indebitum

indebitũ modum iraſcendi: quantùm igitur ad appetibile, quod iratus appetit, videtur ira eſſe minimum peccatorum: appetit enim ira malum pœnæ alicuius ſub ratione boni, quod eſt vindicta: & ideo ex parte mali, quod appetit, conuenit peccatum iræ cum illis peccatis, quæ appetunt malũ proximi, puta cum inuidia, & odio: ſed odium appetit abſolutè malum alterius inquantum huiuſmodi: inuidus autem appetit malum alterius propter appetitum propriæ gloriæ: ſed iratus appetit malum alterius ſub ratione iuſtæ vindictæ. Ex quo patet, quòd odium eſt grauius quàm inuidia, & inuidia quàm ira: quia peius eſt appetere malum ſub ratione mali, quàm ſub ratione boni; & peius appetere malum ſub ratione boni exterioris, quod eſt honor, vel gloria, quàm ſub ratione rectitudinis iuſtitiæ. Sed ex parte boni ſub cuius ratione iratus appetit malum, conuenit ira cum peccato concupiſcentiæ, quod tendit in aliquod bonum: & quantùm ad hoc etiam abſolutè loquendo peccatum iræ videtur eſſe minus, quàm concupiſcentiæ, quantò melius eſt bonum iuſtitiæ, quod appetit iratus, quàm bonum delectabile, vel vtile, quod appetit concupiſcens: vnde Philoſophus dicit in 7. eth. quòd incontinens concupiſcentiæ eſt turpior, quàm incontinens iræ: ſed quantùm ad inordinationem, quæ eſt ſecundùm modum iraſcendi, ira habet quandam excellentiam propter vehementiam, & velocitatem motus, ſecundùm illud Prouerb. 27. *ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus ferre quis poteſt?* vnde Gregorius dicit 5. mor. *iræ ſuæ ſtimulis accenſum Cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti: ore quidem lingua clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat.* 2.2.qu.158.a.4 *in corp.* 1.2.qu.46.a.6. qu. 12. *de malo* 4. 4.

Quæritur. 25. vtrum odium quandoque habeat miſericordiam, non autem ira, de qua dicitur prouerb 27. ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ira & odio duo poſſũt conſiderari, ſcilicet ipſum quod deſideratur, & intenſio deſiderii: quantùm igitur ad id quod deſideratur, ira habet magis miſericordiam, quàm odium: quia enim odium appetit malum alterius ſecundùm ſe, nullâ menſurâ mali ſatiatur: ea enim quæ ſecundùm ſe appetuntur, ſine menſura appetuntur, vt Philoſ. dicit 1. Polit. ſicut auarus diuitias: vnde dicitur Eccle. 12. *inimicus ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine.* Sed ira non appetit malum, niſi ſub ratione iuſti vindicatiui: vnde quando malum illatum excedit menſuram iuſtitiæ, ſecundùm æſtimationem iraſcentis, tunc miſeretur: vnde Philoſ. dicit in 2. Rhetor. quòd *iratus, ſi fiant multa, miſerebitur; odiens autem pro nullo.* Quantùm verò ad intenſionem deſiderii, ira magis excludit miſericordiam, quàm odium: quia motus iræ eſt impetuoſior propter choleræ inflammationem: vnde ſtatim ſubditur, *impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* 1.2. q.46. a.6. ad 1.

Quæritur 26. cur illi qui habet aliquem odio, ſufficit, quòd ille quem odit, patiatur malum: Irato autem non ſufficit, ſed quærit quòd cognoſcat illud, & de illo doleat, vt Philoſ. dicit in 2. Rhet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, iratus appetit malum alicuius, inquantum habet rationem iuſti vindicatiui: vindicta autem fit per illationem pœnæ: eſt autem de ratione pœnæ quòd ſit contraria voluntati, & quòd ſit afflictiua, & quòd pro aliqua culpa inferatur: & ideo iratus hoc appetit, vt ille cui nocumentum infert, percipiat, & doleat, & quòd cognoſcat propter iniuriam illatam ſibi hoc prouenire: ſed odiens de hoc nihil curat; quia appetit malum alterius inquantum huiuſmodi. 1. 2. *quæſt. 46. artic. 6. ad 2.*

Qæritur 27. an ſicut Philoſophus dicit 4. ethic. ira opponatur manſuetudini.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira quæ tranſgreditur ordinem rationis, opponitur manſuetudini; non autem ira quæ eſt moderata, & ad medium redacta per rationem: nam manſuetudo medium tenet in ira. *3. p. quæſt. 15. a. 9. ad 2.*

Quæritur 28. in quo ſenſu verum ſit, quod D. Dionyſius dicit 4. de diu. Nomin. ira eſt naturalis cani, innaturalis autem homini.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira prædominans rationi non eſt naturalis homini, ſed naturale eſt ei, vt ita rationi deſeruiat. *q. 12. de malo a. 1. ad 2.*

Quæritur 29. cur ebrietas ad iram adiuuat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dicitur in 7. ethic. *ira audit aliqualiter rationem ſicut nunciantem quod iniuriatum eſt ei, ſed non perfectè audit*; quia non obſeruat regulam rationis in rependendo vindictam: ad iram ergo requiritur aliquis actus rationis, & additur impedimentum rationis: vnde Philoſ. dicit in lib. de problematibus, quòd *illi qui ſunt multùm ebrij, tanquam nihil habentes de iudicio rationis, non iraſcuntur; ſed quando ſunt parùm ebrii, iraſcuntur; tanquam habentes iudicium rationis, ſed impeditum. 1. 2. q. 46. a. 4. ad 3.*

Quær. 30. quomodo intelligatur illud Iob 17. Caligauit ad indignationem oculus meus; & membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt. Stupebant iuſti ſuper hoc; & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur; & tenebit iuſtus viam ſuam; & mundis manibus addet fortitudinem.

Reſp. D. Thomas, *caligauit ad indignationem oculus meus*, ſcilicet rationis, cuius acies eſt per iram zeli turbata. Secundò per hoc, quòd ita per zelum etiam in corpore ex dolore quandam commotionem facit: vnde dicitur 1. Machab. 2. quòd Mathathias videns iudæum idolis ſacrificantem doluit; & contremuerunt renes eius: & ideo hic ſubditur *& membra mea quaſi in nihilum ſunt redacta*; inquantum ſcilicet per dolorem cor-

pus hominis tabeſcere videtur. Poſſet autem aliquis credere, quòd iſta oculi caligatio contra iuſtitiam eſſet, & indignatio contra innocentiam; & ideo ad hoc excludendum ſubdit, *ſtupebant iuſti ſuper hoc*, quaſi dicat, etiam ad iuſtos pertinet, vt videntes malorum doctrinam obſtupeſcant: & hunc ſtuporem ſupra caligationem dixit. Sequitur autem, *& innocens contra hypocritam ſuſcitabitur*, quaſi dicat, non eſt contra innocentiam ſi aliquis contra hypocritam peruerſorem veræ doctrinæ, per zelum iuſtitiæ indignatus, concitetur: & quia ira per zelum animum turbat, ſed non cæcat, ſic vir iuſtus ſtupet, vel caligat ex zelo, quòd tamen à iuſtitia non recedit: & hoc eſt quod ſubdit, *& tenebit iuſtus viam ſuam*, quia ſcilicet nó deſeret eam propter iram zeli: talis enim ira non præcedit rationem, ſed ſequitur; & ideo non poteſt hominem à iuſtitia ſeparare. Vtilis tamen eſt ira per zelum: quia facit hominem cum maiore animi fortitudine inſurgere contra mala: & hoc eſt quod ſubdit, *& mundis manibus addet fortitudinem*; concitatus ſcilicet per zelum, vnde & dicitur 3. ethic. quòd ira fortitudinem iuuat, in expoſ. illius *cap. lect.* 1.

Quær. 31. *cur ſicut dicit Phil. in* 2. *Rhet. ira ſit ſemper ex his, quæ ad ſeipſum; inimicitia autem & ſine his quæ ad ipſum; ſi enim putemus talem eſſe, odimus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira eſt appetitus nocendi ſub ratione iuſti vindicatiui: vindicta autem locum non habet, niſi vbi præceſſit iniuria: nec iniuria omnis ad vindictam prouocat, ſed illa ſola, quæ ad eum pertinet, qui appetit vindictam: ſicut enim vnumquodque naturaliter appetit proprium bonum: ita etiam naturaliter repellit proprium malum: iniuria autem ab aliquo facta non pertinet ad aliquem, niſi aliquid fecerit quod aliquo modo ſit contra ipſum: vnde ſequitur quòd motiuum iræ alicuius ſemper ſit aliquid contra ipſum factum. 1.2.q.47.*a.* 1. *in corp.*

Quær. 32. *cur iraſcimur, & appetimus vindictam facere etiam de his, quæ contra alios fiunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iraſcimur contra illos, qui aliis nocent, & vindictam appetiuus, inquantum illi quibus nocetur, aliquo modo ad nos pertinent, vel per aliquam affinitatem, vel per amicitiam, vel ſaltem per communionem naturæ, *ibid. ad* 1.

Qu. 33. *cur ſicut Philoſ. dicit* 2. *Rethor. homines iraſcuntur præcipuè contra eos, qui deſpiciunt ea circa quæ ipſi maximè ſtudent.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd id in quo maximè ſtudemus, reputamus eſſe bonum noſtrum: & ideò cùm illud deſpicitur, reputamus nos quoque deſpici, & arbitramur nos læſos. 1.2.q.47.*a.* 1. *ad* 3.

Qu. 34. *cur vt dicit D. Chryſoſt. ille qui tacet contra contumeliantem, magis ipſum ad iram prouocat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tunc aliquis tacens ad iram prouocat iniuriantem, quando videtur ex contemptu tacere, quaſi paruipendens alterius iram. *Ibid. ad* 4.

Qu. 35. vtrum omnes cauſæ iræ reducantur ad paruipenſionem.

Reſp. v. paruipenſio.

Quær. 36. cur ſicut Philoſ. dicit in 2. Rhet. homines propter excellentiam indignantur: & cur ſicut ibidē ſubdit, maximè aliqui iraſcuntur cùm triſtantur, vt infirmi, & egentes, & qui non habent id quod concupiſcunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cauſa iræ in eo qui iraſcitur dupliciter accipi poteſt: vno modo ſecundùm habitudinem ad motiuum iræ; & ſic excellentia eſt cauſa vt aliquis de facili iraſcatur. Eſt enim motiuum iræ iniuſta paruipenſio: Conſtat autem quòd quantò aliquis eſt excellentior, iniuſtiùs paruipenditur in eo in quo excellit: Et ideo illi qui ſunt in aliqua excellentia, maximè iraſcuntur ſi paruipendantur; putà ſi diues paruipenditur in pecunia, & Rhetor in loquendo, & ſic de aliis: alio modo poteſt conſiderari cauſa iræ in eo qui iraſcitur, ex parte diſpoſitionis, quæ in eo relinquitur ex tali motiuo: manifeſtum eſt autem quòd nihil mouet ad iram, niſi nocumentum quod contriſtat: ea autem quæ ad defectum pertinent, maximè ſunt contriſtantia; quia homines affectibus ſubiacentes faciliùs læduntur: & iſta eſt cauſa quare homines qui ſunt infirmi, vel in aliis defectibus, faciliùs iraſcuntur, quia faciliùs contriſtantur. 1. 2. *q.* 47. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 37. quare ſicut Philoſ. dicit in eodem lib. 2. Rhetor. tunc aliqui maximè iraſcitur, quando in eis deſpicitur id, de quo poteſt eſſe ſuſpicio, quòd vel non inſit eis, vel quòd ſit in eis debiliter; ſed cùm putant ſe multùm excellere in illis, in quibus deſpiciuntur, non curant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui deſpicitur in eo, in quo manifeſtè multùm excellit, non reputat ſe aliquam iacturam pati; & ideo non contriſtatur; & ea hac parte minùs iraſcitur: ſed ex alia parte inquantum indigniùs deſpicitur, habet maiorem rationem iraſcendi: niſi fortè reputet ſe non inuideri, vel ſubſannari propter deſpectum, ſed propter ignorantiam, vel propter aliud huiuſmodi. 1. 2. *q.* 47. 3. *ad* 2.

Quæritur 38. quare ſicut Philoſ. dicit ibidem, in ludo, in riſu, in feſto, in proſperitate, in conſummatione operum, in delectatione non turpi, & in ſpe optima homines non iraſcuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnia illa impediunt iram, inquantum impediunt triſtitiam: ſed ex alia parte nata ſunt prouocare iram, ſecundùm quòd faciunt hominem inconuenientiùs deſpici. *ibid. ad* 3.

Quærit. 39. an defectus alicuius ſit cauſa vt contra eum faciliùs iraſcamur, iuxta illud Philoſ. in 2. Rhetor. diues iraſcitur contra pauperem, ſi eum deſpiciat, & principalis contra

ſubditum: Et quare ſicut idem Philoſ. dicit ibidem: his qui confitentur, & pœnitent, & humiliantur, non iraſcimur, ſed magis ad eos miteſcimus: vnde & canes non mordent eos qui reſident.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd indigna deſpectio eſt maximè prouocatiua iræ: defectus igitur, vel paruitas eius contra quem iraſcimur, facit ad augmentum iræ, inquantum auget indignam deſpectionem: ſicut enim quantò aliquis eſt maior, tantò indigniùs deſpicitur, ita quantò aliquis eſt minor, tantò indigniùs deſpicit: Et ideo nobiles iraſcuntur ſi deſpiciantur à ruſticis, vel ſapientes ab inſipientibus, vel domini à ſeruis: ſi verò paruitas, vel defectus diminuat deſpectionem indignam, talis paruitas non auget, ſed diminuit iram: Et hoc modo illi qui pœnitent de iniuriis factis, & confitentur ſe malè feciſſe, & humiliantur, & veniam petunt, mitigant iram; ſecundùm illud Prou. 15. reſponſio mollis frangit iram; inquantum ſcilicet tales videntur non deſpicere, ſed magis magnipendere eos quibus ſe humiliant. 1. 2. q. 47. a. 4. *in corp.*

Quæritur 40. cur erga mortuos ceſſat ira.

Reſp. D. Thomas, quòd duplex eſt cauſa, quare ad mortuos ceſſat ira: vna quidem, quia non poſſunt dolere, & ſentire, quod maximè quærunt irati in his quibus iraſcuntur: alio modo, quia iam videntur ad vltimum malorum perueniſſe; vnde etiam ad quoſcunque grauiter læſos ceſſat ira, inquantum eorum malum excedit menſuram iuſtæ retributionis. *in eodem a. 4. ad. 2.*

Qu. 41. quare magis iraſcimur, ſi amici nos offenderint, vel ſi non iuuerint: vnde dicitur Pſal. 56. ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam deſpectio, quæ eſt ab amicis, videtur eſſe magis indigna: & ideo ex ſimili cauſa magis iraſcimur contra eos, ſi deſpiciant vel non iuuando; ſicut & contra minores. *Ibidem ad 3.*

Qu. 42. an verum ſit illud prouerbium, quod Philoſ. refert in 2. Rethor. ira multò dulcior melle diſtillante, in pectoribus virorum creſcit: & quomodo ſicut idem Philoſ. dicit in 4. ethic. punitio quietat impetum iræ, delectationem pro triſtitia faciens.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Phil. dicit in 7. ethic. delectationes (maximè ſenſibiles & corporales) ſunt medicinæ quædam contra triſtitiam: & ideo quantò per delectationem contra mœrorem vel anxietatem remediū præſtatur, tantò delectatio magis percipitur; ſicut patet quòd quando aliquis ſitit, delectabilior fit ei potus: manifeſtum eſt autem quòd motus iræ inſurgit ex aliqua illata iniuria contriſtante; cui quidem triſtitiæ remedium adhibetur per vindictam: & ideo ad præſentiam vindictæ delectatio ſequitur; & tantò maior, quantò maior fuit triſtitia.

Si igitur vindicta fuerit præſens

Digitized by Google

realiter, fit perfecta delectatio, quæ totaliter excludit triſtitiam, & per hoc quietat motum iræ:ſed antequam vindicta ſit præſens realiter, fit iraſcenti præſens dupliciter: vno modo per ſpem; quia nullus iraſcitur niſi ſperans vindictam: alio modo ſecundùm continuam cogitationem; vnicuique enim concupiſcenti eſt delectabile immorari in cogitatione eorum quæ concupiſcit, propter quod etiam imaginationes ſomniorum ſunt delectabiles: & ideo cùm iratus multùm in animo ſuo cogitet de vindicta, ex hoc delectatur: tamen delectatio non eſt perfecta, quæ tollat triſtitiam, & per conſequens iram. 1. 2. *queſt*. 48. *a*. 1. *in corp*.

Quær. 43. quomodo delectatio ſit effectus iræ; cùm vt ait Philoſ. in 2. Rethor. delectationes iram impediant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd delectationes præcedentes impediunt iram: ſed delectatio de vindicta conſequitur ipſam iram. *ibidem ad* 3.

Quæritur 44. an & quomodo ira maximè cauſet feruorem, in corde iuxta illud D. Damaſc. ira eſt feruor eius, qui circa cor eſt, ſanguinis ex euaporatione fellis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd corporalis tranſmutatio quę eſt in paſſionibus animæ, proportionatur motui appetitus: manifeſtum eſt autem quòd quilibet appetitus etiam naturalis fortiùs tendit in id quod eſt ſibi contrarium, ſi fuerit præſens: vnde videmus quòd aqua calefacta magis congelatur, quaſi frigido vehementiùs in calidum agente: motus autem appetitiuus iræ cauſatur ex aliqua iniuria illata, ſicut ex quodam contratio iniacente: Et ideo appetitus potiſſimè tendit ad repellendum iniuriam per appetitum vindictæ: Et ex hoc ſequitur magna vehementia & impetuoſitas in motu iræ: Et quia motus iræ non eſt per modum retractionis, cui proportionatur frigus; ſed magis per modum inſecutionis, cui proportionatur calor; conſequenter fit motus iræ cauſatiuus cuiuſdam feruoris ſanguinis & ſpirituum circa cor, quod eſt inſtrumentum paſſionum animæ: Et exinde eſt quòd propter magnam perturbationem cordis quæ eſt in ira, maximè apparent in iratis indicia quædam in exterioribus membris: vnde Greg. dicit in 5. moral. *Ira ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti, ore quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat*. 1. 2. *q*. 48. *a*. 2. *in corp*.

Quæritur 45. quomodo feruor amoris per iram creſcat: & quomodo ſe habet feruor ad vtramque paſſionem.

Reſp. D Thomas, dicendum quòd *amor ipſe non ita ſentitur, niſi cum eum prodit indigentia*, vt Auguſt. dicit in 10. de trinit. Et ideo quando homo patitur detrimentum amatæ excellentiæ propter iniuriam illatam, magis ſentitur amor, & ideo feruentiùs cor mutatur ad remouendum impedimentum rei amatæ; vt ſic feruor ipſe

amoris per iram creſcat, & magis ſentiatur.

Et tamen feruor, qui conſequitur calorem, alia ratione pertinet ad amorem, & ad iram: nam feruor amoris eſt cum quadam dulcedine, & lenitate; eſt enim in bonum amatum: & ideo aſſimilatur calori aëris & ſanguinis; propter quod ſanguinei ſunt magis amatiui; & dicitur, quòd *cogit amare iecur*, in quo fit quædam generatio ſanguinis: feruor autem iræ eſt cum amaritudine ad conſumendum; quia tendit ad punitionem contrarij: vnde aſſimilatur calori ignis, & choleræ: & propter hoc Damaſcenus dicit, quòd *procedit ex euaporatione fellis, & fellea nominatur. in eodem a. 2. ad 1.*

Quær. 46. quare amor diuturnitate temporis augeatur, ira verò è contra debilitetur, ſicut ait Philoſ. 3. Rhetor. tempus quietat iram.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omne illud cuius cauſa per tempus diminuitur, neceſſe eſt quòd tempore debilitetur: manifeſtum eſt autem quòd memoria tempore diminuitur; quæ enim antiqua ſunt, à memoria de facili excidunt: ira autem cauſatur ex memoria iniuriæ illatæ: Et ideo cauſa iræ per tempus diminuitur paulatim, quouſque totaliter tollatur. Maior etiam videtur iniuria, quando primò ſentitur, & paulatim diminuitur eius æſtimatio; ſecùndùm quòd magis receditur à præſenti ſenſu iniuriæ. Et ſimiliter etiam eſt de amore, ſi amoris cauſa remaneat in ſola memoria: vnde Philoſ. dicit in 8. ethic. quòd ſi diuturna fiat amici abſentia, videtur amicitiæ obliuionem facere: Sed in præſentia amici ſemper per tempus multiplicatur cauſa amicitiæ; & ideo amicitia creſcit. Et ſimiliter eſt de ira, ſi continuè multiplicaretur cauſa ipſius: tamen hoc ipſum quod ira citò conſumitur, atteſtatur vehementi furori ipſius; ſicut enim ignis magnus citò extinguitur conſumptâ materiâ, ita etiam ira propter ſuam vehementiam citò deficit. *Ibid. ad 2.*

Quær. 47. cur ſicut Philoſ. dicit in 2. Rhet. maior ira ſuperueniens facit iram miteſcere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnis virtus diuiſa in plures partes diminuitur: & ideo quando aliquis iratus alicui, iraſcitur poſtmodum alteri, ex hoc ipſo diminuitur ira ad primum, & præcipuè ſi ad ſecundum fuerit maior ira: nam iniuria, quæ excitauit iram ad primum: videbitur comparatione ſecundæ iniuriæ, quæ æſtimatur maior, vel parua, vel nulla. *ibid. ad. 3.*

Quær. 48. vtrum ira maximè impediat rationis vſum iuxta illud D. Greg. 5. moral. ira intelligentiæ lucem ſubtrahit, cùm mentem permouendo confundit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mens vel ratio quamuis non vtatur organo corporali in ſuo proprio actu, tamen quia indiget ad ſui actum quibuſdam viribus ſenſitiuis, quarum actus impediuntur corpore perturbato, neceſſe eſt quòd perturbationes corporales etiam iudicium rationis

impediant, ſicut patet in ebrietate & ſomno: dictum eſt autem quòd ira maximè facit perturbationem corporalem circa cor, ita vt etiam vſque ad exteriora membra deriuetur: vnde ira inter cæteras paſſiones manifeſtiùs impedit iudicium rationis, ſecundùm illud Pſal. 30. *conturbatus eſt in ira oculus meus*. 1. 2. q. 48. *a*. 3. *in corp*.

Quær. 49. quare ſicut Philoſophus dicit in 7. Ethic. iracundus non eſt inſidiator ſed manifeſtus; concupiſcens verò erit inſidioſus, vt ibidem dicitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iracundus dicitur eſſe manifeſtus, non quia manifeſtum ſit ſibi quid facere debeat: ſed quia manifeſtè operatur, non quærens aliquam occultationem: quod partim contingit propter impedimentum rationis, quæ non poteſt diſcernere quid ſit occultandum, & quid manifeſtandum, nec etiam excogitare occultandi vias: partim verò eſt ex ampliatione cordis, quæ pertinet ad magnanimitatem, quam facit ira: Vnde & de magnanimo Philoſophus dicit in 4. Ethic. quòd eſt manifeſtus oditor & amator; & manifeſtè dicit & operatur. Concupiſcentia autem dicitur eſſe latens & inſidioſa, quia vt plurimum delectabilia, quæ concupiſcuntur, habent turpitudinem quandam & mollitiem, in quibus homo vult latere: in his autem quæ ſunt virilitatis & excellentiæ, cuiuſmodi ſunt vindictæ, quærit homo manifeſtus eſſe. *in eodem art*. 3. *ad* 2.

Quæritur 50. cur ſicut Philoſophus dicit in 2. Rethor. magis homines iraſcuntur ſi contraria præexiſtunt, ſicut honorati ſi dehonorentur, & ſic de aliis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd motus iræ à ratione incipit, & ideò ſecundùm idem oppoſitio contrarij ad contrarium adiuuat iudicium rationis, & auget iram: cùm enim aliquis habet honorem vel diuitias, & poſtea incurrit alicuius detrimentum, illud detrimentum apparet maius, tum propter vicinitatem cõtrarij, tum quia erat inopinatum, & ideò cauſat maiorem triſtitiam: ſicut etiam magna bona ex inopinato venientia cauſant maiorem delectationem: & ſecundùm augmentum triſtitiæ præcedentis conſequenter augetur & ira. *ibid. ad* 3.

Quær. 51. an & quomodo ira maximè cauſet taciturnitatem, iuxta illud D. Gregorij 5. moral. ira per ſilentium clauſa intra mentem vehementiùs æſtuat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira & cum ratione eſt & impedit rationem: Et ex vtraque parte poteſt taciturnitatem cauſare: Ex parte quidem rationis; quando iudiciũ rationis intantum viget, quòd & ſi non cohibeat affectum ab inordinato appetitu vindictæ, cohibet tamen linguam ab inordinata locutione: vnde Greg. in 5. moral dicit: *aliquando ira perturbato animo quaſi ex iudicio ſilentium inducit*: Et parte verò impedimenti rationis; quia perturbatio iræ vſque ad exteriora membra perducitur, & maximè vſque ad illa membra, in quibus expreſſiùs

preſſius relucet veſtigium cordis, ſicut in oculis, & in facie, & in lingua: vnde, *lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi*. Poteſt ergo eſſe tanta perturbatio iræ, quòd omnino impediatur lingua ab vſu loquendi: & tunc ſequitur taciturnitas. 1.2. *q.* 48. *a.* 4. *in corp.*

Quæritur 52. *cùr homo quandoque ex ira prorumpit in verba inordinata, iuxta illud Prouer.* 25. *ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt cohibere in loquendo ſpiritum ſuum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd augmentum iræ quandoque eſt vſque ad impediendam rationem à cohibitione linguæ: quandoque autem vltra procedit vſque ad impediendum motum linguæ, & aliorum membrorum exteriorum. *in eodem artic.* 4. *ad* 1.

Quær. 53. *quomodo ira cor perturbando cauſet taciturnitatem, & immobilitatem membrorum, & quandoque etiam mortem; vel e contra incitet ad loquendum, iuxta illud Matth.* 12. *ex abundantia cordis os loquitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perturbatio cordis quandoque poteſt ſuperabundare vſque ad hoc, quòd per inordinatum motum cordis impediatur motus exteriorum membrorum, & tunc cauſatur taciturnitas, & immobilitas exteriorum membrorũ, quandoque etiã mors. Si autẽ non fuerit tanta perturbatio, tunc ex ſuperabundantia perturbationis cordis ſequitur oris locutio. *ibidem ad* 3.

Quæritur 54. *an & quare, ſicut Philoſ. dicit* 7. *Ethic. ira eſt naturalior quàm concupiſcentia.*

Reſp. D. Thomas, poteſt natura alicuius hominis conſiderari; vel ſecundùm naturam generis; vel ſecundùm naturam ſpeciei; vel ſecundùm complexionem propriam indiuidui. Si igitur conſideretur natura generis, quæ eſt natura huius hominis inquantum eſt animal, ſic naturalior eſt concupiſcentia, quàm ira; quia ex ipſa natura communi habet homo quandam inclinationem ad appetendum ea quæ ſunt conſeruatiua vitæ, vel ſecundùm ſpeciem, vel ſecundùm indiuiduum. Si autem conſideremus naturam hominis ex parte ſpeciei, ſcilicet inquantum eſt rationalis, ſic ira eſt magis naturalis homini, quàm concupiſcentia; inquantum eſt ira cum ratione magis quàm concupiſcentia: vnde Philoſ. dicit in 4. Ethic. quòd *humanius eſt punire* (quod pertinet ad iram) *quàm manſuetum eſſe*: vnumquodque enim naturaliter inſurgit contra contraria, & nociua. Si verò conſideretur natura huius indiuidui ſecundùm propriam complexionem, ſic ira naturalior eſt quàm concupiſcentia; quia ſcilicet habitudinem naturalem ad iraſcendum, quæ eſt ex complexione, magis de facili ſequitur ira quàm concupiſcentia, vel aliqua alia paſſio: eſt enim homo diſpoſitus ad iraſcendum ſecundùm quòd habet choleticam complexionem; cholera autem inter alios humores citiùs mouetur, aſſimilatur enim igni: & ideo magis eſt in promptu illi, qui eſt

Digitized by Google

diſpoſitus ſecundùm naturalem complexionem ad iram quòd iraſcatur, quàm ei qui eſt diſpoſitus ad concupiſcendum quòd concupiſcat: & propter hoc Philoſ. dicit in 7. ethic. quòd *ira magis traducitur à parentibus in filios, quàm concupiſcentia.* 1. 2. *quæſt.* 46. *a.* 5. *in corp.*

Quær. 55. *quomodo ira ſit naturalis homini, cùm proprium ipſius eſſe dicatur, quòd ſit animal naturâ manſuetum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in homine conſiderari poteſt, & naturalis complexio ex parte corporis, quæ eſt temperata, & ipſa ratio: ex parte igitur complexionis corporalis, naturaliter homo ſecundùm ſuam ſpeciem eſt, non habens ſuperexcellentiam neque iræ, neque alicuius alterius paſſionis, propter temperamentum ſuæ complexionis: alia verò animalia ſecundùm quòd recedunt ab hac qualitate complexionis ad diſpoſitionem alicuius complexionis extremæ, ſecundùm hoc etiam naturaliter diſponuntur ad exceſſum alicuius paſſionis, vt leo ad audaciam, canis ad iram, lepus ad timorem, & ſic de aliis: ex parte verò rationis eſt naturale homini & iraſci, & manſuetum eſſe, ſecundùm quòd ratio quodammodo cauſat iram, inquantum nunciat cauſam iræ; & quodammodo ſedat iram, inquantum iratus non totaliter audit imperium rationis, vt ſupra dictum eſt. *ibid. ad* 1.

Qu. 56. *vtrum incontinentia concupiſcentia ſit peior, & turpior quàm incontinentia iræ: & vtrum ſit difficiliùs pugnare contra concupiſcentiam, quàm contra iram.*

Reſp. ſupra v. incontinentia qu. 10. & 11.

Quæritur 57. *quare ſicut Philoſ. dicit in* 2. *Rhet. odium eſt magis inſanabile quàm ira.*

Reſp. infra v. *odium.*

Quær. 58. *an verum ſit quod ſuper illud Prou.* 29. *vir iracundus prouocat rixas, dicit gloſſa: ianua eſt omnium vitiorum iracundia, qua clauſâ virtutibus intrinſecùs dabitur quies; apertâ autem ad omne facinus armabitur animus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira dicitur eſſe. *ianua vitiorum*, per accidens; ſcilicet remouendo prohibens; ideſt impediendo iudicium rationis, per quod homo retrahitur à malis: directè autem & per ſe eſt cauſa aliquorum ſpecialium peccatorum, quæ dicuntur filiæ eius. 2. 2. *q.* 158. *a.* 6. *ad* 3.

Qu. 59. *quomodo Apoſtolus tradat optimum contra iram remedium, ad titum* 3. *his verbis: ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines; eramus enim aliquando & nos inſipientes, & increduli &c.*

Reſp. D. Thomas, eſt modeſtia virtus, per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, vt non offendat cuiuſque aſpectum. Phil. 4. *modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*: Prou. 22. *finis modeſtiæ, timor Domini, diuitiæ, gloria, & vita, &c.* quantò autem quis eſt

impetuoſior in interioribus affe-ctibus, tantò refrænatur difficiliùs etiam in exterioribus. Talis au-tem eſt inter omnes affectus ira: Et ideo contra hoc ponit manſue-tudinem, quæ moderatur paſſio-nes iræ. Vnde dicit, *omnem man-ſuetudinem oſtendentes ad omnes ho-mines*. Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Iacobi 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras*.

Deinde cum dicit, *eramus enim & nos &c.* aſſignat rationem præ-dictorum, & maximè huius vlti-mi, ſcilicet quòd ſint manſueti. Poſſent enim dicere, quomodo erimus manſueti ad infideles? quo-modo ad malos? non enim hoc poſſumus. Reſpondet conſidera te qualis fueris. Et ideo contra iram optimum remedium eſt, recogni-tio fragilitatis propriæ. *in expoſ. eiuſdem cap. lect. 1.*

IRONIA.

Quær. 1. quid ſit ironia: & vtrum ſit peccatum, iuxta illud D. Augu-ſtini in lib. de verbis Apoſtoli: cum humilitatis cauſâ mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd hoc quòd aliqui minora de ſe dicant poteſt contingere du-pliciter: vno modo ſaluâ veritate, dum ſcilicet maiora, quæ ſunt in ſe ipſis reticent; quædam verò mi-nora detegunt, & de ſe proferunt, quæ tamen in ſe eſſe recognoſcunt: & ſic minora de ſe dicere non pertinet ad ironiam, nec eſt pec-catum ſecundùm genus ſuum; niſi per alicuius circunſtantiæ corrup-tionem: alio modo aliquis dicit minora à veritate declinans, puta cùm aſſerit de ſe aliquid vile, quod in ſe non recognoſcit; aut cùm negat de ſe aliquid magnum, quod tamen percipit in ſeipſo eſſe: & ſic pertinet ad ironiam, & eſt ſem-per peccatum. 2.2. q. 113. a. 1. *in c.*

Quæritur 2. quomodo abſque peccato ironia, bonæ mentes, vt ait D. Gre-gorius, agnoſcant culpam vbi culpa non eſt.

Reſp. infra v. *perfectio qu. vlt.*

Quær. 3. vtrum quandoque ironiâ v-tendum ſit ad reprimendam ſuper-biam, ſicut Philoſ. dicit 4. ethic. quòd aliqui minora de ſeipſis di-cunt, fugientes tumidum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo non debet vnum pec-catum facere vt aliud vitet: & ideo non debet mentiri qualitercunque vt vitet ſuperbiam: vnde Aug. di-cit ſuper Ioan. *non ita caueatur arrogantia vt veritas relinquatur*. Et Greg. dicit quòd *incautè ſunt humi-les, qui ſe mentiendo illaqueant*. 2.2. q. 113. a. 1. *ad* 3.

Qu. 4. an ironia ſit minus peccatum, quàm iactantia, iuxta illud Philoſ. 4. ethic. irones, & minùs dicentes gratiores ſecundùm mores videntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vnum mendacium eſt gra-uius altero: quandoque quidem ex materia, de qua eſt; ſicut menda-cium, quod fit in doctrina Reli-gionis eſt grauiſſimum: quando-que autem ex motiuo ad peccan-

Digitized by Google

famiam: vel propter pœnitentiam publicam: vel propter infidelitatem: vel propter iterationem baptiſmi: vel denique ex eo quòd indebitè ſuſcipiuntur ordines aut exercentur.

De irregularitate, quæ prouenit ex procuratione aborſus, vel ex bigamia egimus ſuprà ſub vtroque vocabulo. De illa autem quæ prouenit ex defectu animi, vel ætatis, aut libertatis, aut indebita ſuſceptione, vel indebito vſu ordinis agemus infra v. ordo: vbi per plures quæſtiones explicabimus quomodo vſus rationis requiratur ad ordines: quænam ſit ætas legitima: quæ ſcientia ſit neceſſaria: an & quando ſeruus, vel aliquis ad ratiocinia obligatus ordinari poſſit: & quam pœnam mereantur malè promoti ad ordines, vel malè exercentes.

Vnde in propoſito ſufficit agere de aliis irregularitatibus.

Quær. 1. quare homicidæ non debent promoueri ad ordines; ſiue ſint irregulares.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnes ordines referuntur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt Sacramentum pacis per ſanguinem Chriſti nobis effuſum factæ: & quia homicidium maximè contrariatur paci,& homicidæ magis conformantur occidentibus Chriſtũ, quàm ipſi Chriſto occiſo, cui omnes miniſtri prædicti Sacramenti debent conformari; ideo de neceſſitate præcepti eſt, quòd non ſit homicida, qui ad ordines promouetur: quamuis non ſit de neceſſitate Sacramenti. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *in corp.*

Quær. 2. an Iudex, & omnes alij participantes in cauſa ſanguinis ſint irregulares.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd irregularitas non incurritur propter peccatum tantùm, ſed principaliter propter ineptitudinem perſonæ ad Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum: & ideo Iudex, & omnes, qui in cauſa ſanguinis ei participant, ſunt irregulares propter hoc, quòd effuſio ſanguinis non decet miniſtros dicti Sacramenti. 4. *ſent. d.* 25. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2.

Qu. 3. quare ſi aliquis percutiendo, vel ſententiam dando ingerat cauſam mortis, & mors non ſequatur, non contrahitur irregularitas, licèt ſit culpabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procederet, ſi irregularitas ſequeretur culpam: non autem ſequitur culpam, ſed factum, propter aliquem defectum Sacramenti. 1. 2. *quæſt.* 20. *a.* 5. *ad* 4.

Quæritur 4. an clericus fiat irregularis, ſi aliquem interficiat ſe defendendo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd irregularitas conſequitur actum homicidii, etiam ſi ſit abſque peccato, vt patet in iudice, qui iuſtè aliquem condemnat ad mortem: & propter hoc clericus, etiam ſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt; quamuis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere. 2. 2. *quæſt.* 64. *a.* 7. *ad* 3.

Quæritur 5. vtrum ille qui caſualiter, vel etiam ſe defendendo, aliquem interficit, ſit irregularis.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus facit niſi illud, cuius cauſa eſt; quod eſt voluntarium in homine: & ideo ille, qui ignorãter hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit; niſi dederit operam rei illicitæ; vel niſi omiſerit debitam diligentiam, quia iam quodammodo efficitur voluntarium. Nec hoc eſt propter hoc, quòd culpa careat, quia etiam ſine culpa incurritur irregularitas: & ideo etiam ille qui ſe defendendo in aliquo caſu, non peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis eſt. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 3.

Qu. 6. an ſi moriatur aliquis percuſſus in bello, omnes, qui bello interfuerunt, ſint irregulares.

Reſp. D. Thomas, ſi aliquis percuſſus in bello moriatur, ſi ignoretur quis eum percuſſerit, propter dubium quilibet, qui in bello interfuit, irregularis habetur ſecundùm iura. *quodl.* 4. *a.* 14.

Qu. 7. cur illegitimi, vel infames, vel publicè pœnitentes non poßunt ordinari niſi ex diſpenſatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ordinati, in quadam dignitate præ aliis conſtituuntur: ideo ex quadam honeſtate requiritur in eis claritas quædam, non de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti; vt ſcilicet ſint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publicè pœnitentes. Et quia obſcuratur hominis claritas ex vitioſa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati à ſuſceptione ordinum repelluntur, niſi cum eis diſpenſetur; & tanto eſt difficilior diſpenſatio, quantò eorum origo eſt turpior. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.*

Quæritur 8. an patientes defectum in membris, impediantur à ſuſceptione ordinis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ex dictis patet, aliquis efficitur ineptus ad ſuſceptionem ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis perſonæ: & ideo patientes defectum in membris impediuntur à ſuſceptione ordinis, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obſcuretur perſonæ claritas (vt abſciſio naſi) vel periculum in executione facere poſſit: aliàs non impediuntur. Hæc autem integritas exigitur de neceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 4. *in corp.*

Qu. 9. an poſſit Sacerdos abſoluere à culpa, licèt non poſſit abſoluere à pœna irregularitatis ei annexa.

Reſp. ſupra v. *abſolutio qu.* 7.

IVBILÆVM.

Quia iubilæum conſiſtit præcipuè in indulgentiis, ea quæ habentur ſupra v. indulgentia, ad propoſitum applicari poſſunt.

IVBILVS.

Qu. 1. cur pſalm. 31. dicitur: benè pſallite ei in vociferatione; vel iuxta verſionem D. Hieronymi in iubilatione ſiue iubilo.

RESp. D. Thomas, eſt iubilus lætitia ineffabilis, quæ verbis exprimi non poteſt, ſed voce datur intelligi gaudiorum latitudo inmenſa: illa autem quæ non poſſunt exprimi, ſunt bona gloriæ 1. cor. 2. *oculus non vidit, nec auris audiuit &c.* & ideo dicit: *bene pſallite ei in iubilatione*: quia cantu exprimi non valent. *in exp. illius Pſalm.*

Quæritur 2. cur Pſalm. 46. dicit, iubilate Deo in voce exultationis.

Reſp. D. Thomas, dicit, *iubilate Deo in voce exultationis*, ideſt in voce exteriori demonſtrante interiorem affectum. Gloſſa, iubilus eſt ineffabile gaudiũ, quod nec taceri poteſt, ſed nõ poteſt exprimi, quia excedit comprehenſionem: Et talis eſt bonitas Dei, quæ non poteſt exprimi: & ſi exprimatur, imperfectè tamen exprimitur: Et ideo dicebat Hierem. 1. *A, a, a, neſcio loqui.* Et hunc Iubilum ſignat Eccleſia, quando in eadem dictione multiplicat notas. pſ. 65. *Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite ei: quoniam Dominus. in exp. eiuſdem Pſ.* 46.

IVDÆI.

Quær. 1. an liceat Principibus exactionem facere in Iudæos.

RESp. D. Thomas, in opuſc. 21. de regimine Iudæorum ad Duciſſam Brabantiæ, licèt vt iura dicunt, Iudæi merito culpæ ſuæ ſint, vel eſſent perpetuæ ſeruituti addicti, & eorum res terrarum Domini poſſint accipere tanquam ſuas; hoc tamen ſeruato moderamine, vt neceſſaria vitæ ſubſidia eis nullatenus ſubtrahantur: quia tamen oportet nos honeſtè ambulare etiam ad eos, qui foris ſunt, ne nomen Domini blaſphemetur: & Apoſtolus admonet ſuo exemplo, vt ſine offenſione ſimus Iudæis, ac Gentibus, & Eccleſiæ Dei, hoc ſeruandum videtur, vt ſicut iura determinant, ab eis coacta ſeruitia non exigantur, quæ ipſi præterito tempore facere non conſueuerunt; quia ea, quæ ſunt inſolita, magis ſolent animos hominum perturbare. Secundùm igitur huius moderationis ſententiam poteſtis ſecundùm conſuetudinem prædeceſſorum veſtrorum exactionem in Iudæos facere; ſi tamen aliud non obſiſtat.

Quæritur 2. an ſi Iudæi nihil habeant præter vſuras, ea quæ ab ipſis exiguntur, ſint reſtituenda, & quomodo.

Reſp. D. Thomas, in eodem opuſculo his verbis, reſpondendum videtur quòd cùm ea, quæ Iudæi per vſuras ab aliis extorſerunt, non poſſint licitè retinere: conſequens eſt, vt ſi etiam vos hæc acceperitis ab eis, non poſſitis licitè retinere: niſi forſan eſſent talia, quæ à vobis vel ab anteceſſoribus veſtris hactenus extorſiſſent. Si qua verò habent, quæ extorſerũt ab aliis, hæc ab eis exacta illis debetis reſtituere, quibus Iudæi reſtituere tenebantur: vnde ſi inueniuntur certæ perſonæ, à quibus extorſerunt vſuras, debent eis reſtitui: alioquin debent in pios vſus ſecundùm conſilium Diœceſani Epiſcopi, & aliorum proborum, vel etiam in communem vti-

Digitized by Google

licitatem terræ, ſi neceſſitas immineat, vel expoſcat communis vtilitas, erogari. Nec eſſet illicitum, ſi à Iudæis exigeretis talia de nouo, ſeruatâ conſuetudine prædeceſſorum veſtrorum, hac intentione, vt in prædictos vſus expenderentur.

Quæritur 3. an, & quomodo ſi Iudæus deliquerit, pœnâ pecuniariâ ſit puniendus, ſi nihil habeat præter vſuras: & quid agendum ſit de huiuſmodi pecunia.

Reſp. D. Thomas, reſpondendum videtur ſecundùm prædicta, quòd expedit eum pecuniariâ pœnâ puniri, ne ex ſua iniquitate commodum reportet. Videtur etiam mihi, quòd eſſet maiori pœnâ puniendus Iudæus, vel quicunque alius vſurarius, quàm aliquis alius, quantò pecunia, quæ auferetur ei, minùs ad eum noſcitur pertinere. Poteſt etiam pecuniariæ alia pœna ſuperaddi, ne hoc ſolùm ad pœnam ſufficere videatur, quòd pecuniam aliis debitam detinuit poſſidere.

Pecunia autem pœnæ nomine ab vſurariis ablata retineri non poteſt: ſed in vſus prædictos debet expendi, ſi nihil habeant aliud quàm vſuras.

Si verò dicatur, quòd ex hoc principes terrarum damnificantur, hoc damnum ſibi imputent, vtpote ex negligentia eorum prouenniens: melius enim eſſet, vt Iudæos laborare compellerent ad proprium victum lucrandum, ſicut in partibus Italiæ faciunt, quàm quòd otioſi viuentes, ſolis vſuris ditentur; & ſic eorum Domini ſuis redditibus defraudentur. ita enim & per ſuam culpam Principes defraudarentur redditibus propriis, ſi permitterent ſuos ſubditos ex ſolo latrocinio, vel furto lucrari: tenerentur enim ad reſtitutionem eius, quodcunque ab eis exigerent.

Quær. 4. an liceat pecuniam, aut aliquod encenium à Iudæis vltrà oblatum accipere.

Reſp. D. Thomas, ibidem, reſpondendum videtur quòd licet recipere; ſed expedit, quòd ſic acceptum reddatur eis, quibus debetur; vel aliter, vt ſupra dictum eſt, expendatur, ſi nihil aliud habeant, quàm vſuras.

Quæritur 5. ſi plus accipitur à Iudæis, quàm Chriſtiani requirant, quid ſit agendum de reſiduo: & quid dicendum de aliis vſurariis.

Reſp. D. Thomas, patet reſponſio ex iam dictis. Quòd enim Chriſtiani minùs requirunt, poteſt eſſe propter duo: vel quia fortè Iudæus aliquid habebat præter vſurarium lucrum, & in tali caſu licet vobis illud retinere ſeruato moderamine ſupradicto. Et idem videtur dicendum, ſi extorſerint vſuras ab eis, qui poſtea bonâ voluntate donauerunt, cùm tamen Iudæi promptè ſe offerrent ad reſtituendum vſuras.

Vel poteſt contingere, quòd illi, à quibus acceperunt, ſint ſublati de medio, vel per mortem, vel in terris alijs morantes: & tunc ipſi debent reſtituere. Si tamen non apparent certæ perſonæ, quibus reſtituere teneantur, procedendum eſt vt ſupra.

Quod

Quod autem de Iudæis dictum eſt, intelligendum eſt de quibuſcunque aliis inſiſtentibus vſurariæ prauitati.

Quær. 6. an Iudæi debeant cogi ad deferendum ſignum diſtinctiuum ipſorum ab aliis.

Reſp. D. Thomas, plana eſt reſpõſio, nã ſecundùm ſtatutũ Concilij generalis, Iudæi vtriuſque ſexus in omni Chriſtianorũ prouincia, & in omni tempore aliquo habitu ab aliis populis debent diſtingui. Hoc eis etiam in lege eorum mandatur num. 15. vt ſcilicet *faciant ſimbrias per quatuor angulos palliorum, per quos ab aliis diſcernantur. in fine eiuſdem opuſculi.*

Plura de Iudæis videri poſſunt ſupra v. infidelitas, vbi inter alia ſub finem diximus, Eccleſiæ praxim eſſe iuxta doctrinam noſtri ſancti doctoris, quòd paruuli Iudæorum non baptizentur inuitis eorum parentibus: ſed tamen ſi baptizati fuerint, ab eis ſeparentur, & inter catholicos educentur.

IVDICIVM.

Qu. 1. an iudicium ſit actus iuſtitiæ; & iudex ſit veluti iuſtitia quædam animata.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iudicium propriè nominat actum iudicis inquantùm iudex eſt: Iudex autem dicitur quaſi ius dicens: ius autem dicitur obiectum iuſtitiæ: & ideo iudicium imporportat ſecundùm primam nominis impoſitionem, diffinitionem vel determinationem iuſti vel iuris. Quòd autem aliquis benè diffiniat aliquid in operibus virtuoſis, propriè procedit ex habitu virtutis; ſicut caſtus rectè determinat ea, quæ pertinent ad caſtitatem: & ideo iudicium, quod importat rectam determinationem eius, quod eſt iuſtum, propriè pertinet ad iuſtiam; propter quod Philoſophus in 5. Eth. dicit, quòd *homines ad iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam. 2. 2. q. 60. a. 1. in corp.*

Quær. 2. quænam requirantur vt iudicium ſit licitum, & actus iuſtitiæ: & quotuplex ſit iudicium vitioſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iudicium intantum eſt licitum, inquantum eſt iuſtitiæ actus: ad hoc autem quòd iudicium ſit actus iuſtitiæ tria requiruntur: primò quidem, vt procedat ex inclinatione iuſtitiæ; ſecundò, quòd procedat ex authoritate præſidentis: tertiò, quòd proferatur ſecundùm rectam rationem prudentiæ.

Quodcunque autem horum defuerit, iudicium erit vitioſum, & illicitum; vno quidem modo, quando eſt contra rectitudinem iuſtitiæ; & ſic dicitur iudicium peruerſum, vel iniuſtum; alio modo, quando homo iudicat in his, in quibus nõ habet authoritatem; & ſic dicitur iudicium vſurpatum: tertio modo, quando deeſt certitudo rationis, puta cùm aliquis de his iudicat quæ ſunt dubia, vel occulta, propter aliquas leues coniecturas; & ſic dicitur iudicium ſuſpicioſum, vel temerarium. 2. 2. q. 60. a. 2. in corp.

Quær. 3. an & quomodo iudicium humanum debeat imitari diuinum.

Reſp. v. *vindicatio.*

Quær. 4. vtrum exiſtens in peccatis grauiub debeat iudicare alios, qui ſunt in ſimilibus, aut minoribus peccatis, cùm Apoſt. ad Rom. 2. dicat: inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, teipſum condemnas; eadem enim agis quæ iudicas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi, qui ſunt in grauibus peccatis, non debent iudicare eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, vel minoribus, vt Chryſoſtomus dicit ſuper illud Matthæi 7. *nolite iudicare.* Et præcipuè hoc eſt intelligendum, quando illa peccata ſunt publica: quia ex hoc generatur ſcandalum in cordibus aliorum. Si autem non ſunt publica, ſed occulta, & neceſſitas iudicandi immineat, propter officium; poteſt cum humilitate & timore, vel arguere, vel iudicare: vnde Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *ſi inuenerimus nos in eodem vitio eſſe, congemiſcamus, & ad pariter conandum inuitemus.* Nec tamen propter hoc homo ſic ſeipſum condemnat, vt nouum condemnationis meritum ſibi acquirat: ſed quia condemnans alium oſtendit ſe ſimiliter condemnabilem eſſe, propter idem peccatum vel ſimile. 2. 2. q. 60. *ar. 2. ad 3.*

Quæritur 5. vtrum Iudex in peccato exiſtens, peccet ferendo ſententiam contra alium, qui idem peccatum commiſit.

Reſp. D. Thomas, licèt manifeſtum ſit quòd Iudex ſi publicè in peccato exiſtens ſententiam ferat, peccat ſcandalizando: nihilominus tamen hoc idem videtur ſi ſit in peccato occulto: nam Rom. 2. *in quo alium iudicas, teipſum condemnas*: conſtat autem quòd nullus condemnat ſe niſi peccando: ergo videtur quòd iudicando alium peccet.

Reſpondeo dicendum quòd in hoc vti oportet duplici diſtinctione: aut enim Iudex perſeuerat in propoſito peccandi, aut pœnitet ſe peccaſſe; item aut punit vt legis miniſter, aut motu proprio. Et ſi quidem pœnitet ſe peccaſſe, iam peccatum non eſt in eo, & ſic abſque peccato ſententiam poſſet ferre: ſi autem eſt in propoſito peccandi; aut profert ſententiam vt legis miniſter, & ſic non peccat ex hoc quòd ſententiam profert; quamuis peccet ex hoc quòd talia facit, quibus dignus eſt contra ſe ſimilem ſententiam recipere. Si autem proprio motu, dico quòd proferendo ſententiam peccat, cùm non moueatur ad hæc amore iuſtitiæ, ſed ex aliqua mala radice; aliàs primò in ſe puniret quod animaduertit in alios: quia hoc dicitur in prou. *Iuſtus prior accuſator eſt ſui. Ioan. 8. lect. 1. Matth. 7.*

Quæritur 6. an ſit ſemper iudicandum ſecundùm leges ſcriptas, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de vera relig. in iſtis temporalibus legibus quanquam de his homines iudicent cùm eas inſtituunt; tamen cùm fuerint inſtituta, & firmata, non licebit iudicibus de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd ſicut dictum eſt, iudicium nihil aliud eſt quàm quædam diffinitio, vel determinatio eius, quod iuſtum eſt: fit autem aliquid iuſtum dupliciter: vno modo ex ipſa natura rei, quod dicitur ius naturale: alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur ius poſitiuum: leges autem ſcribuntur ad vtriuſque iuris declarationem, aliter tamen, & aliter: nam legis ſcriptura ius quidem naturale continet, ſed non inſtituit, non enim habet robur ex lege, ſed ex natura: ius autem poſitiuum ſcriptura legis & continet & conſtituit; dans ei authoritatis robur; & ideo neceſſe eſt quòd iudicium fiat ſecundùm legis ſcripturam; alioquin iudicium deficeret, vel à iuſto naturali, vel à iuſto poſitiuo. 2. 2. *q.* 60. *a.* 5. *in corp.*

Qu. 7. *an ſit iudicandum ſecundùm leges ſcriptas, quando iſtæ continent aliquid iniuſtum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd lex ſcripta ſicut non dat robur iuri naturali, ita nec poteſt eius robur minuere, vel auferre: quia nec voluntas hominis poteſt immutare naturam: & ideo ſi ſcriptura legis contineat aliquid contra ius naturale, iniuſta eſt, nec habet vim obligandi: ibi enim ius poſitiuum locum habet, vbi quantùm ad ius naturale nihil differt vtrum ſic vel aliter fiat: Et ideo nec tales ſcripturæ leges dicuntur, ſed potius legis corruptiones; & ideo ſecundùm eas non eſt iudicandum. 2. 2. *q.*60.*a.*5. *ad* 1.

Qu. 8. *an in omnibus, & ſingulis caſibus ſit iudicandum ſecundùm litteram legis; vel aliquando attendi debeat intentio legiſlatoris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut leges iniquæ ſecundùm ſe contrariantur iuri naturali, vel ſemper, vel vt in pluribus; ita etiam leges, quæ ſunt rectè poſitæ, in aliquibus caſibus deficiunt, in quibus ſi ſeruarentur, eſſent contra ius naturale: & ideo in talibus non eſt ſecundùm litteram legis iudicandum, ſed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legiſlator: vnde iuriſperitus dicit, *nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeueritatem.* Et in talibus etiam legiſlator aliter iudicaret: & ſi conſideraſſet, lege determinaſſet. 2. 2. *q.* 60. *a.* 5. *ad* 2.

Qu. 9. *an poſſit iudex iudicare ſecundùm ea, quæ nouit vt perſona priuata; vel teneatur ſequi teſtimonia, quæ recepit vt perſona publica, iuxta illud D. Ambroſii, bonus index nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundùm leges & iura pronuntiat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iudicare pertinet ad Iudicem ſecundùm quod fungitur publicâ poteſtate: & ideo informari debet in iudicando non ſecundùm id, quod ipſe nouit tanquam priuata perſona, ſed ſecundùm id, quod ſibi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ei & in communi, & in particulari; in communi quidem per leges publicas vel diuinas, vel humanas,

contra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, teſtes, & alia huiuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in iudicando magis quàm id, quod ipſe nouit tanquam priuata perſona; ex quo tamen ad hoc adiuuari poteſt, vt diſtrictiùs diſcutiat probationes inductas, vt poſſit earum defectum inueſtigare. Quòd ſi eas non poſſit de iure repellere, debet eas in iudicando ſequi. 2. 2. *qu. art.* 2. *in corp.*

Qu. 10. *quid debeat facere Iudex ſi ſcit aliquem eſſe innocentem, qui tamen conuincitur per falſos teſtes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudex, ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus conuincitur, debet diligentiùs examinare teſtes, vt inueniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit: ſi autem hoc non poteſt, debet eum ſuperiori relinquere iudicandum: ſi autem hoc non poteſt, non peccat ſecundùm allegata ſententiam ferens; quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem. 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. *ad* 3.

Qu. 11. *vtrum ad hoc quòd Iudex poſſit aliquem condemnare, debeat eſſe aliquis accuſator, ſicut D. Ambroſius* 1. *ad Cor.* 5. *Exponens ſententiam Apoſtoli de fornicatione ait. Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare: quia Dominus Iudam, cùm fuiſſet fur, quia non eſt accuſatus, minimè abiecit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudex eſt interpres iuſtitiæ: vnde ſicut Philoſophus dicit in 5. Eth. *homines ad Iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam:* iuſtitia autem non eſt ad ſe ipſum, ſed ad alterum: & ideo oportet, quòd Iudex inter aliquos duos diiudicet: quod quidem fit, cùm vnus eſt actor, & alius eſt reus: & ideo in criminibus non poteſt aliquem iudicio condemnare Iudex niſi habeat accuſatorem, ſecundùm illud actor. 25. *non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obiiciuntur.* 2. 2. *q.* 67. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 12. *in quibus caſibus poſſit Iudex ſine accuſatore aliquem condemnare.*

Reſp. v. *accuſatio, denunciatio. Capitulum Rel.*

Qu. 13. *an poſſit homo ſicut Deus eſſe accuſator, teſtis, & Iudex; & quomodo Daniel fuit ſimul accuſator, & Iudex.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deus in ſuo iudicio procedit ex propria notitia veritatis, non autem homo: & ideo homo non poteſt ſimul eſſe accuſator, & teſtis, & iudex, ſicut Deus. Daniel autem accuſator fuit ſimul & iudex, quaſi diuini iudicij executor, cuius inſtinctu mouebatur. *ibid, ad* 3.

Qu. 14. *an Iudex tam inferior quàm ſupremus licitè poſſit pœnam remittere reo, vel teneatur eam inferre, ſicut Deuter.* 13. *de eo qui perſuadet ſeruire Diis alienis dicitur:*

Digitized by Google

non parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies eum: & de homicida ibidem 19. morietur, nec miſereberis eius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duo ſunt quantùm ad propoſitum pertinet, circa Iudicem conſideranda; quorum vnum eſt, quòd ipſe habet iudicare inter accuſatorem, & reum. Aliud autem eſt, quòd ipſe non infert iudicij ſententiam quaſi ex propria ſed quaſi ex publica poteſtate: duplici ergo ratione impeditur Iudex, ne reum à pœna abſoluere poſſit. Primò quidem ex parte accuſatoris, ad cuius ius quandoque pertinet, vt reus puniatur; puta propter aliquam iniuriam in ipſum commiſſam, cuius relaxatio non eſt in arbitrio alicuius iudicis; quia quilibet Iudex tenetur ius ſuum reddere vnicuique: alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cuius poteſtate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quòd malefactores puniantur.

Sed tamen quantùm ad hoc differt inter inferiores Iudices, & ſupremum Iudicem, ſcilicet Principem, cui eſt plenariè poteſtas publica commiſſa: Iudex enim inferior non habet poteſtatem abſoluendi reum à pœna contra leges à ſuperiore ſibi impoſitas: vnde ſuper illud Ioannis 19. *non haberes aduersùm me poteſtatem vllam*, dicit Auguſtinus, *talem Deus dederat Pilato poteſtatem, vt eſſet ſub Cæſaris poteſtate, ne ei omnino liberum eſſet accuſatum abſoluere*: ſed Princeps, qui habet plenariam poteſtatem in Republica, ſi ille, qui paſſus eſt iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè abſoluere, ſi hoc publicæ vtilitati viderit non eſſe nociuum. 2. 2. *q. 67. a. 4. in corp.*

Quær. 15. an & quando Iudex poſſit, vel debeat diminuere pœnas criminibus debitas, ſine præiudicio iuſtitiæ.

Reſp. D. Thomas, ſicut Philoſ. dicit in 5. ethic. *pro eodem computatur minus de malo, & plus de bono*: vnde ſicut ſine præiudicio iuſtitiæ poteſt aliquis de bonis ſuis plus alicui conferre quàm debeat, ita ſine præiudicio iuſtitiæ poteſt ei minùs irrogari de pœna pro peccato in eum commiſſo, quàm ei debeatur: ſed ſicut non poteſt ſine iniuria aliquis de bonis alterius plus alicui conferre quàm ei debetur, ita non poteſt minùs irrogare de pœna pro peccato commiſſo in alterum: & ideo Iudex non poteſt ſine præiudicio iuſtitiæ pœnas diminuere debitas pro peccatis in Deum, vel in Rempublicam commiſſis; niſi fortè quatenus viderit hoc vtilitati Reipublicæ expedire. *4. ſ. d. 46. q. 1. a. 2. quaſt. 2. in corp.*

Quæritur 16. quandonam Iudex poſſit, & debeat ex miſericordia pœnas diminuere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd miſericordia Iudicis habet locum in his, quæ arbitrio Iudicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, vt ſit diminutiuus pœnarum, ſicut Philoſophus dicit in 5. eth. in his autem, quæ ſunt determinata ſecundùm legem diuinam, vel humanam, non eſt

..m miſericordiam facere. 2. 2. *q. 67. a. 4. ad 1.*

Quæritur 17. quomodo Iudex inordinatè pœnas remittens, nocet communitati, & perſonæ particulari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudex ſi inordinatè pœnam remitteret, nocumentum inferret communitati; cui expedit vt maleficia puniantur, ad hoc quòd peccata vitentur: vnde Deut. 13. poſt pœnam ſeductoris ſubditur: *vt omnis Iſraël audiens timeat, & nequaquam vl ra faciat quippiam huius rei ſimile.* Nocet etiam perſonæ, cui illata eſt iniuria, quæ recompenſationem accipit per quandam reſtitutionem honoris, in pœna iniuriantis. *ibidem ad 3.*

Quær. 18. an debeat Iudex eſſe facilior ad abſoluendum, quàm ad condemnandum.

Reſp. v. *teſtimonium.*

Qu. 19. an poſſit aliquis ſe ſubmittere iudicio alterius qui non eſt ſuus ſuperior.

Reſp. ſupra v. *Arbiter.*

Quæritur 20. an inferior poſſit iudicare ſuperiorem authoritate alterius ſuperioris.

Reſp. D Thomas, dicendum quòd inferior non poteſt iudicare ſuperiorem authoritate propriâ; ſed tamen authoritate ſuperioris poteſt; ſicut patet in iudicibus delegatis. 4. *ſ. d. 47. q. 1. a. 2. quæſt. 2. ad 5.*

Qu. 21. an poſſit Iudex obligare ſubditum ad reuelandum ſibi crimen occultum, ſiue proprium, ſiue alienum.

Reſp. v. *reus*, & v. *Secretum.*

Inter propoſitiones ab Alexandro 7. damnatas hæc eſt 26. quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere proferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

IVDICIVM TEMERARIVM.

Qu. 1. quomodo committatur iudicium temerarium; & in quibus ipſum cauere debeamus.

RESP. D. Thomas, eſt iudicium temerarium contra quod dicitur Eccleſ. 5. *ne temerè quid loquaris.* quod quidem dupliciter committitur: vno modo quando aliquis procedit circa id quod eſt ſibi commiſſum iudicium abſque debita veritatis cognitione; contra id quod dicitur Iob 29. *cauſam quam ignorabam, diligentiſſimè inueſtigabam:* alio modo, quando aliquis vſurpat ſibi iudicium de occultis, de quibus ſolus Deus iudicare habet; cõtra id quod dicitur 1. Cor. 4. *nolite ante tẽpus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui illuminabit &c.* Eſt autem aliquid occultum, non ſolùm quoad nos, ſed ſecundùm ſui naturam, ad ſolam Dei cognitionem pertinens: primò quidem cogitatio cordis, ſecundùm illud Hiere. 17. *prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* Secun-

dò, contingens futurum, ſecundùm illud Iſa. 14. *anunciate quę ventura ſunt in futurum, & dicemus quia Dii eſtis vos.*

Et ideo ſicut dicit Auguſtinus de ſermone Domini in monte: *duo ſunt in quibus temerarium iudicium cauere debemus: cùm incertum eſt quo animo quidque factum fuerit: vel cùm incertum eſt qualis quiſque futurus eſt, qui nunc vel bonus, vel malus apparet.* ad Roma. 2. lect. 1.

Qu. 2. an & quando iudicium temerarium, vel ſuſpicio ſit peccatum, mortale aut veniale.

Reſp. v. *ſuſpicio.*

IVRAMENTVM.

Quær. 1. quid ſit iuramentum: & quodnam ſit aſſertorium, & promiſſorium.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Apoſtolus dicit ad Heb. 6. *iuramentum ad confirmationem ordinatur:* confirmatio autem in ſcibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiliter vera; ſed particularia facta contingentia hominum non poſſunt per rationem neceſſariam confirmari: & ideo ea, quæ de his dicuntur, ſolent confirmari per teſtes. Sed humanum teſtimonium non eſt ſufficiens ad huiuſmodi confirmandum, propter duo: Primò quidem propter defectum veritatis humanæ; quia plurimi in mendacium labuntur, ſecundùm illud Pſalm. 16. *os eorum locutum eſt mendacium.* ſecundò propter defectum cognitionis: quia homines non poſſunt cognoſcere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam abſentia, de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur: & ideo neceſſarium fuit recurrere ad diuinum teſtimonium; quia Deus, neque mentiri poteſt, neque eum aliquid latet: aſſumere autem Deum in teſtem dicitur iurare; quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur.

Diuinum autem teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita; & hoc dicitur iuramentum aſſertorium: quandoque autem inducitur diuinum iuramentum ad confirmandum aliquid futurum; & hoc dicitur iuramẽtum promiſſorium. ad ea vero quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda non inducitur iuramentum: deriſibilis enim videretur, ſi quis in diſputatione alicuius ſcientiæ vellet propoſitum per iuramentum probare. 2. 2. *qu. 89. a. 1. in corp. 3. ſent. d. 39. a. 1. in corp.*

Quær. 2. quid ſit iurare per ſimplicem conteſtationem, vel per execrationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt modus iurandi; vnus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem; ſicut cùm aliquis dicit, eſt mihi Deus teſtis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem eſt, vt dicit Auguſtinus: alius modus iurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi

ſit verum quod dicit. 2.2.q. 89. a. 1. ad 3. lect. 5. cap. 1. ad Rom.

Quæritur 3. an iuramentum ſit licitum: & cur non debemus ipſi aſſuefieri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet aliquid eſſe ſecundùm ſe bonum, quod tamen cedit in malum eius, qui non vtitur eo conuenienter; ſicut ſumere Eucharistiam eſt bonum, & tamen qui indignè ſumit *iudicium ſibi manducat, & bibit*, vt dicitur primæ ad Corinthios 11. ſic ergo in propoſito dicendum eſt, quòd iuramentum ſecundùm ſe eſt licitum, & honeſtum, quod patet ex origine, & fine: ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide, quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem: ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias, vt dicitur ad Heb. 6.

Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo quòd malè vtitur eo, idest ſine neceſſitate, & cautela debita: videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit, quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum periurij: quia de facili homo in verbo delinquit ſecundùm illud Iacobi 3. *ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*: vnde & Eccl. 23. dicitur, *iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*. 2.2.q. 89. a. 2. in corp. 3. ſent. d. 39. a. 2. in corp.

Quær. 4. quomodo intelligatur illud Matt. 5. ego dico vobis non iurare omnino &c. & Iacobi 5. ante omnia fratres mei nolite iurare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de mendacio: *Apoſtolus in epiſtolis ſuis iurans, oſtendit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt*, dico vobis non iurare omnino, *ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur, & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, & à conſuetudine in periurium decidatur: & ideo non inuenitur iuraſſe niſi ſcribens, vbi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem. Ibidem ad 1. ad Rom. 1. lect. 5.*

Quæritur 5. quomodo intelligi debeat illud Matth. 5. ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades; quæ vtique infirmitas malum eſt*: *itaque non dixit*; quod amplius eſt, malum eſt; *ſed* à malo eſt: *tu enim non malum facis, qui benè vteris iuratione, vt alteri perſuadeas, quod vtiliter perſuades: ſed à malo eſt illius, cuius infirmitate iurare cogeris. 2. 2. q. 89. a. 2. ad 2.*

Quær. 6. cur dicitur Hier. 4. iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia: quod exponens Hieron. dicit, animaduertendum

dum eſt, quòd iuſiurandum hos habet comites, ſcilicet veritatem iudicium & iuſtitiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ſupradictum eſt, iuramentum non eſt bonum, niſi ei, qui benè vtitur iuramento: ad bonum autem vſum iuramenti duo requiruntur. Primò quidem quòd aliquis non leuiter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcretè iuret; & quantùm ad hoc requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis ex parte iurantis. Secundò, quantùm ad id quod per iuramentum confirmitur; vt ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquod illicitū: & quantùm ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt; & iuſtitia, per quam confirmat, quod licitum eſt: iudicio autem caret iuramentum incautum; veritate autem, iuramentum mendax: inſtitiâ autem, iuramentum iniquum, ſiue illicitum. 2. 2. q. 89. a. 3. *in corp. in vtroque ſcripto ſent. d. 39. q. 2.*

Qu. 7. an iuramentum ſit actus Religionis ſiue latriæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui iurat inuocat Diuinum teſtimonium ad confirmandum ea, quæ dicit: nihil autem confirmatur niſi per aliquid, quod certius eſt, & potius: & ideo in hoc ipſo quòd homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, vtpote cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio vniuerſalis; & ſic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet: vndè & Apoſtolus dicit ad Heb. 6. quòd *homines per maiores ſe iurant:* & Hieronymus dicit ſuper Matthæum, quòd *qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat:* Philoſopus etiam dicit in primo Metaph. quòd *iuramentum eſt honorabiliſſimum:* exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad Religionem, ſiue latriam: vnde manifeſtum eſt, quòd iuramentum eſt actus Religionis, ſiue latriæ. 2. 2. q. 89. a. 4. *in corp.*

Quær. 8. cur iuramentum non ſit appetendum, vel frequentandum, niſi ex neceſſitate; ne contingat quod dicitur Eccleſ. 23. vir multum iurans replebitur iniquitate: & D. Auguſtinus dicit in libro de mendacio, quòd præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc poſitum eſt, vt quantùm in te eſt non affectes, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iuſiurandum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd id quod non quæritur niſi ad ſubueniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria; ſicut patet de medicina quæ quæritur ad ſubueniendum infirmitati: iuramentum autem quæritur ad ſubueniendum alicui defectui, quo ſcilicet vnus homo alteri diſcredit; & ideo iuramentum non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quibus indebitè vtitur quicunque eis vtitur vltra terminos neceſſitatis: vnde Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *qui intelligit non in bonis* (id eſt per ſe appetendis) *ſed in neceſſarijs iurationem habendam,*

refrenet ſe quantùm poteſt, vt non eâ vtatur, niſi neceſſitas cogat. 2.2.q. 89. a.5.in corp. 3.ſ.d.39.qu.1.a.2. qu.1.

Quæritur 9. cur iuramentum, quantò magis eſt venerandum, tantò magis ſit periculoſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut medicina eſt vtilis ad ſanandum; & tamen quantò eſt virtuoſior, tantò maius nocumentum inducit, ſi non debitè ſumatur: ita etiam iuramentum vtile quidem eſt ad confirmationem, tamen quantò eſt magis venerandum, tantò eſt magis periculoſum, niſi debitè inducatur; quia vt dicitur Eccleſ.23. *ſi fruſtrauerit* (ideſt deceperit) *fratrem, delictum ipſius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulauerit* (quaſi per ſimulationem iurando falſum) *delinquit dupliciter*; quia ſcilicet *ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas*, vt Auguſtinus dicit; *& ſi in vacum iurauerit* (ideſt ſine debita cauſa, & neceſſitate) *non iuſtificabitur*. 2.2. qu.89.a.5.ad 3.

Quæritur 10. *an & quomodo liceat iurare per creaturas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt iuramentum: vnum quidem, quod fit per ſimplicem conteſtationem, inquantùm ſcilicet teſtimonium Dei inuocatur, & hoc iuramentum innititur Diuinæ veritati, ſicut & fides: fides autem eſt per ſe quidem, & principaliter de Deo, qui eſt ipſa veritas; ſecundariò autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet: & ſimiliter iuramentum principaliter refertur ad ipſum Deum, cuius teſtimonium inuocatur: ſecundariò autem aſſumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ, non ſecundùm ſe, ſed inquantùm in eis Diuina veritas manifeſtatur: ſicut iuramus per Euangelium, ideſt per Deum, cuius veritas in Euangelio manifeſtatur: & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obſeruauerunt.

Alius autem modus iurandi eſt per execrationem: & in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in ea Diuinum iudicium exerceatur: & ſic ſolet homo iurare per caput ſuum; aut per filium ſuum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit: ſicut & Apoſtolus iurauit ſecundæ ad Corinth. primo dicens, *Ego teſtem Deum inuoco in animam meam.*

Quòd autem Ioſeph per ſalutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi poteſt: vel per modum execrationis, quaſi ſalutem Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum conteſtationis, quaſi conteſtando veritatem Diuinæ iuſtitiæ, ad cuius executionem principes terræ conſtituuntur. 2.2.q.89. a.6. in corp. 3. ſent. d. 39. a. 1. in corp.

Quæritur 11. quomodo intelligi debeat illud Chriſti Matth.5. ego dico vobis non iurare omnino; neque per cœlum, neque per terram, neque per hieroſolymam, neque per caput tuum: quod exponens Hier. dicit: conſidera, quòd hic ſaluator non per Deum iurare prohibuerit, ſed per cœlum, & terram &c. quomodo etiam intelligi debeat id quod habetur in decretis 22. qu.1. clericum per creaturas iurantem, acer[illegible] obiurgandum; ſi perſtiter[illegible] excommunicandu[illegible]

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus prohibuit iurare per creaturas ita quòd eis adhibeatur reuerentia diuina: vnde Hieronymus ibidē ſubdit, quòd *Iudæi per Angelos, & cætera huiuſmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore.* & eadem ratione punitur ſecundùm canones Clericus per creaturam iurans, quod ad blaſphemiam infidelitatis pertinet: vnde in ſequenti capite dicitur, *ſi quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blaſphemiâ contra Deum vſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt, deponatur, ſi laicus ais anathematizetur.* 2. 2. q. 89. a. 6. ad 1.

Qu. 12. quomodo ſicut Apoſtolus ad Hebr. 6. ait: omnis controuerſiæ eorum (ſcilicet hominum) finis, ad confirmationem eſt iuramentum.

Reſp. D. Thomas, ponit effectū iuramenti qui in hoc conſiſtit, quòd per iuramentum finitur omnis controuerſia: ſicut enim in ſcientijs, quando reſoluitur vſque ad prima principia indemonſtrabilia, quieſcitur; ita diuinâ lege introductum eſt, quòd cùm peruenitur ad primam veritatem eſt ſtatus, quod fit, quando ipſa in teſtimonium inuocatur, Exodi 22. *applicabitur ad Deos, & iurabit*: & ſic ſopitur omnis quæſtio, & controuerſia. *ad Hebr. 6. lett. 4.*

Quær. 13. quana... qu...

Reſp. D. T... licet... m... eſ...

conſeruanda. Tertiò, pro fidelitate tenenda, ſicut feudatarij iurant Dominis. Quartò, pro obedientia implenda, ſi præcipitur à ſuperiore aliquid honeſtum. Quintò, pro ſecuritate facienda. Sextò, pro veritate atteſtanda: ſic iurauit Apoſtolus Rom. 1. *teſtis eſt mihi Deus &c. ibid.*

Quær. 14. an & quomodo ille qui falſum iurat, iniuriam faciat Deo, ſibi ipſi, & alijs hominibus.

Reſp. D Thomas, qui iurat falſum, facit iniuriam Deo, ſibi ipſi, & omnibus hominibus.

Deo quidem, quia cùm iurare per Deum nil aliud ſit, niſi inuocare eius teſtimonium, cùm iuras falſum, aut credis Deum neſcire verum, & ſic ponis ignorantiam in Deo, cùm tamen *omnia nuda, & aperta ſint oculis eius*, vt dicitur ad heb. 4. aut quòd diligat mendacium, cùm tamen odiat ipſum, Pſ. 5. *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* aut derogas potentiæ, quaſi non poſſit teſtimonium reddere, vel quaſi non poſſit de eo punire.

Item facit iniuriam ſibi ipſi: obligat enim ſe iudicio Dei; nihil eſt autem aliud dicere, per Deum ita eſt, niſi quòd Deus puniat me, ſi non eſt ita.

Item iniuriatur alijs hominibus: nulla enim inter aliquos ſocietas ...rare poteſt, niſi credant ſibi in...m; dubia autem iuramentis firmantur. Iniuriatur ergo ..., crudelis ... ſibi, & noxius homini... 4. *cap. de* ... *vndo p...*

Quæritur 15. an & quomodo iuramentum tam aſſertorium quàm promiſſorium obliget: & quomodo ad hoc vt promiſſorium vim obligandi habeat, requiratur iudicium, & iuſtitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio refertur ad aliquid quod eſt faciendum, vel dimittendum: vnde non videtur reſpicere iuramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel de præterito; neque etiam iuramentum de his quæ ſunt per alias cauſas fienda, ſicut ſi quis iuramento aſſereret, quòd cras pluuia eſſet futura; ſed ſolùm in his quæ ſunt fienda per illum qui iurat: ſicut autem iuramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem: ita etiam iuramentum de his quæ ſunt fienda à nobis in futurum: & ideo vtrumque iuramentum habet quandam obligationem: diuerſimodè tamen. Quia in iuramento quod eſt de præterito vel præſenti, obligatio eſt non reſpectu rei quæ iam fuit vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus iurandi, vt ſcilicet iuret id quod iam verum eſt vel fuit: ſed in iuramento quod præſtatur de his quæ ſunt fienda à nobis, obligatio cadit econtrario ſuper rem quam aliquis iuramento firmauit. Tenetur enim aliquis vt faciat verum eſſe id, quod iurauit: alioquin deeſt veritas iuramento. Si autem eſt talis res, quæ in eius poteſtate non fuit, deeſt iuramento diſcretionis iudicium: niſi fortè quod erat ei poſſibile, quando iurauit, reddatur ei impoſſibile per aliquem euentum: puta cùm aliquis iurat, ſe pecuniam ſoluturum; quæ ei poſtmodum vi, vel furto ſubtrahitur: tunc enim videtur excuſatus eſſe à faciendo, quod iurauit: licèt teneatur facere, quod in ſe eſt. Si verò ſit quidem poſſibile fieri, ſed non debeat: vel quia eſt per ſe malum: vel quia eſt boni impeditiuũ, tunc iuramento deeſt iuſtitia: & ideo iuramentum non eſt ſeruandum in eo caſu, quo eſt peccatum, vel boni impeditiuum: ſecundùm enim Auguſtinum vtrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum eſt, quòd quicunque iurat aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum ad hoc quòd veritas impleatur: ſi tamen alij duo comites adſint, ſcilicet iudicium, & iuſtitia. 2.2 q.89. a 7. *in corp. 3. ſ. d. 39. q.1.a.3.q.1.*

Quær. 16. an peccet ille, qui iurat aliquid ſecundùm ſe malum v. g. quòd perpetrabit adulterium, vel aliquid impeditiuum maioris boni, v. g. quòd non intrabit Religionem: & vtrum teneatur, aut poſſit implere iuramentum. Et quid agendum ſit quando iuramentum initio licitum vergit poſtea in deteriorem exitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter: vno modo quia ab ipſo principio habet peiorem exitum; vel quia eſt ſecundùm ſe malum, ſicut cùm aliquis iurat ſe perpetraturum adulterium; ſiue quia eſt maioris boni impeditiuum, puta cùm aliquis iurat ſe non intraturum Religionem, vel quòd non fiet clericus, aut quòd non accipiet prælationem, in quo expedi-

reum accipere, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Huiuſmodi enim iuramentum ex principio eſt illicitum, differenter tamen: quia ſi aliquis iuret ſe facturum aliquod peccatum, & peccauit iurando, & peccat iuramentum ſeruando: ſi quis autem iurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur; peccat quidem iurando, inquantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat iuramentum ſeruando, ſed multò meliùs facit, ſi non ſeruet: alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid, quod de nouo emerſerat, quod fuit impræmeditatum; ſicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellæ ſaltanti ſe daturum, quod petiiſſet; hoc enim iuramentum poterat eſſe à principio licitum, intellectâ debitâ conditione, ſcilicet ſi peteret, quod dare deceret; ſed impletio iuramenti fuit illicita: vnde Ambroſius dicit in primo de officiis, *eſt contra officium nonnunquam, promiſſum ſoluere, Sacramentum cuſtodire; ſicut Herodes necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum negaret.* 2.2.q. 89. *a.* 7. *ad* 2.

Quæritur 17. *quid agendum ſit quando id quod iurando promittitur, eſt malum vel bonum, ex toto vel ex parte; & de hoc conſtat, vel dubitatur.*

Reſp. D. Thomas, notandum eſt quòd illud quod iurando promittitur, aut eſt totaliter & apertè malum; aut totaliter & apertè bonum; aut partim bonum, partim malum; aut dubium: ſi totaliter & apertè malum, tunc authoritate propriâ eſt frangendum: ſi totaliter & apertè bonum, nullatenus eſt frangendum: ſi partim bonum, partim malum, partim eſt tenendum, partim frangendum: ſi verò dubium, non eſt authoritate propriâ, ſed ſuperioris interpretatione frangendum. 3. *ad hann. d.* 39. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 18. *an qui coactus iurauit, teneatur implere iuramentum: & vtrùm poſſit petere ipſius diſpenſationem, licet oppoſitum iurauerit: & quomodo tales à iuramenti nexibus per ſummos Pontifices ſunt abſoluti, vt habetur extra, de iureiur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in iuramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio: vna quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promiſſum non ſeruetur: alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promiſit; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quàm iuramentum violare.

Poteſt tamen repetere in iudicio, quod ſoluit; vel Prælato denunciare, non obſtante quòd contrarium iurauit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiuſmodi iuramentis homines abſoluerunt, non quaſi decernentes huiuſmodi iura-

Digitized by Google

menta non eſſe obligatoria, ſed quaſi obligationem ex iuſta cauſa relaxantes. 2.2.q. 89.a. 7. ad 3. *in vtroque ſcripto ſeat. locus citatis.*

Quæritur 19. an iuramentum obligèt, quando non eſt eadem intentio iurantis, & illius cui iurat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum ſeruari ſecundùm ſanum intellectum eius, cui iuramentum præſtatur: Vnde Iſidorus dicit: *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit, ſicut cui iuratur intelligit:* Et quòd hoc intelligatur de doloſo iuramento patet per id, quod ſubditur: *dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundùm intentionem iurantis, vnde Gregorius 26. moralium, *Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant; Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* 2.2. q. 89. a. 7. ad 4. 3. ſent. d. 39. a. 3. q. 3. in corp.

Quær. 20. ad quid obligetur in vtroque foro ille qui iurat ſiue ſimpliciter, ſiue doloſe.

Reſp. D. Thomas, diſtinguendum eſt in eo qui iurat, aut enim ſimpliciter, aut doloſè iurat: ſi iurat doloſè, ex duabus partibus poteſt culpa ſequi, ſcilicet ex fractione iuramenti, & ex dolo: quamuis ergo ex ipſa ratione iuramenti, inquantum iuramentum non obligetur ad ſeruandum ipſum niſi ſecundùm ſuam intentionem; tamen ex neceſſitate iuramẽti inquantum fuit doloſum, obligatur ad obſeruandum taliter quòd ex dolo alius non lædatur: & hoc eſt quando ſecundùm intentionem recipientis implet iuramentum. Si autem ſimpliciter iuret abſque dolo, tunc in foro conſcientiæ non obligatur niſi ſecundùm ſuam intentionem: ſed in foro contentioſo, vbi intentio ignoratur, obligatur ſecundùm quòd verba communiter accipi ſolent. 3. ſ. d. 39. q. 1. a. 3. q. 3. *in corp.*

Quær. 21. cur à iuramento excludantur pueri, & etiam periuri. An qui iurat debeat eſſe ieiunus. An iurare conueniat perſonis magnæ dignitatis. Et an ſit iurandum in diebus ſolemnibus. Et quare dicitur 2. qu. 5. Presbyter vice iuramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur; & 22.q.5. nullus ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam laico quidquam ſuper ſancta Euangelia iurare præſumat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quod in iuramento duo ſunt conſideranda: Vnum quidem ex parte Dei, cuius teſtimonium inducitur: Et quantùm ad hoc debetur iuramento maxima reuerentia: Et propter hoc à iuramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum, quia nondum habent perfectum vſum rationis, quo poſſint cum reuerentia debita iuramentum præſtare. Et iterum periuri qui ad iuramentum non admittuntur: quia ex retroactis præſumitur, quòd debitam reuerentiam

iuramento non exhibebunt. Et propter hoc etiam vt iuramento debita reuerentia exhibeatur, dicitur 22. q. 5. *Honeſtum eſt, vt qui in Sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honeſtate, & timore Dei.*

Aliud autem eſt conſiderandum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur: Non enim indiget dictum hominis confirmatione, niſi quia de eo dubitatur: Hoc autem derogat dignitati perſonæ, vt dubitetur de veritate eorum, quæ dicit: & ideo perſonis magnæ dignitatis non conuenit iurare, propter quod dicitur 2. q. 5. cap. ſi quis Presbyter, quòd *Sacerdotes ex leui cauſa iurare non debent.* Tamen pro aliqua neceſſitate, vel magna vtilitate licitum eſt eis iurare. Et præcipuè pro ſpiritualibus negotiis, pro quibus etiam iuramenta competit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum: non autem tunc ſunt iuramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi fortè ex magna neceſſitate. 2. 2. q. 89. a. 10. in corp. & ad 3.

Quæritur 22. cur Aurelianenſe concilium decreuit quòd niſi pro pace facienda omnes fideles ieiuni ad Sacramentum (idest iuramentum) accedant.

Reſp. D. Thomas, ratio inſtitutionis fuit, quia ad iuramentum requiritur ſumma cautela, quæ exigit ſobrietatem. Excipiuntur tamen caſus illi, in quibus mora traheret periculum; ſicut eſt pro pace faciendâ. 3. *ſent. d.* 39. *in expoſ. textus.*

Qu. 23. vtrum accipiens doctrinam alicuius experimenti ſub iuramento non communicandi teneatur ſeruare iuramentum.

Reſp. v. *Secretum.*

Quær. 24. an, & quomodo ciues, & Canonici teneantur ſeruare iuramenta ciuitatis, & collegij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia iuramentum eſt actio perſonalis, ille, qui de nouo fit ciuis alicuius ciuitatis, non obligatur quaſi iuramento ad obſeruanda illa, quæ ciuitas ſe ſeruaturam iurauit; tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, vt ſicut fit ſocius bonorum ciuitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò qui iurat ſe ſeruaturum ſtatuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex iuramento ad ſeruandum futura, niſi intenderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura. Tenetur tamen ea ſeruare ex ipſa vi ſtatutorum, quæ habent coactiuam virtutem. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4.

Quær. 25. quomodo ſit intelligenda diſpenſatio in iuramento: & vtrum fieri poſſit in iuramento aſſertorio, vel ſolùm in promiſſorio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſpenſatio, quæ fit in iuramento, non ſe extendit ad hoc, quòd aliquid contra iuramentum fiat; hoc enim eſt impoſſibile, cùm obſeruatio iuramenti cadat ſub præcepto diuino, quod eſt indiſpenſabile: ſed ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramenti, vt id

Digitized by Google

quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramento non cadat, quaſi non exiſtens debita materia iuramenti, vt de voto infra dicetur.

Materia autem iuramenti aſſertorij, quod eſt de præterito, vel præſenti, in quandam neceſſitatem iam tranſit, & immutabilis facta eſt & ideo diſpenſatio non referretur ad materiam, ſed referretur ad ipſum actum iuramenti: vnde talis diſpenſatio directè eſſet contra præceptum diuinum. Sed materia iuramenti promiſſorij eſt aliquid futurum, quod variari poteſt; ita ſcilicet quòd in aliquo euentu poteſt eſſe illicitum, & nociuum, & per conſequens non eſſe debita materia iuramenti: & ideo diſpenſari poteſt in iuramento promiſſorio, quia talis diſpenſatio reſpicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino, de iuramenti obſeruatione. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 1.

Qu. 26. quanam iuramenta non egent diſpenſatione; & quinam poſſint irritare ea qua diſpenſatione indigent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quandoque illud, quod cadit ſub iuramento promiſſorio, eſt manifeſtè repugnans iuſtitiæ; vel quia eſt peccatum, ſicut cùm aliquis iurat ſe facturum homicidium; vel quia eſt maioris boni impeditiuum, ſicut cùm aliquis iurat ſe non intraturum religionem: & tale iuramentum diſpenſatione non indiget: ſed in primo caſu tenetur aliquis tale iuramentum non ſeruare, in ſecundo autem caſu licitum eſt, & ſeruare, & non ſeruare.

Quandoque verò aliquid ſub iuramento promittitur, de quo dubium eſt, vtrum ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nociuum, aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu: & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare.

Quandoque verò ſub iuramento promittitur aliquid, quod eſt manifeſtè licitum, & vtile; & in tali iuramento non videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio, niſi aliquid melius occurrat ad communem vtilitatem faciendum (quod maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam vniuerſalis Eccleſiæ), vel etiam abſoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticarum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. Sicut & ad vnumquemque pertinet irritare iuramentum, quod à ſibi ſubditis factum eſt, circa ea, quæ eius poteſtati ſubduntur: ſicut pater poteſt irritare iuramentum puellæ; & vir vxoris, vt dicitur numerorum 30. & dicetur infra de voto. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3.

Quær. 27. an ille, cui fit iuramentum, poſſit illud irritare, vel in eo diſpenſare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius, puta ſi ſub iuramento promittat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promiſſione poteſt abſoluere ille, cui promiſſio facta eſt; intelligitur enim iam ei ſoluiſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundùm eius voluntatem.

Alio

Digitized by Google

Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum; puta ſi aliquis ſub iuramento promittat alicui ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem: quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo, niſi fortè ſit interpoſita conditio, ratione cuius poſſit, ſcilicet ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale. 2. 2. *quaſt. 89. ar. 9. ad 2.*

An iurare ſine cauſa ſit ſemper mortale peccatum, ſicut iurare falſum: vtrum liceat quandoque exigere, vel recipere iuramentum etiam à periuris: aliaque nonnulla ad iuramentum ſpectantia videantur infra v. periurium.

IVRISDICTIO.

Videatur ſupra v. abſolutio, confeſſio, excommunicatio, iudicium, & infra. v. Sacramentum.

IVSPATRONATVS.

Quer. an iuſpatronatus vendi poſſit: & quomodo in alterum poſſit transferri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuſpatronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari: ſi autem villa vendatur, & in feudum detur, cui annexum eſt ius patronatus, tranſit cum vniuerſitate ad illum cui villa datur, vel qui eam emit; non quaſi ius patronatus ſub venditione cadat. 4. *ſent. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 3. ad 3. 2. 2. qu. 100. a. 4. ad 3.*

IVS ET IVSTITIA.

In tractatu de iuſtitia, & iure agunt doctores cum angelico ſuo præceptore de ipſo iure, & de virtute iuſtitia, ac iniuſtitia vitio ipſi oppoſito: de iudicio, accuſatione, defenſione, teſtimonio: de officio Aduocati: de reſtitutione: de acceptione perſonarum: de homicidio, & furto: de fraudulentia in emptionibus, & venditionibus: de vſura: de contumelia, detractione, ſuſurratione, deriſione, & maledicentia: quæ omnia ſunt actus vel virtutis iuſtitia, vel vitii iniuſtitia: de ipſis autem agitur in varius huius operis locis ſub propriis vocabulis, exceptis his quæ hic habentur.

Quaritur 1. an conuenienter diuidatur ius in naturale, & poſitiuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ius, ſiue iuſtum eſt aliquod opus adæquatum alteri ſecundùm aliquem æqualitatis modum: Dupliciter autem poteſt alicui homini eſſe aliquid adæquatum: Vno quidem modo ex ipſa natura rei, puta cùm aliquis tantum dat, vt tantundem recipiat, & hoc vocatur ius naturale.

Alio modo aliquid eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri ex condicto, ſiue ex communi placito; quando ſcilicet aliquis reputat ſe contentum, ſi tantum accipiat. Quod quidem poteſt fieri dupliciter: Vno modo per aliquod priuatum condictum, ſicut quod firmatur aliquo pacto inter priuatas perſonas: Alio modo ex condicto publico; puta cùm totus populus conſentit, quòd aliquid

Digitized by Google

[illegible]m miſericordiam facere. 2. 2. *q. 67. a. 4. ad 1.*

Quæritur 17. quomodo Iudex inordinatè pœnas remittens, nocet communitati, & perſonæ particulari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudex ſi inordinatè pœnam remitteret, nocumentum inferret communitati; cui expedit vt maleficia puniantur, ad hoc quòd peccata vitentur: vnde Deut. 13. poſt pœnam ſeductoris ſubditur: *vt omnis Iſraël audiens timeat, & nequaquam vl ra faciat quippiam huius rei ſimile.* Nocet etiam perſonæ, cui illata eſt iniuria, quæ recompenſationem accipit per quandam reſtitutionem honoris, in pœna iniuriantis. *ibidem ad 3.*

Quær. 18. an debeat Iudex eſſe facilior ad abſoluendum, quàm ad condemnandum.

Reſp. v. *teſtimonium.*

Qu. 19. an poſſit aliquis ſe ſubmittere iudicio alterius qui non eſt ſuus ſuperior.

Reſp. ſupra v. *Arbiter.*

Quæritur 20. an inferior poſſit iudicare ſuperiorem authoritate alterius ſuperioris.

Reſp. D Thomas, dicendum quòd inferior non poteſt iudicare ſuperiorem authoritate propriâ; ſed tamen authoritate ſuperioris poteſt; ſicut patet in iudicibus delegatis. 4. *ſ. d 47. q. 1. a. 2. quæſt. 2. ad 5.*

Qu. 21. an poſſit Iudex obligare ſubditum ad reuelandum ſibi crimen occultum, ſiue proprium, ſiue alienum.

Reſp. v. *reus*, & v. *Secretum.*

Inter propoſitiones ab Alexandro 7. damnatas hæc eſt 26. quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere proferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

IVDICIVM TEMERARIVM.

Qu. 1. quomodo committatur iudicium temerarium; & in quibus ipſum cauere debeamus.

Reſp. D. Thomas, eſt iudicium temerarium contra quod dicitur Eccleſ. 5. *ne temerè quid loquaris.* quod quidem dupliciter committitur: vno modo quando aliquis procedit circa id quod eſt ſibi commiſſum iudicium abſque debita veritatis cognitione; contra id quod dicitur Iob 29. *cauſam quam ignorabam, diligentiſſimè inueſtigabam:* alio modo, quando aliquis vſurpat ſibi iudicium de occultis, de quibus ſolus Deus iudicare habet; cõtra id quod dicitur 1. Cor. 4. *nolite ante tẽpus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui illuminabit &c.* Eſt autem aliquid occultum, non ſolùm quoad nos, ſed ſecundùm ſui naturam, ad ſolam Dei cognitionem pertinens: primò quidem cogitatio cordis, ſecundùm illud Hiere. 17. *prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* Secun-

Digitized by Google

dò, contingens futurum, ſecundùm illud Iſa. 14. *anunciate quę ventura ſunt in futurum, & dicemus quia Dii eſtis vos.*

Et ideo ſicut dicit Auguſtinus de ſermone Domini in monte: *duo ſunt in quibus temerarium iudicium cauere debemus: cùm incertum eſt quo animo quidque factum fuerit: vel cùm incertum eſt qualis quiſque futurus eſt, qui nunc vel bonus, vel malus apparet.* ad Roma. 2. lect. 1.

Qu. 2. an & quando iudicium temerarium, vel ſuſpicio ſit peccatum, mortale aut veniale.

Reſp. v. *ſuſpicio.*

IVRAMENTVM.

Quær. 1. quid ſit iuramentum: & quodnam ſit aſſertorium, & promiſſorium.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Apoſtolus dicit ad Heb. 6. *iuramentum ad confirmationem ordinatur:* confirmatio autem in ſcibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiliter vera; ſed particularia facta contingentia hominum non poſſunt per rationem neceſſariam confirmari: & ideo ea, quæ de his dicuntur, ſolent confirmari per teſtes. Sed humanum teſtimonium non eſt ſufficiens ad huiuſmodi confirmandum, propter duo: Primò quidem propter defectum veritatis humanæ; quia plurimi in mendacium labuntur, ſecundùm illud Pſalm. 16. *os eorum locutum eſt mendacium* ſecundò propter defectum cognitionis: quia homines non poſſunt cognoſcere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam abſentia, de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur: & ideo neceſſarium fuit recurrere ad diuinum teſtimonium; quia Deus, neque mentiri poteſt, neque eum aliquid latet: aſſumere autem Deum in teſtem dicitur iurare; quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur.

Diuinum autem teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita; & hoc dicitur iuramentum aſſertorium: quandoque autem inducitur diuinum iuramentum ad confirmandum aliquid futurum; & hoc dicitur iuramētum promiſſorium. ad ea vero quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda non inducitur iuramentum: deriſibilis enim videretur, ſi quis in diſputatione alicuius ſcientiæ vellet propoſitum per iuramentum probare. 2. 2. *qu.* 89. *a.* 1. *in corp.* 3. *ſent. d.* 39. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 2. quid ſit iurare per ſimplicem conteſtationem, vel per execrationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt modus iurandi; vnus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem; ſicut cùm aliquis dicit, eſt mihi Deus teſtis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem eſt, vt dicit Auguſtinus: alius modus iurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi

ſit verum quod dicit. 2.2.q. 89. *a.* 1. *ad* 3. *lect.* 5. *cap.* 1. *ad Rom.*

Quæritur 3. *an iuramentum ſit licitum: & cur non debemus ipſi aſſueſcere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet aliquid eſſe ſecundùm ſe bonum, quod tamen cedit in malum eius, qui non vtitur eo conuenienter; ſicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum, &. tamen qui indignè ſumit *iudicium ſibi manducat, & bibit*, vt dicitur primæ ad Corinthios 11. ſic ergo in propoſito dicendum eſt, quòd iuramentum ſecundùm ſe eſt licitum, & honeſtum, quod patet ex origine, & fine: ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide, quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem: ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias, vt dicitur ad Heb. 6.

Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo quòd malè vtitur eo, ideſt ſine neceſſitate, & cautela debita: videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit, quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum periurij: quia de facili homo in verbo delinquit ſecundùm illud Iacobi 3. *ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*: vnde & Eccl. 23. dicitur, *iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa.* 2.2. *q.* 89. *a.* 2. *in corp.* 3. *ſent. d.* 39. *a.* 2. *in corp.*

Quær. 4. *quomodo intelligatur illud Matt.* 5. *ego dico vobis non iurare omnino &c. & Iacobi* 5. *ante omnia fratres mei nolite iurare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de mendacio: *Apoſtolus in epiſtolis ſuis iurans, oſtendit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt*, dico vobis non iurare omnino, *ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur, & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, & à conſuetudine in periurium decidatur: & ideo non inuenitur iuraſſe niſi ſcribens, vbi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem. Ibidem ad* 1. *ad Rom.* 1. *lect.* 5.

Quæritur 5. *quomodo intelligi debeat illud Matth.* 5. *ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades; quæ vtique infirmitas malum eſt: itaque non dixit*; quod ampliùs eſt, malum eſt; *ſed à malo eſt: tu enim non malum facis, qui benè vteris iuratione, vt alteri perſuadeas, quod vtiliter perſuades: ſed à malo eſt illius, cuius infirmitate iurare cogeris.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 2. *ad* 2.

Quær. 6. *cur dicitur Hier.* 4. *iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia: quod exponens Hieron. dicit, animaduertendum*

dum eſt; quòd iuſiurandum hos habet comites, ſcilicet veritatem iudicium & iuſtitiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ſupradictum eſt, iuramentum non eſt bonum, niſi ei, qui benè vtitur iuramento: ad bonum autem vſum iuramenti duo requiruntur. Primò quidem quòd aliquis non leuiter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcretè iuret; & quantùm ad hoc requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis ex parte iurantis. Secundò, quantùm ad id quod per iuramentum confirmatur; vt ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquod illicitũ: & quantùm ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt; & iuſtitia, per quam confirmat, quod licitum eſt: iudicio autem caret iuramentum incautum; veritate autem, iuramentum mendax; iuſtitiâ autem, iuramentum iniquum, ſiue illicitum. 2. 2. q. 89. a. 3. *in corp. in vtroque ſcripto ſent. d.* 39. q. 2.

Qu. 7. *an iuramentum ſit actus Religionis ſiue latriæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui iurat inuocat Diuinum teſtimonium ad confirmandum ea, quæ dicit: nihil autem confirmatur niſi per aliquid, quod certius eſt, & potius: & ideo in hoc ipſo quòd homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, vtpote cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio vniuerſalis; & ſic Deo aliquo modo reuerentiam exhibet: vndè & Apoſtolus dicit ad Heb. 6. quòd *homines per maiores iurant:* & Hieronymus dicit ſuper Matthæum, quòd *qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat:* Philoſopus etiam dicit in primo Metaph. quòd *iuramentum eſt honorabiliſſimum:* exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad Religionem, ſiue latriam: vnde manifeſtum eſt, quòd iuramentum eſt actus Religionis, ſiue latriæ. 2. 2. q. 89. a. 4. *in corp.*

Quær. 8. *cur iuramentum non ſit appetendum, vel frequentandum, niſi ex neceſſitate; ne contingat quod dicitur Eccleſ.* 23. *vir multum iurans replebitur iniquitate: & D. Auguſtinus dicit in libro de mendacio, quòd præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc poſitum eſt, vt quantùm in te eſt non affectes, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iuſiurandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd id quod non quæritur niſi ad ſubueniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria; ſicut patet de medicina quæ quæritur ad ſubueniendum infirmitati: iuramentum autem quæritur ad ſubueniendum alicui defectui, quo ſcilicet vnus homo alteri diſcredit; & ideo iuramentum non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quibus indebitè vtitur quicunque eis vtitur vltra terminos neceſſitatis: vnde Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *qui intelligit non in bonis* (id eſt per ſe appetendis) *ſed in neceſſarijs iurationem habendam,*

refrenet ſe quantùm poteſt, vt non eâ vtatur, niſi neceſſitas cogat. 2.2.q. 89. a.5. in corp. 3.ſ.d.39.qu.1.a.2. qu.1.

Quæritur 9. cur iuramentum, quantò magis eſt venerandum, tantò magis ſit periculoſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut medicina eſt vtilis ad ſanandum; & tamen quantò eſt virtuoſior, tantò maius nocumentum inducit, ſi non debitè ſumatur: ita etiam iuramentum vtile quidem eſt ad confirmationem, tamen quantò eſt magis venerandum, tantò eſt magis periculoſum, niſi debitè inducatur; quia vt dicitur Eccleſ.23.*ſi fruſtrauerit* (id eſt deceperit) *fratrem, delictum ipſius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulauerit* (quaſi per ſimulationem iurando falſum) *delinquit dupliciter*; quia ſcilicet *ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas*, vt Auguſtinus dicit; *& ſi in vacuum iurauerit* (id eſt ſine debitâ cauſa, & neceſſitate) *non iuſtificabitur*.2.2. qu.89.a.5.ad 3.

Quæritur 10. an & quomodo liceat iurare per creaturas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt iuramentum: vnum quidem, quod fit per ſimplicem conteſtationem, inquantùm ſcilicet teſtimonium Dei inuocatur, & hoc iuramentum innititur Diuinæ veritati, ſicut & fides: fides autem eſt per ſe quidem, & principaliter de Deo, qui eſt ipſa veritas; ſecundariò autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet: & ſimiliter iuramentum principaliter refertur ad ipſum Deum, cuius teſtimonium inuocatur: ſecundariò autem aſſumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ, non ſecundùm ſe, ſed inquantùm in eis Diuina veritas manifeſtatur: ſicut iuramus per Euangelium, id eſt per Deum, cuius veritas in Euangelio manifeſtatur: & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obſeruauerunt.

Alius autem modus iurandi eſt per execrationem: & in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in ea Diuinum iudicium exerceatur: & ſic ſolet homo iurare per caput ſuum, aut per filium ſuum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit: ſicut & Apoſtolus iurauit ſecundæ ad Corinth. primo dicens, *Ego teſtem Deum inuoco in animam meam*.

Quòd autem Ioſeph per ſalutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi poteſt: vel per modum execrationis, quaſi ſalutem Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum conteſtationis, quaſi conteſtando veritatem Diuinæ iuſtitiæ, ad cuius executionem principes terræ conſtituuntur. 2.2.q.89. a.6. in corp. 3. ſent. d. 39. a. 1. in corp.

Quæritur 11. quomodo intelligi debeat illud Chriſti Matth.5. ego dico vobis non iurare omnino; neque per cælum, neque per terram, neque per hieroſolymam, neque per caput tuum: quod exponens Hier. dicit: conſidera, quòd hic ſaluator non per Deum iurare prohibuerit, ſed per cælum, & terram &c. quomodo etiam intelligi debeat id quod habetur in decretis 22. qu.1. clericum per creaturas iurantem, acerrimè obiurgandum; ſi perſtiterit in vitio, excommunicandum decernimus.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus prohibuit iurare per creaturas ita quòd eis adhibeatur reuerentia diuina: vnde Hieronymus ibidē ſubdit, quòd *Iudæi per Angelos, & cætera huiuſmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore.* & eadem ratione punitur ſecundùm canones Clericus per creaturam iurans, quod ad blaſphemiam infidelitatis pertinet: vnde in ſequenti capite dicitur, *ſi quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blaſphemiâ contra Deum vſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt, deponatur, ſi laicus ais anathematizetur. 2. 2. q. 89. a. 6. ad 1.*

Qu. 12. quomodo ſicut Apoſtolus ad Hebr. 6. ait: omnis controuerſiæ eorum (ſcilicet hominum) finis, ad confirmationem eſt iuramentum.

Reſp. D. Thomas, ponit effectū iuramenti qui in hoc conſiſtit, quòd per iuramentum finitur omnis controuerſia: ſicut enim in ſcientijs, quando reſoluitur vſque ad prima principia indemonſtrabilia, quieſcitur; ita diuinâ lege introductum eſt, quòd cùm peruenitur ad primam veritatem eſt ſtatus, quod fit, quando ipſa in teſtimonium inuocatur, Exodi 22. *applicabitur ad Deos, & iurabit*: & ſic ſopitur omnis quæſtio, & controuerſia. *ad Hebr. 6. lect. 4.*

Quær. 13. quænam ſint cauſæ, pro quibus licet iurare.

Reſp. D. Thomas, cauſæ in quibus licet iurare, hæ ſunt. Pro pace firmanda: ſicut laban iurauit Geneſis 30. ſecundò, pro fama conſeruanda. Tertiò, pro fidelitate tenenda, ſicut feudatarij iurant dominis. Quartò, pro obedientia implenda, ſi præcipitur à ſuperiore aliquid honeſtum. Quintò, pro ſecuritate facienda. Sextò, pro veritate atteſtanda: ſic iurauit Apoſtolus Rom. 1. *teſtis eſt mihi Deus &c. ibid.*

Quær. 14. an & quomodo ille qui falſum iurat, iniuriam faciat Deo, ſibi ipſi, & aliis hominibus.

Reſp. D. Thomas, qui iurat falſum, facit iniuriam Deo, ſibi ipſi, & omnibus hominibus.

Deo quidem, quia cùm iurare per Deum nil aliud ſit, niſi inuocare eius teſtimonium, cùm iuras falſum, aut credis Deum neſcire verum, & ſic ponis ignorantiam in Deo, cùm tamen *omnia nuda, & aperta ſint oculis eius*, vt dicitur ad heb. 4. aut quòd diligat mendacium, cùm tamen odiat ipſum, Pſ. 5. *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* aut derogas potentiæ, quaſi non poſſit teſtimonium reddere, vel quaſi non poſſit de eo punire.

Item facit iniuriam ſibi ipſi: obligat enim ſe iudicio Dei; nihil eſt autem aliud dicere, per Deum ita eſt, niſi quòd Deus puniat me, ſi non eſt ita.

Item iniuriatur alijs hominibus: nulla enim inter aliquos ſocietas durare poteſt, niſi credant ſibi inuicem; dubia autem iuramentis confirmantur. Iniuriatur ergo Deo, crudelis eſt ſibi, & noxius eſt hominibus. *opuſculo 4. cap. de ſecundo præcepto.*

Digitized by Google

Quaritur 15. an & quomodo iuramentum tam aſſertorium quàm promiſſorium obliget: & quomodo ad hoc vt promiſſorium vim obligandi habeat, requiratur iudicium, & iuſtitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio refertur ad aliquid quod eſt faciendum, vel dimittendum: vnde non videtur reſpicere iuramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel de præterito; neque etiam iuramentum de his quæ ſunt per alias cauſas fienda, ſicut ſi quis iuramento aſſereret, quòd cras pluuia eſſet futura; ſed ſolùm in his quæ ſunt fienda per illum qui iurat: ſicut autem iuramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem: ita etiam iuramentum de his quæ ſunt fienda à nobis in futurum: & ideo vtrumque iuramentum habet quandam obligationem: diuerſimodè tamen. Quia in iuramento quod eſt de præterito vel præſenti, obligatio eſt non reſpectu rei quæ iam fuit vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus iurandi, vt ſcilicet iuret id quod iam verum eſt vel fuit: ſed in iuramento quod præſtatur de his quæ ſunt fienda à nobis, obligatio cadit econtrario ſuper rem quam aliquis iuramento firmauit. Tenetur enim aliquis vt faciat verum eſſe id, quod iurauit: alioquin deeſt veritas iuramento. Si autem eſt talis res, quæ in eius poteſtate non fuit, deeſt iuramento diſcretionis iudicium: niſi fortè quod erat ei poſſibile, quando iurauit, reddatur ei impoſſibile per aliquem euentum: puta cùm aliquis iurat, ſe pecuniam ſoluturum; quæ ei poſtmodum vi, vel furto ſubtrahitur: tunc enim videtur excuſatus eſſe à faciendo, quod iurauit: licèt teneatur facere, quod in ſe eſt. Si verò ſit quidem poſſibile fieri, ſed non debeat: vel quia eſt per ſe malum: vel quia eſt boni impeditiuũ, tunc iuramento deeſt iuſtitia: & ideo iuramentum non eſt ſeruandum in eo caſu, quo eſt peccatum, vel boni impeditiuum: ſecundùm enim Auguſtinum vtrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum eſt, quòd quicunque iurat aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum ad hoc quòd veritas impleatur: ſi tamen alij duo comites adſint, ſcilicet iudicium, & iuſtitia. 2.2 *q.89. a 7. in corp. 3. ſ. d. 39. q.1.a.3.q.1.*

Quær. 16. an peccet ille, qui iurat aliquid ſecundùm ſe malum v. g. quòd perpetrabit adulterium, vel aliquid impeditiuum maioris boni, v. g. quòd non intrabit Religionem: & vtrum teneatur, aut poſſit implere iuramentum. Et quid agendum ſit quando iuramentum initio licitum vergit poſtea in deteriorem exitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter: vno modo quia ab ipſo principio habet peiorem exitum: vel quia eſt ſecundùm ſe malum, ſicut cùm aliquis iurat ſe perpetraturum adulterium; ſiue quia eſt maioris boni impeditiuum, puta cùm aliquis iurat ſe non intraturum Religionem, vel quòd non fiet clericus, aut quòd non accipiet prælationem, in quo expedi-

reum accipere; vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Huiuſmodi enim iuramentum ex principio eſt illicitum, differenter tamen: quia ſi aliquis iuret ſe facturum aliquod peccatum, & peccauit iurando, & peccat iuramentum ſeruando: ſi quis autem iurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur; peccat quidem iurando, inquantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat iuramentum ſeruando, ſed multò meliùs facit, ſi non ſeruet: alio modò vergit in deteriorem exitum propter aliquid, quod de nouo emerſerat, quod fuit impræmeditatum; ſicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellæ ſaltanti ſe daturum, quod petiiſſet; hoc enim iuramentum poterat eſſe à principio licitum, intellectâ debitâ conditione, ſcilicet ſi peteret, quod dare deceret; ſed impletio iuramenti fuit illicita: vnde Ambroſius dicit in primo de officiis, *eſt contra officium nonnunquam, promiſſum ſoluere, Sacramentum cuſtodire; ſicut Herodes necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum negaret.* 2.2.q. 89. *a. 7. ad 2.*

Quæritur 17. quid agendum ſit quando id quod iurando promittitur, eſt malum vel bonum, ex toto vel ex parte; & de hoc conſtat, vel dubitatur.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt quòd illud quod iurando promittitur, aut eſt totaliter & apertè malum, aut totaliter & apertè boum; aut partim bonum, partim malum; aut dubium: ſi totaliter & apertè malum, tunc authoritate propriâ eſt frangendum: ſi totaliter & apertè bonum, nullatenus eſt frangendum: ſi partim bonum, partim malum, partim eſt tenendum, partim frangendum: ſi verò dubium, non eſt authoritate propriâ, ſed ſuperioris interpretatione frangendum. 3. *ad hann. d. 39. a. 2. in corp.*

Qu. 18. an qui coactus iurauit, teneatur implere iuramentum: & vtrùm poſſit petere ipſius diſpenſationem, licet oppoſitum iurauerit: & quomodo tales à iuramenti nexibus per ſummos Pontifices ſunt abſoluti, vt habetur extra, de iureiur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in iuramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio: vna quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promiſſum non ſeruetur: alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promiſit; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quàm iuramentum violare.

Poteſt tamen repetere in iudicio, quod ſoluit; vel Prælato denunciare, non obſtante quòd contrarium iurauit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab huiuſmodi iuramentis homines abſoluerunt, non quaſi decernentes huiuſmodi iura-

Digitized by Google

menta non eſſe obligatoria, ſed quaſi obligationem ex iuſta cauſa relaxantes. 2.2.q. 89.a.7. ad 3. *in vtroque ſcripto ſent. locis citatis.*

Quæritur 19. an iuramentum obliget, quando non eſt eadem intentio iurantis, & illius cui iurat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum ſeruari ſecundùm ſanum intellectum eius, cui iuramentum præſtatur: Vnde Iſidorus dicit: *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit, ſicut cui iuratur intelligit:* Et quòd hoc intelligatur de doloſo iuramento patet per id, quod ſubditur: *dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundùm intentionem iurantis, vnde Gregorius 26. moralium, *Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant; Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* 2.2. q. 89. a. 7. ad 4. 3. ſent. d. 39. a. 3. q. 3. in corp.

Quær. 20. ad quid obligetur in vtroque foro ille qui iurat ſiue ſimpliciter, ſiue doloſe.

Reſp. D. Thomas, diſtinguendum eſt in eo qui iurat, aut enim ſimpliciter, aut doloſè iurat: ſi iurat doloſè, ex duabus partibus poteſt culpa ſequi, ſcilicet ex fractione iuramenti, & ex dolo: quamuis ergo ex ipſa ratione iuramenti, inquantum iuramentum non obligetur ad ſeruandum ipſum niſi ſecundùm ſuam intentionem; tamen ex neceſſitate iuramẽti inquantum fuit doloſum, obligatur ad obſeruandum taliter quòd ex dolo alius non lædatur: & hoc eſt quando ſecundùm intentionem recipientis implet iuramentum. Si autem ſimpliciter iuret abſque dolo, tunc in foro conſcientiæ non obligatur niſi ſecundùm ſuam intentionem: ſed in foro contentioſo, vbi intentio ignoratur, obligatur ſecundùm quòd verba communiter accipi ſolent. 3. ſ. d. 39. q. 1. a. 3. q. 3. *in corp.*

Quær. 21. cur à iuramento excludantur pueri, & etiam periuri. An qui iurat debeat eſſe ieiunus. An iurare conueniat perſonis magnæ dignitatis. Et an ſit iurandum in diebus ſolemnibus. Et quare dicitur 2. qu. 5. Presbyter vice iuramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur: & 22.q.5. nullus ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam laico quidquam ſuper ſancta Euangelia iurare præſumat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quod in iuramento duo ſunt conſideranda: Vnum quidem ex parte Dei, cuius teſtimonium inducitur: Et quantùm ad hoc debetur iuramento maxima reuerentia: Et propter hoc à iuramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum, quia nondum habent perfectum vſum rationis, quo poſſint cum reuerentia debita iuramentum præſtare. Et iterum periuri, qui ad iuramentum non admittuntur: quia ex retroactis præſumitur, quòd debitam reuerentiam

iuramento non exibebunt. Et propter hoc etiam vt iuramento debita reuerentia exhibeatur, dicitur 22. q. 5. *Honeſtum eſt, vt qui in Sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honeſtate, & timore Dei.*

Aliud autem eſt conſiderandum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur: Non enim indiget dictum hominis confirmatione, niſi quia de eo dubitatur: Hoc autem derogat dignitati perſonæ, vt dubitetur de veritate eorum, quæ dicit: & ideo perſonis magnæ dignitatis non conuenit iurare, propter quod dicitur 2. q. 5. cap. ſi quis Presbyter, quòd *Sacerdotes ex leui cauſa iurare non debent.* Tamen pro aliqua neceſſitate, vel magna vtilitate licitum eſt eis iurare. Et præcipuè pro ſpiritualibus negotiis, pro quibus etiam iuramenta competit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum: non autem tunc ſunt iuramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi fortè ex magna neceſſitate. 2. 2. *q.* 89. *a.* 10. *in corp. & ad* 3.

Quæritur 22. cur Aurelianenſe concilium decreuit quòd niſi pro pace facienda omnes fideles ieiuni ad Sacramentum (id eſt iuramentum) accedant.

Reſp. D. Thomas, ratio inſtitutionis fuit, quia ad iuramentum requiritur ſumma cautela, quæ exigit ſobrietatem. Excipiuntur tamen caſus illi, in quibus mora traheret periculum; ſicut eſt pro pace faciendâ. 3. *ſent. d.* 39. *in expoſ. textus.*

Qu. 23. vtrum accipiens doctrinam alicuius experimenti ſub iuramento non communicandi teneatur ſeruare iuramentum.

Reſp. v. *Secretum.*

Quær. 24. an, & quomodo ciues, & Canonici teneantur ſeruare iuramenta ciuitatis, & collegii.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia iuramentum eſt actio perſonalis, ille, qui de nouo fit ciuis alicuius ciuitatis, non obligatur quaſi iuramento ad obſeruanda illa, quæ ciuitas ſe ſeruaturam iurauit; tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, vt ſicut fit ſocius bonorum ciuitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò qui iurat ſe ſeruaturum ſtatuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex iuramento ad ſeruandum futura; niſi intenderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura. Tenetur tamen ea ſeruare ex ipſa vi ſtatutorum, quæ habent coactiuam virtutem. 2. 2. *q.* 98. *a.* 2. *ad* 4.

Quær. 25. quomodo ſit intelligenda diſpenſatio in iuramento: & vtrum fieri poſſit in iuramento aſſertorio, vel ſolùm in promiſſorio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſpenſatio, quæ fit in iuramento, non ſe extendit ad hoc, quòd aliquid contra iuramentum fiat; hoc enim eſt impoſſibile, cùm obſeruatio iuramenti cadat ſub præcepto diuino, quod eſt indiſpenſabile: ſed ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramenti, vt id

quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramento non cadat, quaſi non exiſtens debita materia iuramenti, vt de voto infra dicetur.

Materia autem iuramenti aſſertorij, quod eſt de præterito, vel præſenti, in quandam neceſſitatem iam tranſit, & immutabilis facta eſt & ideo diſpenſatio non referretur ad materiam, ſed referretur ad ipſum actum iuramenti: vnde talis diſpenſatio directè eſſet contra præceptum diuinum. Sed materia iuramenti promiſſorij eſt aliquid futurum, quod variari poteſt; ita ſcilicet quòd in aliquo euentu poteſt eſſe illicitum, & nociuum, & per conſequens non eſſe debita materia iuramenti: & ideo diſpenſari poteſt in iuramento promiſſorio, quia talis diſpenſatio reſpicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino, de iuramenti obſeruatione. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 1.

Qu. 26. quænam iuramenta non egent diſpenſatione; & quinam poſſint irritare ea quæ diſpenſatione indigent.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd quandoque illud, quod cadit ſub iuramento promiſſorio, eſt manifeſtè repugnans iuſtitiæ; vel quia eſt peccatum, ſicut cùm aliquis iurat ſe facturum homicidium; vel quia eſt maioris boni impeditiuum, ſicut cùm aliquis iurat ſe non intraturum religionem: & tale iuramentum diſpenſatione non indiget: ſed in primo caſu tenetur aliquis tale iuramentum non ſeruare, in ſecundo autem caſu licitum eſt, & ſeruare, & non ſeruare.

Quandoque verò aliquid ſub iuramento promittitur, de quo dubium eſt, vtrum ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nociuum, aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu: & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare.

Quandoque verò ſub iuramento promittitur aliquid, quod eſt manifeſtè licitum, & vtile; & in tali iuramento non videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio, niſi aliquid melius occurrat ad communem vtilitatem faciendum (quod maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam vniuerſalis Eccleſiæ), vel etiam abſoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticarum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. Sicut & ad vnumquemque pertinet irritare iuramentum, quod à ſibi ſubditis factum eſt, circa ea, quæ eius poteſtati ſubduntur: ſicut pater poteſt irritare iuramentum puellæ; & vir vxoris, vt dicitur numerorum 30. & dicetur infra de voto. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3.

Quær. 27. an ille, cui fit iuramentum, poſſit illud irritare, vel in eo diſpenſare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius, puta ſi ſub iuramento promittat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promiſſione poteſt abſoluere ille, cui promiſſio facta eſt; intelligitur enim iam ei ſoluiſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundùm eius voluntatem.

Digitized by Google

Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum; puta ſi aliquis ſub iuramento promittat alicui ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem: quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo, niſi fortè ſit interpoſita conditio, ratione cuius poſſit; ſcilicet ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale. 2. 2. *quæſt. 89. ar. 9. ad 2.*

An iurare ſine cauſa ſit ſemper mortale peccatum, ſicut iurare falſum: vtrum liceat quandoque exigere, vel recipere iuramentum etiam à periurio: aliaque nonnulla ad iuramentum ſpectantia videantur infra v. periurium.

IVRISDICTIO.

Videatur ſupra v. abſolutio, confeſſio, excommunicatio, iudicium, & infra. v. Sacramentum.

IVSPATRONATVS.

Quær. an iuſpatronatus vendi poſſit: & quomodo in alterum poſſit transferri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuſpatronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari: ſi autem villa vendatur, & in feudum detur, cui annexum eſt ius patronatus, tranſit cum vniuerſitate ad illum cui villa datur, vel qui eam emit; non quaſi ius patronatus ſub venditione cadat. 4. *ſent. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 3. ad 3. 2. 2. qu. 100. a. 4. ad 3.*

IVS ET IVSTITIA.

In tractatu de iuſtitia, & iure agunt doctores cum angelico ſuo præceptore de ipſo iure, & de virtute iuſtitiæ, ac iniuſtitia vitio ipſi oppoſito: de iudicio, accuſatione, defenſione, teſtimonio: de officio Aduocati: de reſtitutione: de acceptione perſonarum: de homicidio, & furto: de fraudulentia in emptionibus, & venditionibus: de vſura: de contumelia, detractione, ſuſurratione, deriſione, & maledicentia: quæ omnia ſunt actus vel virtutis iuſtitiæ, vel vitii iniuſtitiæ: de ipſis autem agitur in variis huius operis locis ſub propriis vocabulis, exceptis his quæ hîc habentur.

Quæritur 1. an conuenienter diuidatur ius in naturale, & poſitiuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ius, ſiue iuſtum eſt aliquod opus adæquatum alteri ſecundùm aliquem æqualitatis modum: Dupliciter autem poteſt alicui homini eſſe aliquid adæquatum: Vno quidem modo ex ipſa natura rei, puta cùm aliquis tantum dat, vt tantundem recipiat, & hoc vocatur ius naturale.

Alio modo aliquid eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri ex condicto, ſiue ex communi placito; quando ſcilicet aliquis reputat ſe contentum, ſi tantum accipiat. Quod quidem poteſt fieri dupliciter: Vno modo per aliquod priuatum condictum, ſicut quod firmatur aliquo pacto inter priuatas perſonas: Alio modo ex condicto publico; puta cùm totus populus conſentit, quòd aliqui-

habeatur quaſi adæquatum, & commenſuratum alteri; vel cùm hoc ordinat Princeps, qui curam populi habet, & eius perſonam gerit: & hoc dicitur ius poſitiuum. 2.2. q. 57. a. 2. in corp.

Quær. 2. quid ſit ius Diuinum: & quomodo conueniat cum naturali, & poſitiuo, ſicut etiam ius humanum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ius Diuinum dicitur, quod diuinitùs promulgatur: & hoc quidem partim eſt de his, quæ ſunt naturaliter iuſta; ſed tamen eorum iuſtitia homines latet; partim autem de his, quæ fiunt iuſta inſtitutione diuinâ. Vnde etiam ius diuinum, per hæc duo diſtingui poteſt, ſicut & ius humanum. Sunt enim in lege diuina quædam præcepta, quia bona: & prohibita, quia mala: Quædam verò bona, quia præcepta: & mala quia prohita. 2.2. q. 57. a. 2. ad 3.

Quæritur. 3. vtrum ius poſitiuum conuenienter diſtinguatur in ius gentium, & ius ciuile.

Reſp. D. Thomas, diuiditur ius poſitiuum in ius gentium, & ius ciuile ſecundùm duos modos, quibus aliquid deriuatur à lege naturæ: nam ad ius gentium pertinent ea, quæ deriuantur ex lege naturæ, ſicut concluſiones ex Principiis; vt iuſtæ emptiones, vẽditiones, & alia huiuſmodi, ſine quibus homines ad inuicem conuiuere non poſſunt; quod eſt de lege naturæ, quia *homo eſt naturaliter animal ſociale*, vt probatur in primo Politico. quæ verò deriuantur à lege naturæ per modum particularis determinationis pertinent ad ius ciuile, ſecundùm quòd quælibet ciuitas aliquid ſibi accommodè determinat. p. 2. q. 95. a. 4. in corp.

Quær. 4. vtrum conuenienter diffiniatur iuſtitia, quòd eſt perpetua, & conſtans voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prædicta iuſtitiæ diffinitio conueniens eſt, ſi rectè intelligatur. Cùm enim omnis virtus ſit habitus, qui eſt principium boni actus; neceſſe eſt, quòd virtus diffiniatur per actum bonum, qui eſt circa ea, quæ ad alterum ſunt, ſicut circa propriam materiam virtutis: Eſt autem iuſtitia præcipuè circa ea, quæ ad alterum ſunt, ſicut circa propriam materiam; & ideo actus iuſtitiæ per comparationem ad propriam materiam virtutis, & obiectum tangitur, cùm dicitur: *ius ſuum vnicuique tribuens*; quia vt Iſidorus dicit in lib. etymologiarum, *iuſtus dicitur, quia ius cuſtodit.* Ad hoc autem quòd aliquis actus circa quamcunque materiam ſit virtuoſus, requiritur quòd ſit voluntarius, & quòd ſit ſtabilis, & firmus; quia Philoſophus dicit in 2. ethic. quòd ad virtutis actum requiritur: primò quidem quòd operetur ſciens; ſecundò autem, quòd eligens, & propter debitum finem; tertiò quòd immobiliter operetur: primum autem horum includitur in ſecundo; quia *quod per ignorantiam agitur eſt inuoluntarium*, vt dicitur in 3. ethicorum: & ideo in diffinitione iuſtitiæ primò ponitur voluntas, ad oſten-

Digitized by Google

dendum quòd actus iuſtitiæ debet eſſe voluntarius: Additur autem de conſtantia, & perpetuitate, ad deſignandam actus firmitatem: & ideo prædicta diffinitio eſt completa diffinitio iuſtitiæ. Et ſi quis vellet eam in debitam formam diffinitionis reducere, poſſet ſic dicere, quòd *iuſtitia eſt habitus ſecundùm quem aliquis conſtanti, & perpetuâ voluntate ius ſuum vnicuique tribuit*: & quaſi eſt eadem diffinitio cum ea quam tradit Philoſophus in 5. ethic. dicens quòd *iuſtitia eſt habitus, ſecundùm quem aliquis dicitur operatiuus ſecundùm electionem iuſti. 2. 2. q. 58. a. 1. in corp.*

Quær. 5. an iuſtitia ſit virtus, iuxta illud D. Gregorij 2. mor. in quatuor virtutibus (Scilicet prudentiâ, iuſtitiâ, fortitudine, & temperantiâ) tota boni operis ſtructura conſurgit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus humana eſt quæ bonum reddit actum humanum, & ipſum hominem bonum facit: quod quidem conuenit iuſtitiæ: actus enim hominis bonus redditur ex hoc quòd attingit regulam rationis, ſecundùm quam humani actus rectificantur: vnde cùm iuſtitia operationes humanas rectificet: manifeſtum eſt quòd opus hominis bonum reddit, & vt Tullius dicit in 1. de offic. *Ex iuſtitia præcipuè viri boni nominantur*: vnde ſicut ibidem dicit, *in ea virtutis ſplendor eſt maximus. 2. 2. q. 58. a. 3. in corp.*

Qu. 6. an iuſtitia ſit virtus generalis: & quid ſit legalis iuſtitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuſtitia, ſicut dictum eſt, ordinat hominem in comparatione ad aliū: quod quidem poteſt eſſe dupliciter: vno modo ad alium ſingulariter conſideratum: alio modo ad alium in communi, ſecundùm ſcilicet quòd ille, qui ſeruit alicui communitati, ſeruit omnibus hominibus, qui ſub communitate illa continentur. Ad vtrumque ergo ſe poteſt habere iuſtitia ſecundùm propriam rationem. Manifeſtum eſt autem, quòd omnes, qui ſub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem ſicut partes ad totum: pars autem id quod eſt, totius eſt; vnde & quodlibet bonum partis eſt ordinabile in bonum totius.

Secundùm hoc ergo bonum cuiuſlibet virtutis ſiue ordinantis aliquem hominem ad ſeipſum, ſiue ordinantis ipſum ad aliquas alias perſonas ſingulares eſt referibile ad bonum commune, ad quod ordinat iuſtitia: & ſecundùm hoc actus omnium virtutum poſſunt ad iuſtitiam pertinere ſecundùm quòd ordinat hominem ad bonum commune; & quantùm ad hoc iuſtitia dicitur virtus generalis. Et quia ad legem pertinet ordinare ad bonum commune: inde eſt quòd talis iuſtitia prædicto modo generalis, dicitur iuſtitia legalis: quia ſcilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum ad bonum commune. *2. 2. q. 58. a. 5. in corp.*

Quær. 7. an præter iuſtitiam generalem, ſiue legalem, detur alia quæ ſit virtus ſpecialis.

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd iuſtitia legalis non eſt eſſentialiter omnis virtus; ſed oportet præter iuſtitiam legalem, quæ ordinat hominem immediatè ad bonum commune, eſſe alias virtutes, quæ immediatè ordinant hominem circa particularia bona. Quæ quidem poſſunt eſſe, vel ad ſeipſum, vel ad alteram ſingularem perſonam. Sicut ergo præter iuſtitiam legalem oportet eſſe aliquas virtutes particulares, quæ ordinent hominem in ſeipſo, puta temperantiam, & fortitudinem: ita etiam præter iuſtitiam legalem oportet eſſe particularem quandam iuſtitiam, quæ ordinet hominem circa ea, quæ ſunt ad alteram ſingularem perſonam 2. 2. *q.* 58. *a.* 7. *in corp.*

Quæritur 8. *an ſint duæ ſpecies iuſtitiæ, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuſtitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam perſonam, quæ comparatur ad Communitatem, ſicut pars ad totum. Poteſt autem ad aliquam partem duplex ordo attendi: vnus quidem partis ad partem, cui ſimilis eſt ordo vnius priuatæ perſonæ ad aliam; & hunc ordinem dirigit commutatiua iuſtitia, quæ conſiſtit in his, quæ mutuò fiunt inter duas perſonas ad inuicem: Alius ordo attenditur totius ad partes, & huic ordini aſſimilatur ordo eius, quod eſt commune ad ſingulas perſonas; quem quidem ordinem dirigit iuſtitia diſtributiua, quæ eſt diſtributiua communium ſecundùm proportionalitatem: & ideo duæ ſunt iuſtitiæ ſpecies, ſcilicet diſtributiua, & commutatiua. 2. 2. *qu.* 61. *ar.* 1. *in corp.*

Qu. 9. *vtrum virtus iuſtitiæ verſetur circa medium rationis vel circa medium rei.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliæ virtutes morales principaliter conſiſtunt circa paſſiones, quarum rectificatio non attenditur niſi ſecundùm comparationem ad ipſum hominem, cuius ſunt paſſiones, ſecundùm ſcilicet quòd iraſcitur, & concupiſcit prout debet ſecundùm diuerſas circunſtantias: & ideo medium talium virtutum non accipitur ſecundùm proportionem vnius rei ad alteram, ſed ſolùm ſecundùm comparationem ad ipſum virtuoſum: & propter hoc in ipſis eſt medium ſolùm ſecundùm rationem quoad nos. Sed materia iuſtitiæ eſt exterior operatio ſecundùm quòd ipſa, vel res cuius eſt vſus, debitam proportionem habet ad aliam perſonam; & ideo medium iuſtitiæ conſiſtit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad perſonam exteriorem: æquale autem eſt realiter medium inter maius, & minus vt dicitur in 10. metaph. vnde iuſtitia habet medium rei. 2. 2. *quæſt.* 58. *art.* 10. *in corp.*

Qu. 10. *quo pacto ſumatur medium in iuſtitia diſtributiua, & commutatiua, iuxta proportionem geometricam, & arithmeticam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in iuſtitia diſtributiua datur aliquid alicui priuatæ perſonæ, inquantùm id, quod eſt totius, eſt debitum parti; quod quidem tantò

maius eſt, quantò ipſa pars maiorem principalitatem habet in toto; Et ideo in diſtributiua iuſtitia tantò plus alicui de bonis communibus datur, quantò illa perſona maiorem haber principalitatem in communitate. Quæ quidem principalitas in Ariſtocratica communitate attenditur ſecundùm virtutem, in oligarchica ſecundùm diuitias, in democratiâ ſecundùm libertatem, & in alijs aliter. Et ideo in iuſtitia diſtributiua non accipitur medium ſecundùm æqualitatem rei ad rei, ſed ſecundùm proportionem rerum ad perſonas; vt ſcilicet ſicut vna perſona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur vni perſonæ, excedat rem, quæ datur alij. Et ideo dicit Philoſophus, quòd *tale medium eſt ſecundum Geometricam proportionalitatem*, in qua attenditur æquale non ſecundùm quantitatem, ſed ſecundùm proportionem: Sicut ſi dicamus, quòd ſicut ſe habent ſex ad quatuor, ita ſe habent tria ad duo, quia vtrobique eſt ſeſquialtera proportio, in qua maius habet totum minus, & mediam partem eius: non autem eſt æqualis exceſſus ſecundùm quantitatem: quia ſex excedit quatuor in duobus, tria verò excedunt duo in vno.

Sed in commutationibus redditur aliquid alicui ſingulari perſonæ propter rem eius, quæ accepta eſt: vt maximè patet in emptione, & venditione, in quibus primò inuenitur ratio commutationis: & ideo oportet adæquare rem rei, vt quantò iſte plus habet, quàm ſuum ſit, de eo, quod eſt alterius, tantundem reſtituat ei, cuius eſt: & ſic fit æqualitas ſecundùm arithmeticam medietatem, quæ attenditur ſecundùm parem quantitatis exceſſum: ſicut quinque eſt medium inter ſex, & quatuor, in vnitate enim excedit, & exceditur: Si ergo à principio vterque habeat quinque, & vnus eorum accipit vnum de eo, quod eſt alterius, vnus ſcilicet accipiens habebit ſex, & alij relinquentur quatuor: erit ergo iuſtitia, ſi vterque reducatur ad medium, vt accipiatur vnum ab eo, qui habet ſex, & detur ei, qui habet quatuor: ſic enim vterque habebit quinque, quod eſt medium. 2.2.q*u*.61.*a*. 2. *in corp.*

Quær. 11. quodnam ſit proprium munus iuſtitiæ.

Reſp. D. Thomas, quòd Ambroſius dicit in 1. de offic. iuſtitia eſt quæ vnicuique quod ſuum eſt, tribuit: alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem cuſtodiat. 2. 2. q. 58. *a*. 11. *in arg. ſed contra.*

Quær. 12. vtrum iuſtitia præemineat inter omnes virtutes morales.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi loquamur de iuſtitia legali, manifeſtum eſt, quòd ipſa eſt præclarior inter omnes virtutes morales, inquantùm bonum commune præeminet bono ſingulari vnius perſonæ. Et ſecundùm hoc Philoſophus in 5. ethic. dicit, quòd *præclariſſima virtutum videtur eſſe iuſtitia: & neque eſt heſperus, neque lucifer ita admirabilis.*

Sed etiam ſi loquamur de iuſtitia particulari, præcellit inter alias virtutes morales duplici ratione: Quarum prima poteſt ſumi ex par-

Digitized by Google

rem, vt ſcilicet, haberetur in maiori fama, & citiùs crederetur doctrinæ ſuæ. Et propter hanc cauſam hic Apoſtolus laudat ſe: nam Corinthij præferebant ei pſeudo-Apoſtolos, & condemnabant eum, & ideo non ſic obediebant ei. Vt ergo non vilipenderent eum, ſed obedirent ei, præfert ſe eis & laudat, & dicit: *Sed ad hæc quis tam idoneus*, ſicut nos, non pſeudo-Apoſtoli; quia licet ipſi prædicent, tamen adulterant verbum Dei, quod nos non facimus. 2. *ad Cor.* 2. *lect.* 3.

Quær. 3. quibus de cauſis Deus nedum mente, ſed etiam ore ſit laudandus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verbis alia ratione vtimur ad Deum, & alia ratione ad hominem: Ad hominem enim vtimur verbis, vt conceptum noſtri cordis (quem non poteſt cognoſcere, niſi verbis noſtris) ei exprimamus; & ideo laude oris ad hominem vtimur, vt vel ei vel aliis innoteſcat, quòd bonam opinionem de laudato habemus; vt per hoc & ipſum, qui laudatur, ad meliora prouocemus; & alios, apud quos laudatur, in bonam opinionem, & reuerentiam, & imitationem ipſius inducamus.

Sed ad Deum verbis vtimur, non quidem vt ei qui eſt inſpector cordium, noſtros conceptus manifeſtemus; ſed vt nos ipſos, & alios audientes ad eius reuerentiam inducamus: & ideo neceſſaria eſt laus oris, non quidem propter Deum, ſed propter ipſum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipſius, ſecundùm illud Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*: & inquantum homo per diuinam laudem affectu aſcendit in Deum, intantum per hoc retrahitur ab his, quæ ſunt contra Deum, ſecundùm illud Iſaiæ 48. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Prodeſt etiam laus oris ad hoc quòd aliorum affectus prouocetur in Deum: vnde dicitur in Pſalm. 33. *Semper laus eius in ore meo*: Et poſtea ſubditur. *Audiant manſueti, & lætentur: magnificate Dominum mecum.* 2. 2. q. 91. a. 1. *in corp.*

Qu. 4. an cantus, & inſtrumenta muſicalia ſint conuenientia in diuinis laudibus.

Reſpondetur ſupra. v. *Cantus.*

LEGATVS.

Quæritur 1. an ſuperueniente Domino ceſſet officium legati.

RESP. D. Thomas, ceſſat officium legati Domino ſuo ſuperueniente; quamuis & aliqua exerceat. 4. *ſent. d.* 2. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 4. *in corp.*

Quæritur 2. an legatus viſitans partem ſuæ legationis poſſit accipere ſtipendia, & ſimiliter Papa ſubſidium ab aliis partibus mundi.

Reſp. D. Thomas, apparet, quòd legatus Papæ viſitans vnam partem legationis, poteſt accipere ſtipendia. Et, quòd Dominus Papa pro neceſſitate vnius Patriæ poteſt accipere ſubſidium ab alijs partibus mundi. Ratio eſt, quia

Digitized by Google

Eccleſia eſt ſicut vnum corpus: videmus autem in corpore naturali, quòd natura quando deficit virtus in vno membro, ſubminiſtrat humores, & virtutem accipit ab alijs membris. 2. *ad cor. 11. lect. 2.*

LEX.

Quær. 1. quid ſit lex, & cur ad rationem pertineat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd lex quædam regula eſt & menſura actuum, ſecundùm quàm inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum: Regula autem & menſura humanorum actuum eſt ratio, quæ eſt principium primum actuum humanorum, rationis enim eſt ordinare ad finem, qui eſt primum principium in agendis ſecundùm Philoſophum: in vnoquoque autem genere, id quod eſt principium, eſt menſura & regula illius generis; ſicut vnitas in genere numeri, & motus primus in genere motuum: vnde relinquitur quòd lex ſit aliquid pertinens ad rationem. 2. 2. q. 90. *a. 1. in corp.*

Quær. 2. cur leges condere pertinet ad multitudinem, vel ad perſonam publicam, ſecundùm quòd D. Iſidorus dicit in lib. etym. & habetur in decretis diſt. 2. lex eſt conſtitutio populi, ſecundùm quam maiores natu ſimul cum plebibus aliquid ſanxerunt.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd lex propriè, primò, & principaliter reſpicit ordinem ad bonum commune: ordinare autem aliquid in bonum commune eſt, vel totius multitudinis, vel alicuius gerentis vicem totius multitudinis: Et ideo condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam habet: quia & in omnibus aliis ordinare in finem eſt eius, cuius eſt proprius ille finis. *p. 2. q. 90. a. 3. in corp.*

Quæritur 3 an lex debeat eſſe promulgata ad hoc vt obliget, ſicut dicitur in decretis diſt. 4. quòd leges inſtituuntur cùm promulgantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum: quòd lex imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ: regula autem, & menſura imponitur per hoc, quòd applicatur his, quæ regulantur, & menſurantur: Vnde ad hoc quòd lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc quòd in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione: Vnde promuulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc quòd lex habeat ſuam virtutem. *p. 2. q. 90. a. 5. in corp.*

Qu. 4. quomodo illi, qui non audiunt promulgationem legis, teneantur ad illius obſeruantiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem obſeruandam: inquantum in eorum notitiam deuenit per alios, vel deuenire poteſt promulgatione facta.

Digitized by Google

ne factâ. *in eodem a. 4. ad 1.*

Quær. 5. quomodo leges futuris negotiis neceſſitatem imponunt, vt iura dicunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd promulgatio præſens in futurum extenditur per firmitatem ſcripturæ, quæ quodammodo ſemper eam promulgat: Vnde Iſidorus dicit in primo etimol. Quòd *lex à legendo vocata eſt, quia ſcripta eſt. p. 2. q. 90. a. 4. ad 3.*

Quær. 6. an & quare neceſſe fuit præter legem naturalem, & humanam dari etiam diuinam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd præter legem naturalem, & legem humanam neceſſarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem diuinam: & hoc propter quatuor rationes.

Primò quidem, quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad vltimum finem: & ſi quidem homo ordinaretur tantùm ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret quòd homo haberet aliquid directiuum ex parte rationis ſupra legem naturalem, & legem humanitùs poſitam, quæ ab ea deriuatur: ſed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ; ideo neceſſarium fuit, vt ſupra legem naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad ſuum finem lege diuinitùs datâ.

Secundò, quia propter incertitudinem humani iudicij præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus, contingit de actibus humanis diuerſorum eſſe diuerſa iudicia; ex quibus etiam diuerſæ, & contrariæ leges procedunt: vt ergo homo abſque omni dubitatione ſcire poſſit, quid ei ſit agendum, & quid vitandum, neceſſarium fuit, vt in actibus propriis dirigeretur per legem diuinitùs datam, de qua conſtat, quòd non poteſt errare.

Tertiò, quia de his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt iudicare: iudicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus motibus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus actibus, qui apparent; & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in vtriſque actibus homo rectus exiſtat: & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus; ſed neceſſarium fuit, quòd ad hoc ſuperueniret lex diuina.

Quartò, quia ſicut Auguſtinus dicit in primo de libero arbitrio, *Lex humana non poteſt omnia, quæ malè fiunt, punire, uel prohibere, quia dum auferre vellet omnia mala, ſequeretur quòd etiam multa bona tollerentur: & impediretur vtilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conuerſationem humanam*: Vt ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſuperuenire legem diuinam, per quam omnia peccata prohibentur. Et iſtæ quatuor cauſæ tanguntur in Pſ. 18. vbi dicitur: *lex Domini immaculata*; id eſt nullam peccati turpitudinem permittens: conuertens animas; quia non ſolùm exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit: *teſtimonium Domini fidele*; propter certitudinem veritatis & rectitudinis: *ſapientiam præſtans paruulis*; inquan-

Digitized by Google

tum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem & diuinum. 1. 2. p.91. a. 4.

Quæritur 7. an verum ſit quod de lege natura loquens D. Auguſtinus dicit in 2. confeſ. lex ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec vlla quidem delet iniquitas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad legem naturalẽ pertinent: primò quidem quædam præcepta communiſſima, quæ ſunt omnibus nota; quædam autem ſecundaria præcepta magis propria, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis. Quantùm ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo poteſt à cordibus hominum deleri in vniuerſali; delentur tamen in particulari operabili ſecundùm quòd ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem.

Quantùm verò ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum; vel propter malas perſuaſiones, eo modo quo etiam in ſpeculatiuis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias: vel etiam propter prauas conſuetudines, vel habitus corruptos, ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apoſtolus dicit ad Rom. 1. p. 2. q. 94. a. 6. in corp.

Quær. 8. an & quare fuit expediens quòd homines conderent leges, iuxta illud diui Iſidori in lib. Etymol. factæ ſunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia; & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur nocendi facultas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homini naturaliter ineſt quædam aptitudo ad virtutem, ſed ipſa virtutis perfectio neceſſe eſt quòd homini adueniat per aliquam diſciplinam; ſicut etiam videmus quòd per aliquam induſtriam ſubuenitur homini in ſuis neceſſitatibus; putà in cibo & veſtitu, quorum initia quædam habet à natura, ſcilicet rationem & manus; non autem ipſum complementum, ſicut cætera animalia, quibus natura dedit ſufficienter tegumentum & cibum: ad hanc autem diſciplinam non de facili inuenitur homo ſibi ſufficiens; quia perfectio virtutis præcipuè conſiſtit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus; ad quas præcipuè homines ſunt proni, & maximè iuuenes, circa quos eſt efficacior diſciplina: Et ideo oportet quòd huiuſmodi diſciplinam, per quam ad virtutem perueniatur, homines ab alio ſortiantur: & quidem quantùm ad illos iuuenes, qui ſunt proni ad actus virtutum ex bona diſpoſitione naturæ, vel conſuetudine, vel magis ex diuino munere, ſufficit diſciplina quæ eſt per monitiones: ſed quia inueniuntur quidam proterui & ad vitia proni, qui verbis de facili moueri non poſſunt, neceſſarium fuit quòd per vim vel per metum cohiberentur à malo; vt ſaltem ſic malè facere deſiſtentes, & aliis quietam vitam redderent, & ipſi tandem per huiuſmodi aſſuetudinem ad hoc perducerentur quòd voluntariè facerent quæ priùs metu implebant, &

ſic fierent virtuoſi. Huiuſmodi autem diſciplina cogens metu pœnæ, eſt diſciplina legum: vnde neceſſarium fuit ad pacem hominum & virtutem, quòd leges ponerentur; quia ſicut Philoſ. dicit in 1. Politicæ; *ſicut homo ſi ſit perfectus virtute, eſt optimum animalium, ſic ſi ſit ſeparatus à lege & iuſtitia, eſt peſſimum omnium*; quia homo habet arma rationis ad repellendas concupiſcentias & ſæuitias, quæ non habent alia animalia. 1. 2. q. 95. a. 1. *in corp. & ſupra q. 91. a. 3.*

Quer. 9. vtrum omnia ſint ordinanda legibus quantùm fieri poteſt, itaut pauciſſima hominum arbitrio committantur.

Reſp. D. Thomas; dicendum quòd ſicut Philoſoph. dicit in primo reth. cap. 1. *Melius eſt, omnia ordinari lege, quàm dimittere iudicum arbitrio.* Et hoc propter tria: Primò quidem, quia facilius eſt inuenire paucos ſapientes, qui ſufficiant ad rectas leges ponendas, quàm multos, qui requirerentur ad rectè iudicandum de ſingulis: Secundò, quia illi qui leges ponunt, ex multo tempore conſiderant, quid lege ferendum ſit: ſed iudicia de ſingularibus factis fiunt ex caſibus ſubitò exortis: faciliùs autem ex multis conſideratis poteſt homo videre quid rectum ſit, quàm ſolùm ex vno aliquo facto: Tertiò quia legiſlatores iudicant in vniuerſali, & de futuris: ſed homines iudiciis præſidentes iudicant de præſentibus, ad quæ afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, & ſic eorum deprauatur iudicium; Quia ergo iuſtitia animata iudicis non inuenitur in multis, & quia flexibilis eſt; ideo neceſſarium fuit, in quibuſcunque eſt poſſibile, lege determinare quid iudicandum ſit, & pauciſſima arbitrio hominum cōmittere. *p. 2. queſt. 95. art. 1. ad 2.*

Quer. 10. quænam neceſſariò committi debeant arbitrio iudicum, & non ipſa lege comprehendi.

Reſp. D. Thomas; dicendum quòd quædam ſingularia, quæ non poſſunt lege comprehendi, neceſſe eſt committere Iudicibus, vt ibidem Philoſophus dicit; puta de eo quòd eſt factum eſſe, vel non eſſe, & de aliis huiuſmodi, *in eodem a. 1. ad 3.*

Qu. 11. in quo ſenſu Iuriſperitus dicit, non omnium quæ à maioribus lege ſtatuta ſunt, ratio reddi poteſt.

Reſp. D. Thomas; dicendum quòd verbum illud Iuriſperiti intelligendū eſt in his quæ introducta ſunt à maioribus circa particulares determinationes legis naturalis: ad quas quidem determinationes ſe habet expertorum & prudentium iudicium, ſicut quædam principia: inquantum ſcilicet ſtatim vident quid congruentiùs ſit particulariter determinādum: vnde Philoſ. dicit in 6. ethic. quòd *in talibus oportet attendere expertorum, & ſeniorum, vel prudentium indemonſtrabilibus enunciationibus, & opinionibus, non minùs quàm demonſtrationibus.* 1. 2. *qu. 95. art. 2. ad 4.*

Digitized by Google

Quær. 12. an D. Iſidorus conuenienter aſſignet qualitates legis humanæ, ſcilicet quòd debet eſſe honeſta, iuſta, poſſibilis ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, neceſſaria, vtilis; manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate ciuium ſcripta.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vniuſcuiuſque rei, quæ eſt propter finem, neceſſe eſt, quòd forma determinetur ſecundùm proportionem ad finem; ſicut forma ſerræ talis eſt, qualis conuenit ſectioni, vt patet in 2. Phyſicorum; quælibet etiam res recta, & menſurata oportet quòd habeat formam proportionatam ſuæ regulæ, & menſuræ: Lex autem humana vtrumque habet; quia & eſt aliquid ordinatum ad finem; & eſt quædam regula, vel menſura regulata, vel menſurata quadam ſuperiori menſurâ: quæ quidem eſt duplex, ſcilicet diuina lex, & lex naturæ: finis autem humanæ legis eſt vtilitas hominum, ſicut etiam iuriſperitus dicit.

Et ideo Iſidorus in conditione legis primò quidem tria poſuit; ſcilicet quòd *religioni congruat*, inquantum ſcilicet eſt proportionata legi diuinæ; quòd *diſciplinæ conueniat*, inquantum ſcilicet eſt proportionata legi naturæ; quòd *ſaluti proficiat*, inquantum eſt proportionata vtilitati humanæ: & ad hæc tria omnes aliæ conditiones, quas poſtea ponit, reducuntur. Nam quòd dicitur, *honeſta*, refertur ad hoc, quòd religioni congruat; quòd autem ſubditur, *iuſta, poſſibilis ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens*, additur ad hoc, quod conueniat diſciplinæ. Attenditur enim humana diſciplina, primùm quidem quantùm ad ordinem rationis, qui importatur in hoc, quòd dicitur *iuſta*: ſecundò quantùm ad facultatem agentium; debet enim eſſe diſciplina conueniens vnicuique ſecundùm ſuam poſſibilitatem, obſeruatâ etiam poſſibilitate naturæ, non enim eadem ſunt imponenda pueris, quæ imponuntur viris perfectis: & ſecundùm humanam conſuetudinem; non enim poteſt homo ſolus in ſocietate viuere, aliorum morem non gerens: Tertiò quantùm ad debitas circunſtantias dicit, *loco, temporique conueniens*. Quod verò ſubditur, *neceſſaria, & vtilis, &c.* refertur ad hoc quòd expediat ſaluti, vt neceſſitas referatur ad remotionem malorum, & vtilitas ad conſecutionem bonorum, manifeſtatio verò ad cauendum nocumentum, quod ex ipſa lege poſſet prouenire; & quia lex ordinatur ad bonum commune, hoc ipſum in vltima parte determinationis oſtenditur, dum dicitur, *pro communi vtilitate ciuium ſcripta. p. 2. q. 95. a. 3. in 1. argum. & in corp.*

Qu. 13. vtrum ad legem humanam pertineat omnia vitia cohibere; vel poſſit aliqua permittere, iuxta illud D. Auguſtini in lib. 1. de libero arbit. videtur mihi legem iſtam, quæ populo regendo ſcribitur, rectè iſta permittere; & per diuinam prouidentiam vindicari.

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd lex ponitur vt quædam regula, vel menſura humanorum actuum: menſura autem *debet eſſe homogenea menſurato*, vt dicitur in 1ro. Metaph. diuerſa enim diuerſis menſurantur: Vnde oportet, quòd etiam leges imponantur hominibus ſecundùm eorum conditionem: quia vt Iſidorus dicit, *Lex debet eſſe poſſibilis, & ſecundùm naturam, & ſecundùm conſuetudinem patriæ:* Poteſtas autem, ſiue facultas operandi ex interiori habitu, ſeu diſpoſitione procedit; non enim idem eſt poſſibile ei, qui non habet habitum virtutis, & virtuoſo; ſicut etiam non eſt idem poſſibile puero, & viro perfecto: & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis; multa enim pueris permittuntur: & ſimiliter multa ſunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non eſſent toleranda in hominibus virtuoſis: Lex autem humana ponitur multitudini hominum, in qua maior pars eſt hominum non perfectorum virtute.

Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, à quibus virtuoſi abſtinent; ſed ſolùm grauiora, à quibus poſſibile eſt maiorem partem multitudinis abſtinere: & præcipuè quæ ſunt in nocumentum aliorum, ſine quorum prohibitione ſocietas humana conſeruari non poſſet; ſicut prohibentur lege humanâ homicicidia, & furta, & huiuſmodi. *p. 2. q. 96. art. 2. in c.*

Qu. 14. quomodo ſicut dicitur Ethic. 1. intentio legiſlatoris eſt ciues facere virtuoſos: & quomodo in executione debeat procedere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd lex humana intendit homines inducere ad virtutem, non ſubitò, ſed gradatim: & ideo non ſtatim multitudini imperfectorum imponit ea quæ ſunt iam virtuoſorum, vt ſcilicet ab omnibus malis abſtineant: alioquin, imperfecti huiuſmodi præcepta ferre non valentes, in deteriora mala prorumperent: ſicut dicitur Prou. 30. *qui nimis emungit, elicit ſanguinem:* & Matth. 9. quòd *ſi vinum nouum* (id eſt præcepta perfectæ vitæ) *mittatur in vtres veteres* (id eſt in homines imperfectos) *vtres rumpuntur, & vinum effunditur*; id eſt præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad maiora mala prorumpunt. *ibid. ad 2.*

Qu. 15. vtrum leges humanæ, ſiue iuſtæ ſiue iniuſtæ, obligent in foro conſcientiæ, iuxta illud ad Rom. 13. neceſſitate ſubditi eſtote, non tantùm propter iram, ſed & propter conſcientiam: & 1. Petri 2. hæc eſt gratia, ſi propter conſcientiam ſuſtineat quis triſtitias, patiens iniuſtè.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd leges poſitæ humanitùs, vel ſunt iuſtæ, vel iniuſtæ: ſi quidem iuſtæ ſunt, habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua deriuantur, ſecundùm illud Prou. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.*

Dicuntur autem leges iuſtæ; & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune; & ex authore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis; & ex forma, quando ſcilicet ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad

bonum commune: cùm enim vnus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis; ſicut & quælibet pars id, quod eſt, eſt totius: vnde & natura aliquod detrimentum infert parti, vt ſaluet totum: & ſecundùm hoc leges huiuſmodi onera proportionabiliter inferentes, iuſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales.

Iniuſtæ autem ſunt leges dupliciter: Vno modo per contrarietatem ad bonum humanum è contrario prædictis; vel ex fine, ſicut cùm aliquis præſidens leges imponit oneroſas ſubditis non pertinẽtes ad vtilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam; vel etiam ex authore, ſicut cùm aliquis legẽ fert vltra ſibi commiſſam poteſtatem; vel etiam ex forma, puta cùm inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune: & huiuſmodi magis ſunt violentiæ, quàm leges; quia ſicut Auguſtinus dicit in lib. 1. de libero arbitrio: *Lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit.* Vnde tales leges non obligant in foro conſcientiæ: niſi fortè propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo iuri ſuo debet cedere, ſecundùm illud Matthæi 5. *qui angariauerit te mille paſſus, vade cum eo alia duo; & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium:* Alio modo leges poſſunt eſſe iniuſtæ per contrarietatem ad ad bonum diuinum, ſicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcunque aliud, quod ſit contra legem diuinam: & tales leges nullo modo licet obſeruare; quia ſicut dicitur Actuum 4. *obedire oportet Deo magis quàm hominibus. p. 2. q. 96. a. 4. in corp.*

Qu. 16. an teneantur homines quandoque obedire legibus iniuſtis; cùm Iſaias dicat cap. 10. væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitias ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procedit de lege, quæ infert grauamen iniuſtum ſubditis, ad quod etiam ordo poteſtatis diuinitùs conceſſus non ſe extendit; vnde nec in talibus homo obligatur vt obediat legi, ſi ſine ſcandalo, vel maiori detrimento reſiſtere poſſit. *1. 2. qu. 96. a. 4. ad 3.*

Qu. 17. vtrum omnia, quæ continentur in legibus, vel ſtatutis, obligent ſub peccato mortali.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti; ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiuſdam, vel ſtatuti obligantis ad certam pœnam: ſicut ergo in lege ciuili non facit ſemper dignum pœnâ mortis corporalis, trangreſſio legalis ſtatuti; ita nec in lege Eccleſiæ omnes ordinationes, vel publica ſtatuta obligant ad mortale: & ſimiliter nec omnia ſtatuta regulæ. *2. 2. qu. 186. a. 9. ad 2.*

Qu. 18. an & quomodo princeps ſit ſubiectus legi, vel ab ipſa ſolutus, ſicut iuriſperitus dicit, quòd princeps legibus ſolutus eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege quantùm ad vim coactiuam legis, nullus enim propriè cogitur à ſe ipſo; lex autem non habet vim coactiuam niſi ex Principis poteſtate: ſic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quia nullus in ipſum poteſt iudicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat: vnde ſuper illud Pſal. 50. *Tibi ſoli peccaui &c.* dicit gloſſa, quòd *Rex non habet hominem, qui ſua facta diiudicet.*

Sed quantùm ad vim directiuam legis Princeps ſubditur legi propriâ voluntate; ſecundùm quòd dicitur extra de conſtitutionibus cap. *cùm omnes, quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe eodem iure vti debet:* & ſapientis dicit authoritas. *patere legem, quam ipſe tuleris:* improperatur etiam his à Domino, qui *dicunt, & non faciunt;* & qui *aliis onera grauia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea mouere*, vt dicitur Matthæi 23. Vnde quantùm ad Dei iudicium Princeps non eſt ſolutus à lege quantùm ad vim directiuam eius, ſed debet voluntarius, non coactus legem implere. Eſt etiam princeps ſupra legem, inquantum ſi expediens fuerit, poteſt legem mutare, & in ea diſpenſare pro loco, & tempore. *p. 2. q. 96. a. 5. ad 3.*

Qu. 19. vtrum in aliquibus caſibus attendi debeat ad cauſam legis potius quàm ad ipſius verba, ſicut D. Hilarius dicit 4. de trinit. quòd intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei debet eſſe ſermo ſubiectus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutem, & intantum obtinet vim, & rationem legis: ſecundùm verò quòd ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet: vnde iuriſperitus dicit, quòd *nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, vtque quæ ſaluѓriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeueritatem.* Contingit autem multoties, quòd aliquid obſeruari communi vtilitati eſt vtile vt in pluribus, quod tamen in aliquibus caſibus eſt maximè nociuum: quia igitur legiſlator non poteſt omnes ſingulares caſus intueri, proponit legem ſecundùm ea, quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem ſuam ad communem vtilitatem.

Vnde ſi emergat caſus, in quo obſeruatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſeruanda: ſicut ſi in ciuitate obſeſſa ſtatuatur lex, quòd portæ ciuitatis maneant clauſæ, hoc eſt vtile communi ſaluti, vt in pluribus; ſi tamen contingat caſus, quòd hoſtes inſequantur aliquos ciues, per quos ciuitas conſeruatur, damnoſiſſimum eſſet ciuitati, niſi eis portæ aperirentur: & ideo in tali caſu eſſent portæ aperiendæ contra verba legis, vt ſeruaretur vtilitas communis, quam legiſlator intendit.

Sed tamen hoc eſt conſiderandum, quòd ſi obſeruatio legis ſecundùm verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet, vt interpretetur quid ſit vtile & quid inutile ciuitati: ſed hoc

ſolùm pertinet ad Principes, qui propter huiuſmodi caſus habent authoritatem in legibus diſpenſandi: Si verò ſit ſubitum periculum, non patiens tantam moram vt ad ſuperiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam: quia *neceſſitas non ſubditur legi. p.2. q. 96. a.6. in corp.*

Quæritur 20. an lex humana poſſit, aut debeat aliquando mutari, iuxta illud D. Auguſtini in 2. de lib. arbit. lex temporalis quamuis iuſta ſit, commutari tamen per tempora iuſtè poteſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd lex humana eſt quoddam dictamen rationis, quo diriguntur humani actus: & ſecundùm hoc duplex cauſa poteſt eſſe, quòd lex humana iuſtè mutetur: vna quidem ex parte rationis: alia verò ex parte hominum, quorum actus lege regulantur.

Ex parte quidem rationis, quia humanæ rationi naturale eſſe videtur, vt gradatim ab imperfecto ad perfectum perueniat: vnde videmus in ſcientijs ſpeculatiuis, quòd qui primò philoſophati ſunt, quædam imperfecta tradiderunt, quæ poſtmodum per poſteriores ſunt tradita magis perfectè, ita etiam & in operabilibus; nam primi, qui intenderunt inuenire aliquid vtile communitati hominum non valentes omnia ex ſe ipſis conſiderare, inſtituerunt quædam imperfecta in multis deficientia, quæ poteſteriores mutauerunt, inſtituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere poſſunt à communi vtilitate.

Ex parte verò hominum, quorum actus lege regulantur lex rectè mutari poteſt propter mutationem conditionum hominum, quibus ſecundùm diuerſas eorum mutationes diuerſa expediunt: Sicut Auguſtinus ponit exemplum in primo de libero arbitrio, quòd *ſi populus ſit benè moderatus, & grauis, communiſque vtilitatis diligentiſſimus cuſtos, in quo vnuſquiſque minoris rem priuatam quàm publicam pendat, nonne lex rectè fertur, qua tali populo liceat creare ſibi magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtretur. Porrò ſi paulatim idem populus deprauatus habeat venale ſuffragium, & regimen flagitioſis, ſceleratiſque committat, rectè adimitur populo talis poteſtas dandi honores, & ad paucorum honorum redit arbitrium p. 2. q. 97. a. 1. in corp.*

Quæritur 21. an lex humana ſit mutanda quoties occurrit aliquid melius: vel potius ipſi inuiolabiliter ſit adhærendum, cùm dicatur in decreto diſt. 12. ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones quas antiquitus à patribus ſuſcepimus, infringi patiamur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd lex humana intantum rectè mutatur, inquantum per eius mutationem communi vtilitati prouidetur; habet autem ipſa legis mutatio quantùm in ſe eſt detrimentum quoddam communis ſalutis: quia ad obſeruantiam legum plurimùm valet conſuetudo, intantum quòd ea, quæ communem conſuetudinem fiunt, etiam ſi ſint leuiora de ſe, grauiora videntur: vnde quando mutatur lex, diminuitur vis conſtrictiua legis, inquantum tollitur conſuetudo.

Et ideo

Et ideo nunquam debet mutari lex humana, niſi ex alia parte tantùm recompenſetur communi ſaluti, quantùm ex iſta parte derogatur: quod quidem contingit; vel ex hoc quòd aliqua maxima, & euidentiſſima vtilitas ex nouo ſtatuto prouenit; vel ex eo quòd eſt maxima neceſſitas; vel ex eo quòd lex conſueta aut manifeſtam iniquitatem continet, aut eius obſeruatio eſt plurimùm nociua: vnde dicitur à iuriſperito, quòd *in rebus nouis conſtituendis euidens debet eſſe vtilitas, vt rectè recedatur ab eo iure, quod diu æquum viſum eſt. p. 2. q. 97. art. 2. in corp.*

Qu. 22. an ſicut in artibus ita etiam in legibus ſit de facili facienda mutatio, ſi aliquid melius occurrat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ea quæ ſunt artis, habent efficaciam ex ſola ratione, & ideo vbicunque melioratio occurrit, eſt mutandum, quod priùs tenebatur: ſed leges habent maximam virtutem ex conſuetudine, vt Philoſ. dicit in 2. polit. & ideo non ſunt de facili mutandæ. *ibidem ad 1.*

Quær. 23. an poſt Paſſionem Chriſti legalia poſſint obſeruari abſque peccato mortali.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnes cæremoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei, in qua cõſiſtit interior Dei cultus: Sic autem fidem interiorem poteſt homo proteſtari factis, ſicut & verbis, & in vtraque proteſtatione ſi aliquid homo falsũ proteſtatur, peccat mortaliter. Quamuis autem ſit eadem fides, quam habemus de Chriſto & quam antiqui patres habuerunt: tamen quia ipſi præceſſerunt Chriſtum, nos autem ſequimur, eadem fides diuerſis verbis ſignificatur à nobis, & ab eis: nam ab eis dicebatur, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, quæ ſunt verba futuri temporis; nos autem idem repræſentamus per verba præſentis temporis dicentes quòd concepit, & peperit: Et ſimiliter cæremoniæ veteris legis ſignificabant Chriſtum vt naſciturum, & paſſurum; noſtra autem Sacramenta ſignificant ipſum vt natum & paſſum.

Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret Chriſtum naſciturum, quod antiqui piè, & veraciter dicebant: ita etiam peccaret mortaliter, ſi quis nunc cæremonias obſeruaret quas antiqui piè, & fideliter obſeruabant: Et hoc eſt, quod Auguſtinus dicit contra Fauſtum, *Iam non promittitur naſciturus, paſſurus, reſurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo perſonabant; ſed annunciatur, quòd natus ſit, paſſus ſit, reſurrexit, quod hæc Sacramenta, quæ à Chriſtianis aguntur, iam perſonant. p. 2. q. 103. a. 4. in corp.*

Quær. 24. an præcepta iudicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant: & vtrum abſque peccato obſeruari poſſint.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iudicialia præcepta non habuerunt perpetuam obligationem, ſed ſunt euacuata per aduentum Chriſti: aliter tamen quàm cæremonialia. nam cæremonialia adeo ſunt euacuata, vt non ſolùm ſint

mortua, ſed etiam *mortifera* obſeruantibus poſt Chriſtum, maximè poſt Euangelium diuulgatum: præcepta autem iudicialia ſunt quidem *mortua*, quia non habent vim obligandi; non tamen ſunt *mortifera*, quia ſi quis princeps ordinaret in regno ſuo illa iudicialia obſeruari, non peccaret; niſi fortè hoc modo obſeruarentur, vel obſeruari mandarentur tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione; talis enim intentio obſeruandi eſſet mortifera.

Et huius differentiæ ratio poteſt accipi ex hoc quòd præcepta cæremonialia ſunt figuralia primò, & per ſe tanquam inſtituta principaliter ad figurandum Chriſti myſteria vt futura: & ideo ipſa obſeruatio eorum præiudicat fidei veritati, ſecundùm quam confitemur illa myſteria iam eſſe completa: præcepta autem iudicialia non ſunt inſtituta ad figurandum, ſed ad diſponẽdum ſtatũ illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum; & ideo mutato ſtatu illius populi, Chriſto iam veniente, iudicialia præcepta obligationem amiſerunt. Lex enim fuit pædagogus ducens ad Chriſtum, vt dicitur ad Gal. 3. Quia tamen huiuſmodi iudicialia præcepta non ordinantur ad figurandum, ſed ad aliquid fiendum, ipſa eorum obſeruatio abſolutè non præiudicat fidei veritati: ſed intentio obſeruandi, tanquam ex obligatione legis, præiudicat veritati fidei; quia per hoc haberetur, quòd ſtatus prioris populi adhuc duraret, & quòd Chriſtus nondum veniſſet. *p. 2. q. 104. a. 3. in corp.*

Alia plura, quæ leges concernunt, habentur ſupra. v. Conſuetudo. Diſpenſatio. Iudicium. Ius, & iuſtitia. & infra. v. Obedientia. Præceptum. Regula, & Religio.

Inter propoſitiones à S. P. Alexandro 7. damnatas, hæc eſt 28. populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

LIBERALITAS.

Quær. 1. vtrum liberalitas ſit virtus.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd Ambroſius in 1. de offic. dicit: quòd *in Euangelio multas diſciplinas accepimus iuſtæ liberalitatis*: ſed in Euangelio non docentur niſi ea, quæ ad virtutem pertinent: ergo liberalitas eſt virtus. 2. 2. *q.* 117. *a.* 1. *in argum. ſed contra: & in corp.*

Qu. 2. quomodo intelligendum ſit illud Philoſophi in 4. ethic. liberalis eſt non reſpicere ad ſe ipſum, ita quòd ſibi minora derelinquit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Ambroſius, & Baſilius dicunt, ſuperabundantia diuitiarum datur aliquibus à Deo, vt meritum bonæ diſpenſationis acquirant: pauca autem vni ſufficiunt: & ideo liberalis plura laudabiliter in alios expendit, quàm in ſe ipſum. Debet autẽ homo ſemper magis ſibi prouidere in ſpiritualibus bonis, in quibus vnuſquiſque ſibi præcipuè ſubuenire poteſt. Et tamen in rebus temporalibus non pertinet ad liberalem, vt ſic alijs intendat, quòd omnino

ſe, & ſuos deſpiciat: vnde Ambroſius dicit in 1. de offic. *eſt illa probanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas* 2.2.q.117.a.1.ad 1.

Quæritur 3. quomodo ſit intelligendum illud quod Philoſophus ait ibidem: liberalis non eſt acceptiuus pecuniæ, neque cuſtoditiuus, ſed emiſſiuus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad liberalem non pertinet ſic diuitias emittere, vt non ſibi remaneat vnde ſuſtentetur, & vnde virtutis opera exequatur, quibus ad fœlicitatem peruenitur: vnde Philoſopus dicit in 4. ethic. quòd *liberalis non negligit propria, volens per hoc quibuſdam ſufficere*: & Ambroſius dicit in 1. de offic. quòd *Deus non vult ſimul effundi opes, ſed diſpenſari. Niſi fortè vt Heliſæus, qui boues ſuos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nullâ curâ teneretur domeſticâ*: quod pertinet ad ſtatum perfectionis ſpiritualis vitæ. Eſt tamen ſciendum, quòd hoc ipſum, quod eſt ſua liberaliter largiri, inquantum eſt actus virtutis, ad beatitudinem ordinatur. 2.2.q.117.a.1.ad 2.

Qu. 4. an poſſint aliqui eſſe liberales, & aliunde vitioſi; & vtrum virtuoſi poſſint eſſe liberales, licèt ſint pauperes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus ait in 4. ethic. *illi, qui conſumunt multas res in intemperantiis, non ſunt liberales, ſed prodigi*: Et ſimiliter quicunque effundit quæ habet, propter quæcunque alia peccata: vnde & Ambroſius dicit in 1. de offic. *ſi adiuues eum, qui poſſeſſiones aliorum eripere conatur, non probatur largitas: nec illa perfecta eſt liberalitas, ſi iactantiæ cauſâ magis, quàm miſericordia largiaris*. Et ideo illi, qui carent alijs virtutibus, licèt in aliqua mala opera multa expendant, non ſunt liberales. Nihil etiam prohibet aliquos multa in bonos vſus expendere, & habitum liberalitatis non habere: ſicut & aliarum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant; licèt non eodem modo quo virtuoſi. Similiter etiam nihil prohibet aliquos virtuoſos licèt ſint pauperes, eſſe liberales. Vnde Philoſophus dicit 4. ethici *ſecundùm ſubſtantiam*, ideſt facultatem diuitiarum, *liberalitas dicitur: non enim conſiſtit in multitudine datorum; ſed in dantis habitu*: Et Ambr. dicit in 1. de officijs; quòd *affectus aut diuitem collatorem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit*. 2.2.q.117.a.1. ad 3.

Qu. 5. quomodo ad prudentiam pertineat diuitias conſeruare vel eas liberaliter dare: & cur vt ait Philoſophus 4. ethic. illi qui non acquiſierunt pecuniam, ſed ſuſceperunt acquiſitam ab aliis, liberaliùs eam expendunt, quia ſunt inexperti indigentiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad prudentiam pertinet cuſtodire pecuniam, ne ſurripiatur, aut inutiliter expendatur: ſed vtiliter eam expendere non eſt minoris prudentiæ, quàm vtiliter eam conſeruare, ſed maioris: quia plura ſunt attendenda circa vſum pecuniæ, qui aſſimilatur motui, quàm circa conſeruationem, quæ aſſi-

Digitized by Google

milatur quieti. Quòd autem illi, qui ſuſceperunt pecunias ab alijs acquiſitas, liberaliùs expendunt, quaſi exiſtentes inopiæ inexperti, ſi propter ſolam hanc inexperientiam liberaliter expenderent, non haberent virtutem liberalitatis. Sed quandoque huiuſmodi inexperientia ſe habet ſolùm ſicut tollens impedimentum liberalitatis, ita quòd promptiùs liberaliter agant. Timor enim inopiæ ex eius experientia procedens impedit quandoque eos, qui acquiſierunt pecuniam, ne eam conſument liberaliter agendo: & ſimiliter amor, quo eam amant, tanquam proprium effectum, vt philoſophus dicit in 4. ethic. 2.2. *q.* 117. *a.* 4. *ad* 1.

Qu. 6. cur liberalis quandoque triſtatur de his quæ dedit; neque etiam dat omnibus, vt dicitur in 4. ethic.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad liberalitatem pertinet conuenienter vti pecuniâ, & per conſequens conuenienter dare, quod eſt quidam pecuniæ vſus: quælibet autem virtus triſtatur de contrario ſui actus, & vitat eius impedimenta: ei autem, quod eſt conuenienter dare, duo opponuntur, ſcilicèt non dare, quod conuenienter eſt dandum, & dare aliquid inconuenienter. Vnde de vtroque triſtatur liberalis, ſed de primo magis, quia plus opponitur proprio actui: & ideo etiam non dat omnibus: impediretur enim actus eius, ſi quibuſlibet daret: non enim haberet, vnde alijs daret, quibus dare conuenit. 2.2. q.117. *a.*4. *ad* 2.

Quæritur 7. quomodo ſit intelligendum illud Philoſophi 4. ethic. liberalis non eſt petitiuus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd dare, & accipere ſe habent ſicut agere, & pati: non eſt autem idem principium agendi, & patiendi: vnde quia liberalitas eſt principium dationis, non pertinet ad liberalem, vt ſit promptus ad recipiendum; & multò minùs ad petendum: vnde verſus.

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi:
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Ordinat autem ad dandum aliqua ſecundùm conuenientiam liberalitatis, ſcilicèt fructus propriarum poſſeſſionum, quos ſollicitè procurat, vt eis liberaliter vtatur. 2.2. q. 117. *a.*4. *ad* 3.

Quær. 8. quomodo liberalitas magis pertineat ad iuſtitiam, quàm ad charitatem.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd datio beneficentiæ, & miſericordiæ procedit ex eo, quòd homo eſt aliqualiter affectus circa eum, cui dat: & ideo talis datio pertinet ad charitatem, ſiue ad amicitiam. Sed datio liberalitatis prouenit ex eo, quòd dans eſt aliqualiter affectus circa pecuniam dum eam non concupiſcit, neque amat: vnde non ſolùm amicis, ſed etiam ignotis dat, quando oportèt: vnde non pertinet ad charitatem, ſed magis ad iuſtitiam, quæ eſt circa res exteriores. 2. 2. *q.* 117, *a.* 5. *ad* 3.

Quær. 9. vtrùm liberalitas ſit maxima virtutum: & quomodo ſicut ait

D. Ambroſius in lib. 1. de offic. iuſtitia excellentior videtur liberalitate, ſed liberalitas gratior. & Philoſ. dicit in 1. Rhet. quòd fortes, & iuſti maximè amantur, poſt eos liberales.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd qualibet virtus tendit in aliquod bonum: vnde quantò aliqua virtus in maius bonum tendit, tantò melior eſt. Liberalitas autem tendit in aliquod bonum dupliciter: vno modo primò, & per ſe, alio modo ex conſequenti. Primò quidem, & per ſe tendit ad ordinandam propriam affectionem, circa poſſeſſionem pecuniarum, & vſum: & ſic ſecundùm hoc præfertur liberalitati & temperantia, quæ moderatur concupiſcentias, & delectationes pertinentes ad proprium corpus; & fortitudo, & iuſtitia, quæ ordinantur quodammodo in bonum commune, vna quidem tempore pacis, alia verò tempore belli: & omnibus præferuntur virtutes, quæ ordinant in bonum diuinum: nam bonum diuinum præeminet cuilibet bono humano: & in bonis humanis bonum publicum præeminet bono priuato; in quibus bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum. Alio modo ordinatur liberalitas ad aliquod bonum ex conſequenti. Et ſecundùm hoc liberalitas ordinatur in omnia bona prædicta: ex hoc enim quòd homo non eſt amarinus pecuniæ, ſequitur quòd de facili vtatur eâ & ad ſeipſum, & ad vtilitatem aliorum, & ad honorem Dei: & ſecundùm hoc, habet quandam excellentiam ex hoc quòd vtilis eſt ad multa. Quia tamen vnumquodque magis iudicatur ſecũdùm id, quod primò & per ſe competit ei, quàm ſecundùm id, quod conſequenter ſe habet: ideò dicendum eſt liberalitatem non eſſe maximam virtutum. 2. 2. *q. 117. a. 6. in corp.*

Quærit. 10. quomodo ſit intelligendum illud Boëtij in lib. de conſ. Largitas maximè claros facit: Et illud Philoſophi in 4. Ethic. inter virtuoſos maximè liberales amantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd liberales maximè amantur, non quidem amicitiâ honeſti, quaſi ſint meliores; ſed amicitiâ vtilis, quaſi ſint vtiliores in exterioribus bonis, quæ communiter homines maximè cupiunt. Et etiam propter eandem cauſam clari redduntur. *2. 2. q. 117. a. 6. ad 3.*

LITIGIVM.

Quær. 1. in quo conſiſtat litigium, & quomodo opponatur amicitiæ.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd propriè litigium in verbis conſiſtit; cùm ſcilicet vnus verbis alterius contradicit; in qua quidem contradictione duo poſſunt attendi: quandoque enim contingit contradictio propter perſonam dicentis, cui contradicens conſentire recuſat propter defectum amoris animos vnientis: & hoc videtur ad diſcordiam pertinere charitati contrariam: quandoque verò contradictio oritur ratione perſonæ, quam aliquis contriſtare non veretur: & ſic fit litigium, quod prædictæ amicitiæ, vel affabilitati opponi-

aliquas operationes ſe extendit, laborat,& ex hoc fatigatur ; præſertim quia in operationibus animæ ſimul etiam laborat corpus , inquantum ſcilicet anima intellectiua vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia connaturalia homini : Et ideo quando anima vltra ſenſibilia eleuatur operibus rationis intenta , naſcitur exinde quædam fatigatio animalis , ſiue homo intendat operibus rationis practicæ , ſiue ſpeculatiuæ : magis tamen ſi operibus contemplationis intendat, quia per hoc magis à ſenſibilibus eleuatur , quamuis fortè in aliquibus operibus exterioribus rationis practicæ maior labor corporis exiſtat:in vtriſque tamen tantò aliquis magis altero fatigatur , quantò vehementiùs operibus rationis intendit.

Sicut autem fatigatio corporalis ſoluitur per corporis quietem, ita etiam oportet quòd fatigatio animalis ſoluatur per animæ quietem : quies autem animæ eſt delectatio : & ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermiſsâ intentione ad inſiſtendum ſtudio rationis, ſicut in collationibus Patrum legitur , quòd B. Ioannes Euangeliſta, cùm quidam ſcandalizarentur , quòd eum cum diſcipulis ſuis ludentem inuenerant,dicitur mandaſſe vni eorum , qui arcum gerebat , vt ſagittam traheret :quod cùm pluries feciſſet , quæſiuit vtrum hoc continuè facere poſſet : qui reſpondit,quòd ſi hoc continuè faceret , arcus frangeretur : Vnde B. Ioannes ſubintulit , quòd ſimiliter animus hominis frangeretur , ſi nunquam à ſua intenſione relaxaretur. Huiuſmodi autem dicta , vel facta , in quibus non quæritur niſi delectatio animalis, vocantur ludicra, vel iocoſa : Et ideo neceſſe eſt talibus interdum vti, quaſi ad quandam animæ quietem , & hoc eſt quod Philoſophus dicit in 4. eth. quòd *in huius vita conuerſatione quædam requies cum ludo habetur.* Et ideo oportet interdum aliquibus talibus vti.

Circa quæ tamen videntur tria præcipuè eſſe cauenda. Quorum primum , & principale eſt, quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus , vel verbis turpibus , vel nociuis:Vnde Tullius dicit in primo de offic. quòd *vnũ genus iocandi eſt illiberale, petulans , flagitioſum , obſcœnum.* Aliud autem attendendum eſt , ne totaliter grauitas animæ reſoluatur : Vnde Ambroſius dicit in primo de offic. *Caueamus ne dum relaxare animum volumus , ſoluamus omnem harmoniam , quaſi concentum quendam bonorum operum* : Et Tullius dicit in primo de officiis,quòd *ſicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena ; ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat.* Tertiò autem attendendum eſt , ſicut & in omnibus aliis humanis actionibus,vt congruat perſonæ & tẽpori& loco,& ſecundùm alias circunſtantias debitè ordinetur , vt ſcilicet *ſit & tempore , & homine dignus* , vt Tullius dicit ibidem.

Huiuſmodi autem ſecundùm regulam rationis ordinantur:Habitus autem ſecundùm rationem operans eſt virtus moralis:Et ideo circa ludos poteſt eſſe aliqua vir-

tus, quam Phil. lib. 4. eth. cap. 8. *Eutrapeliam* nominat, & dicitur aliquis *Eutrapelus* à bona conuerſione, quia ſcilicet benè conuertit aliqua dicta, vel facta in ſolatium, & inquantum per hanc virtutem homo refrænatur ab immoderantia ludorum, ſub modeſtia continetur. 2. 2. q. 168. *a.* 2. *in corp.* 4. *ſent. d.* 16. *q.* 4. *a.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.*

Quær. 2. *quomodo intelligatur D. Amb. in* 1. *de officijs dicens; væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus. Non ſolùm ergo profuſos, ſed etiam omnes iocos declinandos arbitror.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, iocoſa debent congruere negotiis & perſonis: vnde & Tullius dicit in 1. Rhet. quòd *quando auditores ſunt defatigati non eſt inutile ab aliqua re noua, aut ridicula oratorem incipere, ſi tamen rei dignitas non adimit iocandi facultatem*: Doctrina autem ſacra maximis rebus intendit ſecundùm illud Prouerb. 8. *audite quoniam de rebus magnis locutura ſum*: vnde Amb. non excludit vniuerſaliter iocum à conuerſatione humana, ſed à doctrina ſacra: vnde præmittit, *licèt interdum honeſta ioca, ac ſuauia ſint, tamen ab Eccleſiſtica abhorrent regula, quoniam in ſcripturis ſanctis non reperimus ea quemadmodum vſurpare poſſimus.* 2. 2. q. 168. *art.* 3. *ad* 1.

Qu. 3. *quomodo intelligi debeat D. Chryſoſtomus dicens, non dat Deus ludere, ſed Diabolus. Audi quid aliquando ludentes paſſi ſunt: ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verbum illud Chryſoſt. eſt intelligendum de illis, qui inordinatè ludis vtuntur, & præcipuè eorum qui finem in delectatione ludi conſtituunt. Sicut de quibuſdam dicitur Sapi. 15. *æſtimauerunt eſſe ludum vitam noſtram*: contra quos dicit Tullius in 1. de offic. *non ita generati à natura ſumus, vt ad ludum, & iocum facti eſſe videamur; ſed ad ſeueritatem potius, & ad quadam ſtudia grauiora, atque maiora. ibidem ad* 2.

Qu. 4. *quomodo ludo vtendum ſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ipſæ operationes ludi ſecundùm ſuam ſpeciem non ordinantur ad aliquem finem, ſed delectatio quæ in talibus actibus habetur, ordinatur ad aliquam animæ recreationem, & quietem, & ſecundùm hoc, ſi fiat moderatè, licet vti ludo: Vnde Tullius dicit in 1. de offic. *ludo, & ioco vti quidem licet: ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tum cùm grauibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. ibidem ad* 3.

Quær. 5. *an, & quando ludus ſit meritorius.*

Reſp. ſupra. v. *actus humanus quæſt.* 6.

Qu. 6. *quænam ſit differentia ludorum; & quibus vti poſſint etiam ipſi pœnitentes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ludorum triplex eſt differentia: quidam enim ludi ſunt, qui ex ſeipſis turpitudinem habent, & tales ludi ab omnibus vitandi

candi ſunt, & præcipuè à pœnitentibus, qui per fletum peccata corrigere debent; ſicut ludi, qui in theatris agebantur ad luxuriam prouocantes: Alij ludi ſunt, qui ex gaudio deuotionis procedunt, ſicut Dauid dixit, *Ludam, & vilior fiam coram Domino 2. Reg. 4.* & tales ludi non ſunt vitandi, ſed laudandi, & æmulandi: Quidam autem ludi ſunt nullam turpitudinem habentes, quos Philoſophus *liberales* vocat; & hi ſunt materia virtutis, ſcilicet Eutrapeliæ: Et ideo ſeruatis debitis circunſtantiis poſſunt laudabiliter fieri ad quietem propriam, & aliis delectabiliter conuiuendum.

Sed contingit in eis eſſe peccatum; eo quòd debitæ circunſtantiæ non ſeruantur: vnde in talibus ludis aliquid decet vnum, quod non decet alium: & in his etiam ludis pœnitens ſe debet habere aliter quàm alij, inquantùm pœnitentia fletum requirit: tamen eis moderatè vti poteſt ſecundùm quòd ad recreationem animi pertinent, aut ad ſocietatem eorum, cum quibus homo conuiuit: vnde Seneca dicit: *ſic te gere ſapienter, vt nullus te habeat tanquam aſperum, nec etiam contemnat quaſi vilem. 4. ſ. d. 16. q. 4. a. 2. q. 1. in corp. 2. 2. q. 168. a. 4. ad 1.*

Quæritur 7. an in exceſſu ludi ſit peccatum: & quandonam ſit mortale aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in omni eo, quod eſt dirigibile ſecundùm rationem ſuperfluum dicitur quod regulam rationis excedit: diminutum autem dicitur ſecundùm quòd deficit à regula ration. Ludicra autem ſiue iocoſa verba vel facta ſunt dirigibilia ſecundùm rationem: & ideo ſuperfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis: quod quidẽ poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ex ipſa ſpecie actionum quæ aſſumuntur in ludum, quod quidem iocandi genus ſecundùm Tullium dicitur *illiberale, petulans, flagitioſum, obſcænum*; quando ſcilicet vtitur aliquis causâ ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de ſe ſunt peccata mortalia: & ſic patet quòd exceſſus in ludo eſt peccatum mortale.

Alio autem modo poteſt eſſe exceſſus in ludo ſecundùm defectum debitarum circumſtantiarum, puta cùm aliqui vtuntur ludo, vel tẽporibus vel locis indebitis, aut etiam præter conuenientiam negotij, ſeu perſonæ: & hoc quidem quandoque poteſt eſſe peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cuius delectationem præponit aliquis dilectioni Dei: ità quòd contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ talibus ludis vti non refugiat. Quandoque autem eſt peccatum veniale: puta ſi aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quòd propter hoc velit aliquod contra Deum committere. *2. 2. q. 168. a. 3. in corp.*

Quæritur 8. an qui per ludum dicit aut facit aliquid, quod alter reputat iniuriam, excuſetur à peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliqua ſunt peccata propter ſolam intentionem; quia ſcilicet in iniuriam alicuius fiunt: quam quidem intentionem excludit lu-

dus, cuius intentio ad delectationem fertur, non ad iniuriam alicuius: & in talibus ludus excuſat à peccato, vel peccatum diminuit: quædam vero ſunt quæ ſecundùm ſuam ſpeciem ſunt peccata, ſicut homicidium, fornicatio, & ſimilia: & talia non excuſantur per ludum; quinimò ex his ludus redditur flagitioſus, & obſcœnus. *2.2.q. 168.a. 3. ad 1.*

Quæritur 9. an etiam in defectu ludi poſſit eſſe peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omne quod eſt contra rationem in rebus humanis, vitioſum eſt: eſt autem contra rationem, vt aliquis alijs ſe oneroſum exhibeat; puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit: Vnde Seneca dicit, *Sic te geras ſapienter, quòd nullus te habeat tanquam aſperum, nec contemnat quaſi vilem:* Illi autem, qui in ludo deficiunt, nec ipſi dicunt aliquid ridiculum, & dicentibus moleſti ſunt; quia ſcilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt; Et ideo tales vitioſi ſunt, & dicuntur *duri, & agreſtes*, vt Philoſophus dicit in 4. Eth.

Sed quia ludus eſt vtilis propter quietem, & delectationem: delectatio autem, & quies non propter ſe quæruntur in humana vita, ſed propter operationem, vt dicitur in 10. eth. Ideo defectus ludi minùs eſt vitioſus, quàm ludi ſuperexceſſus: Vnde Philoſophus dicit in 9. eth. Quòd *pauci amici propter delectationem ſunt habendi, quia parum de delectatione ſufficit ad vitam, quaſi pro condimento; ſicut parum de ſale ſufficit in cibo. 2. 2. q. 168. a. 4. in corp.*

Qu. 10. in quo ſenſu D. Aug. de pœnitente dicit: cohibeat ſe à ludis, & à ſpectaculis ſæculi, qui perfectam vult conſequi remiſſionis gratiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia pœnitentibus luctus indicitur pro peccatis; ideo inter dicitur eis ludus, nec hoc pertinet ad vitium defectus: quia hoc ipſum eſt ſecundùm rationem, quòd in eis ludus diminuatur, *in eodem a. 4. ad 1.*

Qu. 11. in quo ſenſu dicatur Hieremiæ 15. non ſedi in conſilio Ludentium. Et Tobiæ 3. nunquam cum ludentibus miſcui me.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Hierem. ibi loquitur ſecundùm congruentiam temporis, cuius ſtatus magis luctum requirebat: vnde ſubdit, *ſolus ſedebam, quoniam amaritudine repleſti me.* quod autem dicitur Tob. 3. pertinet ad ludum ſuperfluum, quod patet ex eo quod ſequitur, *neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui. ibid. ad 2.*

Qu. 12. quomodo ſicut Andronicus ait, auſteritate eſt virtus, ſecundùm quam aliqui neque afferunt aliis delectationes collocutionum, neque ab his recipiunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd auſteritas ſecundùm quod eſt virtus, non excludit omnes delectationes, ſed ſuperfluas, & inordinatas: vnde videtur pertinere *ad affabilitatem*, quam Philoſophus *amicitiam* nominat, vel *eutrapeliam*, ſiue *iucunditatem*. Et

Digitized by Google

tamen nominat & diffinit eam ſic, ſecundùm conuenientiam ad temperantiam, cuius eſt delectationes reprimere. *ibid. ad 3.*

Qu. 13. cur ſicut Philoſ. dicit 4. Ethic. turpe eſt aleatorum lucrum; & acceptiones eorum ſunt illiberales: & quid de tali lucro fieri debeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ipſum lucrum aleatorum eſt lege prohibitum: ſed in hoc diſtinguendum eſt: quia aliquid circa ludum iſtum eſt prohibitum lege naturali, aut diuinâ, vt quòd aliquis lucretur ab his qui rem ſuam alienare non poſſunt, ſicut ſunt minores & furioſi; & iterum quòd aliquis alterum trahat ex cupiditate lucrandi: ſed ſecundùm ius poſitiuum, omne tale lucrum eſt interdictum: quia autem ius poſitiuum per diſſuetudinem abrogatur, non autem ius diuinum; ideo dicendum videtur quòd ſi lucratus eſt ab eo qui non habuit poteſtatem alienandi, tenetur ad reſtitutionem ei; & ſic non poteſt facere eleemoſinam inde! Si autem ludit cum eo qui habet poteſtatem alienandi quæ ſua ſunt, ſi tractus luſit, & amiſit, poteſt repetere; ſi lucratus eſt, non tenetur reſtituere; quia ille qui amiſit non eſt dignus recipere: nec poteſt licitè retinere, niſi ius poſitiuum per contrariam conſuetudinem eſſet alicubi abrogatum. Si autem alium traxerit, ſi amiſit, non competit ei repetitio: Si autem lucratus eſt, tenetur ad reſtituendum illi, à quo lucratus eſt, & non poteſt inde facere eleemoſynam. *4. ſ. d. 15. q. 2. a. 4. q. 3. ad 2.*

Quær. 14. quare Philoſ. 4. Eth. dicit quòd turpiter acquiritur, quod per aleas acquiritur: & quòd aleatores ab amicis lucrantur, quibus dare oportet: & quandonam tale lucrum reſtitui debeat; aut ex ipſo eleemoſina fieri.

Reſp. D. Thomas, circa illa quæ per aleas acquiruntur, videtur eſſe aliquid illicitum ex diuino iure; ſcilicet quòd aliquis lucretur ab his qui rem ſuam alienare non poſſunt; ſicut ſunt minores & furioſi, & huiuſmodi; & quòd aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi, ad ludum; & quòd fraudulenter ab eo lucretur: & in his caſibus tenetur ad reſtitutionem: & ſic de eo non poteſt eleemoſinam facere: aliquid autem videtur eſſe vlteriùs illicitum ex iure poſitiuo ciuili, quod prohibet vniuerſaliter tale lucrum: Sed quia ius ciuile non obligat omnes, ſed eos ſolos qui ſunt his legibus ſubiecti; & iterum, per diſſuetudinem abrogari poteſt; ideo apud illos qui ſunt huiuſmodi legibus obſtricti, tenentur vniuerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur: niſi fortè contraria conſuetudo præualeat, aut niſi aliquis lucratus ſit ab eo qui traxit eum ad ludum; in quo caſu non tenetur reſtituere; quia ille qui amiſit, non eſt dignus recipere: nec poteſt licitè retinere tali iure poſitiuo durante: vnde debet de hoc eleemoſynam facere in hoc caſu. *2. 2. q. 32. a. 7. ad 2.*

De hiſtrionum officio, de ludis chorealibus, & de comediis, ſiue ſpectaculis videatur ſupra. v. Hiſtrio, & v. chorea; & infra. v. ſpectaculum.

LVXVRIA.

Qu. 1. vnde dicatur luxurioſus: & vtrum luxuria maximè verſetur circa voluptates venereas.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Iſidorus dicit in lib. etymologiarum, *luxurioſus aliquis dicitur, quaſi ſolutus in voluptates*: maximè autem voluptates venereæ animam hominis ſoluunt: & ideo circa voluptates venereas maximè luxuria conſideratur, 2.2. *q.* 153. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. an & quando actus venereus exerceri poſſit abſque peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum in humanis actibus eſt, quod eſt contra ordinem rationis; habet autem hoc rationis ordo, vt quælibet conuenienter ordinet in ſuum finem: & ideo non eſt peccatum, ſi per rationem vtatur rebus aliquibus ad finem, ad quem ſunt, modo & ordine conuenienti; dummodo ille finis ſit aliquod verè bonum.

Sicut autem eſt verè bonum, quòd conſeruetur corporalis natura vnius indiuidui; ita etiam eſt quoddam bonum excellens, quòd ſeruetur natura ſpeciei humanæ: ſicut autem ad conſeruationem vitæ vnius hominis ordinatur vſus ciborum; ita etiam ad conſeruationem totius humani generi vſus venereorum: vnde Auguſtinus dicit in lib. de bono coniugali, *quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis*. Et ideo ſicut vſus ciborum poteſt eſſe abſque peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundùm quòd competit ſaluti corporis; ita etiam & vſus venereorum poteſt eſſe abſque omni peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundùm quòd eſt conueniens ad finem generationis humanæ. 2.2. *q.* 153. *a.* 2. *in corp.* 4. *ſent. d.* 26. *q.* 1. *a.* 3. *in corp.*

Quær. 3. vtrum circa vſum venereorum debeat homo eſſe maximè regulatus: ita vt ſi quid circa ipſum deficiat, ſit vitioſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quantò aliquid eſt magis neceſſarium, tantò magis oportet vt circa illud rationis ordo ſeruetur; vnde per conſequens magis eſt vitioſum, ſi ordo rationis prætermittatur. Vſus autem venereorum eſt valde neceſſarius ad bonum commune, quod eſt conſeruatio humani generis; & ideo circa hoc maximè attendi debet rationis ordo; & per conſequens ſi quid circa hoc fiat præterquam ordo rationis habet, vitioſum erit: Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, vt ordinem, & modum rationis excedat circa venerea: & ideo abſque dubio luxuria eſt peccatum. 2.2. *q.* 153. *a.* 3. *in corp.*

Quær. 4. quandonam actus luxuriæ ſit peccatum mortale, aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd actus luxuriæ poteſt eſſe inordinatus dupliciter: vno modo propter ſolam inordinationem concupiſcentiæ; alio modo etiam propter inordinationem ipſius actus.

Quando ergo eſt peccatum luxuriæ propter ſolam inordinatio-

ſem concupiſcentiæ, ſicut cùm aliquis libidinosè accedit ad ſuam vxorem, tunc eſt diſtinguendum: quia quandoque eſt talis inordinatio, quæ excludit ordinem finis vltimi, puta cùm aliquis intantùm concupiſcit delectationem veneream, quòd ab ea non abſtineret propter præceptum Dei, & quòd illam mulierem cognoſcere vellet, vel etiam aliam præter matrimonij legem; & ſic eſt peccatum mortale, quia concupiſcentia non refrænatur intra limites matrimonij.

Aliquando verò inordinatio concupiſcentiæ non tollit ordinem vltimi finis, quando ſcilicet aliquis etſi ſuperabundat in concupiſcentia delectationis venereæ, tamen priùs ab ea abſtineret, quàm contra præceptum Dei ageret, nec iſtam mulierem, aut aliam cognoſceret, ſi ſua vxor non eſſet; & tunc concupiſcentia ſiſtit infra limites matrimonij, & eſt peccatum veniale.

Si verò ſit actus luxuriæ peccatum propter ipſam inordinationem actus, quia ſcilicet actus non eſt proportionatus generationi, & educationi prolis, tunc dico, quòd ſemper eſt peccatum mortale. Videmus enim quòd peccatum mortale eſt non ſolùm homicidium, per quod vita hominis tollitur, ſed etiam furtum, per quod ſubtrahuntur exteriora bona, quæ ad vitam hominis ſuſtentandam ordinantur, vnde dicitur Eccl. 34. *Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*, propinquiùs autem ordinatur ad vitam hominis ſemen humanum, in quo eſt homo in potentia, quàm quæcunque res exteriores; vnde & Philoſophus in ſua politica dicit, *In ſemine hominis eſſe quiddam diuinum*, inquantum ſcilicet eſt homo in potentia. Et ideo inordinatio circa emiſſionem ſeminis, eſt circa vitam hominis in potentia propinqua: Vnde manifeſtum eſt, quòd omnis talis actus luxuriæ eſt peccatum mortale ex ſuo genere.

Et quia appetitus interior accipit bonitatem, vel malitiam ex eo quod appetitur: inde eſt, quòd etiam appetitus huiuſmodi actus inordinati eſt peccatum mortale, ſi ſit completus, ſcilicet cum ratione deliberata; alioquin eſt peccatum veniale. *qu. 15. de malo a. 2. in corp.*

Qu. 5. an & quare luxuria ſit vitium capitale.

Reſp, D. Thomas, dicendum quòd vitium capitale eſt, quod habet finem multùm appetibilem: ita quòd eius appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio tanquã ex principali oriri dicuntur: finis autẽ luxuriæ eſt delectatio venereorũ quæ eſt maxima: Vnde huiuſmodi delectatio eſt maximè appetibilis: tum propter vehementiam delectationis; tum etiam propter connaturalitatem huiuſmodi concupupiſcentiæ: Vnde manifeſtum eſt, quòd luxuria eſt vitium capitale. *2. 2. q. 153. a. 4. in corp. q. 15. de malo. a. 4. in corp.*

Qu. 6. an conuenienter aſſignentur à D. Gregorio 31. mor. octo filiæ luxuriæ; ſcilicet cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror vel deſperatio futuri.

Digitized by Google

moraliſ, ſed eius ſpecies ſumitur ab obiecto, quod eſt materia actus; ideo oportuit ſpecies luxuriæ aſſignari ex parte materiæ, vel obiecti, quæ quidem poteſt non conuenire rationi rectæ dupliciter.

Vno modo quia habet repugnantiam ad finem venerei actus; & ſic inquantum impeditur generatio prolis, eſt vitium contra naturam, quod eſt in omni actu venereo, ex quo generatio ſequi non poteſt: inquantum autem impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ eſt fornicatio ſimplex, quæ eſt ſoluti cum ſoluta.

Alio modo materia, in qua exercetur actus venereus poteſt eſſe non conueniens rationi rectæ per comparationem ad alios homines: & hoc dupliciter; primò quidem ex parte ipſius fœminæ, cui aliquis commiſcetur, quia ei debitus honor non ſeruatur; & ſic eſt inceſtus, qui conſiſtit in abuſu mulierum conſanguinitate, vel affinitate iunctarum; ſecundò, ex parte eius in cuius poteſtate eſt fœmina, quæ ſi eſt in poteſtate viri, eſt adulterium: ſi autem eſt in poteſtate patris, eſt ſtuprum; ſi non inferatur violentia: raptus autem, ſi inferatur. Diuerſificantur autem iſtæ ſpecies magis ex parte fœminæ, quàm viri: quia in actu venereo fœmina ſe habet ſicut patiens, & per modum materiæ, vir autem per modum agentis: Dictum eſt autem, quòd prædictæ ſpecies ſecundùm differentiam materiæ aſſignantur. 2.2.q. 154. a. 1. *in corp. q.15. de malo art.3. in corp.*

Quæritur 8. an pollutio, Sodomia, & beſtialitas ſint diuerſæ ſpecies luxuriæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ibi eſt determinata luxuriæ ſpecies, vbi ſpecialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter: Vno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ, quod eſt commune in omni vitio luxuriæ: alio modo, quia etiam ſuper hoc repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui conuenit humanæ ſpeciei, quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem poteſt pluribus modis contingere.

Vno quidem modo ſi abſque omni concubitu cauſâ delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidã mollitiem vocant: alio modo, ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei, quod vocatur beſtialitas. Tertiò, ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam, vt Apoſtolus dicit ad Rom. primo, quod dicitur ſodomiticum vitium. Quartum, ſi non ſeruetur modus naturalis concubendi: aut quantùm ad inſtrumentum non debitum; aut quantùm ad alios monſtruoſos, & beſtiales concubendi modos. 2.2.q. 154. a. 11. *in corp.*

Qu. 9. an ſacrilegium ſit etiam ſpecies luxuriæ.

Reſp. v. *Sacrilegium.*

Qu. 10. quænam peccata ſint grauiora inter ſpecies luxuriæ: & vtrum peccata contra naturam, ſint omnium maxima.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in quolibet genere peſſima

eſt principij corruptio, ex quo alia dependent: principia autem rationis ſunt ea, quæ ſunt ſecundùm naturam: nam ratio præſuppoſitis his, quæ ſunt à natura determinata, diſponit alia ſecundùm quod conuenit: & hoc apparet tam in ſpeculatiuis quàm in practicis: & ideo ſicut in ſpeculatiuis error circa ea, quorum cognitio eſt homini naturaliter indita, eſt grauiſſimus, & turpiſſimus: ita in agendis agere contra ea, quæ ſunt ſecundùm naturam determinata, eſt grauiſſimum, & turpiſſimum.

Quia ergo in vitijs, quæ ſunt contra naturam, tranſgreditur homo id quod eſt ſecundùm naturam determinatum circa vſum venereorum: inde eſt quòd in tali materia hoc peccatum eſt grauiſſimum. Poſt quod eſt inceſtus, qui eſt contra naturalem reuerentiam, quam perſonis coniunctis debemus. Per alias autem luxuriæ ſpecies præteritur ſolùm id quod eſt ſecundùm rationem rectam determinatum, ex præſuppoſitione tamen naturalium principiorum: magis autem repugnat rationi, quòd aliquis venereis vtatur non ſolùm contra id, quod conuenit proli generandæ, ſed etiam cum iniuria alterius: & ideo fornicatio ſimplex, quæ committitur ſine iniuria alterius perſonæ, eſt minima inter ſpecies luxuriæ. Maior autem iniuria eſt, ſi quis abutatur muliere alterius poteſtati ſubiecta ad vſum generationis, quàm ad ſolam cuſtodiam; & ideo adulterium eſt grauius quàm ſtuprũ: & vtrumque aggrauatur per violentiam, propter quod raptus Virginis eſt grauius quàm ſtuprum, & raptus vxoris quàm adulteriũ: & hæc omnia etiam aggrauantur ſecundùm rationem ſacrilegij. 2. 2. q. 154. a. 12. *in corp.*

Quær. 11. quænam ſint maiora peccata inter ipſa vitia contra naturam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd grauitas in peccato magis attenditur ex abuſu alicuius rei, quàm ex omiſſione debiti vſus: & ideo inter vitia, quæ ſunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quæ conſiſtit in ſola omiſſione concubitus ad alterum: Grauiſſimum autem eſt peccatum beſtialitatis, quia non ſeruatur debita ſpecies; vnde ſuper illud Geneſis 37. cap. *Accuſauit fratres ſuos crimine peſſimo*, dicit gloſſa quòd *cum pecoribus miſcebantur*: Poſt hoc autem eſt vitium ſodomiticum; cùm ibi non ſeruetur debitus ſexus: poſt hoc autem eſt peccatum ex eo quòd non ſeruatur debitus modus concubendi: magis autem ſi non ſit debitum vas, quàm ſi ſit inordinatio ſecundùm aliqua alia pertinentia ad modum concubitus. 2. 2. q. 154. a. 12. *ad* 4.

Quær. 12. cur Beſtialitas ponitur extra numerum humanarum malitiarum.

Reſp. ſupra v. *Hæreſis qu.* 18.

Qu. 13. cur maximè in peccatis contra naturam fit iniuria Deo; & vtrum ſemper & vbique deteſtanda ſint, & punienda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ordo rationis rectæ eſt ab homine, ita ordo naturæ eſt ab ipſo Deo: & ideo in peccatis contra-

contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit iniuria ipſi Deo ordinatori naturæ: vnde Aug. dicit in 3. Confeſſ. cap. 8. *flagitia quæ ſunt contra naturam, vbique ac ſemper deteſtanda atque punienda ſunt; qualia ſodomitarum fuerunt, quæ ſi omnes gentes facerent, omnes eodem criminis reatu diuinâ lege tenerentur: quæ non ſic fecit homines, vt ſe illo vterentur modo: violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cùm eadem natura, cuius ille author eſt, libidinis peruerſitate polluitur.* 2.2.q.154.a.12.ad 1.

Qu. 13. an huiuſmodi peccata contra naturam ſint grauiora quàm corruptela Sacrilegij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam vitia contra naturam ſunt contra Deum: & tantò ſunt grauiora quàm ſacrilegij corruptela, quantò ordo naturæ humanæ inditus, eſt prior & ſtabilior quàm quilibet ordo ſuperadditus. *Ibid. ad 2.*

Qu. 14. an & quare vitia contra naturam ſimul cum idololatria cœperint & creuerint.

Reſp. infra v. *Sodomia.*

Quær. 15. an D. Iſidorus conuenienter aſſignet quatuor inordinatos actus luxuriæ; ſcilicet turpiloquia, ſcurrilia, ludicra, ſtultiloquia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illa quæ Iſidorus ponit, ſunt quidam inordinati actus exteriores, & præcipuè ad locutionem pertinentes, in qua aliquid eſt inordinatum quadrupliciter. Vno modo propter materiam; & ſic ponuntur turpiloquia: quia enim *ex abundantia cordis os loquitur*, vt dicitur Matthæi 12. Luxurioſi, quorum cor eſt turpibus concupiſcentijs plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Secundò ex parte cauſæ: quia enim luxuria inconſiderationem & præcipitationem cauſat, conſequens eſt quòd faciat prorumpere in verba leuiter, & inconſideratè dicta, quæ dicuntur ſcurrilia. Tertiò quantùm ad finem: quia enim luxurioſus delectationem quærit, verba ſua ad delectationem ordinat, & ſic prorumpit in verba ludicra. Quartò quantùm ad ſententiam verborum, quam peruertit luxuria propter cæcitatem mentis, quam cauſat; & ſic prorumpit in ſtultiloquia, cùm ſuis verbis præfert delectationes quas appetit, quibuſcunque alijs rebus. 2.2. *qu.* 153. *a.* 5. *ad* 4.

Qu. 16. vtrum vitia imprudentiæ, præcipitationis, inconſiderationis, & inconſtantiæ oriantur maximè ex luxuria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Phil. dicit in 6. ethic. *delectatio maximè corrumpit æſtimationem prudentiæ*; & præcipuè delectatio quæ eſt in venereis, quæ totam animam abſorbet, & trahit ad ſenſibilem delectationem: perfectio autem prudentiæ, & cuiuſlibet intellectualis virtutis conſiſtit in abſtractione à ſenſibilibus: vnde cùm prædicta vitia pertineant ad defectum prudentiæ & rationis practicæ, ſequitur quòd ex luxuria maximè oriantur. 2.2. q.53. *a.* 6. *in corp.*

Qu. 17. quomodo luxuria ſpecialiter cauſet inconſtantiam.

Reſ. ſupra v. *Inconſtantia q.3.*

Qu. 18. vtrum ſtultitia quæ eſt peccatum, oriatur maximè ex luxuria

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſtultitia ſecundùm quòd eſt peccatum, prouenit ex hoc quòd ſenſus ſpiritualis hebetatus eſt, vt non ſit aptus ad ſpiritualia diiudicanda: maximè autem ſenſus hominis immergitur ad terrena per luxuriam; quæ eſt circa maximas delectationes, quibus anima maximè abſorbetur: & ideo ſtultitia quæ eſt peccatum, maximè naſcitur ex luxuria. *2.2. q. 46. a.3.in corp.*

Qu.19. cur peccata luxuriæ maximè exprobrabilia ſunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inter vitia intemperantiæ præcipuè ſunt exprobrabilia peccata venerea; tum propter inobedientiam genitalium membrorum; tum etiam propter hoc quòd ratio ab huiuſmodi maximè abſorbetur. *2.2. q. 151.a.4.ad 3.*

Qu.20. quare Philoſophus 7. eth. venerem doloſam appellat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Philoſophus venerem doloſam appellat, hoc dicitur ſecundùm quandam ſimilitudinem, inquantum ſcilicet hominem ſubitò ſurripit, ſicut & in dolis agitur; non tamen per aſtutias, ſed magis per violentiam concupiſcentiæ, & delectationis; vnde & ſubdit quòd *venus furatur intellectum multum ſapientis. 2. 2. quæſt. 55. art.8.ad 1.*

Quær. 21. cur Apoſtolus ad Rom. 1. peccata contra naturam vocat paſſiones ignominiæ, dicens: propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.

Reſp. D. Thomas, dicit *propterea*; ſcilicet quia Dei veritatem in mendacium mutauerunt (*tradidit illos Deus*) non quidem impellendo in malum, ſed deſerendo (*in paſſiones ignominiæ*) ideſt peccata contra naturam: quæ dicuntur paſſiones, ſecundùm quòd propriè paſſio dicitur ex eo quòd aliquid trahitur extra ordinem ſuæ naturæ, puta cùm aqua calefit, aut cùm homo infirmatur: vnde quia per huiuſmodi peccata homo recedit ab ordine naturali, conuenienter dicuntur paſſiones, infra 7. *paſſiones peccatorum.* dicuntur autem paſſiones ignominiæ; quia non ſunt nomine digna, ſecundùm Epheſ. 5. *quæ aguntur in occulto ab eis, turpe eſt dicere.* Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia ſunt, quia per ea homo deducitur ad id quod eſt beſtiale in homine, multò magis peccatum contra naturam, per quod etiam homo à natura beſtiali decidit: Oſeæ 4. *gloriam eorum in ignominiam commutabo. In expoſ. illius cap.1.lect.8.*

Quæritur 22. cur Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. ait: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.

Reſp.D.Thomas, ſecundùm Au-

Digitized by Google

guſtinum hic in gloſſa, qui fornicatur, in corpus ſuum peccat: quia anima eius totaliter carni in illo actu ſubijcitur, ita quòd non poſſit aliud ibi cogitare: vnde in Pſal. 31. dicitur, *nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, In expoſ. illius cap. lect. 3.*

Qu. 23. quare Deus permittit ſuperbos ruere in peccata luxuriæ.

Reſp. v. *Superbia*,

Qu. 24. cur Apoſtolus ad Eph. 5. loquens de fornicatione, & omni immunditia, ideſt omni peccato luxuriæ, ait: nec nominetur in vobis ſicut decet Sanctos.

Reſp. D. Thomas, dicit quòd *nec nominetur &c.* quia in pugna ſpirituali vitia carnalia primò occurrunt vincenda: quia fruſtra pugnat quis contra intrinſeca, niſi primò vincat extrinſeca, ſcilicet carnalia, contra quæ ſemper remanet bellum. Et ideo dicit, *nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos;* ſcilicet abſtinere à factis, à cogitationibus, & à dictis: Eſa. 14. *perdam Babilonis nomen, & reliquias, & progemem, & germen. In expoſ. eiuſdem cap. lect. 2.*

Quæritur 25. quare luxuria vincenda eſt fugiendo ipſam, & omnes ipſius occaſiones.

Reſp. ſupra v. *acedia qu. 5.* & v. *fornicatio qu. 2.*

Qu. 26. quomodo intelligatur illud Iob 31. pepigi fœdus cum oculis meis; vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis? numquid non perditio eſt iniqua, & alienatio operantibus iniuſtitiam?

Reſp. D. Thomas, incipit innocentiam ſuam oſtendere per immunitatem à peccato luxuriæ, quod plures inuoluit; quod quidem peccatum in lubrico poſitum eſt, & niſi aliquis principia vitet, vix à poſterioribus poſſit pedem retrahere. Primum autem in hoc peccato eſt aſpectus oculorum, quo mulier pulchra aſpicitur, & præcipuè virgo: ſecundum autem eſt cogitatio; tertium, delectatio; quartum, conſenſus; quintum, opus: voluit igitur Iob principia huius peccati excludere, vt eo non inuolueretur, vnde dicit: *pepigi fœdus*, ideſt, in corde meo firmaui, ſicut pacta firmantur: *cum oculis meis*, ex quorum ſcilicet aſpectu peruenitur in concupiſcentiam mulierum: & ita ab inſpiciendis mulieribus abſtinere: *vt ne cogitarem de virgine*, ideſt, vt nec primum gradum interiorem attingerem, ſcilicet cogitatione; videbat enim eſſe difficile, ſi in primum incideret, ſcilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, ſcilicet in delectationem & conſenſum. Deinde oſtendit, quare tam ſollicitè hoc peccatum vitauerit: & primò quidem rationem aſſignat ex hoc quòd per peccatum luxuriæ homo maximè videtur à Deo diſcedere: accedit autem homo ad Deum per ſpirituales actus, qui maximè impediuntur per delectationem veneream, vnde ſubdit: *quam enim partem haberes Deus deſuper in me*, quaſi dicat, intantum in me Deus partem habet, inquantum ad ſu-

periora mens mea rapitur: ſi verò per luxuriam mens mea ad carnalem delectationem deiiciatur, nullam partem in me Deus deſuper habebit. Contingit autem quandoque quòd etiam luxurioſi ad horam aliquid de Deo ſpiritaliter cogitent, ſed mox per delectationis concupiſcentiam ad ima vocantur, vnde pars diei in eis firma eſſe non poteſt quaſi hæreditas: vnde ſubdit; *Et hereditatem*, ideſt, firmam poſſeſſionem, *In me*, ſcilicet, ad inferiora prolapſo, habere non poterit: *Omnipotens de excelſis* ideſt, qui in excelſis habitat: vnde oportet, quòd hæreditas eius ſit in iis, qui ſublimia petunt, ſcilicet ſpiritalia, non autem in his qui ad carnalia deſcendunt.

Secundò oſtendit cauſam, quare luxuriæ peccatum vitauerit ex damno quod homini infert, quod eſt duplex: vnum quidem corporale, dum ſcilicet homo propter peccatum luxuriæ incurrit periculum perſonæ & rerum: vnde ſubdit; *nunquid non perditio eſt iniqua*? quaſi dicat, iniquus qui hoc peccato inuoluitur, in perditionem vadit. Aliud verò damnum eſt impedimentum à bonis operibus: vnde ſubdit, *& alienatio operantibus iniquitatem*? quia enim vehemens delectatio magis animum ad ſe trahit, inde eſt quòd homines luxuriæ dediti, à bonis operibus diſcedunt, & etiam à bonis prædicationibus. *In expoſ. eiuſdem cap. lect.* 1.

Quæritur 27. *an miſericordes ſint ab æterna damnatione liberandi, quamuis luxuriæ peccatis ſint ebrii.*

Reſp. ſupra v. *Eleemoſyna* q. 5 *& quatuor ſequentibus.*

De luxuriæ ſpeciebus in particulari agitur ſub propriis titulis: videri etiam poſſunt ea quæ habentur v. incontinentia, intemperantia, meretrix, oſculum, pollutio & tactus.

MACERATIO CARNIS & tactus.

Quær. 1. *quomodo maceratio carnis ſit grata Deo, & poſſit ſub voto cadere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maceratio proprij corporis, puta per vigilias, & ieiunia non eſt Deo accepta, niſi inquantum eſt opus virtutis; quod quidem eſt inquantum cum debita diſcretione fit, vt ſcilicet concupiſcentia refrænetur, & natura non nimis grauetur. Et ſub tali tenore poſſunt huiuſmodi ſub voto cadere: propter quod & Apoſtolus Rom. 12. poſtquam dixerat, exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem: addidit, rationabile obſequium veſtrum. 2. 2. *quæſt.* 88. *a.* 2. *ad* 3. *quæſt.* 147. *a.* 1. *ad* 2. *quæſt.* 188. *a.* 6. *ad* 3.

Quær. 2. *cur Apoſt.* 1. *ad Timoth.* 4. *ait: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt.*

Reſp. D. Thomas, corporalis exercitatio ieiunii & huiuſmodi in ſua natura non ſũt bona, ſed pœnalia, & ſi homo non peccaſſet, nihil horũ fuiſſet, ſed ſunt bona medicinalia. Sicut enim reubarbarum eſt bonum inquantum releuat à cole-

ta., ſic & iſta inquantum comprimunt concupiſcentias: ergo ad iſtud modicum ſunt vtilia. 1. Corinth. 9. *caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo &c.* coloſſ. 3. *mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Et ideo ſi homo eſſet in ſtatu, in quo non poſſet peccare, non indigeret ieiunio & huiuſmodi: vnde Chryſoſt. ſuper illud Math. 16. *venit Ieſus &c.* dicit, Ioannes purus homo, indigebat medicina ieiunii: Chriſtus Deus erat & non purus homo, & ideo huiuſmodi non indigebat: ergo ad modicum vtilis eſt; quia tantùm ad morbum peccati carnalis, non ſpiritualis: quia aliquando propter abſtinentiam homo iracundiam, inanem gloriam, & huiuſmodi incurrit. *In expoſ. eiuſdem cap. lect. 2.*

Quær. 3. cur per diſciplinas, aliaſque corporis macerationes homo retrahatur à voluptatibus ciborum, & venereorum.

Reſp. D. Thomas, magis amamus conſiſtentiam corporis naturalem, quàm delectationem cibi: & ideo timore doloris qui prouenit ex flagellis vel aliis huiuſmodi, quæ contrariantur bonæ conſiſtentiæ corporis, dimittimus delectationem ciborum, vel aliorum huiuſmodi. 1. 2. *quæſt. 35. art. 6. in corp.*

Quæritur 4. in quo ſenſu verum ſit quod D. Auguſtinus dixit in lib. 83. qu. nemo eſt qui non magis dolorem fugiat quàm appetat voluptatem.

Reſp. D. Thomas, quòd illud quod Auguſtinus dicit, quòd dolor magis fugitur quàm voluptas appetatur, eſt verum per accidens, & non per ſe: & hoc patet ex eo quod ſubdit: *quandoquidem etiam videmus immaniſſimas beſtias à maximis voluptatibus abſtinere dolorum metu*: quia contrariantur vitæ, quæ maximè amatur. 1. 2. *q. 35. a. 6. in corp.*

Qu. 5. an & quomodo ſpirituales meditationes carnem affligant, & carnales concupiſcentias deſtruant.

Reſpond. infra v. *meditatio.*

MAGNANIMITAS.

Quær. 1. an & quare magnanimitatis virtus verſatur circa honores.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd magnanimitas ex ſuo nomine importat quandam extenſionem animi ad magna: Conſideratur autem habitudo virtutis ad duo: Primò ad materiam, circa quam operatur: Alio modo ad actum proprium, qui conſiſtit in debito vſu talis materiæ. Et quia habitus virtutis principaliter ex actu determinatur; ex hoc principaliter dicitur aliquis magnanimus, quia habet animum ad aliquem magnum actum. Aliquis autem actus poteſt dupliciter dici magnus: vno modo, ſecundùm proportionem; alio modo abſolutè: Magnus quidem poteſt dici actus ſecundùm proportionem etiam qui conſiſtit in vſu rei paruæ, vel mediocris; puta ſi aliquis illa re optimè vtatur: ſed ſimpliciter, & abſolutè magnus actus eſt, qui conſiſtit in optimo vſu rei

maximæ: Res autem, quæ in vſum hominis veniunt, ſunt res exteriores, inter quas ſimpliciter maximum eſt honor; tum quia propinquiſſimum eſt virtuti, vtpote teſtificatio quædam exiſtens de virtute alicuius; tum etiam quia Deo, & optimis exhibetur; tum etiam quia homines propter honorem conſequendum, & vituperium vitandum alia omnia poſtponunt. Sic autem dicitur aliquis magnanimus ex his, quæ ſunt magna abſolutè, & ſimpliciter, ſicut dicitur aliquis fortis ex his, quæ ſunt difficilia ſimpliciter: & ideo conſequens eſt, quòd magnanimitas conſiſtat circa honores. *2.2. q. 129. a. 1. in corp. 3. ſent. diſt. 33. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 1.*

Quær. 2. quomodo magnanimitatis virtus ſit circa honores, cùm virtuoſi non laudentur ex eo quòd cupiunt honores ſed magis ex eo quòd eos fugiunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi, qui contemnunt honores hoc modo, quòd pro eis adipiſcendis nihil inconueniens faciunt, nec eos nimis appretiantur, laudabiles ſunt: ſi quis autem hoc modo contemneret honores, quòd non curaret facere ea, quæ ſunt digna honore, hoc vituperabile eſſet. Et hoc modo magnanimitas eſt circa honores, vt videlicet ſtudeat facere ea, quæ ſunt honore digna; Non tamen ſic, vt pro magno æſtimet humanum honorem. *2. 2. q. 129. a. 1. ad 3.*

Qu. 3. quomodo magnanimus intendit magnos honores; ſed tamen ex eis non extollitur, ſed magis eos contemnit, & multò magis moderatos, & paruos: & quare dehonorationibus non frangitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille, qui benè magnis vtitur, multò magis poteſt benè vti paruis: Magnanimus ergo intendit magnos honores, ſicut quibus eſt dignus; vel etiam ſicut minores his, quibus eſt dignus; quia ſcilicet virtus non poteſt ſufficienter honorari ab homine, cui debetur honor à Deo: Et ideo non extollitur ex magnis honoribus, quia nō reputat eos ſupra ſe, ſed magis eos contemnit; & multò magis moderatos, aut paruos. Et ſimiliter dehonorationibus non frangitur, ſed eas contemnit, vtpote quas reputat ſibi indignè afferri. *2. 2. q. 129. a. 2. ad 3. & 3. ſent. diſt. 33. qu. 1. art. 2.*

Qu. 4. quomodo ſicut Philoſ. dicit 4. Ethic. magnanimus maximis dignificat ſeipſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut etiam Philoſ. ait in 4. Ethic. *magnanimus eſt quidem magnitudine extremus* (inquantum ſcilicet ad maxima tendit) *eo autem quòd vt oportet, medius:* quia videlicet ad ea, quæ ſunt maxima, ſecundùm rationem tendit. *Eo enim quod eſt ſecundùm dignitatem, ſeipſum dignificat*, vt ibidem dicitur: quia ſcilicet ſe non extendit ad maiora quàm dignus eſt. *2. 2. q. 129. a. 3. ad 1.*

Qu. 5. an poſſit aliquis habere alias virtutes ſine magnanimitate; cùm Philoſ. 4. ethic. dicat: qui eſt paruis dignus, & his dignificat ſeipſum, temperatus eſt, magnanimus autem non.

Digitized by Google

Reſp D. Thomas, dicendum quòd connexio virtutum non eſt intelligenda ſecundùm actus, vt ſcilicet cuilibet competat habere actus omnium virtutum: Vnde actus magnanimitatis non competit cuilibet virtuoſo, ſed ſolùm magnis: Sed ſecundùm principia virtutum, quæ ſunt prudentia, & gratia, omnes virtutes ſunt connexæ ſecundùm habitus ſimul in anima exiſtentes, vel in actu, vel in propinqua diſpoſitione: Et ſic poteſt aliquis cui non competit actus magnanimitatis, habere habitum magnanimitatis; per quem ſcilicet diſponitur ad talem actum exequendum, ſi ſibi ſecundùm ſtatum ſuum competeret. 2. 2. q. 129. a. 3. *ad* 2.

Quær. 6. quomodo ſicut Philoſ. dicit 4. ethic. motus lentus magnanimi videtur, & vox grauis, & locutio ſtabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd corporales motus diuerſificantur ſecundùm diuerſas animæ apprehenſiones, & affectiones: Et ſecundùm hoc contingit, quòd ad magnanimitatem conſequuntur quædam accidentia determinata circa motus corporales. Velocitas enim motus prouenit ex eo quòd homo ad multa intendit, quæ explere feſtinat: ſed magnanimus intendit ſolùm ad magna, quæ pauca ſunt, quæ etiam indigent magnâ attentione: Et ideo habet motum tardum. Similiter etiam acuitas vocis, & velocitas præcipuè competit his, qui de quibuſlibet contendere volunt; quod non pertinet ad magnanimos, qui non intromittunt ſe niſi de magnis. Et ſicut prædictæ diſpoſitiones corporalium motuum conueniunt magnanimis, ſecundùm modum affectionis earum; ita etiam in his, qui ſunt naturaliter diſpoſiti ad magnanimitatem, tales conditiones naturales inueniuntur. *in eodem articulo* 3. *ad* 3.

Quær. 7. quare ſicut Philoſophus dicit 4. ethic. magnanimus ſe dignum reputat magnis, & alios contemnit: & quomodo magnanimitas, & humilitas non ſint contrariæ, quamuis in contraria tendere videantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in homine inuenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei poſſidet; & aliquis defectus qui competit ei ex infirmitate naturæ: Magnanimitas ergo facit, quòd homo ſe magnis dignificet ſecundùm conſiderationem donorum, quæ poſſidet ex Deo; ſicut ſi habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit, quòd ad perfecta opera virtutis tendat. Et ſimiliter eſt dicendum de vſu cuiuſlibet alterius boni, puta ſcientiæ, vel exterioris fortunæ. Humilitas autem facit, quòd homo ſeipſum paruipendat ſecundùm conſiderationem proprij defectus. Similiter etiam magnanimitas contemnit alios, ſecundùm quòd deficiunt à donis Dei: Non enim tantùm alios appretiatur, quòd pro eis aliquid indecens faciat: ſed humilitas alios honorat, & ſuperiores æſtimat, inquantum in eis aliquid inſpicit de donis Dei: Vnde dicitur in Pſ. 14. de viro iuſto; *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*; quod pertinet ad contemptum

lentiam, quòd aliquis benefaciat, & quòd ſit communicatiuus, & plurium retributiuus: & ideo ad iſta promptum ſe exhibet, inquantum habent rationem cuiuſdam excellentiæ; non autem ſecundùm eam rationem, qua ſunt actus aliarum virtutum. Ad defectum autem pertinet, quòd aliquis intantum magnipendat aliqua exteriora bona, vel mala, quòd pro eis à iuſtitia, vel quacunque virtute recedat, & declinet: ſimiliter etiam ad defectum pertinet omnis occultatio veritatis; quia videtur ex timore procedere: quòd etiam aliquis ſit planctiuus, ad defectum pertinet; quia per hoc videtur animus exterioribus malis ſuccumbere: & ideo hæc & ſimilia vitat magnanimus ſecundùm quandam ſpecialem rationem, ſcilicet tanquam contraria excellentiæ, vel magnitudini. 2. 2. q. 129. a. 4. ad 2.

Quær. 10. quomodo ſicut dicitur 4. Ethic. magnanimitas eſt ornatus omnium virtutum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quælibet virtus habet quendam decorem, ſiue ornatum ex ſua ſpecie, qui eſt proprius vnicuique virtuti: ſed ſuperadditur alius ornatus ex ipſa magnitudine operis virtuoſi per magnanimitatem, quæ omnes virtutes maiores facit, vt dicitur in 4. Ethic. *in eadem qu.* 129. *a.* 4. *ad* 3.

Qu. 11. an ſit verum quod Philoſ. dicit 4. Ethic. magnanimus non eſt Philokindynos ideſt amator periculi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd amator periculi dicitur, qui indifferenter ſe periculis exponit: quod videtur pertinere ad eum, qui indifferenter multa quaſi magna exiſtimat: quod eſt contra rationem magnanimi. Nullus enim videtur pro aliquo ſe periculis exponere, niſi illud magnum exiſtimet. Sed pro his, quæ verè ſunt magna, magnanimus promptiſſimè ſe periculis exponit: quia operatur magnum in actu fortitudinis, ſicut in actibus aliarum virtutum: vnde Philoſophus ibidem dicit, quòd magnanimus non eſt microkindynos, ideſt pro paucis periclitans; ſed eſt megalokindynos, ideſt pro magnis periculis periclitans: & Seneca dicit in lib. de quatuor virtutibus: *Eris magnanimus, ſi pericula nec appetas vt temerarius, nec formides vt timidus.* Nam nihil timidum facit animum, niſi reprehenſibilis vitæ conſcientia. 2. 2. *q.* 129. *a.* 5. *ad* 2.

Qu. 12. in quo ſenſu verum ſit quod Philoſophus dicit 4. Ethic. ad magnanimum pertinet nullo indigere: & quomodo fiduciam habet & ſui, & aliorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in 4. Ethic. *Ad magnanimum pertinet nullo indigere*; quia hoc deficientis eſt: Hoc tamen debet intelligi ſecundùm modũ humanum, vnde addit, *vel vix.* Hoc eſt enim ſupra hominem, vt omnino nullo indigeat: Indiget enim omnis homo, primò quidem diuino auxilio; ſecundò autem etiam auxilio humano: quia homo eſt naturaliter animal ſociale, eoquòd ſibi non ſufficit ad vitam. Inquantum ergo indiget aliis, ſic ad magnanimum

pertinet, vt habeat fiduciam de aliis: quia hoc etiam ad excellentiam hominis pertinet, quòd habeat alios in promptu, qui eum poſſint iuuare. Inquantum autem ipſe aliquid poteſt, intantum ad magnanimitatem pertinet fiducia, quam habet de ſeipſo. 2. 2. q. 129. a. 6. ad 1.

Qu. 13. an ſit proprium magnanimi eſſe ſecurum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Tullius in 1. de offic. ait, quòd *ad magnanimum pertinet neque perturbationi animi, neque homini, neque fortunæ ſuccumbere:* ergo ſecuritas ad magnanimitatem pertinet. 2. 2. q. 129. a. 7. *in argum. ſed contra.*

Quær. 14. quomodo ſecuritas ſit conditio magnanimitatis, cùm videatur eſſe contra virtutem; ſecurus enim dicitur quaſi ſine cura, vt ait D. Iſidorus in lib. Etymol.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non quælibet ſecuritas eſt laudabilis; ſed quando deponit aliquis curam, prout debet, & in quibus timere non oportet: Et hoc modo eſt conditio fortitudinis, & magnanimitatis. *ibidem a. 7. ad 2.*

Quæritur. 15. in quo ſenſu Philoſophus dixit: quòd bona fortuna videntur conferre ad magnanimitatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ex ſupra dictis patet, magnanimitas ad duo reſpicit: ad honorem quidem, ſicut ad materiam; & ad aliquid magnum operandum, ſicut ad finem. Ad vtrumque autem iſtorum bona fortunæ cooperantur. Quia enim honor virtutis non ſolùm à ſapientibus, ſed etiam à multitudine exhibetur, quæ maxima reputat huiuſmodi exteriora bona fortunæ: fit ex conſequenti, vt ab eis maior honor exhibeatur his, quibus adſunt exteriora bona fortunæ. Similiter etiam ad actus virtutum organicè bona fortunæ deſeruiunt; quia per diuitias, potentias, & amicos datur nobis facultas operandi. Et ideo manifeſtum eſt, quòd bona fortunæ conferunt ad magnanimitatem. *in eadem qu. a. 8. in corp.*

Qu. 16 quomodo ſicut ait Seneca in lib. de ira, virtus ſibi ſufficiens eſt; & tamen magnanimitas indiget bonis fortunæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus ſibi ſufficiens eſſe dicitur: quia ſine his etiam exterioribus bonis eſſe poteſt: Indiget tamen his exterioribus bonis ad hoc quòd expeditiùs operetur. *in eodem artic. 8. ad 1.*

Qu. 17. quomodo ſicut dicit Tullius in lib. 1. de offic. magnus animus in externarum rerum deſpicientia commendatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd magnanimus exteriora bona contemnit, inquantum non reputat ea bona magna, pro quibus debeat aliquid indecens facere: non tamen quantùm ad hoc contemnit ea, quin reputet ea vtilia ad opus virtutis exequendum. *ibidem ad 2.*

Quær. 18 quomodo ſicut Tullius ſubdit ibidem, ad magnanimum pertinet, ea quæ videantur acerba, ita ferre, vt nihil à ſtatu naturæ diſcedat, nihil à dignitate ſapientis: & Ariſtoteles dicit 4. ethic. magnanimus in infortuniis non eſt triſtis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quicunque non reputat aliquid magnum, neque multùm gaudet ſi illud obtineat, neque multùm triſtatur ſi illud amittit: Et ideò quia magnanimus non æſtimat exteriora bona (ſcilicet bona fortunæ) quaſi magna: inde eſt, quòd nec de eis multùm extollitur ſi adſint; neque in eorum amiſſione multùm deiicitur. 2. 2. q. 129. *a.* 8. *ad* 3.

Qu. 19. an & quomodo ambitio, & præſumptio opponantur magnanimitati.

Reſp. ſupra. v. *ambitio:* & infra. v. *præſumptio.*

MAGNIFICENTIA.

Qu. 1. quomodo magnificus magna facit in rebus diuinis, & communibus: & vtrum ſit verum quod Philoſophus dicit 4. ethic. magnificus non eſt ſumptuoſus in ſeipſum.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ad magnificentiam pertinet facere aliquid magnum: quod autem pertinet ad perſonam vniuſcuiuſque, eſt aliquid paruum in comparatione ad id quod conuenit rebus diuinis, vel rebus communibus: Et ideo magnificus non principaliter intendit ſumptus facere in his, quæ pertinent ad perſonam propriam; non quia bonum ſuum non quærat, ſed quia non eſt magnum. Si quid tamen in his, quæ ad ipſum pertinent, magnitudinem habeat, hoc etiam magnificè magnificus proſequitur; ſicut ea quæ ſemel fiunt, vt nuptiæ, vel aliquid aliud huiuſmodi; vel etiam ea, quæ permanentia ſunt, ſicut ad magnificum pertinet, præparare conuenientem habitationem, vt dicitur in 4. ethic. *a.* 2. *q.* 134. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 2. quid ſit magnificentia.

Reſp. D. Thomas, Tullius in ſua Rhetorica dicit, quòd *magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi quadam ampla, & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio:* vt cogitatio referatur ad interiorem intentionem, adminiſtratio autem ad exteriorem executionem. 2. 2. q. 134. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 3. quare magnificentia iungitur ſanctitati, Exodi 15. magnificus in ſanctitate, & Pſal. 95. ſanctitas, & magnificentia in ſanctificatione eius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd magnificentia intendit opus magnum facere: opera autem ab hominibus facta ad aliquem finem ordinantur: nullus autem finis humanorum operum eſt adeo magnus, ſicut honor Dei: & ideo magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorem Dei: vnde Philoſophus dicit in 4. Ethic. quòd *honorabiles ſumptus ſunt maximè, qui pertinent ad diuina*

ſacrificia : & circa hoc maximè ſtudet magnificus : & ideo magnificentia coniungitur ſanctitati ; quia præcipuè eius effectus ad religionem , ſiue ad ſanctitatem ordinatur. 2. 2. *q.* 134. *a.* 2. *ad* 3.

Qu. 4. an & quomodo materia magnificentiæ ſint magni ſumptus.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd ad magnificentiam pertinet intendere ad aliquod magnum opus faciendum : Ad hoc autem quòd aliquod magnum opus conuenienter fiat , requiruntur proportionati ſumptus ; non enim poſſunt magna opera fieri, niſi cum magnis expenſis : vnde ad magnificentiam pertinet magnos ſumptus facere ad hoc quòd opus magnum conuenienter fiat : vnde & Philoſophus dicit in 4. Ethic. quòd *magnificus ab æquali* (ideſt à proportionato) *ſumptu opus facit magis magnificum.* Sumptus autem eſt quædam pecuniæ emiſſio, à qua poteſt aliquis prohiberi per ſuperfluum amorem pecuniæ : & ideo materia magnificentiæ poſſunt dici & ipſi ſumptus , quibus vtitur magnificus ad opus magnum faciendum ; & ipſa pecunia, qua vtitur ad ſumptus magnos faciendos ; & amor pecuniæ , quem moderatur magnificus , ne ſumptus magni impediantur. *in eadem qu.* 134. *art.* 3. *in corp.*

Qu. 5. quonam animo magnificus dona tribuat.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd magnificus etiam dat dona, vel xenia , vt dicitur in 4. Ethic. non tamen ſub ratione doni, ſed potius ſub ratione ſumptus ordinati ad aliquid opus faciendum; puta ad honorandum aliquem , vel ad faciendum aliquid vnde proueniat honor toti ciuitati; ſicut cùm facit aliquid , ad quod tota ciuitas ſtudet. 2. 2. *qu.* 134. *a.* 3. *ad* 3.

Qu. 6. an magnificentia requirat bona fortunæ , cùm ſicut Seneca dicit in lib. de ira, virtutes non ex neceſſitate indigeant exteriori fortuna , ſed ſibi pſis ſufficiant : & quomodo pauper poſſit eſſe magnificus.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd principalis actus virtutis eſt interior electio , quam virtus poteſt habere abſque exteriori fortuna : & ſic etiam pauper poteſt eſſe magnificus. Sed ad exteriores actus virtutum requiruntur bona fortunæ, ſicut quædam inſtrumenta : Et ſecundùm hoc pauper non poteſt actum magnificentiæ exteriorem exercere in his quæ ſunt magna ſimpliciter ; ſed fortè in his, quæ ſunt magna per comparationem ad aliquod opus , quod etſi in ſe ſit paruum, tamen poteſt magnificè fieri ſecundùm proportionem illius generis : Nam paruum , & magnum dicuntur relatiuè , vt Philoſophus dicit in prædicamentis. 2. 2. *q.* 134. *a.* 3. *ad* 4.

Qu. 7. in quo ſenſu Philoſophus dicit 4. Ethic. quòd magnificus ſcienti aſſimilatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd magnificentia ordinat vſum artis ad aliquid magnum : Ars autem eſt in ratione : & ideo ad magnificum pertinet benè vti ratione in

attendendo proportionem ſumptus ad opus, quod faciendum eſt. Et hoc præcipuè neceſſarium eſt propter magnitudinem vtriuſque: quia niſi diligens conſideratio adhiberetur, immineret periculum magni damni. 2. 2. *qu.* 134. *a.* 4. *ad* 3.

MALEDICTIO.

Quæritur 1. quid ſit maledictio; & quænam ſit licita, vel illicita.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd maledicere eſt malum dicere: quod quidem tripliciter contingit, ſicut & benedicere; ſcilicet enuntiando, imperando, & optãdo: & ſecundùm quodlibet horũ modorum poteſt benè, & malè fieri. Si enim id quod eſt materialiter malum, dicatur malum, quolibet prædictorum modorum, ſub ratione boni, non eſt illicitum; quia hoc eſt magis benedicere, quàm maledicere; vnumquodque enim magis iudicatur ſecundùm ſuam formam, quàm ſecundùm ſuam materiam. Si verò aliquis dicat malum ſub ratione mali, formaliter maledicit, vnde eſt omnino illicitum. Vtrumque autem horum contingit in hoc, quòd aliquis enuntiando malum profert: Quandoque enim aliquis enuntiat malum alicuius ad notificandum neceſſariam veritatem, & ſic dicit malum ſub ratione veri neceſſarij quod eſt bonum, vnde eſt licitum: Et hoc modo Iob 3. dicitur, quòd Iob *maledixit diei ſuæ*, enuntians malitiam præſentis vitæ, ſicut Apoſt. dicit Epheſ. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Quando autem aliquis enuntiat malum alterius ſub ratione mali, ſcilicet intentione detrahendi, hoc eſt illicitum; dicitur enim 1. Cor. 6. *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Similiter etiam in eo quòd quis dicit malum imperando. Contingit autem quandoque, quòd aliquis dicit id, quod eſt materialiter malum ſub ratione boni, puta cùm ex imperio alicuius prouenit alicui malum pœnæ propter iuſtitiam, quod quidem eſt licitum: Et hoc modo tranſgreſſores legis maledicuntur, id eſt pœnæ ſecundùm iuſtitiam deputantur. Quandoque verò aliquis imperando dicit malum alterius iniuſtè, puta propter odium, & vindictam: Et talis maledictio eſt illicita, Exod. 21. *qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Et id eſt etiam circa id quod aliquis dicit malum optando. Si enim hoc optet ſub ratione boni, puta vt per aduerſitatem alicuius perueniat ad ſpiritualem profectum, hoc licitum eſt, Iob. 5. *Vidi ſtultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim.* Si verò hoc homo faciat propter odium, vel vindictam eſt omnino illicitum. 1. Regum 17. *Maledixit Philiſthæus Dauid in dijs ſuis. ad Rom. 12. lect. 3. 2. 2. q. 76. a. 1. q. 2. de virt. a. 8. ad 10. & 15.*

Qu. 2. quomodo intelligenda ſit Gloſſa ſuper illud num. 23. quomodo maledicam, cui non maledixit Dominus? dicens, non poteſt eſſe iuſta maledicendi cauſa, vbi peccantis ignoratur affectus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd affectus peccantis etſi in ſe

non videatur, poteſt tamen percipi ex aliquo manifeſto peccato pro quo pœna eſt infligenda: Similiter etiam quamuis ſciri non poſſit quem Deus maledicat ſecundùm finalem reprobationem, poteſt tamen ſciri quis ſit maledictus à Deo ſecundùm reatum præſentis culpæ. 2.2. q.76.a. 1. ad 5.

Quæ. 3. an liceat maledicere Diabolum: & quomodo ſicut dicitur Eccl. 21. cùm maledicit impius Diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd in diabolo eſt conſiderare naturam, & culpam: natura quidem eius bona eſt, & à Deo, nec eam maledicere licet; culpa autem eius eſt maledicenda, ſecundùm illud Iob 3. *maledicant ei, qui male dicunt diei.*

Cùm autem peccator maledicit diabolum propter culpam, ſeipſum ſimili ratione iudicat maledictione dignum: & ſecundùm hoc dicitur maledicere animam ſuam. 2.2. q. 76.a. 1.ad 4.

Quær. 4. an liceat creaturam irrationalem maledicere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd benedictio, & maledictio propriè ad illam rem pertinent, cui ... aliquid benè, vel malè contingere, ſcilicet rationali creaturæ; creaturis autem irrationalibus bonum, vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam ſunt: ordinantur autem ad eam multipliciter.

Vno quidem modo per modum ſubuentionis, inquantum ſcilicet ex creaturis irrationalibus ſubuenitur humanæ neceſſitati: & hoc modo Dominus homini dicit Geneſis 3. *Maledicta terra in opere tuo*, vt ſcilicet per eius ſterilitatem homo puniretur: & ita etiam intelligitur, quod habetur Deut. 23. *Benedicta horrea tua*, & infra, *maledictum horreum tuum.* Sic etiam Dauid maledixit montes Gelboë, ſecundùm Gregorij expoſitionem.

Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum ſignificationis, & ſic Dominus maledixit ficulneam, in ſignificationem Iudææ.

Tertiò modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis ſcilicet temporis, vel loci; & ſic maledixit Iob diei Natiuitatis ſuæ, propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit, & propter ſequentes pœnalitates; & propter hoc etiam poteſt intelligi Dauid maledixiſſe montibus Gelboë, vt legitur 2. Reg. 1. ſcilicet propter cædem populi, quæ in eis contigerat.

Maledicere autem rebus irrationalibus inquantum ſunt creaturæ Dei, eſt peccatum blaſphemiæ: maledicere autem eis ſecundùm ſe conſideratis eſt otioſum, & vanum; & per conſequens illicitum. 2.2.q.76.a.2. in corp.

Qu. 5. quandonam maledictio ſit peccatum mortale, aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maledictio, de qua nunc loquimur, eſt per quam pronunciatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando: velle

autem, vel imperio mouere ad malum alterius, ſecundùm ſe repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipſius; & ita ſecundùm ſuum genus eſt peccatum mortale; & tantò grauius, quantò perſonam, cui maledicimus, magis amare, & reueteri tenemur: Vnde dicitur Leuitic. 20. *qui maledixerit Patri ſuo, & Matri, morte moriatur.* Contingit tamen verbum maledictionis prolatum eſſe peccatum veniale; vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex ſurreptione aliqua, talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu penſantur. 2.2.q. 76.a. 3. *in corp.*

Qu. 6. in quo ſenſu verum ſit quod D. Chryſoſt. dicit ſuper Matth. cùm dixeris, (maledic ei, & domum euerte, & omnia perire fac) nihil ab homicida differs.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maledictio vno modo includit deſiderium mali: vnde ſi ille qui maledicit, velit malum occiſionis alterius, deſiderio non differt ab homicida: differt tamen, inquantum actus exterior aliquid adiicit voluntati. 2. 2. *quæſt.* 76. 4. *ad* 2.

MALEFICIVM.

Qu. 1. quid ſint maleficia: & vtrum à Dæmonibus cauſentur.

RESP. D. Thomas, de maleficiis ſciendum eſt quòd quidam dixerunt quòd maleficium nihil eſt, & quod hoc proueniebat ex infidelitate; quia volebant quòd dæmones nihil ſunt, niſi imaginationes hominum, inquantum ſcilicet homines imaginabantur eos, & ex iſta imaginatione territi lædebantur: Fides verò catholica vult quòd dæmones ſint aliquid, & poſſint nocere ſuis operationibus, & impedire carnalem copulam. *quodl.* 11. *q.* 8. *a.* 1. *in corp.*

Quæritur 2. quare maleficii poteſtas Diabolo in generatione datur magis quàm in aliis actibus; & in ſerpentibus magis quàm in aliis animalibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia corruptio peccati prima, per quam homo ſeruus eſt factus Diaboli, in nos per actum generantem deuenit; ideo maleficij poteſtas permittitur Diabolo à Deo in hoc actu magis quàm in aliis.

Sicut in ſerpentibus magis oſtenditur virtus maleficiorum, vt dicitur, quàm in aliis animalibus: quia per ſerpentem Diabolus mulierem tentauit. 4. *ſent. d.* 34. *a.* 3. *ad* 1.

Quær 3. an maleficium poſſit eſſe perpetuum. Et vtrum liceat illud per aliud maleficium deſtruere. Cur non ſemper ceſſet ceſſante culpâ. Et cur non ſemper contra ipſum valeant exorciſmi Eccleſiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maleficium eſt ita perpetuum, quòd non poteſt habere remedium humano opere; quamuis Deus poſſit remedium præſtare Dæmonem cogendo, vel etiam

Dæmon, deſiſtendo. Non enim oportet ſemper, vt id, quod per maleficium factum eſt, poſſit per maleficium aliud deſtrui, vt ipſi malefici confitentur.

Et tamen ſi poſſet per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur: quia nullo modo debet aliquis Dæmonis auxilium per maleficia inuocare.

Similiter non oportet, quòd ſi propter peccatum aliquod data eſt Diabolo poteſtas in aliquem, quòd ceſſante peccato, ceſſet poteſtas; quia pœna interdum remanet culpâ tranſeunte.

Similiter etiam exorciſmi Eccleſiæ non valent ad reprimendum Dæmones ſemper quantùm ad omnes moleſtias corporales, iudicio Diuino hoc exigente; ſemper tamen valent contra illas infeſtationes Dæmonum, contra quas principaliter inſtituti ſunt. *4. ſent. d. 34. q. 3. ad 3.*

Quæritur 4. an & quando maleficium impediat matrimonium.

Reſp. v. *matrimonium.*

MALIGNITAS.

Quær. quid ſit malignitas.

Reſp. D. Thomas, malignitas pertinet ad cor: & dicitur malignus, quaſi malus ignis; quando ſcilicet aliquis facit ex praua intentione aliquid, illud eſt malignum conſilium. *in exp. Pſ. 36.*

MALITIA.

Quæritur 1. quid ſit peccare ex electione, ſiue induſtria, & certa ſcientia, aut etiam malitia.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſ. dicit in 3. Ethic. aliqui poſuerunt quòd nullus voluntariè eſt malus. Contra quos Philoſ. ibidem dicit, quòd irrationabile eſt dicere, quòd aliquis velit adulterium committere, & non velit eſſe iniuſtus. Cuius ratio eſt quia voluntarium dicitur aliquid non ſolùm ſi voluntas feratur in illud primò & per ſe ſicut in finem, ſed etiam ſi feratur in illud vt ad finem, ſicut etiam infirmus non ſolùm vult conſequi ſanitatem, ſed etiam vult bibere medicinam amaram, quam aliàs nollet, ad hoc vt ſanitatem conſequatur: & ſimiliter mercator proiicit merces in mare voluntariè, ne depereat nauis. Si ergo contingat, quòd aliquis intantum velit aliqua delectatione frui, puta adulterio, vel quocunque huiuſmodi appetibili, vt non refugiat incurrere deformitatem peccati, quam percipit eſſe coniunctam ei, quod vult, non ſolùm dicetur velle illud bonum, quod principaliter vult, ſed etiam ipſam deformitatem, quam pati elegit, ne bono cupito priuetur: vnde adulter & delectationem vult quidem principaliter, & ſecundariò vult deformitatem: ſicut ponit Aug. exemplum in lib. de ſermone Domini in monte: quòd aliquis propter amorem alicuius ancillæ voluntariè ſuſtinet duram ſeruitutem Domini eius.

Sed hoc quòd aliquis intantum velit aliquod bonũ commutabile, quòd non refugiat auerti à bono incommutabili, poteſt contingere dupliciter: vno modo ex eo quòd neſcit illi bono commutabili talem auerſionem eſſe con-

iunctam,

Digitized by Google

iunctam: & tunc dicitur ex ignorantia peccare: alio modo ex aliquo interiùs inclinante voluntatem in bonum illud: inuenitur autem aliquid in alterum inclinari dupliciter: vno modo quaſi ab alio paſſum; ſicut cùm lapis proiicitur ſurſum: alio modo per formam propriam, & tunc ex ſeipſo inclinatur in illud; ſicut cùm lapis cadit deorsũ:& ſimiliter voluntas inclinatur in bonum commutabile, cui adiungitur deformitas peccati, quandoque quidem ex aliqua paſſione: & tunc dicitur ex infirmitate peccare: aliquando autem ex aliquo habitu, quando per conſuetudinem, inclinari in tale bonum, eſt ei iam verſum quaſi in habitum, & naturam; & tunc ex proprio motu abſque aliqua paſſione inclinatur ad illud: & hoc eſt peccare ex electione ſiue ex induſtria, aut ex certa ſcientia, aut etiam ex malitia. *q.* 3. *de malo a.* 12. *in corp.* 1. 2. *qu.* 78. *a.* 1.

Quær. 2. *vtrum omne peccatum ex malitia ſit peccatum in Spiritum-Sanctum.*

Reſp. D. Thomas, propriè loquendo de peccato in Spiritum-Sanctum, non omne peccatum ex malitia eſt peccatum in Spiritum-Sanctum. Ille enim ex malitia peccare dicitur, cuius voluntas per ſe inclinatur in bonum aliquod, quod habet malitiam annexam: quod quidem contingit dupliciter: nam & in rebus naturalibus dupliciter aliquid mouetur: vel propter inclinationem, ſicut graue deorſum: vel propter remotionem prohibentis, ſicut aqua effunditur fracto vaſe. Sic ergo voluntas quandoque fertur per ſe in huiuſmodi bonum ex propria inclinatione habitus acquiſiti: quandoque verò ex remotione eius quod prohibebat à peccato, ſicut ſpes, & timor Dei, & alia dona Spiritus-Sancti, quibus homo retrahitur à peccato: vnde propriè ille peccat in Spiritum-Sanctum, cuius voluntas ex hoc tendit in peccatum, quia abiicit huiuſmodi Spiritus-Sancti retinacula; propter quod & deſperatio, & præſumptio, & obſtinatio, & huiuſmodi ponuntur ſpecies peccati in Spiritum Sanctum, vt patet per magiſtrum 43. diſt. ſecundi ſent. largè tamen loquendo etiam ille qui ex inclinatione habitus peccat, poteſt dici peccare in Spiritum-Sanctum; quia etiam ipſe ex conſequenti renititur bonitati Spiritus-Sancti. *qu.* 3. *de malo a.* 14. *in corp.* 1. 2. *q.* 78. *a.* 3.

Qu. 3. *cur peccatum ex malitia longè grauius eſt, ac periculoſius, quàm peccatum ex infirmitate, vel paſſione.*

Reſp. infra v. *paſſio*.

Quæritur 4. *vtrum ille peccet ex malitia, qui ex certa ſcientia committit aliquod leuiſſimum peccatum; puta dicendo verbum otioſum, aut mendacium iocoſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd malitia opponitur virtuti, quæ eſt bona qualitas mentis: peccatum autem veniale non eſt contrarium virtuti: vnde ſi aliquis de induſtria peccatum veniale committat, non eſt ex malitia. *qu.* 3. *de malo a.* 12. *ad* 9.

Digitized by Google

Quær. 5. an committens aliquod leue peccatum ex habitu, v. g. dicens verbum otioſum, ſit peccans ex malitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccata venialia non excludunt bonum ſpirituale, quod eſt gratia Dei, vel charitas: vnde non dicuntur mala ſimpliciter, ſed ſecundùm quid:& propter hoc nec habitus ipſorum poſſunt dici ſimpliciter mali, ſed ſecundùm quid. 1. 2. *qu.* 78. *a.* 2. *ad* 1.

MALVS.

Qu. 1. an malus homo ſit peior beſtia.

Reſp. D. Thomas, Philoſophus dicit, quòd *peior eſt malus homo, quàm mala beſtia; quia cum malitia habet intellectum, vt diuerſa mala adinueniat. Super Pſalm.* 48.

Quæris. 2. quomodo de malis intelligatur illud Pſ. 48. *Poſtea in ore ſuo complacebunt.*

Reſp. D. Thomas, exponitur dupliciter: vno modo ſic: poſtquam interiùs ſcandalizantur, & faciunt mala, vellent quòd alij ſequerentur eos: & ideo ſtudent aliis complacere, vt trahant eos ad peccandum: prouerb. 1. *Si te lactauerint peccatores, &c.* Alio modo ſic reprehendit ſimulationem, quaſi dicat: poſteaquam iam ſic conturbantur, & ſequuntur mala, (in ore ſuo complacebunt) ideſt ſtudent loqui ſancta, & blanda, Matth. 23. *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, &c.* ſic & vos à foris: Gloſſa, *peiores ſunt ſimulantes quàm aperte mali.*

Sed nunquid hoc verum eſt? videtur quòd non: Eſa. 3. *peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt:* Gloſſa Hieronymi, *ſecunda tabula eſt occultè peccare.*

Dicendum quòd aliud eſt non publicare peccatum; & aliud eſt ſimulare innocentiam: nam publicare peccatum eſt malum, quia ſcandalizat alios; ſed ſimulare innocentiam, vt alios trahat ad peccatum, malum eſt; & de his loquitur hîc. *in expoſ. eiuſdem Pſ.* 48.

Qu. 3. quibus de cauſis ſit laudabile, aut vituperabile vitare conſortia malorum, aut cum eis commorari.

Reſp. D. Thomas, notandum quòd aliqui vitant peccatorum conſortia propter ſuperbiam, & contemptum, ſicut habet Iſai. 65. *non appropinques mihi, quia immundus es.* Alij verò vitant conſortia propter peccatorum vtilitatem, vt erubeſcant, & ſic conuertantur: & ſic dicit Paulus primæ ad Corinthios 9. *Ad verecundiam veſtram dico, ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam.* Item aliquis vitat propter cautelam ſui, timens ne peruertatur: Eccl. 13. *Qui tangit picem, coinquinatur ab ea*: & in Pſal. 17. *Cum peruerſo peruerteris.*

E contrario ſimiliter aliqui commorantur cum peccatoribus ad ſui probationem: Vnde *tentatio eſt ſui probatio,* vt habetur 2. Petri 2. *Aſpectu enim & auditu iuſtus erat habitans apud eos:* & Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias:* & ibi dicit gloſſa. *Non ſit bonus, qui malos tolerare non poteſt.* Item aliqui inter malos

commorantur propter conuerſionem, vt Paulus dicit primæ Corinth. 9. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem.* Sed differentia eſt; quia peccatoribus perſeuerantibus, & pœnitere nolentibus non oportet communicare: de illis verò, de quibus ſperatur, diſtinguendum eſt ex parte illius, qui habitat; quia aut eſt firmus aut infirmus: ſi infirmus, habitare cum eis non debet; ſi firmus, competens eſt, vt cum eis habitet, vt eos ad Deum conuertat. *Super cap. 9. Matthei.*

Qu. 4. quare boni non debent indignari de malorum proſperitate, iuxta illud Pſ. 36. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.

Reſp. D. Thomas, aduertendum eſt quòd ſi aliquis indignetur, ſiue æmuletur de proſperitate malorum, non vituperatur ſecundùm Philoſophos, quia tractauerunt de proſperitate ciuili, in qua poſſunt aliqua videri magna, ſecundùm ſe conſiderata, non reſpicientibus ad æterna: Si verò ad ſpiritualia comparentur, cùm nullum temporale quamtumcunque magnum poſſit ſpiritualibus cõparari, in talibus æmulatio locum non habet: & ideo non ſunt æmulãdi mali de huiuſmodi bonis ſibi prouenĩẽtibus. Vnde Theologi attendentes diuinam prouidentiam in his bonis, quæ indiſtinctè bonis & malis, dignis & indignis proueniunt, non triſtantur quando indignis adueniunt: Conſiderant enim quòd iuſtâ Dei ordinatione diſponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem, & quòd huiuſmodi bona ſunt quaſi nihil in comparatione ad futura quæ ſeruantur bonis: Et ideo huiuſmodi triſtitia prohibetur; vnde dicit, *noli æmulari*, ideſt, indignari, *ex malignantibus*, pro eo quòd florent: Prou. 3. *Ne æmuleris hominem iniuſtum*, &c. Item, *neque zelaueris facientes iniquitatem*, quaſi dicat; ne triſteris ſi non habes, quæ habent illi, quia reſeruantur tibi meliora: Eccleſ. 9. *Non zelantes gloriam peccatoris. In expoſ. eiuſd. Pſal.*

Quæ. 5. an mali ſemper in hac vita puniantur, ſicut ſemper præmiantur boni; cùm de malis dicatur Iob. 21. ducunt in bonis dies ſuos.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mali etſi interdum in hac vita temporales pœnas non patiantur, patiuntur tamen ſpirituales: vnde Auguſt. dicit in 1 conf. *Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſibi ſit inordinatus animus*: & Philoſ. dicit in 9. Ethic. de malis, quòd *contendit ipſorum anima, hoc quidem huc trahit: illud autem illuc*: & poſtea concludit: *ſi autem ſic miſerum eſt, malum eſſe, fugienda eſt malitia intensè.*

Et ſimiliter è conuerſo boni, etſi in hac vita quandoque non habeant corporalia præmia, nunquam tamen deficiunt à ſpiritualibus etiam in hac vita, ſecundùm illud Matth. 9. & Marci 10. centuplum accipietis, etiam in hoc ſæculo. 1. 2. *qu. 69. art. 2. ad 2.*

MANSVETVDO.

Qu. 1. an ſicut clementia eſt virtus, ita etiam manſuetudo.

Reſp. v. *Clementia qu. 1.*

Quarit. 2. an manſuetudo ſit idem ac Clementia.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd Clementia non eſt omnino idem quod manſuetudo: quia manſuetudo refrænat à concitatione vt ſcilicet quis per iram non incitetur: eſt enim ſecundùm Philoſophum Græcum virtus iraſcibilis ſecundùm quam ad iras ſumus difficilè mobiles: Clementia autem refrænat ab executione vindictæ, etiam poſt comminationem; & ſic Clementia magis eſt circa actiones. 3. *d.* 33. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 1.*ad* 2.

Quar. 2. vtrum manſuetudo, & Clementia ſint potiſſimæ virtutes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet aliquas virtutes non eſſe potiſſimas ſimpliciter, nec quoad omnia, ſed ſecundùm quid, & in aliquo genere: non autem eſt poſſibile quòd Clementia & manſuetudo ſint potiſſimæ virtutes ſimpliciter: quia laus earum attenditur in hoc quòd retrahunt à malo, inquantùm ſcilicet diminuunt iram, vel pœnam: perfectius autem eſt conſequi bonum quàm carere malo: & ideo virtutes quæ ſimpliciter ordinant in bonum (ſicut fides, ſpes, charitas, & etiam prudentia & iuſtitia) ſunt ſimpliciter maiores virtutes quàm Clementia, & manſuetudo. Sed ſecundùm quid nihil prohibet Clementiam & manſuetudinem habere quandam excellentiam inter virtutes quæ reſiſtunt affectionibus prauis: nam ira, quam mitigat manſuetudo, propter ſuum impetum maximè impedit animum hominis ne liberè iudicet veritatem: & propter hoc manſuetudo maxime facit hominem compotem ſui: vnde dicitur Eccleſ. 10. *fili in manſuetudine ſerua animam tuam*: quamuis concupiſcentiæ delectationum tactus ſint turpiores, & magis continuè infeſtent; propter quod temperantia magis ponitur virtus principalis; Clementia verò in hoc quòd diminuit pœnas, maximè videtur accedere ad charitatem, quæ eſt potiſſima virtutum; per quam bona operamur ad proximos, & eorum mala impedimus. 2. 2. *q.* 157. *a.* 4. *in corp.*

Quar. 4. quomodo manſuetudo maximè ordinet hominem ad Dei cognitionem: unde Iacobi 1. in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum: & Eccleſ. 5. eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei: & Dyoniſ. dicit in epiſt. ad Demophylum, Moyſem, propter multam manſuetudinem Dei apparitione dignum habitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd manſuetudo præparat hominem ad Dei cognitionem remouendo impedimentum: & hoc dupliciter: primò quidem faciendo hominem compotem ſui per diminutionem iræ: alio modo quia ad manſuetudinem pertinet quòd homo non contradicat verbis veritatis; quod plerumque aliqui faciunt ex commotione iræ: Et ideo Aug. dicit in 2. de doct. Chriſt. quòd *miteſcere eſt non contradicere diuinæ ſcripturæ, ſiue intellectæ, ſi aliqua*

Digitized by Google

vitia noſtra percutit, ſiue non intellecta, quaſi nos meliùs ſapere veriùſque percipere poſſemus. 2. 2. q. 157. a. 4. *ad* 1.

Qu. 5. cur manſuetudo, & clementia maximè placent Deo, ſicut dicitur Eccleſ. 1. quòd beneplacitum eſt Deo fides, & manſuetudo: & Hilarius dicit, quòd per manſuetudinem mentis noſtræ habitat Chriſtus in nobis: ſint etiam hominibus acceptiſſima: vnde dicitur Eccleſ. 3. Fili, in manſuetudine perfice opera tua; & ſuper hominum gloriam diligeris: propter quod & Prou. 20. dicitur, quòd clementiâ thronus regius roboratur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd manſuetudo, & clementia reddunt hominem Deo, & hominibus acceptum ſecundùm quod concurrunt in eundem effectum cum charitate, quæ eſt maxima virtutum; ſcilicet in ſubtrahendo mala proximorum. *ibidem ad* 2.

Qu. 6. quomodo ſicut dicitur Pſal. 36. manſueti hæreditabunt terram.

Reſp. D. Thomas, ad litteram: manſueti hæreditabunt terram iſtam: quia illi infeſtantur, qui alios infeſtant: ſed manſueti nullos infeſtant; non debent ergo aliis merito infeſtari. *in expoſ. illius Pſal.* 36.

Qu. 7. an lex noua tota conſiſtat in manſuetudine, & humilitate iuxta illud D. Matth. 11. diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Reſp. D. Thomas, tota lex noua conſiſtit in duobus, in manſuetudine, & humilitate: per manſuetudinem enim homo ordinatur ad proximũ: vnde Pſ. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis eius*: per humilitatem ordinatur ad ſe, & ad Deum: Iſa. 66. *Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper quietum, & humilem.* Vnde humilitas facit hominem capacem Dei. *in expoſ. eiuſdem cap.* 11.

Qu. 8. quare Dominus Ieſus in manſuetudine venire voluit, ſicut dicitur Math. 11. Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.

Reſp. D. Thomas, In manſuetudine voluit venire Dominus Ieſus Chriſtus propter quatuor. Primò, vt malos faciliùs corrigeret: Pſal. 89. *Quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur.* Secundò, vt omnibus ſe amabilem exhiberet: Eccl. 3. *fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* Tertiò, vt omnes ad ſe traheret, & populum ſibi multiplicaret: 2. Reg. 22. *manſuetudo tua multiplicabit me, &c.* Bern. *omnino currimus poſt te bone Ieſu, propter manſuetudinem tuam.* Quartò vt manſuetudinem doceret: Matth. 11. *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Serm. 4. domin. 1. aduentus.*

Quær. 9. quomodo ſecunda beatitudo conueniat manſuetudini, dicente Chriſto Matth. 7. beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.

Reſp. D. Thomas, mites ſunt qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malum: Ambroſ. ſuper Lucam: mitiga ergo affectum tuum, vt non

iraſcaris, aut certè iratus ne peccaueris: præclarum eſt enim motum temperare conſilio; nec minoris virtutis dicitur prohibere iracundiam, quàm omnino non iraſci; cùm plerunque iſtud lentius, hoc fortius æſtimetur.

Auguſt. de ſerm. Domini: Rixentur igitur immites, & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus: ſed beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram, de qua euelli non poſſunt: illam inquã terrã, de qua in Pſ. dicitur, *portio mea in terra viuentium*: ſignificat enim quandam ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum tanquam in loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra; & inde cibo ſuo alitur ſicut corpus ex terra: ipſa eſt requies, & vita ſanctorum. *in catena aurea. in expoſit. illius cap. 5.*

MARTYRIVM.

Quær. 1. an pati martyrium propter Chriſtum ſit in præcepto.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid cadit ſub præcepto dupliciter: Vno modo abſolutè: Alio modo ſecundùm animi præparationem. Quia enim præceptum importat rationem debiti, illud abſolutè cadit ſub præcepto, quod eſt debitum propter aliquod præexiſtens, ſicut præceptum de honoratione parentum, vel de amando Deum. Sed quandoque contingit, quòd id quod facit aliquid eſſe debitum nondum præceſſit, ſed poteſt occurrere: Vnde hoc cadit ſub præcepto non abſolutè, ſed ſecundùm præparationem animi; ita ſcilicet vt homo habeat animum paratum ad faciendum illud, quod debitum redditur ex aliqua cauſa occurrente; & hoc modo exponit Auguſtinus illa Domini præcepta, quæ ponuntur Matth. 5. *Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & aliam*; quia ſcilicet ſi opus eſſet, & hoc exigeret ſalus aliorum, homo debet eſſe paratus ad hoc faciendum.

Et per hunc modum ſuſtinere martyrium propter Chriſtum cadit ſub præcepto; quia ſcilicet homo debet habere animum paratũ vt priùs permitteret ſe occidi, quàm Chriſtum negare, vel mortaliter peccare; ſic etiam relinquere bona propria cadit ſub præcepto: quia debet eſſe paratus animus chriſtiani magis ſuſtinere rapinam bonorum ſuorum, quàm Chriſtum negare, vel mortaliter peccare. *quodlibeto 4. ar. 20. in corp. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 3. a. 3. ad 1.*

Qu. 2. an & quando martyrium ſit de neceſſitate ſalutis: & vtrum ſemper mereatur aureolam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuſtinere mortem propter Chriſtum, quantùm eſt de ſe, eſt opus ſupererogationis: non enim quilibet tenetur fidem ſuam coram perſecutore profiteri. Sed in caſu eſt de neceſſitate ſalutis, quando ſcilicet aliquis à perſecutore deprehenſus de fide ſua requiritur, quam confiteri tenetur.

Nec tamen ſequitur quòd aureolam non mereatur: aureola enim non debetur operi ſupererogationis, inquantum eſt ſupererogatio, ſed inquantum perfectionem quãdam habet: vnde tali perfectioni

manente, etiamſi non ſit ſupererogatio, aliquis aureolam meretur. 4. *ſent. diſt.* 49. *q.* 5. *a.* 3. *q.* 2. *ad.* 1.

Quær. 3. an debeat aliquis incitare alios ad ipſum martyriſandum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd præcepta legis dantur de actibus virtutum: quædam autem præcepta legis diuinæ tradita ſunt ſecundùm præparationem animi, vt ſcilicet homo ſit paratus hoc vel illud faciẽdi cùm fuerit opportunũ: ita etiam & aliqua pertinent ad actum virtutis ſecundùm præparationem animi, vt ſcilicet ſuperueniente tali caſu homo ſecundùm rationem agat: & hoc præcipuè videtur obſeruandum in martyrio, quod conſiſtit in debita ſuſtinentia paſſionum iniuſtè inflictarum. Non autem debet homo occaſionem dare alteri iniuſtè agendi: ſed ſi alius iniuſtè egerit, ipſe moderatè ſuſtinere debet 2. 2. *q.* 124. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 4. cur Eccleſia celebrat martyrium quorundam, qui ſeipſos occiderunt, tyrannorum rabiem fugientes, vt patet in Eccleſiaſtica hiſtoria de quibuſdam mulieribus apud Alexandriam? cùm vt ait D. Auguſtinus in lib. de ciuit. Dei, illicitum ſit ſibiipſi manus iniicere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecũdũm Auguſt. in 2. de ciuit. Dei, nulli licitum eſt ſibi manus iniicere quacunque ex cauſâ; niſi fortè diuino inſtinctu fiat ad exemplum fortitudinis oſtendendum, vt mors contemnatur: illi autem de quibus eſt obiectum, diuino inſtinctu mortem ſibi intuliſſe creduntur: & propter hoc eorum martyria Eccleſia celebrat. 4. *ſent. d.* 49. *q.* 5. *a.* 3. *ad* 6.

Qu. 5. quare ſicut D. Auguſtinus dicit 1. de ciuit. Dei, cum quædam ſanctæ fœminæ tempore perſecutionis, vt inſectatores ſuæ pudicitiæ deuitarent, ſe in fluuium deiecerint, eoque modo defunctæ ſint; earum tamen martyria in catholica Eccleſia veneratione celeberrimâ frequententur.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd Auguſtinus ibidem dicit, eſſe poſſibile quòd Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus diuina perſuaſerit authoritas, vt iſtarum ſanctarum memoriam ſic honoraret. 2. 2. *q.* 124. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 6. an Martyrium ſit actus maximæ perfectionis, & maximæ charitatis ſignum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de aliquo actu virtutis loqui poſſumus dupliciter. Vno modo ſecundùm ſpeciem actus ipſius, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipſum; & ſic non poteſt eſſe quòd Martyrium, quod conſiſtit in debita tolerantia mortis, ſit perfectiſſimus inter virtutis actus; quia tolerare mortem non eſt laudabile ſecundùm ſe, ſed ſolùm ſecundùm quòd ordinatur ad aliquod bonum, quod conſiſtit in actu virtutis, puta ad fidem, & ad dilectionem Dei; vnde ille actus virtutis, cùm ſit finis, melior eſt. Alio modo poteſt conſiderari actus virtutis ſecundùm quòd comparatur ad primum mo-

tiuum, quod eſt amor charitatis; & ex hac parte præcipuè aliquis actus habet, quòd ad perfectionem vitæ pertineat, quia vt Apoſtolus dicit ad Coloſſ. 3. *Charitas eſt vinculum perfectionis.*

Martyrium autem inter omnes actus virtuoſos maximè demonſtrat perfectionem charitatis: quia tantò magis oſtenditur aliquis aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit. Manifeſtum eſt autem, quòd inter omnia alia bona præſentis vitæ maximè amat homo ipſam vitam; & è contrario maximè odit ipſam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abſtrahuntur, vt Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſt. Et ſecundùm hoc patet, quòd Martyrium inter cæteros actus humanos eſt perfectior ſecundùm ſuum genus, quaſi maximæ charitatis ſignum, ſecundùm illud Ioannis. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* 2. 2. q. 124. art. 4. in corp.

Quær. 7. vtrum aliquis abſque perfecta charitate poſſit ſe offerre martyrio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in operibus virtutum duo ſunt attendenda, ſcilicet id quod fit, & modus faciendi: contingit autem idem factum, quod fit ſecundùm aliquam perfectam virtutem fieri etiam non ſolùm ab habente paruam virtutem, ſed etiam non habente virtutem; ſicut aliquis non habens iuſtitiam poteſt facere aliquod opus iuſtum: Sed ſi attendamus ad modum faciendi, ille qui non habet virtutem, non poteſt operari, ſicut ille qui habet; nec ille qui habet paruam, ſicut ille qui habet magnam, qui operatur faciliter, promptè, & delectabiliter, quod non ita facit ille, qui caret virtute, vel qui paruam habet: ſic ergo dicendum eſt quòd hoc opus, quòd eſt offerre ſe martyrio, vel etiam martyrium ſufferre, poteſt facere non ſolùm charitas perfecta, ſed etiam imperfecta, & quod plus eſt, etiam ille, qui caret charitate, ſecundùm illud Apoſtoli primæ ad Corinthios 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Sed charitas perfecta hoc facit promptè, & delectabiliter, ſicut patet de Laurentio, & Vincétio, qui in tormentis hilaritatem oſtenderunt; hoc autem non poteſt facere charitas imperfecta, vel etiam ille, qui charitate caret. *quodlibeto 4. a. 19. in corp.*

Qu. 8. an charitas inclinet maximè ad martyrium, & per ipſum maximè manifeſtetur ſicut & fortitudo, vt in quodā ſermone dicit D. Maximus, quòd charitas Chriſti in Martyribus ſuis vinc[illegible]: & vtrum Martyrium ſine charitate nihil mereatur, nihilque proſit, ſicut ait Apoſtolus 1. ad Cor. 13.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad actum martyrii, inclinat quidem charitas ſicut primum & principale motiuum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem ſicut motiuum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde

eſt quòd martyrium eſt actus charitatis vt imperantis, fortitudinis autem vt elicientis: inde etiam eſt quòd vtrumque virtutem manifeſtat. Quòd autem ſit meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus: & ideo ſine charitate non valet. 2.2. q.124.a.2. ad 2.

Quæritur 9. an mors ſit de ratione martyrij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd martyr dicitur quaſi *teſtis fidei chriſtianæ*, per quem nobis viſibilia pro inuiſibilibus contemnenda proponuntur, vt dicitur ad Heb. 11. Ad martyrium ergo pertinet vt homo teſtificetur fidem, ſe opere oſtendens omnia præſentia contemnere, vt ad futura, & inuiſibilia bona perueniat: quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum ſe opere oſtendit corporalia cuncta deſpicere: conſueuerunt enim homines, & conſanguineos, & omnia bona poſſeſſa contemnere, & etiam dolores corporis pati, vt vitam conſeruent: Vnde & Satan contra Iob induxit, *pellem pro pelle, & cuncta, quæ homo habet, dabit pro anima ſua*, ideſt pro vita ſua corporali. Et ideo ad perfectam rationem Martyrij requiritur quòd aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum. 2.2.q. 124. a.4. *in corp.*

Qu. 10. an ſaluetur eſſentia martyrii, eique debeatur aureola: dummodo afflictio propter Chriſtum illata, vſque ad mortem continuetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliquis propter fidem vulnus mortale accipiat, & ſuperuiuat, non eſt dubium quòd aureolam meretur; ſicut de beata Cæcilia patet, quæ triduo ſuperuixit; & de multis martyribus qui in carcere ſunt defuncti: ſed etiam ſi vulnus non mortale accipiat, & tamen exinde mortem incurrat, creditur aureolam promereri; quamuis quidam dicant quòd aureolam non meretur, ſi ex incuria vel negligentiâ propriâ mortem incurrat: non enim iſta negligentia eum ad mortem perduxiſſet, niſi præſuppoſito vulnere quod pro fide acceptum eſt: & ita vulnus propter Chriſtum ſuſceptum, eſt ei plena occaſio mortis: vnde propter hoc aureolam non videtur amittere: niſi ſit talis negligentia quæ culpam mortalem inducat, quæ ei & auream auferr, & aureolam: ſi verò vulnere mortali ſuſcepto non moriatur alio caſu contingente, vel etiam vulnera non mortalia ſuſceperit, & adhuc carcerem ſuſtinens moriatur, adhuc aureolam meretur: vnde & quorundam ſanctorum martyria in Eccleſia celebrantur, qui in carcere mortui ſunt, aliquibus verberibus longè ante ſuſceptis, ſicut patet de marcello Papa. Qualitercunque igitur afflictio propter Chriſtum illata vſque ad mortem continuetur (ſiue mors inde ſequatur, ſiue non) aliquis martyr efficitur, & aureolam meretur: ſi verò non continuetur vſque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur martyr; ſicut patet de Siluestro, de quo non ſolemnizat Eccleſia ſicut de martyre, quia in pace vitam finiuit; quamuis priùs aliquas paſ-

ſiones ſuſtinuerit. 4. *ſent. d.* 49. *q.* 5. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 7.

Qu. 11. *an & quomodo nedum fides, ſed etiam omne bonum opus poſſit eſſe occaſio martyrij.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Martyres dicuntur quaſi teſtes; quia ſcilicet corporalibus ſuis paſſionibus vſque ad mortem teſtimonium perhibent veritati, non cuicunque, ſed veritati, quæ ſecundùm pietatem eſt, quæ per Chriſtum nobis innotuit; Vnde & Martyres Chriſti dicuntur quaſi teſtes ipſius: huiuſmodi autem eſt veritas fidei: Et ideo cuiuſlibet martyrij cauſa eſt fidei veritas.

Sed ad fidei veritatem non ſolùm pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ quidem fit, non ſolùm per verba, quibus aliquis confitetur fidem, ſed etiam per facta, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit, ſecundùm illud Iacob. 2. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*: Vnde & de quibuſdam dicitur ad Titum primo: *confitentur verbis ſe noſſe Deum, factis autem negant*: Et ideò omnium virtutum opera, ſecundùm quòd referantur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quam nobis innoteſcit, quòd Deus huiuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & ſecundùm hoc poſſunt eſſe martyrij cauſa; Vnde & B. Ioannis Baptiſtæ martyrium in Eccleſia celebratur, qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterij mortem ſuſtinuit. 2. 2. *q.* 124. *a.* 5. *in corp.*

Quæritur 12. *in quo ſenſu intelligi debet D. Hieronymus dicens in ſerm. de Aſſumptione, rectè dixerim quòd Dei genitrix Virgo & Martyr fuit, quamuis in pace vitam finierit: & D. Gregorius ait, quamuis occaſio perſecutionis deſit, habet tamen & pax noſtra Martyrium ſuum; quia etſi carnis colla ferro non ſubiicimus, ſpirituali tamen gladio carnalia deſideria in mente trucidamus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illæ authoritates, & ſi quæ ſimiles inueniuntur, loquuntur de martyrio, per quandam ſimilitudinem. 2. 2. *qu.* 124. *a.* 4 *ad* 1.

Qu. 13. *quomodo verum ſit id quod B. Lucia dicebat, ſi me inuitam feceris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in muliere, quæ integritatem carnis perdit, vel ad perdendam eam damnatur occaſione fidei chriſtianæ, non eſt apud homines manifeſtum vtrum hoc mulier patiatur propter amorem fidei chriſtianæ, vel magis pro contemptu caſtitatis: & ideo apud homines non redditur pro hoc teſtimonium ſufficiens: vnde hoc non propriè habet rationem martyrij: ſed apud Deum, qui corda ſcrutatur, poteſt hoc ad præmium deputari, ſicut Lucia dixit. *ibidem ad* 2.

Qu. 14. *an & quomodo nedum confeſſio veritatis fidei, ſed etiam cuiuſcunque alterius veritatis poſſit eſſe cauſa martyrii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd veritas fidei habet Chriſtum

Digitized by Google

pro fine, vel pro obiecto; & ideo Confeſſio ipſius aureolam meretur, ſi pœna addatur, non ſolùm ex parte finis, ſed ex parte materiæ: ſed confeſſio cuiuſcunque alterius virtutis non eſt cauſa ſufficiens ad martyrium ratione materiæ, ſed ſolùm ratione finis; vtpote ſi aliquis priùs vellet occidi, quàm quodcunque mendacium dicendo contra ipſum peccaret. 4. *ſ. d.* 49. *qu.* 5. *a.* 3. *qu.* 2. *ad* 10.

Qu. 15. *an, & in quibus baptiſmus Sanguinis ſiue martyrium ſuppleat Baptiſmum fluminis ſiue aquæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Baptiſmus aquæ efficaciam habet à paſſione Chriſti inquantum eam Sacramentaliter repræſentat; Baptiſmus autem Sanguinis Paſſioni Chriſti conformat realiter, non Sacramentali repræſentatione: & ideo in his quæ Sacramentalia ſunt, Baptiſmus Sanguinis non ſupplet vicem Baptiſmi aquæ, ſicut eſt impreſſio characteris, & huiuſmodi: ſed in eo quod eſt res tantùm, ſupplet totaliter vicem Baptiſmi aquæ, quando articulus neceſſitatis Sacramentum excludit: ſicut enim in Baptiſmo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pœna, ita in Baptiſmo Sanguinis. 4. *d.* 4. *a. vlt. q.* 3.

Qu. 16. *an martyrium ſuam habeat efficaciam nedum ex opere operantis, ſed etiam & magis ex imitatione Paſſionis Chriſti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Baptiſmus Sanguinis non habet hoc tantùm ex opere operante; neque quantùm ad pœnam qua aliquis peccatum per martyrium expiet, quam contingit non eſſe ſufficientem ad ſatiſfaciendum pro peccato; neque quantùm ad deuotionem iuſtæ voluntatis; quia contingit quòd voluntate maiori charitate informatâ, aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari: ſed hoc habet ex imitatione paſſionis Chriſti: vnde de martyribus dicitur Apoc. 7. *lauerunt ſtolas ſuas in Sanguine agni:* & ideo pueri quamuis liberum arbitrium non habeant, ſi occidantur pro Chriſto, in ſuo Sanguine Baptizati ſaluantur. *ibid. ad* 1.

Qu. 17. *an, & in quibus martyrium excedat Baptiſmum; & vtrum in ipſo conferatur gratia tum paruulis tum adultis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vterque Baptiſmus habet efficaciam à Paſſione Chriſti, ſecundùm quòd ei conformat: & quia Baptiſmus aquæ conformat ei Sacramentali ſignificatione, Baptiſmus autem ſanguinis realiter; ideo quantùm ad Sacramentalia excedit Baptiſmus aquæ (ſicut eſt impreſſio characteris, & huiuſmodi) ſed quantùm ad ea quæ ſunt res Sacramenti, excedit Baptiſmus ſanguinis; quia & gratia in Baptiſmo Sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti (ſi impedimentum non adſit) & remiſſio peccatorum quamuis non ſit plenior (quia vterque omnem pœnam & culpam tollit) tamen eſt in Baptiſmo ſanguinis efficacior, & fructuoſior; quia ſecundis maculis non inquinatur, vt Damaſcenus dicit. Quod enim quidam dicunt, quòd in

Baptiſmo Sanguinis gratia non confertur, apparet falſum eſſe in pueris, qui pro Chriſto occiduntur; & etiam in adultis, quibus poteſt in ipſo actu paſſionis gratia dari (ſicut & in Baptiſmo aquæ) ſi ſe ad eam diſpoſuerint, & obicem aliquem non ponant Spiritui-Sancto: & hoc patet per Auguſtinum qui loquens de comparatione horum Baptiſmatum ait: *Baptizatus confitetur fidem ſuam coram Sacerdote, martyr coram perſecutore: ille poſt profeſſionem aſpergitur aquâ, hic Sanguine: ille per impoſitionem manus Pontificis recipit Spiritum-Sanctum, hic Templum efficitur Spiritus-Sancti:* Nullus autem efficitur Templum Spiritus-Sancti, niſi gratiam recipiendo. *ibi. qu.* 4.

Quær. 18. *an martyrium purget ab omni culpa & mortali & veniali.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi: & ideo purgat ab omni culpa & veniali & mortali; niſi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. *3.p.qu.*87. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 19. *an per martyrium fiat vniuerſalis abſolutio ab omni culpa & pœna; itaut martyr ſtatim poſt mortem ad cœlum euolet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus peruenit ad vitam æternam niſi abſolutus ab omni culpa, & reatu pœnæ: quæ quidem vniuerſalis abſolutio fit in perceptione Baptiſmi, & martyrio: propter quod dicitur, quòd *in martyrio omnia Sacramenta Baptiſmi complentur*, ſcilicet quantùm ad plenam liberationem à culpa, & pœna. *3.p.q.68.a.2.ad* 2.

MATRIMONIVM.

Quær. 1. *quid inſinuent varia nomina matrimonii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in matrimonio eſt tria conſiderare. Primò, eſſentiam ipſius, quæ eſt coniunctio, & ſecundùm hoc nominatur coniugium. Secundò, cauſam eius, quæ eſt deſponſatio, & ſecundùm hoc vocantur nuptiæ à nubere; quia in ipſa ſolemnitate deſponſationis, quâ matrimonium perficitur, capita nubentium velantur. Tertiò, effectum, qui eſt proles: & ſic dicitur matrimonium, vt Auguſtinus dicit contra Fauſtum, ab hoc quòd mulier non debet ad aliud nubere, niſi vt ſit mater.

Poſt etiam dici matrimonium, quaſi matris munium, ideſt officium: quia fœminis maximè incumbit officium educandæ prolis. Vel dicitur matrimonium quaſi matrem muniens: quia iam habet quo defendatur & muniatur, ſcilicet virum. Vel dicitur matrimoniũ quaſi matrem monens, ne virũ relinquat alteri adhærens. vel dicitur matrimoniũ, quaſi materia vnius, quia in eo fit coniunctio ad vnam prolem materialiter inducendã, vt dicatur matrimonium à monos, & materia. Vel dicitur matrimoniũ, vt Iſidorus dicit, à Matre & nato, quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati. 4. *ſent. d.*27.*q.*1. *a.*1. *q.* 2. *in corp.*

Qu. 2. *quid importet diffinitio matrimonii, quam tradidit magiſter ſententiarum, ſcilicet, viri mulieriſque coniunctio maritalis inter legi-*

timas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.

Reſp. D. Thomas, diffinitio in litterâ poſita tangit eſſentiam matrimonij, ſcilicet *coniunctionem*: Et addit determinatum ſubiectum in hoc quòd dicit *inter legitimas perſonas*: ponit etiam differentiam contrahentem ad ſpeciem in hoc quòd dicit *maritalis*; quia cùm matrimonium ſit coniunctio in ordine ad aliquod vnum, talis coniunctio in ſpeciem trahitur per illud ad quod ordinatur: & hoc eſt quod ad maritum pertinet. Ponit etiam virtutem huius coniunctionis in hoc quod dicit *indiuiduam*, &c. 4. *ſent. diſt.* 27. *qu.* 1. *a.* 1. *queſt.* 3. *in corp.*

Quær. 3. an matrimonium ſit Sacramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacramentum importat aliquod remedium ſanctitatis homini contra peccatum exhibitum per ſenſibilia ſigna: vnde cùm inueniatur in matrimonio, inter Sacramenta computatur. 4. *ſent. diſt.* 26. *q.* 2. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 4. quænam ſit forma huius Sacramenti: & vtrum benedictio Sacerdotis ad ipſam ſpectet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verba quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma huius Sacramenti: non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale. *ibidem ad* 1. *diſt.* 28. *qu.* 1. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 5. quænam ſit huius Sacramenti materia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacramentum matrimonij perficitur per actum eius, qui Sacramento illo vtitur, ſicut pœnitentia: & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubiectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de matrimonio. *Ibidem ad* 2.

Qu. 6. an matrimonium poſſit fieri per nuncium ſiue procuratorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſt aliquis alterum procuratorem conſtituere ad conſentiendum. Tamen ſi ante pœniteat quàm ille conſentiat, non eſt matrimonium, nec in rei veritate, nec ſecundùm iudicium Eccleſiæ; ſi aliquibus ſignis appareat eum pœnituiſſe. Sed ex quo conſenſus per internuntios factus eſt, matrimonium tenet ac ſi ipſe feciſſet. 4. *ſ. d.* 29. *in exp. textus.*

Qu. 7. an mutuus conſenſus ſit cauſa efficiens matrimonij, ſiue vt eſt Sacramentum, ſiue vt eſt contractus ciuilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in omnibus Sacramentis eſt aliqua ſpiritualis operatio mediante materiali operatione, quæ eam ſignificat; ſicut per ablutionem corporalem in baptiſmo fit ablutio interior ſpiritualis: Vnde cùm in matrimonio ſit quædam ſpiritualis coniunctio, inquantum matrimonium eſt Sacramentum; & aliqua materialis ſecundùm

quòd eſt in officium naturæ, & ciuilis vitæ, oportet quòd mediante materiali fiat ſpiritualis virture diuina. Vnde cùm coniunctiones materialium contractuum fiant per mutuum conſenſum, oportet quòd hoc modo fiat matrimonialis coniunctio. 4. *ſent. d.* 27. *q* 1. *a.* 2. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

Qu. 8. *an oporteat conſenſum per verba exprimi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd coniunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus; & quia materiales contractus non poſſunt fieri, niſi ſibi inuicem voluntatem ſuam verbis promant, qui contrahunt; ideo etiam oportet, quòd conſenſus matrimonium faciens verbis exprimatur: vt expreſſio verborum ſe habeat ad matrimonium ſicut ablutio exterior ad baptiſmum. 4. *ſent. d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.*

Qu. 9. *quænam conſenſus expreſſio ad matrimonium ſufficiat in perſonis mutis, vel diuerſarum linguarum, vel in puellis verecundis.*

Reſp. D. Thomas, conſenſus ſine expreſſione verborum matrimonium non facit; quia obligatio homini facienda ſignum exterius requirit: quod ſignum ſunt verba, vel quicunque nutus, quibus conſenſus exprimitur, vt in mutis, & ſe non intelligentibus: & ſic etiam in puella verecunda eſt ſignum conſenſus, quando verbis parentum non contradicit, etſi ipſa non exprimat; quia qui tacet, *conſentire videtur. ad Hannib.* 4. *d.* 27. *a.* 2. *ad* 2. 4. *ſ. d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2. *&* 3.

Qu. 10. *quomodo intelligatur id quod magiſter ſententiarum probat ex libro Pandectarum: conſentire autem probatur, qui euidenter non contradicit.*

Reſp. D. Thomas, hoc intelligitur quantùm ad forum Eccleſiæ; quia quantùm ad forum conſcientiæ, ſi interiùs diſſentiat, quamuis exteriùs non reclamet, non eſt matrimonium. 4. *ſ. d.* 29. *in expoſ. textus.*

Quær. 11. *an conſenſus expreſſus per verba de futuro, matrimonium faciat, vel ſolummodo ſponſalia: & quid ſit dicendum, ſi iuramentum accedat, vel ſi ſequatur carnalis copula.*

Reſp. infra v. *ſponſalia.*

Qu. 12. *an ſi aliquis exterius tantùm conſentiat per ludum vel dolum, fiat matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ſe habet ablutio exterior ad Baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc Sacramentum: Vnde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet non intendens accipere Sacramentum, ſed ludum, & dolum facere, non eſſet baptizatus: ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit 4. *ſent. d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 4. *in corp.*

Quær. 13. *cur ille, qui exteriùs conſentit, & non interiùs, eximatur à matrimonio, cùm ſecundùm iura*

fraus, & dolus nemini debeant patrocinari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ibi ſunt duo: primum eſt defectus conſenſus, qui ei patrocinatur in foro conſcientiæ, vt non aſtringatur vinculo matrimonij; quamuis non in foro Eccleſiæ, in quo iudicatur ſecundùm allegata: ſecundum eſt dolus verborum; & hic non patrocinatur nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ; quia in vtroque pro hoc punitur. *ibid. ad 1.*

Quæritur 14. an ſubſiſtat matrimonium, ſi conſenſus mentalis deſit ex parte vnius tantùm, & vtrum alter à peccato excuſetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi deſit conſenſus mentalis ex parte vnius, ex neutra parte eſt matrimonium; quia matrimonium conſiſtit in mutua coniunctione. Tamen probabiliter poteſt credi dolus non eſſe, niſi ſigna euidentia doli appareant; quia *de quolibet eſt præſumendum bonum, niſi probetur contrarium.* vnde ille ex cuius parte dolus non eſt, à peccato excuſatur per ignorantiam. 4. *ſ.* d. 27. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2.

Quæritur 15. ad quid obligetur ille qui deflorat virginem ſub ſpecie matrimonij: & vtrum ipſa eum admittens peccet.

Reſp. v. *ſtuprum.*

Quær. 16. cur ſi aliquis conſentit exterius in aliquam per verba de præſenti, Eccleſia cogit ipſum habitare cum ea, etiamſi dicat ſe non habuiſſe conſenſum mentalem, & licèt poſtea cum altera contraxerit conſenſu mentali verbis expreſſo, & quid ipſe agere debeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in tali caſu Eccleſia compellit eum ad ſtandum cum prima vxore; quia iudicat ſecundùm ea quæ foris apparent. Nec decipitur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem ſuſtinere, quàm ad primam vxorem accedat; vel debet in alias regiones remotas fugere. 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 3.

Quær. 17. an ſi mulier dicat viro, conſentio in te ſub conditione quòd non cognoſcas me, ſit conſenſus matrimonialis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illa conditio explicita non ſolùm actui, ſed poteſtati contrariatur carnalis copulæ: & ideo eſt contraria matrimonio. 4. *ſ. d.* 28. *a.* 4. *ad* 3.

Quær. 18. an talis conditio tollat matrimonium, & quomodo B. Virgo ſine periculo voti virginitatis nupſit D. Ioſepho.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd beata Virgo antequam contraheret cum Ioſeph, fuit certificata diuinitùs quòd Ioſeph in ſimili propoſito erat; & ideo non ſe commiſit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit; quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum: talis enim conditio cùm ſit contra matrimonij bonum (ſcilicet prolem procre-

audam) matrimonium tolleret. 4. *ſ. d. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad 2.*

Qu. 19. quomodo B. Virgo abſque vllo ſuæ puritatis detrimento conſenſit non quidem in carnalem copulam, ſed in potentiam ad ipſam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd copula carnalis cecidit implicitè ſub conſenſu beatæ Virginis; ſicut actus implicitè continetur in potentia: potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius niſi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in propoſito beatæ Virginis; ſed erat iam certificata quòd actus nunquam ſequi deberet. *Ibidem ad 3.*

Quærit. 20. an poſſit aliquis poſt votum Virginitatis abſolutè factum conſentire in matrimonium abſque peccato, & quomodo B. Virgo in ipſum conſenſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poſt votum virginitatis abſolute factum non poteſt aliquis in matrimonium conſentire ſine peccato: quia ſi ſit votum ſolemne, non fit matrimonium: ſi autem ſit votum ſimplex, verum matrimonium eſt quod ſequitur, tamen peccant contrahentes: votum autem beatæ virginis non fuit ſolemne, ſed ſimplex in corde expreſſum; nec abſolutum, ſed ſub conditione, vt in littera patet: Et ideo potuit ſine peccato ex ſpeciali Spiritus Sancti conſilio, cuius diſpoſitio conditionaliter in illius votum cadebat, in matrimonium conſentire. *Ibid. ad 1.*

Qu. 21. an carnalis copula ſit de integritate Sacramenti matrimonii.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt rei perfectio; ſcilicet prima quæ pertinet ad eſſe rei prout forma dicitur perfectio rei prima; & ſecunda quæ pertinet ad operationem, prout operatio dicitur actus ſecundus; vt patet in ſecundo de anima: primo ergo modo carnalis copula non eſt de matrimonii integritate, quia ſine hac matrimonium habet eſſe perfectum ex ſua materia, & forma: ſed ſecundo modo eſt de perfectione ipſius: nam carnalis copula eſt quidam matrimonii vſus. 4. *ad hannib. d. 26. a. 3. in corp.*

Quær. 22. quænam conditio matrimonium faciat, vel è contra ipſum impediat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conditio appoſita, aut eſt de præſenti, aut de futuro. Si de præſenti, & non eſt contraria matrimonio, ſiue ſit honeſta, ſiue inhoneſta, ſtat matrimonium ſtante cõditione: & ea non ſtante, non efficit matrimonium. Si autem ſit conditio de futuro; aut eſt neceſſaria ſicut ſolem oriri cras, & tunc eſt matrimonium, quia talia futura iam ſunt præſentia in ſuis cauſis: aut eſt contingens, ſicut datio pecuniæ, vel acceptio parentum; & tunc idem eſt iudicium de tali conſenſu, ſicut de conſenſu, qui fit per verba de futuro; vnde non facit matrimonium. 4. *ſ. d. 29. a. 3. q. 3. in corp.*

Quær.

Qu. 23. quandonam conditio ſponſalibus appoſita impediat libertatem matrimonii, & ſit nulla.

Reſp. v. *ſponſalia.*

Quær. 24. an ſubſiſtat matrimonium non obſtante turpitudine cauſæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ſacramento poteſt eſſe duplex intentio: prima eſt intentio conſtituendi ſacramentum; ſecunda eſt intentio ſacramento vtendi: prima intentio eſt de neceſſitate ſacramenti; vnde per eius defectum ſacramentum impeditur; ſicut ſi aliquis non intenderet baptizare: ſecunda verò intentio conſequitur ad ſacramentum; vnde defectus eius ſacramentum non tollit: vt ſi aliquis baptiſmum ſuſciperet hac intentione vt lucra cõquireret. Turpitudo ergo cauſæ, ſi contrarietur eſſentiæ matrimonij, matrimonium tollit, quia remouet primam intentionem, vt ſi aliquis conſentiret in aliquam vt in meretricem: ſed turpitudo cauſæ, quæ matrimonio non contrariatur ſecundùm ſuam eſſentiam, opponitur ſecundæ intentioni, & non primæ: vnde matrimonium non impedit; vt puta ſi aliquis in vxorem conſentit hac intentione, vt liberè cum ea ſuam libidinem exerceat. 4. *ad hannib. d.* 30. 1. 3. 4. *ſ. d.* 30. *q.* 1. *a.* 3.

Quær. 25. quomodo conſenſus ad matrimonium requiſitus debet eſſe perpetuus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis conſenſus, qui facit matrimonium, non ſit perpetuus materialiter, Ideſt quantùm ad ſubſtantiam actus, quia ille actus ceſſat, & poteſt contrarius ſuccedere; tamen formaliter loquendo eſt perpetuus, quia eſt de perpetuitate vinculi, aliàs non faceret matrimonium; non enim conſenſus ad tempus ad aliquam matrimonium facit. 4. *ſent. d.* 31. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 4.

Quærit. 26. an puella abſque conſenſu Patris poſſit matrimonium contrahere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd puella non eſt in poteſtate Patris quaſi ancilla, vt ſui corporis poteſtatem non habeat; ſed quaſi filia ad educandum: & ideo ſecundùm hoc quòd libera eſt, poteſt ſe in poteſtatem alterius abſque conſenſu Patris dare: ſicut etiam poteſt aliquis, vel aliqua intrare Religionem abſque conſenſu parentum, cùm ſit perſona libera. 4. *ſ. d.* 28. *a.* 3 *ad* 1. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. 4. *ad hann. d.* 30. *a.* 1. *ad* 4.

Quæritur 27. an filius poſſit compelli precepto Patris ad matrimonium contrahendum.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd cùm in matrimonio ſit quædam quaſi ſeruitus perpetua, pater non poteſt cogere filium ad matrimonium per præceptum, cùm ſit liberæ conditionis; ſed poteſt eum inducere ex rationabili cauſa: & tunc ſicut ſe habet filius ad cauſam illam, ita ſe habet ad præceptum Patris; vt ſi illa cauſa cogat de neceſſitate, vel de honeſtate, & præceptum ſimili-

ter cogat, aliàs non. 4. *ſent. d.* 29. *a.* 4. *in corp.*

Quær. 28. *an ſerui teneantur obedire Dominis, vel filij parentibus quantùm ad matrimonium contrahendum, aut virginitatem ſeruandam, aut quantùm ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam.*

Reſp. D. Thomas, non tenetur inferiori ſuo ſuperiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat in quo ei non ſubdatur: dicit enim Seneca in 3. de beneſi. *Errat, ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere: pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt & adſcripta Dominis, mens quidem eſt ſui iuris.* Et ideo in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolùm Deo. Tenetur autem homo homini obedire in his quæ exteriùs per corpus ſunt agenda: In quibus tamen ſecundùm ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolùm Deo: quia omnes homines naturâ ſunt pares; puta in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem & prolis generationem: vnde non tenentur nec ſerui Dominis, nec filii parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda, aut aliquo alio huiuſmodi. Sed in his quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire, ſecundùm rationem ſuperioritatis: ſicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum: ſeruus Domino, in his quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda: filius patri, in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ & curam domeſticam; & ſic de aliis. 2.2. q. 114. a. 5. *in corp.*

Qu. 29. *an filiifamilias, ex quo venerunt ad annos pubertatis, poſſint inuitis parentibus matrimonium contrahere: vel Religionem ingredi: aut aliquid vouere circa res domeſticas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex quo homo venit ad annos pubertatis, non eſt ſub poteſtate alterius (ſi ſit liberæ conditionis) quantùm ad ea quæ ad perſonam ſuam ſpectant: & ideo ſicut talis inuitis parentibus poteſt matrimonium contrahere, ita inuitis eis poteſt religionem profiteri: ſed quantùm ad res domeſticas non poteſt aliquid vouere ſine conſenſu patris. 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 2.

Qu. 30. *quomodo parentes iurant futura matrimonia pro filiis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non iurant niſi illâ conditione ſubintellectâ, *ſi illis placuerit.* Et ipſi obligantur ad eos bonâ fide inducendum. 4. *ſ. d.* 29. *q.* 2. *a.* 4. *ad* 3.

Sacrum concilium Tridentinum ſeſſ. 24. *in decreto de reformatione matrimonii cap.* 1. *anathemate damnat eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe; & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.*

Qu. 31. *an teneatur filius inire matrimonium, quando aliter nequit ſuis parentibus ſubuenire.*

Reſp. infra v. *pietas.*

Quærit. 32 quot & quæ ſint impedimenta matrimonii, ſiue impedientia tantum, ſiue etiam dirimentia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in matrimonio ſunt quædam, quæ ſunt de eſſentia ipſius, & quædam quæ ſunt de ſolemnitate eius, ſicut & in aliis ſacramentis: & quia remotis his, quæ non ſunt de neceſſitate ſacramenti, adhuc manet verum ſacramentum: ideo impedimenta, quæ contrariantur his, quæ ſunt de ſolemnitate ſacramenti, non officiunt, quin ſit verum matrimonium: & talia dicuntur impedire contrahendum, ſed non dirimunt contractum: ſicut prohibitio Eccleſiæ, & tempus feriatum: vnde verſus.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum:
Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Impedimenta autem, quæ contrariantur his, quæ ſunt de eſſentia matrimonij, faciunt vt non ſit verum matrimonium: & ideo dicuntur non ſolùm impedire matrimonium contrahendum, ſed dirimere contractum: quæ his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Horum autem numerus hoc modo accipi poteſt. Poteſt enim matrimonium impediri, aut ex parte contractus matrimonij, aut ex parte contrahentium. Si primo modo, cùm contractus matrimonij fiat per voluntarium conſenſum, qui tollitur per ignorantiam, & violentiam, erunt duo impedimenta matrimonij, ſcilicet *vis*, idest coactio, & *error* ex parte ignorantiæ.

Ex parte verò perſonarum contrahentium ſic diſtinguuntur. Poteſt enim aliquis impediri à matrimonio contrahendo, vel ſimpliciter, vel reſpectu alicuius perſonæ: ſimpliciter vt cum nulla poſſit matrimonium contrahere: & hoc non poteſt eſſe, niſi quia impeditur à matrimoniali actu, quod quidem contingit dupliciter: Primò, quia non poteſt illum exercere de facto, ſiue quia omnino non poſſit; & ſic ponitur impedimentum, *impotentia coeundi*, ſiue quia non liberè poſſit, & ſic ponitur impedimentum *conditio ſeruitutis*. Secundò, quia non licitè poteſt; & hoc ſecundùm quod ad continentiam obligatur: quod contingit dupliciter: quia vel obligatur ex officio ſuſcepto, & ſic eſt *impedimentum ordinis*; vel ex voto emiſſo; & ſic impedit *votum*. Si autem impeditur aliquis à matrimonio non ſimpliciter, ſed reſpectu alicuius perſonæ, hoc etiam contingit dupliciter; vel propter obligationem ad alteram perſonam, ſicut qui iunctus eſt vni matrimonio non poteſt alteri coniungi, & ſic eſt *ligamen*, ſcilicet matrimonij. Vel quia deficit proportio ad alteram perſonam: & hoc tripli-

Digitized by Google

citer. Primò, propter nimiam diſtantiam ad ipſam, & ſic eſt *diſparitas cultus*: Secundò, propter nimiam propinquitatem, & ſic ponitur triplex impedimentum, ſcilicet *cognatio*, quæ importat propinquitatem duarum perſonarum ratione tertiæ matrimonio iunctæ & *publicæ honeſtatis iuſtitia*, in qua eſt propinquitas duarum perſonarum ratione tertiæ perſonæ per ſponſalia iunctæ: Tertiò, propter indebitam coniunctionem ad ipſam primò factam, & ſic impedit *crimen adulterii* priùs cum ipſa commiſſi. 4. *ſent. d. 34. a. 1. in corp.*

Præter duo impedimenta prohibentia alia plura referuntur ab Authoribus, quæ vt ait Gonetus iuxta communiorem Doctorum ſententiam non vigent amplius; exceptis ſponſalibus, & voto ſimplici caſtitatis, vel Religionis, aut ſuſcipiendi ordinem ſacrum, vel non ineundi matrimonium, de quibus conuenit inter Caſuiſtas, quòd ſunt impedimenta prohibentia. De voto agitur infra qu. 58. & ſequent. de ſponſalibus autem v. ſponſalia. An Catechiſmus baptiſmum præcedens ſit etiam impedimentum prohibens propter cognationem ſpiritualem ex ipſo contractam, inter Caſuiſtas controuertitur: plures aſſerunt adhuc ſubſiſtere; alij volunt ſublatum fuiſſe per concilium Tridentinum: videantur ea quæ diximus ſupra v. baptiſmus qu. 66. & ſequentibus; & quæ dicemus infra agendo de cognatione ſpirituali. Igitur quatuor ſunt vel ad ſummum quinque impedimenta prohibentia, ſcilicet Eccleſiæ prohibitio, tempus feriatum, ſponſalia, votum, & Catechiſmus: propterea prædictis duobus verſibus ſolet iungi tertius, ſcilicet.

Atque Catechiſmus, ſponſalia, iungito votum:
Impediunt, &c.

Quantùm verò ad impedimenta dirimentia, non fuerunt niſi prædicta duodecim, tempore D. Thomæ, & vſque ad concilium Tridentinum: ſed quia concilium irritauit matrimonia clandeſtina, & ea quæ fiunt per raptum: ideo nunc adduntur duo impedimenta, quæ his verſibus exprimuntur.

Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis:
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc ſocianda, &c.

Sunt igitur quatuordecim impedimenta dirimentia, ſcilicet error, conditio, votum, cognatio, crimen, diſparitas cultus, coactio, ordo, ligamen, honeſtas, affinitas, impotentia, clandeſtinitas, & raptus.

Quær. 33. an & quare perſonæ reddi poſſunt illegitimæ ad contrahendum matrimonium ex triplici lege, ſcilicet naturali, diuina, & ciuili.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perſonæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quòd ſunt contra legem, qua matrimonium conſtituitur: matrimonium autem, inquantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ; inquantum eſt Sacramentum, ſtatuitur iure diuino; inquantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur lege ciuili: Et ideo ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua perſona effici ad matrimonium illegitima: nec eſt ſimile de aliis Sacramentis, quæ ſunt Sacramenta tantùm. Et quia lex naturalis ſecundùm diuerſos ſtatus recipit determinationes di-

Digitized by Google

merſas ; & ius poſitiuum etiam variatur ſecundùm diuerſas hominum conditiones in diuerſis temporibus ; Ideo magiſter ponit in diuerſis temporibus diuerſas perſonas illegitimas fuiſſe. 4. *ſ. d.* 34. *q*. 1. *a*. 1. *ad* 4.

Quær. 34. *quare natura, Eccleſia, & Reſpublica, vel Principes ſæculares matrimonium debent dirigere.*

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quòd quando aliquid ad diuerſos fines ordinatur, indiget habere diuerſa dirigentia in finem; quia finis eſt proportionatus agenti : generatio autem humana ad multa ordinatur, ſcilicet ad perpetuitatem ſpeciei, & ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua ciuitate : ordinatur etiam ad perpetuitatem Eccleſiæ, quæ in fidelium collectione conſiſtit : vnde oportet quòd huiuſmodi generatio à diuerſis dirigatur. Inquantum igitur ordinatur ad bonum naturæ quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem ; & ſic dicitur eſſe naturæ officium : inquantum verò ordinatur ad bonum politicum, ſubiacet ordinationi ciuilis legis : inquantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quòd ſubiaceat regimini Eccleſiæ. 4. *contra Gentes cap*. 78.

Qu. 35. *an peccent illi qui contrahunt matrimonium cum impedimento impediente ; & nihilominus ſit verum matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illa impedimenta, quæ non dirimunt matrimonium contractum, impediunt quandoque matrimonium contrahendum, non vt non fiat, ſed vt non licitè fiat verum matrimonium. Et tamen ſi fiat, matrimonium verum contractum eſt, quamuis contrahens peccet : ſicut ſi aliquis conſecraret poſt comeſtionem, peccaret contra ſtatutum Eccleſiæ faciens, nihilominus verum Sacramentum perficeret ; quia ieiunium conſecrantis non eſt de neceſſitate Sacramenti. 4. *ſent. d.* 34. *art.* 1. *ad* 7.

Quær. 36. *quomodo ſe habeat Eccleſia ad impedimenta matrimonij per modum iudicantis, prohibentis, & ſtatuentis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Eccleſia in his, quæ ad matrimonium pertinent, tripliciter ſe habet.

Vno quidem modo per modum iudicantis, & quia homines vident ea quæ apparent ſecundùm quòd dicitur 1. Reg. 16. Oportet quòd iudex Eccleſiaſticus iudicet ſecundùm ea, quæ ſibi apparent per confeſſiones partium, & per idoneos teſtes, & per alia legitima documenta : quibus omnibus adhibitis contingit quandoque veritatem latere ; & præcipuè in his, quæ pertinent ad interiora cordis, quæ humano teſtimonio probari non poſſunt, etſi per aliqua ſigna exteriora de his poſſit aliqua coniectura haberi : Et ideo iudicium Eccleſiæ circa ea, quæ ad matrimonium pertinent, ſi veritas lateat, non impedit ſequens matrimonium contrahendum, nec dirimit iam contractum.

Alio modo ſe habet per modum

Digitized by Google

prohibentis, vel punientis: & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit iam contractum: puta vxoricidæ pœnam imponit Eccleſia, vt vlterius a matrimonio abſtineat, ſi tamen contraxerit matrimonium, non dirimitur.

Tertio modo ſe habet per modum ſtatuentis, quod fit ſolùm authoritate ſummi Pontificis: & ſecundùm hoc perſonæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum; ita quòd ſi etiam contrahant, matrimonium dirimitur: vt patet in quibuſdam gradibus conſanguinitatis, & affinitatis; vel etiam de adultera, cùm quis dedit ei fidem de contrahendo, vel cùm machinatus eſt in mortem vxoris. *quodlibeto 5. a. 15. ad 1.*

Quær. 37. quibus temporibus prohibeantur nuptiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando nouæ ſponſæ traducuntur, animus coniugum magis ex ipſa nouitate ad curam carnalium occupatur: & ideo in nuptiis conſueuerunt ſigna multa lætitiæ diſſoluitè oſtendi; & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipuè debent ſe ad ſpiritualia eleuare, prohibitum eſt nuptias celebrari. Hoc autem eſt ab aduentu vſque ad Epiphaniam propter communionem, quæ ſecundùm antiquos canones in Natiuitate fieri conuenienter ſolet: & à ſeptuageſima vſque ad octauam Paſchæ propter communionem Paſchalem: & à tribus diebus ante Aſcenſionem vſque ad octauam Pentecoſtes, propter præparationem ad communionem illo tempore ſumendam. *4. ſent. d. 32. a. 5. quæſt. vnic. 4. in corp.*

Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 10. de reform. matrimonij illud tempus aliquantulum contraxit, prohibens ſolummodo ne fiant nuptiæ ſolemniter ab aduentu vſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè: ab aduentu, inquit, Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vſque in octauam Paſchatis incluſiuè, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit; in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit.

Qu. 38. an matrimonium contractum tempore prohibito debeat diſſolui.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm tempus non ſit de eſſentia matrimonij, ſi in tempore indebito contrahatur, nihilominus verum eſt Sacramentum; nec ſeparatur matrimonium ſimpliciter, ſed ad tempus, vt pœnitentiam agant de hoc quòd ſtatutum Eccleſiæ ſunt tranſgreſſi. *4. ſent. d. 32. a. 5. quæſt. 4. ad 3.*

Qu. 39. an quidquid matrimonium impedit in vno ex coniugibus impediat etiam in alio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidquid impedit matrimonium in vno impedit ipſum in altero; quia non poteſt eſſe, quòd aliquis ſit vir non vxoris, vel quòd aliqua ſit vxor non habens virum, ſicut mater non habens filium. Et ideo communiter dicitur, quòd

matrimonium non claudicat. 4. ſent. d. 29. q. 3. quæſt. 2. in corp.

Qu. 40. an impedimentum ſuperueniens matrimonio ritè facto dirimat illud.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd impedimenta prædicta non dicuntur interimere matrimonium contractum, quaſi ſoluentia verum matrimonium, quod ritè contractum eſt; ſed quia ſoluunt matrimonium, quod contractum eſt de facto, & non de iure: vnde ſi impedimentorum aliquod matrimonio ritè facto ſuperueniat, matrimonium ſoluere non valet. 4. *ſ. d. 34. a. 1. ad 6.*

Qu. 41. an duo tantùm errores, ſcilicet perſonæ, & conditionis, matrimonium impediant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut error ex hoc quòd inuoluntarium cauſat, habet excuſare peccatum, ita quòd matrimonium impediat, ex eodem: error autem non excuſat à peccato, niſi ſit illius circunſtantiæ, cuius appoſitio vel remotio facit differentiam liciti, & illiciti in actu: ſi enim aliquis percutiat aliquem baculo ferreo, quem credit ligneum eſſe, non excuſatur à toto, quamuis fortè à tanto, ſed ſi credat quis percutere filium cauſâ diſciplinæ, & percutiat patrem, excuſatur à toto (diligentiâ debitâ adhibitâ)

Vnde oportet, quòd error, qui matrimonium impedit, ſit alicuius eorum, quæ ſunt de eſſentia matrimonij: duo autem includit matrimonium ipſum; ſcilicet perſonas, quæ coniunguntur, & mutuam poteſtatem ad inuicem, in qua matrimonium conſiſtit. Primum autem tollitur per errorem perſonæ, ſecundum per errorem conditionis, quia ſeruus non poteſt poteſtatem ſui corporis alteri tradere ſine conſenſu domini ſui: & propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, & non alij. 4. *ſent. d. 30. q. 1. a. 2. in corp. 4. ad Hann. d. 30. a. 2. & 37. a. 1.*

Qu. 42. vtrum error infidelium, quo æſtimant matrimonium non eſſe ſacramentum, impediat ipſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd error infidelis de matrimonio eſt circa ea, quæ ſunt matrimonium conſequentia; ſicut an ſit Sacramentum, vel an ſit licitum: & ideo error talis matrimonium non impedit: ſicut nec error circa baptiſmum impedit acceptionem characteris; dummodo intendat recipere quod Eccleſia dat, quamuis credat nihil eſſe. 4. *ſent. d. 30. q. 1. a. 2. ad 2.*

Qu. 43. quandonam error nobilitatis & dignitatis impediat matrimonium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd error nobilitatis inquantùm huiuſmodi, non euacuat matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis, ſed ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit matrimonium. Vnde ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam perſonam directè, error de nobilitate ipſius non impedit matrimonium; ſi autem directè intendit conſentire in filium Regis quicunque ſit ille,

Digitized by Google

tunc ſi alius præſentetur ei, quàm filius Regis, eſt error perſonæ, & impeditur matrimonium. 4. *ſent. d.* 30 *q.* 1. *a.* 2. *ad* 5.

Qu. 44. *an ſit eadem ratio & qualitatis de errore fortunæ, & qualitatis, ac de errore ſeruitutis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diuerſitas fortunæ non variat aliquid eorum, quæ ſunt de eſſentia matrimonij, nec diuerſitas qualitatis; ſicut facit conditio ſeruitutis: & ideo ratio non ſequitur. 4. *ſent. d.* 30. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 4.

Qu. 45. *an ſi vir cum vxore per multos annos in prædicto errore perſonæ, vel ſeruitutis maneat, & filios, ac filias generet, debeat cenſeri validum matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quantumcunque fuerit cum ea, niſi de nouo conſentire velit, non eſt matrimonium. *Ibidem ad* 8.

Qu. 46. *quid agendum eſſet, ſi contingeret quòd frater viri in quem mulier ſe credit conſentire, offerretur ipſi, & cum eo carnaliter commiſceretur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ante non conſenſerat in fratrem eius, poteſt eum, quem per errorem accipit retinere; præcipuè ſi ſit cognita carnaliter ab eo quem accepit: ſi autem conſenſerat in primum per verba de præſenti, non poteſt ſecundum habere primo viuente; ſed poteſt vel ſæculum relinquere, vel ad primum redire. Et ignorantia facti excuſat peccatum. Sicut & excuſaretur poſt conſummatum matrimonium, ſi à conſanguineo viri fraudulenter cognoſceretur; quia fraus alterius non debet ipſi præiudicare. 4. *ſ. d.* 30. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 9.

Qu. 47. *an conditio ſeruitutis impediat matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in matrimonij contractu obligatur vnus coniugum alteri ad debitum reddendum; & ideò ſi ille, qui ſe obligat, ſit impotens ad ſoluendum, ignorantia huius impotentiæ in eo, cui fit obligatio, tollit contractum: ſicut autem per impotentiam coëundi efficitur aliquis impotens ad ſoluendum, vt omninò non poſſit ſoluere, ita per ſeruitutem, vt liberè reddere debitum non poſſit: & ideo ſicut impotentia coëundi ignorata impedit matrimonium, non autem ſi ſciatur; ita conditio ſeruitutis ignorata matrimonium impedit, non autem ſeruitus ſcita. 4. *ſent. d.* 36. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 48. *an & quando poſſit inter ſeruos eſſe matrimonium; vel etiam inter liberum, & ancillam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſeruitus contrariatur matrimonio quantùm ad actum, ad quem aliquis obligatur, quem non poteſt liberè exequi; & quantùm ad bonum prolis, quæ peioris conditionis efficitur ex ſeruitute parentis. Sed quia quilibet poteſt in eo quod ſibi debetur, ſponte detrimentum aliquod ſubire, ideo ſi alter coniugum ſcit alterius ſeruitutem, nihilominus matrimonium tenet.

Similiter

Similiter etiam quia in matrimonio eſt æqualis obligatio ex vtraque parte ad debitum reddendum, non poteſt aliquis requirere maiorem obligationem ex parte alterius, quàm ipſe poſſit facere, & propter hoc ſeruus etiamſi contrahit cum ancilla, quam credit liberã non propter hoc impeditur matrimonium. Et ſic patet quòd ſeruitus non impedit matrimonium, niſi quando ignorata eſt ab alio coniuge, qui ſit liberæ conditionis: & ideo nihil prohibet inter ſeruos eſſe coniugia; vel inter liberum & ancillam. 4. *ſent. d.* 36. *a.* 1. *ad* 1.

Quæ. 49. *an matrimonium teneat, quando vnus æſtimatur ſeruus, & tamen eſt liber.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd libertas non impedit matrimonij actum: vnde libertas ignorata non impedit matrimonium. 4. *ſent. d.* 36. *a.* 1. *ad* 5.

Quær. 50. *an ſeruus matrimonium contrahere poſſit ſine conſenſu Domini.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm ius poſitiuum progrediatur à iure naturali; ideo ſeruitus, quæ eſt de iure poſitiuo, non poteſt præiudicare his, quæ ſunt de lege naturali. Sicut autem appetitus naturæ eſt ad conſeruationem indiuidui ita eſt ad conſeruationem ſpeciei per generationem: Vnde ſicut ſeruus non ſubditur Dominó quin liberè poſſit comedere, & dormire, & alia huiuſmodi facere, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent, ſine quibus natura conſeruari non poteſt; ita non ſubditur ei quantùm ad hoc quòd non poſſit liberè matrimonium contrahere, etiam Domino neſciente, aut contradicente. 4. *ſent. a.* 36. *q.* 1. *a.* 2. *in corp.* 4. *ad hannib. d.* 37. *a.* 1.

Quærit. 51. *an ſeruus debeat potius obedire vxori debitum petenti, quàm Domino ſeruitium imperanti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ſeruus volente Domino matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere ſeruitium Domini imperantis, & reddere debitum vxori; quia per hoc quòd Dominus conceſſit, vt matrimonium ſeruus contraheret, intelligitur ei conceſſiſſe omnia, quæ matrimonium requirit. Si autem matrimonium ignorante, vel contradicente Domino eſt contractum, non tenetur reddere debitum, ſed potiùs Domino obedire, ſi vtriuſque ſimul eſſe non poſſit.

Sed tamen in his multa particularia conſiderari debent, ſicut etiam in omnibus humanis actibus, ſcilicet periculum caſtitatis imminens vxori, & impedimentum, quod ex redditione debiti ſeruitio imperato generatur, & alia huiuſmodi: quibus omnibus ritè penſatis iudicari poterit, cui magis ſeruus obedire teneatur, Domino, vel vxori. 4. *ſent. d.* 36. *a.* 2. *ad* 3.

Quær. 52. *an Dominus poſſit vendere ſeruum coniugatum in partes ita longinquas, vt vxor eius nõ poſſit eum ſequi, vel propter infirmitatem corporis, vel propter periculum fidei imminens, vt ſi vendatur infidelibus, vel etiam Domino vxoris non permittente, ſi ſit ancilla.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus cogendus eſt, ne ſeruum vendat taliter, quòd faciat onera matrimonij grauiora, præcipuè cùm non deſit facultas vbique ſeruum ſuum vendendi iuſto pretio. 4. *ſent. d. 36. a. 2. ad 4.*

Qu. 53. an poſſit vir ſe in ſeruum dare nolente vxore.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vir ſubditur vxori ſolùm in his, quæ ad actum naturæ pertinent, in quibus ſunt æquales, ad quæ ſeruitutis ſubiectio ſe non extendit: Et ideo vir nolente vxore poteſt ſe alteri in ſeruum dare. Non tamen ex hoc matrimonium diſſoluitur; quia nullum impedimentum matrimonio ſuperueniens poteſt diſſoluere ipſum. 4. *ſent. d. 36. a. 3. in corp.*

Quær. 54. an ſimiliter vxor poſſit dare ſe in ancillam nolente viro.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis in actu matrimoniali, & in his quæ ad naturam ſpectant, ad paria vir & vxor iudicentur, ad quæ conditio ſeruitutis non ſe extendit; tamen quantùm ad diſpenſationem domus, & ad alia huiuſmodi ſuperaddita vir eſt caput mulieris, & debet corrigere; non autem è conuerſo: Et ideo vxor non poteſt ſe dare in ancillam nolente viro. 4. *ſent. d. 36. a. 3. ad 3.*

Qu. 55. an ſi vir in fraudem vxoris ſe in ſeruitutem redigat, fiat ex hoc vxori præiudicium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fraus benè poteſt nocere ei qui fraudem fecit, ſed non poteſt alteri præiudicium generare: & ideo ſi vir in fraudem vxoris alteri det ſe in ſeruum, ipſe damnum reportat, inæſtimabile libertatis bonum amittens, ſed vxori nullum poteſt ex hoc præiudicium generari, quin teneatur reddere debitum petenti; & ad omnia quæ matrimonium requirit: non enim poteſt ab his retrahi Domini ſui præcepto. 4. *d. 36. q. 1. a. 3. ad 1.*

Quær. 56. an tunc ſeruus teneatur reddere debitum vxori, etiam nolente Domino.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quantùm ad hoc quòd ſeruitus matrimonio repugnat, matrimonium ſeruituti præiudicat: quia tunc ſeruus tenetur vxori reddere debitum, etiam nolente Domino, *ibid. ad 2.*

Quæritur 57. quid debeat facere vir quando dubitat vtrum vxor ſua ſit ſerua.

Reſp. D. Thomas, ſciendum quòd ſi antequam ſit detecta ſeruitus vxoris de qua dubitatur, petat debitum, ſi leui ſuſpicione moueatur vir, debet reddere debitum: nec ex hoc ei aliquod præiudicium generatur: ſi autem ex cauſa probabili dubitet, vel vehementer præſumat, aut certò cognoſcat, non debet ei debitum reddere, Eccleſiâ præcipiente: quia vel ſibi præiudicium faceret, ſi eam vxorio affectu cognoſceret: vel alioqui fornicaretur. 4. *ſ. d. 36. in exp. textus.*

Quærit. 58. an, & in quibus filij debeant ſequi conditionem Patris, vel Matris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm leges ciuiles *partus ſequitur ventrem*: & hoc rationabiliter: quia proles habet à patre complementum formale, ſed à matre ſubſtantiam corporis: ſeruitus autem corporalis conditio eſt, cùm ſeruus ſit quaſi inſtrumentum Domini in operando: Et ideo proles in libertate, & ſeruitute ſequitur matrem. Sed in his, quæ pertinent ad dignitatem, quæ eſt forma rei, ſequitur Patrem: ſicut in honoribus, & municipijs, & hæreditate, & alijs: & huic etiam concordant canones, & lex Moyſi vt patet exodi 21.

In quibuſdam tamen terris, quæ iure ciuili non reguntur, partus ſequitur deteriorem conditionem: vt ſi pater ſit ſeruus, quamuis mater ſit libera, erunt filij ſerui: non tamen ſi poſt peractum matrimonium pater ſe in ſeruum dedit volente vxore: & ſimiliter ſi ſit è conuerſo: ſi autem vterque ſit ſeruilis conditionis, & pertineant ad diuerſos Dominos, tunc diuidunt filios ſi plures ſunt: vel ſi vnus tantùm, vnus alteri recompenſabit de pretio, & accipiet prolem natam in ſui ſeruitium.

Tamen non eſt credibile, quòd talis conſuetudo poſſit eſſe ita rationabilis, ſicut illud quod multorum ſapientum diuturno ſtudio determinatum eſt. Hoc etiam in naturalibus inuenitur, quod *receptum eſt in recipiente per modum recipientis, & non per modum dantis.* Et ideo rationabile eſt, quòd ſemen receptum in muliere ad conditionem ipſius trahatur. *4. ſent. d.36. qu.1. a.4. in corp.*

Quær. 59. quare ſicut decretalis dicit votum ſimplex continentiæ matrimonium impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum; votum autem ſolemne, & impedit, & dirimit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum ſimplex non dirimit matrimonium contractum, ſed ſolummodo votum ſolemne: cuius ratio patet, ſi differentia vtriuſque voti inſpiciatur: in voto enim ſimplici eſt ſola promiſſio, qua quis promittit Deo ſe continentiam ſeruaturum: Ex ſola autem promiſſione non transfertur dominium: vnde ſi aliquis promittat rem aliquam alicui, & poſtea det eandem alteri, huiuſmodi donatio non poteſt reſcindi per priorem promiſſionem, quamuis malè faciat dando: & ſic ille qui emiſit votum ſimplex continentiæ, poteſt poſtmodum corpus ſuum tradere vxori: & quamuis peccet hoc faciendo, tamen matrimonium non dirimetur propter votum præcedens. In voto autem ſolemni eſt ſimul promiſſio & collatio: tunc enim eſt votum ſolemne, quando ſimul aliquis cum voto conſecratur Deo, & ponitur in aliquo ſtatu ſanctitatis, vel per ſuſceptionem ordinis, vel per profeſſionem certæ regulæ: & ſic non poteſt vlteriùs corpus ſuum tradere vxori; & ſi tradit, contractus nullus eſt: & ſic matrimonium dirimitur per votum ſolemne, non autem per ſimplex. *quodl. 8. a. 10. in corp. 4. ſ. d. 38. q. 1. a. 3. quæſt. 2. ad 3.*

Quær. 60. an poſſit S. Pontifex diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, & Religionis ad contrahendum matrimonium.

Reſp. v. *votum qu. 36.*

Quæritur 61. vtrum ille, qui contraxit matrimonium poſt votum ſimplex continentiæ, teneatur ad ſeruandam continentiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui contrahit matrimonium per verba de præſenti poſt votum ſimplex, non poteſt cognoſcere vxorem carnaliter ſine peccato mortali: quia adhuc reſtat ſibi facultas implendi continentiæ votum ante matrimonium conſummatum. Sed poſtquam iam matrimonium conſummatum eſt, eſt ei factum illicitum non reddere debitum vxori exigenti; tamen ex culpa ſua; & ideo ad hoc obligatio voti non ſe extendit. Tamen debet lamentum pœnitentiæ recompenſare pro continentia non ſeruata. 4. *ſent. d. 38. q. 1. a. 3. quæſt. 2. ad 3.*

Quæritur 62. quomodo ille qui poſt votum ſimplex contraxit matrimonium, ſe gerere debeat circa debitum coniugale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quantùm ad ea, in quibus non eſt factus impotens votum continentiæ ſeruare, adhuc poſt contractum matrimonium obligatur ad ſeruandum; propter quod mortuâ vxore tenetur totaliter continere: & quia ex matrimonij vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non poteſt petere debitum ſine peccato; quamuis poſſit ſine peccato reddere debitum exigenti, poſtquam obligatus eſt ad hoc per carnalem copulam præcedentem.

Hoc autem intelligendum eſt, ſiue mulier petat expreſsè, ſiue interpretatiuè, vt quando mulier verecunda eſt, & vir ſentit eius voluntatem de redditione debiti; tunc enim ſine peccato reddere poteſt; & præcipuè ſi ei timet de periculo caſtitatis. Nec obſtat, quòd non ſũt pares in matrimonij actu; quia quilibet poteſt hoc quod ſuum eſt abrenunciare.

Quidam tamen dicunt, quòd poteſt & petere, & reddere; ne nimis onerosũm reddatur matrimonium vxori ſemper exigenti: ſed ſi rectè inſpiciatur, hoc eſt exigere interpretatiuè. 4. *ſent. d. 38. q. 1. a. 3. quæſt. 2. ad 4.*

Qu. 63. an quando vterque coniugum vouet continentiam, ſoluatur matrimonij vinculum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando vterque pari voto continentiam vouet, tunc neuter coniugali vinculo abrenunciat: Et ideo adhuc manet. Sed quando vnus tantùm vouet, tunc quantùm eſt in ſe abrenunciat vinculo coniugali; & ideo alter abſoluitur à vinculo illo. 4. *ſent. d. 27. q. 1. a. 3. quæſt. 3. ad 1.*

Qu. 64. an & quomodo poſſint coniuges vouere de non petendo, vel reddendo coniugali debito.

Reſp. ſupra v. *debitum coniugale qu. 56. & tribus ſequentibus.*

Quær. 64. quare poſt matrimonium ratum ſed non conſummatum non tenentur coniuges reddere debitum niſi poſt ſpatium duorum menſium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ante carnalem copulam non eſt omnino tranſlatum corpus vnius ſub poteſtate alterius, ſed ſub conditione, ſi interea alter coniugum ad frugem melioris vitæ non conuolet: ſed per carnalem copulam completur dicta trãſlatio; quia tunc intrat vterque in corporalem poſſeſſionem ſibi traditæ poteſtatis.

Vnde etiam ante carnalem copulam non ſtatim tenetur reddere debitum poſt matrimonium contractum per verba de præſenti: ſed datur ei tempus duorum menſium propter tria. Primò, vt interim poſſit deliberare de tranſeundo ad Religionem. Secundò, vt præparentur, quæ ſunt neceſſaria ad ſolemnitatem nuptiarum. Tertiò, ne *vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpirauit dilatam. 4. ſent. d. 27. q. 1. a. 3. quæſt. 2. ad 2.*

Quæritur 65. vtrum alter coniugum etiam poſt carnalem copulam poſſit Religionem ingredi altero inuito.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus poteſt facere obligationem Deo de alieno: vnde cùm per matrimonium conſummatum iam ſit corpus viri factum vxoris, non poteſt abſque conſenſu ipſius Deo ipſum offerre per continentiæ votum. *4. ſent. d. 27. q. 1. a. 3. q. 1. in corp.*

Quær. 66. an mulier poſſit nubere alteri ante carnalem copulam, quando vir eius religionem ingreditur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale ſoluit, vt mulier nubat cui vult, ſecundùm Apoſtoli ſententiam; ita etiam poſt mortem ſpiritualem viri per Religionis ingreſſum poterit cui voluerit nubere. *4. ſ. d. 27. q. 1. a. 3. q. 3. in corp.*

Cognatio triplex eſt, ſcilicet cognatio naturalis ſiue conſanguinitas, cognatio ſpiritualis, & cognatio legalis ſiue adoptio, de quibus agitur in ſequ. quæſt.

Quær. 67. vtrum conſanguinitas benè diffiniatur, vinculum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſophum in 8. Eth. *Omnis amicitia in aliqua communicatione conſiſtit*; & quia amicitia ligatio, ſiue vnio quædam eſt; ideo communicatio, quæ eſt amicitiæ cauſa vinculum dicitur: & ideo ſecundùm quamlibet communicationem denominantur aliqui quaſi colligati ad inuicem, ſicut dicuntur *conciues*, qui habent politicam communicationem ad inuicem, & *commilitones*, qui conueniunt in militari negotia: & eodem modo illi, qui conueniunt in naturali communicatione, dicuntur *conſanguinei*: & ideo in prædicta diffinitione ponitur quaſi conſanguinitatis genus, *vinculum*; quaſi ſubiectum, perſonæ deſcendentes ab vno ſtipite, quarum eſt huiuſmodi vinculum; & quaſi

Digitized by Google

cundo gradu; quia vterque à radice communi diſtat per vnum gradum: & ſimiliter filij duorum fratrum diſtant à ſe inuicem in quinto gradu. Sed ſecundùm computationem canonicam *duo fratres* attinent ſibi in primo gradu: quia neuter eorum diſtat à radice communi, niſi per vnum gradum: *ſed filium vnius fratrum diſtat ab altero fratre* in ſecundo gradu: quia tantùm diſtat à communi radice: & ideo ſecundùm canonicam computationem quoto gradu diſtat quis ab aliquo ſuperiori, toto diſtat à quolibet deſcendentium ab ipſo & nunquam minùs: quia *propter quod vnumquodque, illud magis*: vnde ſi alij deſcendentes in communi principio conueniunt cum aliquo ratione principij communis, non poſſunt propinquiores eſſe deſcendenti ex alia parte, quàm ſit primum principium ei propinquum. Aliquando tamen plus diſtat aliquis ab aliquo deſcendente à communi principio, quàm diſtet ipſe à principio: quia ille fortè plus diſtat à principio communi quàm ipſe: & ſecundùm remotiorem diſtantiam oportet conſanguinitatem computari. 4. *ſ. d.* 40 *q.* 1. *a.* 2. *in corp.*

Qu.69. an & quomodo in eodem gradu detur magis, & minus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut albedo dicitur maior dupliciter; vno modo ex intenſione ipſius qualitatis, alio modo ex quantitate ſuperficiei: ita conſanguinitas dicitur maior, vel minor dupliciter: vno modo intenſiuè ex ipſa natura conſanguinitatis: alio modo quaſi dimenſiuè, & ſic quantitas conſanguinitatis menſuratur ex perſonis, inter quas conſanguinitatis propagatio procedit. Et ideo contingit, quòd aliquorum duorum, qui ſunt in eodem gradu conſanguinitatis reſpectu alicuius perſonæ, vnus eſt ei magis conſanguineus quàm alius, conſiderando primam quantitatem conſanguinitatis: ſicut pater, & frater attinens alicui in primo gradu conſanguinitatis, quia ex neutra parte incidit aliqua perſona media. Sed tamen intenſiuè loquendo magis attinet alicui perſonæ pater ſuus quàm frater, quia frater non attinet ei, niſi inquantùm eſt ex eodem patre: & ideo quantò aliquis eſt propinquior communi principio, à quo conſanguinitas deſcendit, tantò eſt magis conſanguineus, quamuis non ſit in propinquiori gradu: & ſecundùm hoc propatruus eſt magis conſanguineus alicui, quàm pronepos eius, quamuis non ſit in eodem gradu. 4. *ſent. d.* 40 *qu.* 1. *a.* 2. *ad* 5.

Qu.70 an & quomodo conſanguinitas impediat matrimonium, de iure naturali, diuino, Eccleſiaſtico, & politico.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in matrimonio illud contra legem naturæ eſſe dicitur, per quod matrimonium redditur incompetens reſpectu finis, ad quem eſt ordinatum: Finis autem matrimonij per ſe & primò eſt bonum prolis; quod quidem per aliquam conſanguinitatem (ſcilicet inter patrem & filiam, vel filium & matrem) impeditur; non quidem vt totaliter tollatur (quia filia ex

humano genere, per legem Moyſi plures perſonæ exceptæ ſunt, quæ iam concupiſcentiam reprimere incipiebat: vnde vt dicit Rabbi Moyſes, omnes illæ perſonæ exceptæ ſunt à matrimonio, quæ in vna familia cohabitare ſolent: quia ſi inter eos licitè carnalis copula eſſe poſſet, magnum incentiuum libidini præſtaretur. Sed alios conſanguinitatis gradus lex vetus permiſit, imò quodammodo præcepit, vt ſcilicet vnuſquiſque de cognatione ſua vxorem acciperet, ne ſucceſſionum confuſio eſſet; quia tunc temporis cultus Diuinus per ſucceſſionem generis propagabatur.

Sed poſtmodum in lege noua, quæ eſt lex ſpiritus & amoris, plures gradus conſanguinitatis ſunt prohibiti: quia iam per ſpiritualem gratiam, non per carnis originem cultus deriuatur, & multiplicatur: Vnde oportet, vt homines etiam magis à carnalibus retrahantur, ſpiritualibus vacantes; & vt amor ampliùs diffundatur: Et ideo antiquitùs vſque ad remotiores gradus conſanguinitatis matrimonium impediebatur, vt ad plures per conſanguinitatem, & affinitatem naturalis amicitia permanaret: & rationabiliter vſque ad ſeptimum gradum; tum quia vltra hoc non de facili remanebat communis radicis memoria; tum quia ſeptiformi gratiæ Spiritus-Sancti congruebat.

Sed poſtmodum circa hæc vltima tempora reſtrictum eſt Eccleſiæ interdictum vſque ad quartum gradum; quia vltra inutile, & periculoſum erat gradus conſanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores conſanguineos, quaſi nullum fœdus maioris amicitiæ quàm ad extraneos habebatur, charitate in multorum cordibus frigeſcente: periculoſum autem erat, quia concupiſcentiâ, & negligentiâ præualente, tam numeroſam conſanguineorũ multitudinem homines non ſatis obſeruabant; & ſic laqueus damnationis multis inijciebatur ex remotiore graduum prohibitione.

Satis etiam conuenienter vſque ad quartum gradum dicta prohibitio eſt reſtricta: tum quia vſque ad quartam generationem homines viuere conſueuerunt, vt ſic non poſſit conſanguinitatis memoria aboleri. Vnde Dominus in tertiam, & quartam generationem peccata parentum ſe viſitaturum in filijs comminatur: tum quia in qualibet generatione noua mixtio ſanguinis, cuius identitas conſanguinitatem facit, fit cum ſanguine alieno; & quantùm admiſcetur alteri, tantùm receditur à primo: & quia elementa ſunt quatuor, quorum quodlibet tantò eſt faciliùs miſcibile, quantò eſt magis ſubtile; ideo in prima commixtione euaneſcit ſanguinis identitas quantùm ad primum elementum, quod eſt ſubtiliſſimum, in ſecunda quantùm ad ſecundùm, in tertia quantùm ad tertium, in quarta quantùm ad quartum: & ſic conuenienter poſt quartam generationem poteſt reiterari carnalis coniunctio. 4. *ſent. d. 40. a. 4. in corp.*

Qu. 73. an ſpiritualis cognatio matrimonium impediat, vel ipſum actum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut per carnis propagatio-

nem homo accipit eſſe naturæ,ita per ſacramenta accipit eſſe ſpirituale gratiæ:vnde ſicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, eſt naturale homini inquantum eſt res quædam naturæ, ita vinculum quod contrahitur ex ſacramentorum ſuſceptione, eſt quodammodo naturale alicui inquantum eſt membrum Eccleſiæ: & ideo ſicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita ſpiritualis ex Eccleſiæ ſtatuto.

Tamen diſtinguendum eſt de ſpirituali cognatione: quia aut præceſſit matrimonium, aut ſequitur: ſi præceſſit impedit contrahendum, & dirimit contractum: ſi ſequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonij. Sed quantùm ad actum matrimonij eſt diſtinguendum: quia aut ſpiritualis cognatio inducitur cauſâ neceſſitatis, ſicut cùm pater baptizat puerum in articulo mortis; & tunc non impedit actum matrimonij ex neutra parte: aut inducitur extra caſum neceſſitatis, ex ignorantia tamen; & tunc ſi ille ex cuius actu inducitur, diligentiam adhibuit, eſt eadem ratio ſicut & de primo: aut ex induſtria extra caſum neceſſitatis; & tunc ille ex cuius actu inducitur, amittit ius petendi debitum: ſed tamen debet reddere, quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare. 4. *ſent. d. 42. q. 1. a. 1. in corp. quodlibeto 6. a. 5. in corp.*

Quær. 74. per quæ ſacramenta contrahatur ſpiritualis cognatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc eſt triplex opinio. Quidam enim dicunt quòd ſpiritualis regeneratio ſicut per ſeptiformam Spiritus-Sancti gratiam datur, ita per ſeptem efficitur, incipiendo à primo pabulo ſalis ſacramenti vſque ad Confirmationem per Epiſcopum factam; & per quodlibet horum ſeptem ſpiritualis cognatio contrahitur. Sed illud non videtur rationabile: quia cognatio carnalis non contrahitur, niſi per actum generationis completum; vnde etiam affinitas non contrahitur, niſi ſit facta coniunctio ſeminum, ex qua poteſt ſequi carnalis generatio: ſpiritualis autem generatio non perficitur niſi per aliquod ſacramentum: & ideo inconueniens eſt, quòd ſpiritualis cognatio contrahatur, niſi per aliquod ſacramentum.

Et ideo alij dicunt, quòd per tria tantùm ſacramenta ſpiritualis cognatio contrahatur, ſcilicet per Catechiſmum, Baptiſmum, & Confirmationem: Sed iſti propriam vocem videntur ignorare; quia catechiſmus non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale.

Et ideo alij dicunt, quòd tantùm per duo ſacramenta, ſcilicet per Baptiſmum, & Confirmationem contrahitur. Et hæc opinio eſt communior: tamen de catechiſmo quidam horum dicunt, quòd eſt debile impedimentum, quod impedit contrahendum ſed non dirimit. 4. *ſent. d. 42. q. 1. a. 2. in corp.*

Quærit. 75. quot ſint ſpirituales cognationes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd filius eſt aliquid patris, &

non econuerſo, vt dicitur in 8. Ethic. Et ideo ſpiritualis cognatio tranſit à patre in filium, ſed non econuerſo: & ſic patet quòd ſunt tres ſpirituales cognationes: vna, quæ dicitur *ſpiritualis paternitas*, quæ eſt inter patrem ſpiritualem, & filium ſpiritualem: alia quæ dicitur *compaternitas*, quæ eſt inter patrem ſpiritualem, & carnalem eiuſdem: tertia autem dicitur *ſpiritualis fraternitas*, quæ eſt inter filium ſpiritualem, & filios carnales eiuſdem patris: & quælibet harum impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 1. *a.* 3. *quæſt.* 3. *in corp. q.* 2. *a.* 3. *ad* 1.

Qu. 76. *an cognatio ſpiritualis contrahatur inter ſuſcipientem Baptiſmi ſacramentum, & leuantem de ſacro fonte.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut in generatione carnali aliquis naſcitur ex patre & matre, ita in generatione ſpirituali aliquis renaſcitur filius Dei ſicut Patris, & Eccleſiæ ſicut Matris: ſicut autem ille, qui ſacramentum confert, gerit perſonam Dei, cuius inſtrumentum & miniſter eſt, ita ille, qui baptizatum ſuſcipit de ſacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit perſonam Eccleſiæ: vnde ad vtrumque ſpiritualis cognatio contrahitur. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 1. *in corp.*

Qu. 77. *an ſit cognatio ſpiritualis inter patrem, & matrem ſpirituales.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pater ſpiritualis, & mater ſpiritualis eidem non coniunguntur in generatione ſpirituali, niſi per accidens, quia vnus ad hoc per ſe ſufficeret: vnde non oportet, quòd ex hoc aliqua cognatio ſpiritualis inter eos naſcatur, quin poſſit eſſe inter eos matrimonium: vnde verſus.

Vnus ſemper erit compatrum ſpiritualis;
Alter carnalis, nec fallit regula talis.

4. *ſent. diſt.* 42 *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2.

Quæritur 78. *an vir, & vxor poſſint aliquem leuare de ſacro fonte.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex quo inter patrem ſpiritualem & matrem non contrahitur aliqua cognatio, nihil prohibet, quin vir & vxor ſimul aliquem de ſacro fonte leuarent. Nec eſt inconueniens, quòd vxor ex diuerſis cauſis efficiatur bis mater ſpiritualis eiuſdem; ſicut & poteſt eſſe, quòd eſt affinis & conſanguinea eiuſdem per carnalem propinquitatem. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 1. *a.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 4.

Quærit. 79. *an ſpiritualis cognatio tranſeat à viro in vxorem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis poteſt alicuius fieri compater dupliciter; vno modo per actum alterius, qui baptizat, vel in ipſo Baptiſmo ſuſcipit filium eius; & ſic cognatio ſpiritualis non tranſit à viro in vxorem: niſi fortè ille ſit filius vxoris; quia tunc vxor directè contrahit cognatio-

Digitized by Google

nem ſpiritualem, ſicut & vir; alio modo per actum proprium, ſicut cùm leuat filium alterius de ſacro fonte, & ſic cognatio ſpiritualis tranſit ad vxorem, quam iam carnaliter cognouit; non autem ſi nondum ſit conſummatum matrimonium, quia nondum effecti ſunt vna caro: & hoc eſt per modum cuiuſdam affinitatis: unde etiam pari ratione videtur tranſire ad mulierem, quæ eſt carnaliter cognita, quamuis non ſit vxor: vnde verſus.

Quæ mihi, vel cuius natum mea fonte leuauit,
Hæc mea commater fieri mea non valet vxor.
Si qua mea natum non ex me fonte leuauit,
Hanc poſt fata mea, non inde vetabor habere.

4. *ſent. d.* 42. *qu.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.*

Qu. 80. *an non baptizatus poſſit contrahere ſpiritualem cognationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non baptizatus non poteſt aliquem leuare de ſacro fonte, cùm non ſit membrum Eccleſiæ, cuius typum gerit in Baptiſmo ſuſcipiens; quamuis poſſit baptizare, quia eſt creatura Dei, cuius typum gerit baptizans: nec tamen aliquam cognationem contrahere ſpiritualem poteſt, quia eſt expers ſpiritualis vitæ, in quam homo ptimò per Baptiſmum naſcitur. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad tertium quæſt.* 2. *ad* 3.

Qu. 81. *an contrahatur cognatio ſpiritualis per Sacramentum pœnitentiæ: & vtrum tantùm peccet cognoſcens ſuam pœnitentem ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia.*

Reſp D. Thomas, dicendum quòd per ſacramentum pœnitentiæ non contrahitur propriè loquendo ſpiritualis cognatio: vnde filius Sacerdotis poteſt contrahere cum illa, quam Sacerdos in confeſſione audit; aliàs filius Sacerdotis non inueniret in tota vna parochia mulierem, cum qua contraheret. Nec obſtat, quòd per pœnitentiam tollitur peccatum actuale; quia hoc non eſt per modum generationis, ſed magis per modum ſanationis.

Sed tamen per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter ſacerdotem, & mulierem confitentem ſimile cognationi ſpirituali, vt tantùm peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia: & hoc ideo, quia maxima familiaritas eſt inter Sacerdotem & confitentem: & ex hoc iſta prohibitio eſt inducta, vt tollatur peccandi occaſio. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 8.

Concilium tridentinum ſeſſione 24. *in decreto de reformatione matrimonij cap.* 2. *ſic habet: docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, vt vnus tantùm ſiue vir ſiue mulier iuxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus,*

& vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique Patrem, ac Matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur (& infra) quòd ſi alii vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant (& Paulò poſt) ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

Ex hoc decreto inferunt plures Doctores non contrahi modò impedimentum ſpiritualis cognationis niſi ex baptiſmo, & confirmatione: & illud quod olim ex catechiſmo baptiſmum præcedente contrahebatur, eſſe ſublatum, & hoc videtur probabilius: quamuis ſit etiam probabile quod alij dicunt iſtud catechiſmi impedimentum adhuc ſubſiſtere.

Conſtat ex eodem decreto, quòd ex tribus cognationibus antiquitùs obſeruatis, duæ retentæ ſunt ſcilicet paternitas, & compaternitas, & tertia ſublata eſt nempe confraternitas, quod etiam declarauit B. Pius 5. in extrauag. *ſub titulo, declaratio concilii.*

Idem S. P. Pius 5. in Bulla, quæ incipit, *cùm illius vicem*, declarat quoque patrinum poſſe matrimonium contrahere cum ea, cum qua ſimul ſuſcipit alienum filium: eo quòd inter ipſos ſuſceptores nulla contrahitur cognatio.

Quæſ. 82. vtrum adoptio benè diffiniatur, extranea perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ars imitatur naturam, & ſupplet defectum naturæ in illis, in quibus natura deficit: vnde ſicut per naturalem generationem aliquis filium producit ita per ius poſitiuum (quod eſt ars æqui & boni) poteſt aliquis ſibi aſſumere aliquem in filium ad ſimilitudinem filij naturalis, & ad ſupplendum filiorum prædictorum defectum; propter quod præcipuè adoptio eſt introducta: & quia aſſumptio importat terminum à quo (propter quod aſſumens non eſt aſſumptum) oportet quòd ille qui aſſumitur in filium, ſit perſona extranea. Sicut ergo naturalis generatio habet terminum ad quem (ſcilicet formam quæ eſt finis generationis) & terminum à quo (ſcilicet formam contrariam) ita generatio legalis habet terminum ad quem, filium vel nepotem; terminum à quo, perſonam extraneam: & ſic patet quòd prædicta aſſignatio comprehendit genus adoptionis, quia dicitur *legitima aſſumptio*; & terminum à quo, quia dicitur *extranea perſona*; & terminum ad quem, quia dicitur in filium vel nepotem. 4. *ſ. d.* 42. *q.* 2. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 83. quotuplex ſit adoptio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd filiatio adoptionis eſt quædam imitatio filiationis naturalis: & ideo duplex eſt adoptionis ſpecies.

Vna quæ perfectè imitatur na-

turalem filiationem, & hæc vocatur arrogatio, per quam reducitur adoptatus in poteſtatem adoptantis; & ſic adoptatus ſuccedit patri adoptanti ex inteſtato, nec poteſt eum pater ſine culpa priuare quartâ parte hæreditatis: ſic autem adoptari non poteſt, niſi ille, qui ſui iuris eſt, qui ſcilicet poſtquam adoptatur, non habet poteſtatem; aut ſi habet, eſt emancipatus: & hæc adoptatio non fit niſi authoritate Principis.

Alia eſt adoptio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, quæ vocatur ſimplex adoptio, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis; vnde magis eſt diſpoſitio quædam ad perfectam adoptationem, quàm adoptio perfecta: & ſecundùm hoc poteſt adoptari etiam ille, qui non eſt ſui iuris, & ſine authoritate Principis ex authoritate magiſtratus: & ſic adoptatus non ſuccedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit 4. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 1. 4. *ad han. d.*42. *a.* 3.

Quæritur 84. *cuius ætatis debeant eſſe adoptans, & adoptatus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſpiritualis cognatio contrahitur per Sacramentum, quo fideles renaſcuntur in Chriſto, in quo non differt maſculus à femina, ſeruus & liber, iuuenis & ſenex: & ideo indifferenter quilibet poteſt effici pater ſpiritualis alterius: ſed adoptio fit per hæreditatis ſucceſſionem, & quandam ſubiectionem adoptati ad adoptantem: non autem eſt conueniens, quòd antiquior iuueni in cura rei familiaris ſubdatur: & ideo minor non poteſt adoptare ſeniorem, ſed oportet ſecundùm Leges, quòd adoptatus ſit intantum adoptante iunior, quòd poſſit eius naturalis eſſe filius. 4. *ſent. d.* 42. *quæſt.* 2. *a.* 1. *ad* 5.

Quær. 85. *an qui habent impedimentum perpetuum generationis, poſſint adoptare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per eum qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non poteſt hæreditas tranſire in poſterum, vnde ex hoc ipſo iam debetur illis, qui ei ſuccedere debent iure propinquitatis: & ideo ei non competit adoptare; ſicut nec naturaliter generare: & propterea maior eſt dolor de filijs amiſſis, quàm de filijs qui nunquam habiti ſunt: & ideo habentes impedimentum generationis non indigent ſolatio contra carentiam filiorum, ſicut illi, qui habuerunt, & amiſerunt; vel etiam qui habere potuerunt, ſed ob aliquod impedimentum accidentale, carent. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 4.

Quær. 86. *quinam ſint, qui non poſſunt adoptare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd adoptio ordinatur ad hæreditatis ſucceſſionem, & ideo illis ſolis competit, qui habent poteſtatem diſponendi de hæreditate ſua: vnde ille, qui non eſt ſui iuris, vel qui eſt minor viginti quinque annis, aut mulier, non poteſt adoptare aliquem, niſi ex ſpeciali conceſſione Principis. 4.

Digitized by Google

ſ.d. 42. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 87. *an adoptio tranſeat in filios adoptati, & nepotes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in hoc differt cognatio ſpiritualis à legali, quòd per cognationem ſpiritualem filius non ponitur in poteſtate, & cura patris ſpiritualis, ſicut in cognatione legali; oportet enim quòd quidquid eſt in poteſtate filij tranſeat in poteſtatem patris adoptantis, vnde adoptato patre adoptantur filij, & nepotes, qui ſunt in poteſtate adoptati. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 4.

Quæritur 88. *an propinqui poſſint adoptari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd propinquus iure propinquitatis debet ſuccedere; & ideo non competit ei, quòd per adoptionem ad ſucceſſionem deducatur: & ſi aliquis propinquus, cui non competat ſucceſſio hæreditatis adoptetur, non adoptatur inquantùm eſt propinquus, ſed inquantùm eſt extraneus à iure ſucceſſionis in bonis adoptantis. 4. *ſent.d.*42.*q.*2. *a.* 1. *ad* 7. 3. *ſent. d.* 10. *q.* 2. *a.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 2.

Quær. 89. *an & quomodo per cognationem legalem ſiue adoptionem impediatur matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Lex Diuina illas perſonas præcipuè à matrimonio excluſit, quas neceſſe erat cohabitare; *ne* vt Rabbi Moyſes dicit, *ſi ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiſcentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium eſt ordinatum:* & quia filius adoptatus conuerſatur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis; ideo Legibus humanis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi: & talis prohibitio eſt per Eccleſiam approbata: & inde habetur, quòd legalis cognatio matrimonium impediat. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 90. *inter quos contrahatur cognatiõ legalis ratione adoptionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd triplex eſt legalis cognatio: prima, quaſi deſcendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filij adoptiui, & nepotem, & ſic deinceps: ſecũda quæ eſt inter filium adoptatum, & filium naturalem: tertia per modum cuiuſdam affinitatis, quæ eſt inter patrem adoptantem, & vxorem filij adoptati, vel è conuerſo inter filium adoptatum, & vxorem patris adoptantis.

Prima ergo cognatio, & tertia perpetuò matrimonium impediunt; ſecunda autem non, niſi quandiu in poteſtate manet patris adoptantis: vnde mortuo patre, vel filio emancipato, poteſt contrahi inter eos matrimonium. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *art.* 3. *in corp.*

Quæritur 91. *cur in adoptione non contrahitur aliqua propinquitas inter parentes adoptantes & naturales, ſicut in cognatione ſpirituali.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd per generationem ſpiritualem non trahitur filius extra poteſtatem patris, ſicut fit per adoptionem: & ſic filius ſpiritualis manet filius vtriuſque ſimul, non autem filius adoptiuus: & ideo non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem, & matrem vel patrem naturalem, ſicut erat in cognatione ſpirituali. 4. *ſent d.* 42. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 1.

Quæritur 92. *cur per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati poteſt iſte matrimonium contrahere cum naturali filia ipſius adoptantis, ſed non cum eius vxore.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cognatio legalis impedit matrimonium propter cohabitationem; & ideo quando ſoluitur neceſſitas cohabitationis, non eſt inconueniens ſi prædictum vinculum non maneat: Sicut quando fuerit extra poteſtatem eiuſdem patris: ſed pater adoptans & vxor eius ſemper quandam authoritatem retinent ſuper filium adoptatum, & vxorem eius; & propter hoc vinculum manet inter eos. *in eodem a.* 3. *ad* 2.

Quær. 93. *an poſſit cognatio legalis tranſire in mulierem: & cur non poteſt tranſire in perſonam non baptizatam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam mulier ex conceſſione principis adoptare poteſt: vnde etiam in ipſam poteſt tranſire cognatio legalis. Et præterea, cauſa quare cognatio ſpiritualis non tranſit in non baptizatum, non eſt quia non poteſt tenere ad Sacramentum: ſed quia non eſt alicuius ſpiritualis capax. *ibidem ad* 3.

Qu. 94. *an & quando crimen vxoricidij impediat, aut dirimat matrimonium contractum, aut contrahendum, iuxta illud quod Canon dicit: interfectores ſuarum coniugum ad pœnitentiam redigendi ſunt, quibus penitus denegatur coniugium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vxoricidium ex ſtatuto Eccleſiæ matrimonium impedit. Sed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum: quando ſcilicet vir propter adulterium, aut propter odium occidit vxorem: tamen ſi timetur de incontinentia eius poteſt cum eo diſpenſari per Eccleſiam, vt licitè matrimonium contrahat. Quandoque etiam dirimit contractum: vt quando aliquis interficit vxorem ſuam, vt ducat eam cum qua mœchatur: tunc enim efficitur illegitima perſona ſimpliciter ad contrahendum cum illa, ita quòd ſi de facto cum ea contraxerit, matrimonium dirimitur.

Sed ex hoc non efficitur perſona ſimpliciter illegitima reſpectu aliarum mulierum: vnde ſi cum alia contraxerit, quamuis peccet contra ſtatum Eccleſiæ faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc. 4. *ſent. d.* 37. *q.* 2. *a.* 2. *in corp.* 4. *ad hann. d.* 37. *a.* 4.

Quær. 95 *vtrum occiſio matris impediat matrimonium, cùm ſit maius crimen, quàm vxoricidium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſimpliciter loquendo, grauius

nius peccatum eſt occidere matrẽ quàm vxorem, & magis contra naturam: quia naturaliter homo matrem reueretur; & ideo minùs inclinatur ad interfectionem matris, & pronior eſt ad interfectionem vxoris; ad cuius pronitatis repreſſionem vxoricidis eſt matrimonium ab Eccleſia interdictum. 4. *ſent. d.* 37. *q.*2.*a.*2. *ad* 2.

Quæritur 96. *quænam crimina impediant matrimonium contrahendum; vel etiam dirimant contractum.*

Reſp. D. Thomas, ſciendum quòd plura ſunt crimina, quæ propter ſui enormitatem impediunt matrimonium contrahendum: Primum eſt *inceſtus*: ſecundum, *vxoricidium*: Tertium, *rapina alinæ ſponſæ*: Quartum, quando aliquis inſidiando matrimonio proprium filium ſacro fonte ſuſcepit: Quintum, qui interfecit presbyterum: Sextum, quando aliquis agit pœnitentiam ſolemnem: non tamẽ propter hæc crimina dirimitur matrimonium contractum. Sed tamen ſunt quædam crimina, quæ diriṁunt matrimonium contractum: vnum eſt, quando aliquis cum aliqua coniugata concubuit, & ex hoc machinatur in mortem viri cum effectu; tunc enim ad inuicem contrahere non debent, & ſi contraxerint, ſeparantur: Secundum eſt, quando præſtat fidem adulteræ, quòd ducet eam vxorem; ſed hoc intelligendum eſt quando tam adulter quàm adultera ſciebat impedimentum, aliàs matrimonium non dirimeretur poſtquam contractum eſſet: Tertium eſt, quando contrahit cum ea de facto; Primum enim matrimonium facit quòd non ſtat ſecundum: Vnde ſi primum non fuiſſet verum matrimonium, ſecundum ſtaret. Sciendum etiam quòd in caſu ſecundo & tertio, ſcilicet fide data de matrimonio contrahendo etiam matrimonio contracto per verba de præſenti de facto, niſi fuerit ibi pollutio carnalis, non propter hoc dirimitur matrimonium ſequens poſt mortem viri de nouo contractum. 4. *ſent. d.* 35. *in expoſit. litteræ. d.* 41.*a.*4.*q.*3. *ad* 2.

Quær. 97. *an ſine diſpenſatione aliquis poſſit contrahere matrimonium cum ea cum qua adulterium commiſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis non poſſit diſpenſari, quòd aliquis ducat in vxorem illam, cum qua committit adulterium viuente viro; tamen aliquo caſu contingente poteſt eam in vxorem ducere ſine diſpenſatione, ſcilicet poſt mortem viri: quia adulterium primum non dirimit matrimonium contractum, niſi in aliquo caſu: vt iam dictum eſt (in qu. præc.) 4. *ſ. d.* 41. *q.* 1. *a.* 4. *qu.* 3. *ad* 2.

Quær. 98. *an & quando diſparitas cultus matrimonium impediat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd principalius bonum matrimonij eſt proles ad cultum Dei educanda: cùm autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, vterque ſecundùm fidem intendit ad cultum Dei prolem educare: Et ideo ſi ſint diuerſæ fidei, intentio vnius alterius intentioni contraria erit: & ita inter eos non

Digitized by Google

poteſt eſſe conueniens matrimonium: & propter hoc diſparitas cultus præcedens matrimonium, impedit ipſum ne contrahi poſſit. *4. ſent. d. 39. a. 1. in corp. lect. 2. a. 7. prima ad Cor.*

Quær. 99. an cultûs diſparitas nedum præcedens ſed etiam ſubſequens impediat matrimonium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd rationabiliter cultûs diſparitas matrimonium impedit; non inquantum eſt officium naturæ, ſed inquantum eſt in obſequium Dei; vt ſcilicet per matrimonium quæratur proles ad cultum Dei educanda; quod alterius coniugum infidelitas impediret. Sciendum tamen quòd ſi infidelitas in altero coniugum matrimonium præcedat, dirimitur matrimonium ſequens, etiam quantùm ad vinculum: ſi verò infidelitas alterius coniugis matrimonium ſequatur, non propter hoc vinculum matrimoniale dirimitur: ſed poteſt fieri ſeparatio à thoro, & cohabitatione; ſicut & propter fornicationem carnalem: nam carnalis fornicatio vxoris impedit prolem, ſecundùm quòd eſt à natura intenta; facit enim prolis incertitudinem: ſpiritualis verò fornicatio, quæ eſt per infidelitatem, impedit prolem, ſecundùm quòd eſt intenta per gratiam. *4. ad han. d. 39. a. 1.*

Quær. 100. an poſſit fidelis contrahere cum hæretica, vel cum excommunicata, vel econtra catechumenus cum fideli baptizata.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd matrimonium Sacramentum eſt: Et ideo quantùm pertinet ad neceſſitatem Sacramenti, requirit paritatem quantùm ad Sacramentum fidei, ſcilicet Baptiſmum magis quàm quantùm ad interiorem fidem. Vnde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed diſparitas cultus, qui reſpicit exterius ſeruitium: & propter hoc ſi aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum eſt matrimonium; quamuis peccet contrahendo, ſi ſciat eam hæreticam. Sicut peccaret, ſi cum excommunicata contraheret. Non tamen propter hoc matrimonium dirimetur.

Et è contrario ſi aliquis catechumenus habens rectam fidem, ſed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non eſſet verum matrimonium, *4. ſent. diſt. 39. art. 1. ad 5. & in expoſex.*

Qu. 101. vtrum inter infideles poſſit eſſe matrimonium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd matrimonium principaliter inſtitutum eſt ad bonum prolis non tantùm generandæ (quia hoc ſine matrimonio fieri poſſet) ſed etiam promouendæ ad perfectum ſtatum; quia quælibet res intendit effectum ſuum naturaliter perducere ad perfectum ſtatum. Eſt autem in prole duplex perfectio conſideranda, ſcilicet perfectio naturæ non ſolùm quantùm ad corpus, ſed etiam quantùm ad animam per ea quæ ſunt de lege naturæ: & perfectio gratiæ: & prima quidem perfectio eſt materia-

Digitized by Google

is, & imperfecti reſpectu ſecundæ: Et ideo cùm res quæ ſunt propter finem, ſint proportionatæ fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem, eſt imperfectum & materiale reſpectu illius, quod tendit in perfectionem ſecundam. Et quia prima perfectio communis eſſe poteſt fidelibus, & infidelibus, ſecunda autem eſt tantùm fidelium; ideo inter infideles eſt quidem matrimonium, ſed non perfectum vltima perfectione, ſicut eſt inter fideles. 4. *ſent. d. 39. a. 2. in corp. 4. ad hann. d. 39. a. 2.*

Qu. 102. *an matrimonium infidelium ſit Sacramentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd matrimonium non tantùm eſt inſtitutum in Sacramentum, ſed in officium naturæ: Et ideo quamuis infidelibus non competit matrimonium ſecundùm quòd eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, competit tamen eis inquantum eſt in officium naturæ: & tamen etiam matrimonium tale eſt aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamuis non actualiter, eo quòd actu non contrahunt 4. *ſent. d. 39. a. 1. ad 1.*

Quær. 103. *an coniux conuerſus ad fidem poſſit manere cum vxore infideli nolente conuerti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fides eius, qui eſt in matrimonio, non ſoluit ſed perficit matrimonium: Vnde cùm inter infideles ſit verum matrimonium, per hoc quòd alter eorum conuertitur ad fidem, non ex hoc ipſo vinculum matrimonij ſoluitur: Sed aliquando vinculo matrimonij manente ſoluitur matrimonium quantùm ad cohabitationem & debiti ſolutionem, in quo pari paſſu currunt infidelitas, & adulterium, quia vtrumque eſt contra bonum prolis.

Vnde ſicut ſe habet in poteſtate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita ſe habet in poteſtate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Poteſt enim vir innocens liberè cum adultera commanere ſpe correctionis, non autem ſi in adulterij peccato fuerit obſtinata, ne videatur patronus turpitudinis, quamuis etiam cum ſpe correctionis poſſit eam liberè dimittere. Similiter fidelis conuerſus poteſt cum infideli manere cum ſpe conuerſionis, ſi eam in infidelitate obſtinatam non viderit, & benè facit commanendo, tamen non tenetur, & de hoc eſt conſilium Apoſtoli. 4. *ſent. d. 39. a. 3. in corp. 1. ad corinth. 7. lect. 3.*

Quær. 104. *quid ſit agendum quando infideles contraxerunt in gradu prohibito, & vnus eorum poſtea conuertitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd infideles non baptizati non ſunt aſtricti ſtatutis Eccleſiæ, ſed ſunt aſtricti ſtatutis iuris diuini: Et ideo ſi contraxerint aliqui infideles in gradibus ſecundùm legem diuinam prohibitis Leuitici 18. ſiue vterque, ſiue alter ad fidem conuertatur, non poſſunt in tali matrimonio commanere: ſi autem contraxerint in gradibus pro-

Digitized by Google

hibitis per ſtatutum Eccleſiæ, poſſunt commanere, ſi vterque conuertatur, vel ſi vno conuerſo ſpes ſit de conuerſione alterius. 4. *ſent. d.* 39. *a.* 3. *ad* 3.

Qu. 105. *quid agendum ſit quando infidelis habet plures vxores ſecundùm ſua legis ritum conceſſas, & poſtea conuertuntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd habere plures vxores eſt contra legem naturæ cui etiam infideles ſunt aſtricti: Et ideo non eſt verum matrimonium infidelis niſi cum illa, cum qua primò contraxit: Vnde ſi ipſe cum omnibus ſuis vxoribus conuertatur, poteſt cum prima cohabitare & alias debet abiicere; ſi autem prima conuerti noluerit, & aliqua aliarum conuertatur, idem ius habet contrahendi cum illa de nouo, quod cum alia haberet. 4. *ſent. d.* 39. *a.* 3. *ad* 4.

Quær. 106. *quid agendum ſit quando infidelis vnam repudiauit vxorem, & alteram duxit, & ſtante hoc ſecundo matrimonio conuertitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quod repudium vxoris eſt contra legem naturæ: Vnde non licet infideli vxorem repudiare. Et ideo ſi conuertatur poſtquam vna repudiata alteram duxit, idem iudicium eſt de hoc, & de illo, qui plures vxores habebat; quia tenetur primam, quam repudiauerat accipere, ſi conuerti voluerit, & aliam abiicere. 4. *ſent. d.* 39. *a.* 3. *ad* 5.

Quær. 107. *vtrum infidelis conuerſus poſſit vxorem infidelem dimittere volentem cohabitare ſine contumelia creatoris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homini ſecundùm aliam, & aliam vitam diuerſa competunt, & expediunt: Et ideo qui moritur priori vitæ non tenetur ad illa, ad quæ in priori vita tenebatur; & inde eſt, quòd ille, qui in vita ſæculari exiſtens aliqua vouit, non tenetur illa quando mundo moritur vitam religioſam aſſumens, perficere. Ille autem, qui ad Baptiſmum accedit, regeneratur in Chriſto & priori vitæ moritur, cùm generatio vnius ſit corruptio alterius: Et ideo liberatur ab obligatione, qua vxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare non tenetur, quando conuerti non vult. Quamuis in aliquo caſu liberè id poſſet facere, ſicut & Religioſus liberè perficere poteſt vota, quæ in ſæculo fecit, ſi non ſunt contra Religionem ſuam, quamuis ad ea non teneatur. 4. *ſ. d.* 39. *a.* 4. *in corp.*

Quær. 108. *an fidelis diſcedens ab vxore infideli poſſit aliam ducere in vxorem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando alter coniugum ad fidem conuertitur, altero in infidelitate remanente, diſtinguendùm eſt. Quia ſi infidelis vult cohabitare ſine contumelia creatoris ſine hoc, quòd ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis liberè diſcedere, ſed diſcedens non poteſt alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare ſine contumelia creatoris, in verba blaſphe-

Digitized by Google

miæ prorumpens, & nomen Chriſti audire nolens; tunc ſi ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis diſcedens poteſt alteri per matrimonium copulari. 4. *ſ. d.* 39. *a.* 5. *in corp. & in expoſitione textus.*

Qu. 109. *an quando vir fidelis aliam duxit vxorem relicta infideli, primum matrimonium ſoluatur per ſecundum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd matrimonium infidelium imperfectum eſt, ſed matrimonium fidelium perfectum eſt, & ita eſt firmius; ſemper autem firmius vinculum ſoluit minùs firmum, ſi ſit ei contrarium; & ideo matrimonium, quod poſt in fide Chriſti contrahitur, ſoluit matrimonium, quod priùs in infidelitate contractum erat: vnde matrimonium infidelium non eſt omnino firmum, & ratum, ſed ratificatur poſtmodum per fidem Chriſti. 4. *ſent. d.* 39. *a.* 5. *ad* 1.

Quæritur 110. *an & quando vir conuerſus, manente vxore in infidelitate, poſſit votum continentiæ emittere, vel aliud matrimonium contrahere.*

Reſp. D. Thomas, ſciendum quòd ſi poſt conuerſionem viri ſit aliqua probabilis ſpes de conuerſione vxoris, non debet votum continentiæ vir emittere, nec ad aliud matrimonium tranſire; quia difficiliùs conuerteretur vxor, viro ſuo ſciens ſe priuatam. Si autem non ſit ſpes de conuerſione, poteſt ad ſacros ordines, vel ad religionem accedere, priùs requiſitâ vxore, quòd conuertatur; & tunc ſi poſtquam vir ſacros ordines accepit, vxor conuertatur, non eſt ei vir ſuus reddendus, ſed debet ſibi imputare in pœnam tardæ conuerſionis, quòd viro ſuo priuatur. 4. *ſent. d.* 39. *a.* 3. *ad* 4.

Quær. 111. *vtrum alia vitia ſoluant matrimonium ſicut infidelitas, vel ſaltem actum ipſius impediant: & vtrum poſſit vir ad caſtigationem vxoris coniugale debitum ipſi denegare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fornicatio corporalis, & infidelitas ſpecialem habent contrarietatem ad bona matrimonij: Vnde ſpecialiter habent vim ſeparandi matrimonia. Sed tamen intelligendum, quòd matrimonium dupliciter ſoluitur. Vno modo quantùm ad vinculum, & ſic non poteſt ſolui poſtquam matrimonium eſt ratificatum, neque per infidelitatem, neque per adulterium; ſed ſi non eſt ratificatum, ſoluitur vinculum permanente infidelitate in altero coniugum, ſi alter conuerſus ad fidem ad aliud coniugium tranſeat: non autem ſoluitur vinculum prædictum per adulterium, aliàs infidelis liberè poſſet dare libellum repudij vxori adulteræ, & eâ dimiſsâ aliam ducere, quod falſum eſt.

Alio modo ſoluitur matrimonium quantùm ad actum, & ſic ſolui poteſt tam per infidelitatem, quàm per fornicationem corporalem: ſed propter alia peccata non poteſt ſolui matrimonium etiam quantùm ad actum; niſi fortè ad tempus vir ſe velit ſubtrahere à

conſortio vxoris ad caſtigationem eius, ſubtrahendo ei præſentiæ ſuæ ſolatium. 4. *ſent. d.* 39. *a.* 6. *in corp. & in expoſitione textus.*

Quær. 112. *an conſenſus coactus tollat matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vinculum matrimonij perpetuum eſt: vnde illud quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium: metus autem, qui cadit in conſtantem virum, perpetuitatem contractus tollit; quia poteſt peti reſtitutio in integrum: quia talis coactio metus, qui cadit in conſtantem virum, tollit matrimonium, & non alia; Conſtans autem vir iudicatur virtuoſus, qui eſt menſura in omnibus operibus humanis, vt Philoſophus dicit in 3. Ethic. quidam autem dicunt, quòd ſi adſit conſenſus quamuis coactus, interiùs eſt matrimonium quantùm ad Deum, ſed non quantùm ad ſtatum Eccleſiæ, quæ præſumit ibi non fuiſſe conſenſum interiorem propter metum; ſed hoc nihil eſt, quia Eccleſia non debet præſumere de aliquo peccatum quouſque probetur, peccauit autem, ſi dixit ſe conſentire, & non conſenſit. Vnde Eccleſia præſumit eum conſenſiſſe, ſed iudicat illum conſenſum extortum non eſſe ſufficientem ad faciendum matrimonium. 4. *ſent. d.* 29. *art.* 3 *q.* 1. *in corp.* 4. *ad hann. d.* 30. *a.* 1.

Quær. 113. *an & quando illi qui matrimonio conſenſit coactus conſulendum ſit quòd in illo matrimonio ſtet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non ſemper debet induci ad hoc, quòd in matrimonio illo ſtet, ſed ſolùm quando timetur periculum de diſſolutione: aliàs autem non peccat: quia non ſoluere promiſſa, quæ nolens fecit, non eſt ſpecies mali. 4. *ſ. d.* 29. *q.* 2. *a.* 3. *qu.* 1. *ad* 3.

Quæritur 114. *an & quando fiat matrimonium, ſi ille qui prius coactus fuit, poſtmodum liberè conſentiat.*

Reſp D. Thomas, dicendum quòd ex conſenſu libero illius qui priùs coactus eſt, non fit matrimonium, niſi inquantum conſenſus præcedens in altero adhuc manet in ſuo vigore; vnde ſi diſſentiret, non fieret matrimonium. *Ibid. q.* 2. *ad* 2.

Quær. 115. *quid ſit metus cadens in in virum conſtantem.*

Reſp. v. *metus.*

Sacrum concilium Tridentinum ſeſſ. 24. *in decreto de reformatione matrimonii cap.* 9. *ſic habet: ita plerunque temporalium Dominorum, ac magiſtratuum mētis oculos terreni affectus, atque cupiditates excæcant, vt viros, & mulieres ſub eorum iuriſdictione degentes, maximè diuites, vel ſpem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium inuitos contrahere, quos ipſi Domini, vel magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cùm maximè nefarium ſit, matrimonii libertatem violare, & ab eis iniurias naſci, à quibus iura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus, cuiuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis*

Digitized by Google

pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant.

Quær. 115. an & quomodo ordo impediat matrimonium apud Latinos, & Græcos.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ordo ſacer de ſui ratione habet ex quadam congruentia quòd matrimonium impedire debeat; quia in ſacris ordinibus conſtituti ſacra vaſa, & Sacramenta tractant; Et ideo decens eſt, vt munditiam corporalem per continentiam ſeruent. Sed quòd impediat matrimonium ex conſtitutione Eccleſiæ habet; tamen aliter apud Latinos, quàm apud Græcos: quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum ſolùm ex vi ordinis, ſed apud Latinos impedit ex vi ordinis, & vlteriùs ex voto continentiæ, quod eſt ordinibus ſacris annexum, quod etiam ſi quis verbotenus non emittat, ex hoc ipſo quòd ordinem ſuſcipit, ſecundùm ritum occidentalis Eccleſiæ intelligitur emiſiſſe.

Et ideo apud Græcos, & alios Orientales ſacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonij priùs contracti vſum; poſſunt enim matrimonio priùs contracto vti, quamuis non poſſint matrimonium de nouo contrahere. Sed apud occidentalem Eccleſiam impedit matrimonium, & matrimonij vſum, niſi fortè ignorante, aut contradicente vxore vir ordinem ſacrum ſuſceperit, quia ex hoc non poteſt ei aliquod præiudicium generari. 4. *ſent. d. 37. quæſt. 1. a. 1. in corp.*

Quær. 116. an quilibet ordo impediat matrimonium, & cur beneficia clericis vxoratis auferantur.

Reſp. ſupra v. *Beneficium Eccleſiaſticum qu. 7.*

Quær. 117. vtrum matrimonium impediat ordinis ſuſceptionem vel executionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd matrimonium non impedit ordinis ſacri ſuſceptionem; quia ſi matrimonio iunctus ad ſacros ordines accedat etiam reclamante vxore, nihilominus characterem ordinis ſuſcipit, ſed executione ordinis caret: ſi autem volente vxore, vel ipsâ defunctâ ordinem ſacrum accipiat, recipit ordinem, & executionem. 4. *ſent. d. 37. q. 1. a. 2. in corp.*

Quæritur 118. an vxoratus qui ſuſcepit ordines poſſit petere debitum, vel ipſum reddere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vinculum ordinis ſoluit matrimonij vinculum ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium ex parte eius, qui ordinem ſuſcipit; quia non poteſt petere debitum, nec vxor tenetur ei reddere: ſed tamen non ſoluit ex parte alterius; quia ipſe vxori tenetur debitum reddere, ſi non poſſit eam inducere ad continentiam. 4. *ſent. d. 37. q. 1. a. 2. ad 1.*

Qu. 119. an vxor teneatur emittere votum continentiæ vel Religionem ingredi, ſi vir eius eſt ordinatus.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi vxor ſciat, & de eius conſenſu vir ordinem ſacrum ſuſceperit, tenetur continentiam perpetuam vouere, non tamen tenetur Religionem intrare, ſi ſibi non timeat de periculo caſtitatis propter hoc quòd vir eius ſolemne votum emiſit: ſecus autem ſi emiſerit votum ſimplex. Si autem ſine eius conſenſu ſuſceperit, non tenetur; quia ex hoc nullum ſibi præiudicium generatur. 4. *ſentent. d.37.q.1.a.2.ad 2.*

Quærit. 120. an & quomodo Eccleſia debeat facere diuortium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis Eccleſia dono & authoritate Diuina fulciatur, tamen inquantum eſt hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus eius prouenit, quod non eſt Diuinum: & ideo illa coniunctio, quæ fit in facie Eccleſiæ impedimentum ignorantis non habet inſeparabilitatem ex authoritate diuina, ſed eſt contra authoritatem Diuinam errore humano inducta, quæ excuſat à peccato (cùm ſit error facti) quamdiu manet: & propter hoc quando impedimentum ad notitiam Eccleſiæ venit, debet prædictam coniunctionem ſeparare. 4. *ſent. d.41. a. 5. quæſtiunc. 1. ad 1.*

Quæ. 121. an quando duo fratres habent duas ſorores in vxores, ſi vnus ſeparatur propter conſanguinitatem, alius ſeparari debeat; & quomodo ſe gerere debeat quoad debitum coniugale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd res inter alios acta alij non præiudicat in foro contentioſo: vnde quamuis vnus frater repellatur à matrimonio vnius ſororum ex cauſa conſanguinitatis, non propter hoc ſeparat Eccleſia illud matrimonium, quod non accuſatur: ſed in foro conſcientiæ non oportet, quòd ſemper obligetur ex hoc alius frater ad dimittendum vxorem ſuam, quia frequenter tales accuſationes ex maleuolentia procedunt, & per falſos teſtes probantur.

Vnde non oportet, quòd conſcientiam ſuam formet ex his, quæ ſunt circa aliud matrimonium facta. Sed diſtinguendum videtur in hoc: quia aut habet certam ſcientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem, aut neutrum; ſi primo modo, nec exigere nec reddere debitum debet; ſi ſecundo, debet reddere, ſed non exigere: ſi tertio, poteſt & reddere & exigere: 4. *ſent. de 41. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 3.*

Quæri. 122. an ſit licitum diuortium, quando vxor continere non poteſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ipſa confuſio, quam reportat de diuortio, debet eam cohibere: ſi tamẽ cohibere non poteſt, minus malũ eſt, quòd ſola ipſa peccet, quàm quod vir peccati eius ſit particeps. 4. *ſent. d. 35. a. 5. ad 2.*

Qu. 123. an propter fornicationem liceat viro vxorem dimittere: & quinam caſus excipiantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus dimittere vxorem conceſſit propter fornicationem in pœnam

in pœnam illius qui fidem fregit, & in fauorem illius qui ſeruauit, vt non ſit aſtrictus ad reddendum debitum ei, qui non ſeruauit fidem.

Et propter hoc excipiuntur ſeptem caſus, in quibus non licet viro vxorem dimittere fornicantem, in quibus vel vxor à culpa immunis eſt, vel vtrique ſunt æqualiter culpabiles. Primus eſt, ſi ipſe vir ſimiliter fornicatus fuerit. Secundus, ſi ipſe vxorem proſtituerit. Tertius, ſi vxor virum ſuum mortuum probabiliter credens propter longam eius abſentiam, alteri nupſerit. Quartus eſt, ſi latenter cognita eſt ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante. Quintus, ſi fuerit vi oppreſſa. Sextus, ſi reconciliauerit eam ſibi poſt adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoſcens. Septimus, ſi matrimonio in infidelitate vtriuſque contracto vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupſerit; tunc enim ſi vtrique conuertantur, tenetur eam recipere. 4. *ſent. d.* 35. *art.* 1. *in corp.*

Quær. 124. *an & quomodo poſſit vir vxorem fornicantem dimittere tam proprio iudicio, quàm iudicio Eccleſiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vir poteſt dimittere vxorem dupliciter: vno modo quantùm ad torum tantùm; & ſic poteſt eam dimittere, quàm citò ſibi conſtat de fornicatione vxoris proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi per Eccleſiam compellatur: & taliter reddens nullum ſibi præiudicium facit. Alio modo quantùm ad torum & cohabitationem: & hoc modo non poteſt dimitti niſi iudicio Eccleſiæ; aliàs ſi dimiſſa fuerit, debet cogi ad cohabitandum; niſi poſſit ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimiſſio diuortium dicitur: & ideo concedendum eſt, quòd diuortium non poteſt celebrari niſi iudicio Eccleſiæ. 4. *ſent. d.* 35. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 125. *an & quomodo teneatur vir vxorem fornicantem dimittere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd dimiſſio vxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum vxoris crimen per talem pœnam: pœna autem corrigens non requiritur, vbi emendatio iam præceſſit: & ideo ſi mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: ſi autem non pœniteat, tenetur; ne peccato eius conſentire videatur, dum correctionem debitam non apponit. 4. *ſent. d.* 35. *a.* 2. *in corp.* 4. *ad hann. d.* 35. *a.* 4.

Quær. 126. *an vir teneatur dimittere vxorem fornicantem, ſed pœnitentem, & alio modo corrigi paratam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum fornicationis in vxore poteſt corrigi non tantùm pœnâ ſeparationis, ſed etiam verbis, & verbere: & ideo ſi aliàs ad correctionem ſit parata, non tenetur vir prædictam pœnam ad eius correctionem adhibere. 4. *ſent. d.* 35. *a.* 2. *ad* 1.

Quær. 127. *quandonam peccet vir dimittendo vxorem fornicariam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœnitentia vxoris debet inducere virum, vt vxorem fornicantem non accuſet, aut dimittat: ſed tamen non poteſt ad hoc cogi. Nec poteſt per pœnitentiam vxor eum ab accuſatione repellere: quia ceſſante culpa & quantùm ad actum, & quantùm ad maculam, adhuc manet aliquid de reatu; & ceſſante etiam reatu quoad Deum, adhuc manet reatus quoad pœnam humano iudicio inferendam; quia homo non videt cor, ſicut Deus. 4.ſ.d.35.a.6.ad 2.

Qu. 133. quomodo diuortium fieri debeat, cum impotentia coëundi allegatur.

Reſp. D. Thomas, Diuortium hoc modo fieri debet. Cùm impotentia coëundi allegatur: ſi vterque confiteatur (ſcilicet vir & vxor) ſi eſt euidens impedimentum, vt in Eunuchis, poſſunt ſtatim ſeparari: ſi autem non eſt euidens, præcipiendum eſt eis, vt adhuc cohabitent bonâ fide carnali copulæ operam dantes: quòd ſi vſque ad triennium fieri nequit, tunc iurabit vterque quòd bona fide operam dantes, carnaliter coniungi non potuerunt: & vt diuortium non de facili celebretur, requiritur quòd ſeptem de propinquis, qui meliùs de hoc poſſunt per ſigna probabilia ſcire veritatem, iurent quòd credant eos verum dixiſſe. 4.ſ.d.34.in expo.

Quaeritur 134 quid agendum ſit quando vir affirmat copulam factam eſſe, mulier autem negat.

Reſp. D. Thomas, ſciendum, quòd quando vir aſſerit copulam carnalem præceſſiſſe, mulier negat, ſtandum eſt iuramento viri; niſi per aſpectum corporis ſui mulier probare velit virum eſſe mentitum: ſi tamen vir falſum iurat, & vxor contrarium non poſſit probare, poteſt ſibi prouidere de ſeorſum iacendo, ne ex impetitione viri ad libidinem prouocetur, & periculum incontinentiæ immineat: ſi autem vir neget carnalem copulam præceſſiſſe, non eſt ſtandum iuramento eius quamuis ſit caput mulieris, ſi mulier affirmet: quia ſic daretur facultas multis viris dimittendi vxores ſuas. 4. *ſent. d.* 34. *in expoſitione litterae.*

Quar. 135. an coniux poſt diuortium alteri nubere poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil adueniens ſupra matrimonium poteſt ipſum diſſoluere: ideo adulterium non facit, quin ſit verum matrimonium, *manet enim*, vt dicit Auguſtinus, *inter viuentes coniugale vinculum, quod nec ſeparatio, nec cum alio iunctio poteſt auferre*: & ideo non licet vni altero viuente ad aliam copulam tranſire. 4. *ſent. d.* 35. *a.* 5. *in corp.* (*ſuper caput* 7. *prima ad Corinthios.*

Quar. 136. an vxor dimiſſa poſſit nubere alter., vel continentiam vouere: & quid agendum poſtea, ſi ſententia diuortio appareat nulla.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis vxor poſt diuortium non teneatur viro adultero ad debitum reddendum, & cohabitandum; tamen adhuc manet

Digitized by Google

vinculum matrimonij ex quo ad hoc tenebatur: & ideo non poteſt ad aliam copulam tranſire viro viuente.

Poteſt tamen continentiam vouere viro inuito; niſi videatur Eccleſiam deceptam fuiſſe per falſos teſtes ſententiando de diuortio: quia in tali caſu, etiamſi votum profeſſionis emiſiſſet, reſtitueretur viro: & teneretur debitum reddere, ſed non liceret ei exigere. *4. ſent. d. 33. a. 5. ad 3. d. 33. q. 2. a. 2. q. 3. in corp.*

Quær. 137. vtrum vxor teneatur redire ad virum, ſi fuerit reuocata.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod inducitur in fauorem alicuius, non facit ei præiudicium: vnde cùm diuortium ſit inductum in fauorem viri, non aufert ei ius petendi debitum, vel reuocandi vxorem; vnde vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, ſi fuerit reuocata; niſi de licentia eius votum continentiæ emiſerit. *4. ſ. d. 35. a. 6. ad 3.*

Quæris. 138. an vir teneatur recipere vxorem adulteram, ſi adulterium committit poſt diuortium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd propter adulterium, quod vir priùs innocens poſt diuortium committit, ſecundùm rigorem iuris non debet cogi ad recipiendam vxorem adulteram: priùs tamen ſecundùm æquitatem iuris Iudex ex officio ſuo debet eum monere, vt caueat periculo animæ eius, & ſcandalo aliorum, quamuis vxor non poſſit reconciliationem petere. *4. ſent. d. 35. art. 6. ad 4.*

Quær. 139. an vir adulter teneatur ad debitum reddendum, & ad reconciliationem petente vxore poſt diuortium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi adulterium ſit occultum, per hoc non aufertur ius excipiendi contra accuſationem viri vxori adulteræ, quamuis deſit ei probatio: & ideo peccat vir diuortium petens: & ſi poſt ſententiam de diuortio vxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad vtrumque. *ibidem ad 6.*

Qu. 140. an vir poſſit, & debeat ſibi reconciliare vxorem emendatam poſt diuortium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi vxor poſt diuortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, poteſt eam ſibi vir reconciliare: ſi autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam ad ſe aſſumere, eadem ratione quâ eam nolentem à peccato deſiſtere non licebat retinere. *4. ſent. d. 35. a. 6. in corp. d. 33. quæſt. 2. a. 2.*

Qu. 141. cur accuſator matrimonij non obligetur ad pœnam talionis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio ad pœnam talionis habet locum, quando accuſatur perſona de crimine, quia tunc agitur ad punitionem eius: ſed quando accuſatur factum, tunc non agitur ad pœnam facientis, ſed ad impediendum hoc quod eſt illicitum: & ideo in matrimonio accuſator non ſe obligat ad ali-

Digitized by Google

quam pœnam: ſed talis accuſatio poteſt & verbo & ſcripto fieri, ita quòd exprimatur & perſona accuſans matrimonium quod accuſatur, & impedimentum propter quod accuſatur. 4. *ſent. d.* 41. *art.* 5. *quæſt.*2.*ad* 1.

Qu. 142. *in quo caſu extranei repellantur ab accuſatione matrimonij, vel etiam conſanguinei, & parentes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd extranei non poſſunt ſcire conſanguinitatem, niſi per conſanguineos, de quibus probabilius eſt quòd ſciant: vnde quando ipſi tacent, ſuſpicio habetur contra extraneum, quòd ex maleuolentia procedat, niſi per conſanguineos probare voluerit: vnde repellitur ab accuſatione, quando ſunt conſanguinei qui tacent, & per quos probari non poteſt.

Sed conſanguinei quantumcunque ſint propinqui, non repelluntur ab accuſatione, quando accuſatur matrimonium propter aliquod impedimentum perpetuum, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum.

Sed quando accuſatur ex hoc quòd dicitur non fuiſſe contractum, tunc parentes tanquam ſuſpecti ſunt repellendi, niſi ex parte illius, qui eſt inferior dignitate, & diuitijs, de quibus probabiliter æſtimari poteſt quòd libenter vellent quòd matrimonium ſtaret. 4.*ſent. d.* 41. *art.* 5. *quæſt.* 2. *ad* 2.

Quærit. 143. *in quo caſu ille, qui primò tacuit, debeat admitti ad accuſationem matrimonij, & in quo repelli.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui primò tacuit, quandoque auditur poſtea, ſi velit matrimonium accuſare, quandoque repellitur: quod patet ex Decretali, quæ ſic dicit: *Si poſt contractum matrimonium aliquis appareat accuſator, cùm non prodierit in publicum, quando banna ſecundùm conſuetudinem in Eccleſiis edebantur, vtrum vox ſua debeat accuſationis admitti, meritò quæri poteſt: ſuper quo reſpondemus, quòd ſi tempore denunciationis præmiſſæ is qui iam coniunctos impetit, extra Diœceſim exiſtebat, vel aliàs denunciatio ad eius non potuit notitiam peruenire; vt puta ſi nimiæ infirmitatis feruore laborans ſanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris conſtitutus quòd ad comprehenſionem talium eius ætas ſufficere non valebat, ſeu aliâ cauſâ legitimâ fuerit impeditus, eius accuſatio debet audiri: alioquin, tanquam ſuſpectus eſſet procul dubio repellendus; niſi iuramento firmauerit, quòd poſt didicerit ea quæ obiecerit, & ad hoc ex malitia non procedat.* 4.*ſent.d.* 41. *ar.*5.*quæſt.*2. *ad* 4.

Qu. 144. *cur in cauſa accuſationis matrimonii aliter proceditur quàm in aliis cauſis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in hac cauſa oportet, quòd per teſtes veritas pateſiat ſicut & in alijs. Tamen vt Iuriſtæ dicunt, in hac cauſa multa ſpecialia inueniuntur; ſcilicet quòd idem poſſit eſſe accuſator, & teſtis; & quòd nòn iuratur de calumnia, cùm ſit quaſi cauſâ ſpiritualis; & quòd conſanguinei admittuntur ad teſtificandum; & quòd non obſeruatur omnino ordo iudiciarius;

Digitized by Google

quia tali denunciatione factâ contumax poteſt excommunicari lite non conteſtata, & valet hoc teſtimonium de auditu, & poſt publicationem teſtium teſtes poſſunt induci: & hoc totum eſt, vt peccatum impediatur, quod in tali coniunctione eſſe poteſt. 4. *ſent. d.* 41. *art.* 5. *quæſtiuncula* 2. *in corp.* & *quæſtiuncula* 3. *in corp.*

Qu. 145. quid ſit publica honeſtatis iuſtitia: & ſecundùm quos gradus matrimonium impediat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ſponſalia non habent perfectam rationem matrimonij, ſed ſunt quædam præparatio ad matrimonium, ita ex ſponſalibus non cauſatur affinitas ſicut ex matrimonio, ſed aliquid affinitati ſimile, quod dicitur *publica honeſtatis iuſtitia*; quæ impedit matrimonium, ſicut affinitas & conſanguinitas, & ſecundùm eoſdem gradus, & diffinitur ſic: *publica honeſtatis iuſtitia eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione propter eius honeſtatẽ.* 4. *ſ. d.* 41. *qu.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.*

Qu. 146. vtrum affinitas, vel aliquis affinitatis modus, qualis eſt publica honeſtatis iuſtitia, contrahatur ex ſponſalibus ſiue ſint valida ſiue nulla.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnia impedimenta, quæ faciunt ſponſalià nõ eſſe ſponſalia, non permittunt ex pactione nuptiarum affinitatem fieri: vnde ſiue habens defectum ætatis, ſiue habens votum ſolemne continentiæ, aut aliquod huiuſmodi impedimentũ ſponſalia de facto contrahat, ex hoc non ſequitur aliqua affinitas, (quia ſponſalia nulla ſunt) nec aliquis affinitatis modus.

Si tamen aliquis minor frigidus, vel maleficiatus habens impedimentum perpetuum ante annos pubertatis poſt ſeptennium contrahat ſponſalia cum adulta, ex tali cõtractu contrahitur publicæ honeſtatis iuſtitia; quia adhuc non erat in actu impediendi, cùm in tali ætate puer frigidus, & non frigidus, quantùm ad actum illum ſint æqualiter impotentes. *ibidem ad* 3.

In concilio tridentino ſeſſ. 24. cap. 3. de reformatione matrimonii, ſic habetur: iuſtitia publicæ honeſtatis impedimentum, vbi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari.

Quær. 147. vtrum impedimentum publicæ honeſtatis ſit perpetuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſponſalia non ſui ratione, ſed ratione eius ad quod ordinantur, cauſant hoc genus affinitatis, quod dicitur publicæ honeſtatis iuſtitia: & ideo ſicut matrimonium eſt perpetuum, ita & prædictus affinitatis modus. 4. *ſent. d.* 41. *q.* 1. *a.* 1. *qu.* 4. *ad* 1.

Quær. 148. vtrum honeſtas impediat ne aliquis poſſit ſumere duas conſanguineorum vxores, alteram poſt alterius mortem.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, Canon dicit; *duas conſanguineorum vxores vni viro alteram poſt alteram nubere publicæ honeſtatis iuſtitia contradicit*: ſed nunc talis prohibitio ceſſauit. 4. *ſent. diſt. 41. qu. 1. art. 1. quaſt. 5. ad 1.*

Quæritur 149. quid ſit affinitas: & quomodo cauſetur ex matrimonio conſanguinei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd amicitia quædam naturalis in communicatione naturali fundatur: naturalis autem communicatio eſt duobus modis, ſecundùm Philoſophum 8. Eth. vno modo per carnis propagationem: alio modo per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam; vnde ipſe ibidem dicit quòd amicitia viri ad vxorem eſt naturalis: vnde ſicut perſona coniuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum amicitiæ naturalis facit, ita ſi coniungantur per carnalem copulam. Sed in hoc differt, quòd perſona coniuncta alicui per carnis propagationem, ſicut filius patri, ſit particeps eiuſdem radicis, & ſanguinis: vnde eodem genere vinculi colligatur filius conſanguineis patris, quo pater coniungebatur (ſcilicet conſanguinitate) quamuis ſecundùm alium gradum propter maiorem diſtantiam à radice.

Sed perſona coniuncta per carnalem copulam non fit particeps eiuſdem radicis, ſed quaſi extrinſecùs adiuncta: & ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi: quod affinitas dicitur: & hoc eſt quod in hoc verſu dicitur.

Mutat nupta genus, ſed generata gradum.

Quia ſcilicet perſona per generationem fit in eodem genere attinentiæ, ſed in alio gradu: per carnalem verò copulam fit in alio genere. 4. *ſent. d. 41. q. 1. a. 1. q. 1. in corp.*

Quær. 150. vtrum affinitas cauſetur ex concubitu fornicario.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſophum in 6. Eth. coniunctio viri, & vxoris dicitur naturalis principaliter propter prolis productionem, & ſecundariò propter operum communicationem; quorum primum pertinet ad matrimonium ratione carnalis copulæ; ſed ſecundum, inquantum eſt quædam ſocietas in communem vitam. Primum autem horum eſt inuenire in qualibet carnali copula, vbi eſt commixtio ſeminum: quia ex tali copula poteſt proles produci, quamuis ſecunda deſit: & ideo, quia matrimonium affinitatem cauſat ſecundùm quòd eſt quædam carnis commixtio, etiam fornicarius concubitus affinitatem cauſat, inquantùm habet aliquid de naturali coniunctione. 4 *ſent. d. 41. q. 1. a. 1. q. 3. in corp.*

Quær. 151. an cauſetur affinitas ex concubitu contra naturam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd concubitus contra naturam non habet commixtionem ſeminum, quæ poſſit eſſe cauſa generationis, & ideo ex tali concubitu non cauſatur aliqua affinitas. *ib. d. ad 3. a. 4. qu. 2. aa 4.*

Qu. 152. vtrum affinitas matrimonium impediat, vel dirimat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum, eadem ratione qua & conſanguinitas: ſicut enim ineſt neceſſitas quædam cohabitandi conſanguineis ad inuicem, ita & affinibus, & ſicut eſt quoddam amicitiæ vinculum inter conſanguineos, ita inter affines: ſed ſi affinitas matrimonio ſuperueniat, non poteſt ipſum dirimere. 4. *ſent. d.* 41. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *in c.* *a.* 5. *q.* 1. *in corp.*

Qu. 153. *quomodo affinitas habet gradus: & quænam ſit regula ad eos inueniendos.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd res non diuiditur diuiſione per ſe, niſi ratione illius quod competit ſecundùm ſuum genus; ſicut animal per rationale & irrationale, non autem per album & nigrum: carnis autem propagatio per ſe comparatur ad conſanguinitatem, quia ex ea immediatè conſanguinitatis vinculum contrahitur: ſed ad affinitatem non comparatur, niſi mediante conſanguinitate, quæ eſt cauſa eius: vnde cùm gradus attinentiæ per propagationem carnis diſtinguantur, diſtinctio graduum per ſe, & immediatè competit conſanguinitati, ſed affinitati mediante conſanguinitate.

Et ideo ad inueniendum gradus affinitatis eſt regula generalis, quòd quoto gradu conſanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi vxor. 4. *ſ. d.* 41. *a.* 2. *q.* 2. *in corp.*

Quær. 154. *an gradus affinitatis extendantur ſicut gradus conſanguinitatis: & cur faciliùs diſpenſetur in illis quàm in iſtis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex quo gradus affinitatis ſumitur iuxta gradus conſanguinitatis, oportet quòd tot ſint gradus affinitatis, quot ſunt gradus conſanguinitatis: ſed tamen, quia affinitas eſt minus vinculum quàm conſanguinitas, faciliùs & olim & nunc diſpenſatio fit in remotis gradibus affinitatis, quàm in remotis gradibus conſanguinitatis. 4. *ſent. d.* 41. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.*

Quær. 155. *vtrùm affinitas ſubſiſtat mortuâ perſonâ, ratione cuius contracta fuit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum eſt de affinitate, quòd cauſatur ex hoc quòd aliqui coniuncti ſunt, non ex hoc quòd coniunguntur: vnde non dirimitur, manetibus illis perſonis inter quas affinitas eſt contracta, quamuis moriatur perſona ratione cuius contracta fuit. 4. *ſent. d.* 41. *quæſt.* 1. *a.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.*

Quær. 156. *an pater & mater, filius & maritus, aliique conſanguinei mulieris quæ eſt affinis alicui, reddantur ipſi affines.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mediante vnâ perſonâ non coniungitur mihi alia, niſi ex hoc quòd ei adiungitur: vnde mediante muliere quæ mihi eſt affinis, nulla perſona fit mihi attinens, niſi quæ illi mulieri adiungitur: quod non poteſt eſſe, niſi per car-

nis

Digitized by Google

nis propagationem ex ipſa; vel propter coniunctionem matrimonialem ad eam: & vtroque modo aliqua attinentia mediante prædictâ muliere ſecundùm antiqua iura mihi proueniebat: quia filius eius etiam ex alio viro efficitur mihi affinis in eodem genere, ſed in alio gradu, vt ex regula priùs data patet: & iterum ſecundus vir eius efficitur mihi etiam affinis in ſecundo genere: ſed conſanguinei alii illius mulieris non adiunguntur ei; ſed ipſa vel coniungitur eis ſicut patri & matri, inquantum procedit ab eis; vel principio eorundem, ſicut fratribus: vnde frater affinis meæ, vel pater, non efficitur mihi affinis in aliquo genere. *4. ſent. d. 41. q. 1. a. 1. quaſt. 5. ad 6.*

Quær. 157. vtrum affinitas cauſetur ex acceſſu ſine commixtione ſeminum, vel ex matrimonio ante copulam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vir, & mulier efficiuntur in carnali copula vna caro per commixtionem ſeminum: vnde quantumcũque aliquis clauſtra pudoris inuadat, vel frangat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.

Sed matrimonium affinitatem cauſat non ſolùm ratione carnalis copulæ, ſed etiam ratione ſocietatis coniugalis, ſecundùm quam etiam matrimonium naturale eſt: vnde & affinitas contrahitur ex ipſo contractu matrimonij per verba de præſenti ante carnalem copulam. *4. ſent. d. 41. q. 1. a. 1. q. 4. ad 2.*

Quær. 158. vtrum ex inceſtu cum ſorore vel alia conſanguinea vxoris contrahatur affinitas, quæ matrimonium impediat, vel coniugale debitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliquis cognoſcit ſororem, aut aliam conſanguineam vxoris ſuæ ante matrimonium contractum, etiam poſt ſponſalia, oportet matrimonium ſeparari ratione affinitatis contractæ: ſi autem poſt matrimonium contractum, & conſummatum, non debet totaliter ſeparari matrimonium, ſed vir amittit ius petendi debitum, nec poteſt petere ſine peccato: Sed tamen debet reddere petenti; quia vxor non debet puniri de peccato viri.

Sed poſt mortem vxoris debet omnino manere abſque ſpe coniugij, niſi cum eo diſpenſetur propter fragilitatem ſuam, cui timetur de illicito coitu: ſi tamen præter diſpenſationem contrahat, peccat contra ſtatutum Eccleſiæ faciens; non tamen propter hoc matrimonium ſeparandum eſt. *4. ſent. d 34. art. 5. in corp.*

Concilium tridentinum poſt caput tertium proximè citatum de impedimento publicæ honeſtatis, in cap. 4. ſic habet: præterea ſancta Synodus eiſdem, & aliis grauiſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam, inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit. In vlterioribus verò gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.

Digitized by Google

Qu. 159. cur impotentia matrimonium dirimat: & quomodo ſe gerat Eccleſia in iudicio huius impedimenti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in matrimonio eſt contractus quidam, quo vnus alteri obligatur ad debitum carnale ſoluendum: Vnde ſicut in aliis contractibus non eſt conueniens obligario, ſi aliquis ſe obliget ad hoc quod non poteſt dare vel facere; ita non eſt conueniens matrimonij cótractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnale ſoluere non poſſit: & hoc impedimentum vocatur impotentia coëundi nomine generali.

Quæ quidem poteſt eſſe, vel ex cauſa intrinſeca & naturali; vel ex cauſa extrinſeca & accidentali, ſicut per maleficium: ſi autem ſit ex cauſa naturali, hoc poteſt eſſe dupliciter; quia vel eſt temporalis, cui poteſt ſubueniri beneficio medicinæ, vel proceſſu ætatis; & tunc non ſoluit matrimonium; vel eſt perpetua; & tunc ſoluit matrimonium ita quòd ille, ex cuius parte allegatur impedimentum, perpetuò maneat abſque ſpe coniugij, alius nubat, cui vult iu Domino.

Ad hoc autem cognoſcendum vtrum ſit perpetuum impedimentum, Eccleſia tempus determinatum adhibuit, in quo huius rei poſſet eſſe experimentum, ſcilicet triennium: ita quòd ſi poſt triennium, in quo fideliter ex vtraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inueniatur matrimonium non eſſe conſummatum, iudicio Eccleſiæ diſſoluitur: & tamen in hoc Eccleſia quandoque errat: quia per triennium quãdoque non ſufficienter poteſt experiri perpetuitas impotentiæ: Vnde ſi Eccleſia ſe deceptam inueniat per hoc quòd ille, in quo erat impedimentum, inuenitur carnalem copulam cum eadem, vel alia perfeciſſe, reintegrat præcedens matrimonium, & dirimit ſecundum, quamuis de eius licentia ſit factum. *4. ſent. d. 34. a. 2. in corp.*

Quer. 160. an quando mulier ſcit virum eſſe impotentem & tamen contrahit, teneat matrimonium: & ſimiliter de ſeruitute, & affinitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in quolibet contractu hoc vniuerſaliter tenetur, quòd ille, qui eſt impotens ad ſoluendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo ſe obligat ad eius ſolutionem. Tamen impotens poteſt eſſe dupliciter: vno modo quia non poteſt ſoluere de iure: & ſic talis impotentia omnibus modis facit talem contractum eſſe nullum, ſiue ſciat ille cum quo facit talem contractum, hanc impotentiam, ſiue non: Alio modo quia non ſit ſoluendo de facto; & tunc ſi ſciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quòd alium finem ex contractu quærit, & ideo contractus ſtat: ſi autem neſcit, tunc contractus nullus eſt.

Et ideo frigiditas, quæ cauſat talem impotentiam, vt homo non poſſit de facto ſoluere debitum, & conditio ſeruitutis, per quam homo non poteſt de facto liberè red-

dere, impediunt matrimonium, quando alter coniugum ignorat hoc, quòd alius non poteſt reddere debitum: impedimentum autem, per quod aliquis non poteſt de iure reddere debitum, vt conſanguinitas annullat contractum matrimonium, ſiue ſciat alter, ſiue non. *4. ſent. d. 34 art. 2. ad 4. d. 36. q. 1. a. 1. ad 4.*

Quær. 161. an ſicut nimia frigiditas, ita etiam nimia caliditas matrimonium impediat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd caliditas ſuperflua vix poteſt eſſe impedimentum perpetuum: Si tamen inueniretur, quòd per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur perpetuum. Tamen quia frigiditas magis, & frequentiùs impedit (tollit enim non ſolùm commixtionem ſeminum, ſed etiam vigorem membrorum, quo fit coniunctio corporum) ideo frigiditas magis ponitur impedimentum, quàm caliditas, cùm omnis defectus naturalis ad frigiditatem reducatur. *4. ſent. d. 34. a. 2. ad 2.*

Qu. 162. an ſenes, qui ſunt frigidi, poſſint contrahere matrimonium

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vetuli quamuis quandoque non habeant caliditatem ſufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem ſufficientem ad carnalem copulam: Et ideo conceditur eis matrimonium ſecundùm quod eſt in remedium: quamuis non competat eis ſecundùm quod eſt in officium naturæ. *4. ſent. d. 34. a. 2. ad 3. 4. ad Hann. d. 34. 1. 2. ad 2.*

Quæritur 163. an licèt frigiditas ſenum non ſoluat matrimonium, benè tamen illa quæ eſt omnimoda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſenes ſunt frigidi non quidem ad actum generationis, ſed ad generationem prolis: & ideo cùm poſſint carnaliter copulari, non ſoluitur matrimonium: frigiditas verò quæ omnino carnalem copulam impedit, ſoluit matrimonium. *quodl. 11. a. 11. ad 1.*

Quær. 164. an ſicut frigiditas viri eſt impedimentum ita etiam frigiditas mulieris: & quid dicendum ſit de mulieris arctatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mas eſt agens in generatione, ſed femina eſt patiens: & ideo maior caliditas requiritur in viro ad opus generationis quàm in muliere: vnde frigiditas quæ facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem.

Sed in muliere poteſt eſſe impedimentum naturale ex cauſa alia, ſcilicet arctatione, & tunc idem eſt iudicium de arctatione mulieris, & de frigiditate viri. *4. ſ. d. 34. q. 1. a. 2. ad 6.*

Qu. 164. an poſſit eſſe frigiditas reſpectu vnius, & non alterius: & vtrum quando ſufficiens eſt caliditas ad carnalem copulam cum corrupta, ſed non cum virgine quia citò calidum euaporat ratione debilitatis vt ad corrumpendum virginem non ſufficiat, poſſint aliquo inſtrumento clauſtra pudoris frangi: & quid dicendum quando ſufficiens

Digitized by Google

eſt caliditas ad pulchram quæ magis concupiſcentiam inflammat, & non ad turpem quæ potius abominationem cauſat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non poteſt eſſe perpetuum impedimentum naturale in viro reſpectu vnius perſonæ, & non reſpectu alterius: ſed ſi non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & poſſit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſet clauſtra pudoris frangere,& ei coniungi; nec eſſet hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem,ſed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non eſt cauſa naturalis, ſed accidentalis extrinſeca: & ideo de ea idem eſt iudicium quod de maleficio. *Ibidem ad 5.*

Quær. 165. an ratione ſterilitatis ſolui poſſit matrimonium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non: quia in ſterilibus, etſi matrimonium non habeat intentum ſuum ſecundùm quòd eſt in officium naturæ, habet tamen ſecundùm quòd eſt in remedium per carnalem copulam. *4. ſ. d. 34. in expoſ. textus.*

Quær. 166. cur detur dæmonibus poteſtas maleficij: & vtrum contra ipſam exorciſmi Eccleſiæ ſemper effectum habeant.

Reſp. ſupra v. *maleficium qu. 1. & 2.*

Qu. 167. an & quando maleficium dirimat matrimonium: & quænam ſit differentia impedimenti frigiditatis, & maleficij.

Reſp. D. Thomas, diſtinguendum eſt: quia impotentia coëundi ex maleficio aut eſt perpetua; & tunc matrimonium dirimit: aut non eſt perpetua; & tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Eccleſia tempus præfixit (triennium ſcilicet) ſicut de frigiditate dictum eſt. Tamen hæc eſt differentia inter maleficium & frigiditatem; quia qui eſt impotens ex frigiditate, ſicut eſt impotens ad vnam, ita ad aliam; & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia vt alteri coniungatur: ſed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad vnam, & non ad aliam; & ideo quando iudicio Eccleſiæ matrimonium dirimitur, vtrique datur licentia quòd alteram copulam quærat. *4. ſ. d. 34. q. 1. a. 3. in corp. quodl. 11. a. 11.*

Qu. 168. Cur aliquando maleficium eſt ad omnes, & aliquando ad vnam tantum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maleficium quandoque poteſt præſtare impedimentum ad omnes, quandoque ad vnam tantùm; quia diabolus voluntaria cauſa eſt non ex neceſſitate naturæ agens. Et præterea impedimentum maleficij poteſt eſſe ex impreſſione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiſcentia mouens ad talem mulierem, & non ad aliam. *Ibid. ad 4.*

Digitized by Google

Qu. 169. quid agendum ſit, quando impedimentum maleficij eſt generale, vel perſonale, & ratione ipſius alterum contrahitur matrimonium.

Reſp. D. Thomas, ſciendum eſt quòd ſi maleficium fuerit generaliter reſpectu cuiuſlibet faciens impotentiam coëundi, tunc ſi alteri nupſerit, oſtendetur impedimentum non fuiſſe perpetuum: vnde debet ad prius coniugium redire: ſi autem fuerit perſonale, ideſt reſpectu ſpecialis perſonæ, cùm vtrique detur licentia alteri nubendi, non poteſt redditâ potentiâ nubendi ad priſtinum matrimonium redire; quia nullum fuit, & ſecundum eſt verum matrimonium. 4. *ſ. d.* 34. *in expoſ. textus.*

Quaritur 170. an furia matrimonium dirimat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd furia aut præcedit matrimonium, aut ſequitur: ſi ſequitur, nullo modo dirimit matrimonium: ſi autem præcedit; aut furioſus habet lucida interualla, aut non; ſi habet, tunc quamuis dum eſt in illo interuallo non ſit tutum quòd matrimonium contrahat, quia neſcit prolem educare, tamen ſi contrahit, matrimonium eſt: ſi autem non habet, vel ſi quando non habet, contrahit, tunc quia non poteſt eſſe conſenſus, vbi deeſt rationis vſus, non erit verum matrimonium. 4. *ſ. d.* 34. *q.* 1. *a.* 4. *in corp. d.* 36. *a.* 5. *ad* 5. 4. *ad hunc. d.* 35. *a.* 2.

Quar. 171. an carentes vſu rationis poſſint contrahere matrimonium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur vſus rationis, præſtatur impedimentum actui. Et ideo omnia illa ſacramenta, quæ actum requirunt ſuſcipientis, talibus non competunt, ſicut pœnitentia, matrimonium, & huiuſmodi. 4. *ſent. d.* 26. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 2. *in corp. & ad* 2.

Quar. 172. an defectus ætatis impediat matrimonium: & quodnam ſit tempus ipſum contrahendi.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd matrimonium cùm fiat per modum contractus cuiuſdam, ordinationi legis poſitiuæ ſubiacet, ſicut & alij contractus: Vnde ſecundùm iura determinatum eſt, quòd ante illud tempus diſcretionis, quo vterque poſſit de matrimonio ſufficienter deliberare, & debitum ſibi inuicem reddere, matrimonia non contrahantur; & ſi non ita facta fuerint, dirimuntur.

Hoc autem tempus vt in pluribus eſt in maſculis in quarto decimo anno, in femina autem in duodecimo anno, cuius ratio infra verbo, *ſponſalia*, dicetur.

Quia tamen præcepta iuris poſitiui ſequuntur id, quod eſt in pluribus, ſi aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perueniat, ita quòd vigor naturæ & rationis defectum ætatis ſuppleat, matrimonium non diſſoluitur: Et ideo ſi contrahentes ante annos pubertatis carnaliter ante

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, prohibentur clandeſtina matrimonia propter pericula, quæ inde euenire ſolent: quia frequenter in talibus eſt aliqua fraus ex altera parte; frequenter etiam ad alia coniugia tranſeunt, dum pœnitent de iſtis quæ ſubitò facta ſunt; & multa alia mala inde accidunt, & ſpeciem turpitudinis præter hoc habent. *Ibidem ad 3. 4. ad hann. d.28. a. 4.*

Tempore D. Thomæ, & vſque ad concilium Tridentinum matrimonia clandeſtina fuerunt illicita, ſed non inualida: ſed concilium ea irrita fecit, & annullauit his verbis, ſeſſ. 24. decreto de reform. matrim. cap. 1. Tametſi dubitandum non eſt clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta ſynodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, &c. Nihilhominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit. Verùm cùm ſancta ſynodus animaduertat prohibitiones illas propter hominũ inobedientiam iam non prodeſſe; & grauia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cùm ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius remedium adhibeatur, &c.

Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.

Quærit. 178. quid ſit raptus: an ſit ſpecies luxuriæ: & quomodo diſtinguatur à ſtupro.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd raptus prout nunc de eo loquimur, eſt ſpecies luxuriæ; & quandoque quidem in idem concurrit cum ſtupro; quandoque autem inuenitur raptus ſine ſtupro, quandoque verò ſtuprum ſine raptu.

Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad Virginem illicitè deflorandam; quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipſi Virgini quàm Patri; quandoque autem infertur Patri ſed non Virgini, puta cùm ipſa conſentit, vt per violentiam de domo Patris abſtrahatur.

Differt etiam violentia, & raptus alio modo: quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum; & violenter corrumpitur: quandoque autem etſi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, ſed de voluntate Virginis, ſiue corrumpatur fornicario concubitu, ſiue matrimoniali; qualitercunque enim violentia adſit ſaluatur ratio raptus.

Inuenitur autem raptus ſine ſtupro, puta ſi aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam: vnde Simmachus Papa dicit: *Raptores viduarum, vel virginum ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur.* ſtuprum

Digitized by Google

verò ſine raptu inuenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione Virginem illicitè deflorat. 2. 2. q. 154. a. 7. *in corp.*

Quar. 179. *vtrum aliquis excuſetur à crimine raptus, ſi violenter rapiat ſponſam ſuam de domo parentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſponſus ex ipſa deſponſatione habet aliquod ius in ſua ſponſa: & ideo quamuis peccet violentiam inferendo; excuſatur tamen à crimine raptus: vnde Gelaſius Papa dicit: *lex illa præteritorum Principum ibi raptum dicit eſſe commiſſum, vbi puella, de cuius ante nuptias nihil actum fuerat, videbatur abducta. in eodem a. ad* 4.

Quar. 180. *cui ſit reſtituenda puella rapta, & quomodo raptus impediat matrimonium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliter eſt dicendum de raptu puellarum, quæ ſunt alijs deſponſatæ, & aliter de raptu illarum, quæ non ſunt alijs deponſatæ: illæ enim, quæ ſunt alijs deſponſatæ, reſtituendæ ſunt ſuis ſponſis, qui in eis ex ipſa deſponſatione ius habent: illæ autem, quæ non ſunt alijs deſponſatæ, primò reſtituendæ ſunt Patris poteſtati, & tunc de voluntate parentum licitè poſſunt eas in vxores accipere.

Si autem aliter fiat illicitè matrimonium contrahitur: tenetur enim qui quamcunque rem capit, ad eius reſtitutionem: nec tamen raptus dirimit matrimonium iam contractum etſi impediat contrahendum. 2. 2. q. 154. a. 7. *ad* 3. 4. *ſ. d.* 41. a. 4. q. 3. *ad* 3.

Quar. 181. *quomodo intelligatur illud concilii Meldenſis: decretum placuit vt hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel ſeducunt, eas nullatenus habeant vxores; quamuis eas poſtmodum nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum ſuſceperint.*

Reſp. D. Thomas, quod dicitur in prædicto concilio, dictum eſt in deteſtationem illius criminis, & eſt abrogatum: Vnde Hieronymus contrarium dicit; *Tria*, inquit, *coniugia legitima in ſcripturis leguntur: Primum eſt, Virgo caſta in virginitate viro data legitimè. Secundum eſt Virgo in Ciuitate deprehenſa à viro, & illi per vim copulata; ſi voluerit pater eius, dotabit eam iſte vir quantùm indicauerit pater, & dabit pretium pudicitiæ eius: Tertium autem eſt, quando aufertur ei, & traditur alteri de voluntate patris.* vel poteſt intelligi de illis, quæ ſunt aliis deſponſatæ; & maximè per verba de præſenti. 2. 2. q. 154. *a.* 7. *ad* 3.

Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. *in decreto de Reformat. matrim. cap.* 6. *ſic loquitur: decernit ſancta ſynodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi clerici*

Digitized by Google

ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidant: teneatur præterea raptor mulierem raptam ſiue eam in vxorem duxerit, ſi te non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

Qu. 182. an ſecundum matrimonium ſit licitum, & ſic deinceps.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vinculum matrimoniale non durat, niſi vſque ad mortem, vt patet Rom. 7. & ideo moriente altero coniugum vinculum matrimoniale ceſſat: vnde propter præcedens matrimonium non impeditur aliquis à ſecundo, mortuâ coniuge: & ſic non ſolùm ſecundæ, ſed tertiæ, & ſic deinceps nuptiæ ſunt licitæ. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 3. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 183. quare Sacerdotes arceantur à ſecundis nuptiis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homines diuinis dediti non ſolùm ab illicitis, ſed etiam ab illis quæ habent turpitudinis ſpeciem arceutur: & ideo arcentur à ſecundis nuptiis, quæ carent honeſtate, quæ erat in primis. *ibid. ad* 3.

Qu. 184. an ſecundum matrimonium ſit Sacramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vbicunque inueniuntur illa, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, illud eſt verum Sacramentum: vnde cùm in ſecundis nuptiis inueniantur omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti (quia debita materia quam facit perſonarum legitimitas, & debita forma ſcilicet expreſſio conſenſus interioris per verba) conſtat quòd ſecundum matrimonium eſt Sacramentum ſicut primum. 4. *ſent. d.* 42. *q.* 3. *a.* 2. *in corp.*

Quær. 185. vtrum in ſecundo matrimonio debeat dari benedictio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd ſecundum matrimonium, quamuis in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, in ordine ad primum conſideratum habet aliquid de defectu Sacramenti; quia non habet plenam ſignificationem, cùm non ſit vna vnius, ſicut eſt in matrimonio Chriſti, & Eccleſiæ: & ratione huius defectus benedictio à ſecundis nuptiis ſubtrahitur. Sed hoc eſt intelligendum quando ſecundæ nuptiæ ſunt ſecundæ ex parte viri, & ex parte mulieris: vel ex parte mulieris tantùm. Si enim virgo contrahat cum illo, qui habuit aliam vxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur; ſaluatur enim aliquo modo ſignificatio etiam in ordine ad primas nuptias, quia Chriſtus etſi vnam Eccleſiam ſponſam habeat, habet tamen plures perſonas deſponſatas in vna Eccleſia: ſed anima non poteſt eſſe ſponſa alterius quàm Chriſti; quia cum Dæmone fornicatur, nec eſt ibi matrimonium ſpirituale: & propter hoc, quando mulier ſecundò nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum Sacramenti. *ibidem ad* 2.

Quær. 186. quot modis actus matrimonialis ſit contra naturam.

Reſp. D. Thomas, vſus contra

Digitized by Google

naturam coniugis eſt, quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum à natura inſtitutum quantùm ad ſitum: & in primo ſemper eſt peccatum mortale; quia proles ſequi non poteſt, vnde totaliter intentio naturæ fruſtatur: ſed in ſecundo modo non ſemper eſt peccatum mortale, vt quidam dicunt, ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ: quandoque etiam ſine peccato eſſe poteſt, quando diſpoſitio corporis alium modum non patitur: Aliàs tantò eſt grauius, quantò magis à naturali modo receditur. 4. *ſ. d. 31. in exp. textus.*

Quær. 187. *vtrum in matrimonio nedum præbeatur remedium concupiſcentiæ, ſed etiam auxilium diuinæ gratiæ ad ritè exercenda omnia quæ ipſum concernunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt quòd matrimonium nullo modo eſt cauſa gratiæ, ſed eſt tantùm ſignum. Sed hoc non poteſt ſtare: quia ſecundùm hoc in nullo differret à Sacramentis veteris legis, vnde non eſſet aliqua ratio quare Sacramẽtis nouæ legis annumeraretur: quòd enim remedium præbeat ſatisfaciendo concupiſcentiæ, ne in præceps ruat dum nimis arctatur, habuit etiam in veteri lege ex ipſâ naturâ actûs. Et ideo alii dixerunt quòd confertur ibi gratia in ordine ad receſſum à malo; quia excuſatur actus à peccato, qui ſine matrimonio peccatum eſſet. Sed hoc eſſet nimis parum: quia hoc etiam in veteri lege habuit; Et ideo dicunt quòd facit recedere à malo, inquantum mitigat concupiſcentiam, ne extra bona matrimonii feratur; non autem per gratiam illam fit aliquod auxilium ad benè operandum. Sed hoc non poteſt ſtare: quia eadem gratia eſt quæ impedit peccatum, & quæ ad bonum inclinat; ſicut idem calor qui aufert frigus, & qui calefacit. Vnde alij dicunt quòd matrimonium inquantùm in fide Chriſti contrahitur, habet vt conferat gratiam adiuuantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur. Et hoc probabilius eſt: quia vbicunque datur diuinitùs aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo conuenienter vti poſſit facultate illâ: Sicut patet quòd omnibus potentiis animæ reſpondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire poſſint: vnde cùm in matrimonio detur homini ex diuina inſtitutione facultas vtendi ſuâ vxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia, ſine qua id conuenienter facere non poſſet; ſicut etiam de poteſtate ordinis infra dicetur, & ſic iſta gratia data eſt vltima res contenta in hoc ſacramento. 4. *ſ. d. 26. q. 2. a. 3. in corp.*

Quær. 188. *quomodo matrimonium ſit concupiſcentia remedium, cùm Philoſop. 3. Ethic. dicat; inſatiabilis eſt concupiſcentia appetitus, & per operationem congruam augetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd contra concupiſcentiam poteſt præſtari remedium dupliciter: vno modo, ex parte ipſius concupiſcentiæ, vt reprimatur in ſua radice, & ſic remedium præſtat ma-

Digitized by Google

trimonium per gratiam quæ in eo datur: alio modo ex parte actûs eius; & hoc dupliciter: vno modo, vt actus ad quem inclinat concupiſcentia, exteriùs turpitudine careat; & hoc fit per bona matrimonii, quæ honeſtant carnalem concupiſcentiam: alio modo vt actus turpitudinem habens impediatur, quòd fit ex ipſa natura actus; quia dum concupiſcentiæ ſatisfit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitat? propter quod dicit Apoſt. *melius eſt nubere, quàm vri*: quamuis enim opera concupiſcentiæ congrua, ſecundùm ſe nata ſint concupiſcentiam augere, tamen ſecundùm quòd ratione ordinantur; ipſam reprimunt, quia ex ſimilibus actibus ſimiles relinquuntur diſpoſitiones & habitus. *ibib. ad* 4.

Quær. 189. *vtrum omnes matrimonium contrahere debeant ex hoc quòd eſt remedium concupiſcentiæ quæ omnibus ineſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procederet, niſi contra concupiſcentiæ morbum poſſet aliquod efficacius remedium adhiberi: adhibetur autem maius remedium per opera ſpiritualia & carnis mortificationem ab illis qui matrimonio non vtuntur. *ibidem ad* 3.

MEDICINA.

Quær. 1. *an ſit licitum vti pretioſis medicamentis: & vtrum debeamus eſſe contenti ſimplicibus.*

Reſp. D. Thomas, quòd licitè poſſumus aliquibus pretioſis vti medicinaliter pro neceſſitate noſtri corporis conſeruandi: ſed ad decentiam honeſtatis ſimplicibus debemus eſſe contenti. 3. *p. q.* 51. 4. 2. *ad* 3.

Quær. 2. *vtrum ille qui ſub ſecreto cum iuramento accepit notitiam alicuius remedii, debeat ſeruare ſecretum.*

Reſp. infra v. *ſecretum*.

Quæritur 3. *quomodo medicus teneatur ſuſcipere curam pauperum, ſicut Aduocatus eorum patrocinium.*

Reſp. ſupra v. *aduocatus*.

MEDITATIO.

Quær. 1. *an contemplatio ſtrictè ſumpta in meditatione conſiſtat: & cur meditatio medium tenet inter partes contemplationis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd contemplatio aliquando capitur ſtrictè pro actu intellectûs diuina meditantis: & ſic contemplatio eſt ſapientiæ actus: alio modo communiter pro omni actu, quo quis à negotiis exterioribus ſequeſtratus ſoli Deo vacat: quod quidem contingit dupliciter: vel inquantum homo Deum loquentem in ſcripturis audit: quod fit per lectionem: vel inquantum Deo loquitur; quod fit per orationem: meditatio autem ad vtrumque ſe habet quaſi medium inter ea: quia ex hoc quòd nobis loquitur in ſcripturis ei per meditationem intellectu & affectu præſentamur: & ſic præſentati ei, vel præſentem eum habentes ei loqui poſſumus.

Digitized by Google

per orationem, & ideo poſuit Hugo tres contemplationis partes; primam, lectionem: ſecundam, meditationem: tertiã, orationem: nec tamen oportet quòd ſit oratio ſapientiæ actus ab ea elicitus: quamuis ſapientia per meditationem viam orationi præparet. *4. ſ.d.5.q. 4.a. 1.q. 2. ad 1.*

Quær. 2. quomodo meditatio cauſet amorem Dei, iuxta illud pſal. 38. concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.

Reſp. D. Thomas, dicit concaluit cor meum intra me; ideſt concitatus eſt calor charitatis in corde meo. Prouerb. 6. *nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta eius non ardeant!* ſic impoſſibile eſt quòd homo abſcondat verba Dei, cùm inflammatur cor charitate. Pſal. 118. *ignitum eloquium tuum &c.* cauſa autem huius concitationis eſt meditatio de diuinis: vnde dicit, & in meditatione mea exerdeſcet ignis nihil amatur niſi bonum & pulchrum: vnde in exterioribus amoribus viſio corporalis eſt cauſa amoris: & ideo ſi vis accedere ad ſpiritualia, oportet quòd accendatur cor tuum amore Dei. *In expoſ. eiuſdem Pſ. 1.2.q.27.a. 2. in corp. op. 4. cap. 3.*

Qu. 3. quomodo frequens meditatio carnem mortificet, & hominem auertat ab omni mala concupiſcentia.

Reſp. D. Thomas, Apoſtolus 2. ad Cor. 4. ait: *ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Carnem in ſpiritualibus meditationibus affligendo: Eccleſiaſtis 12. *frequens meditatio, carnis afflictio eſt.* Eccleſiaſtici 31. *Vigilia honeſtatis* (in ſtudio virtutum) *tabefaciet carnes:* interlinearis, ſcilicet carnales voluptates: *cogitatus illius auferet ſomnum*, ſcilicet pigritiæ tædium: ibidem: *cogitatus præſcientiæ* (ſcilicet qui præuidet præmia donorum) *auertit ſenſum* (ſcilicet ab omni concupiſcentia mala) *& infirmitas grauis* (ſcilicet corporis) *ſobriam* (à delictis) *facit animam In ſerm. 1. Dominica 8. poſt Pentecoſtem.*

Plura de meditatione videantur ſupra v. Deuotio, vbi oſtenditur quomodo deuotio per meditationem cauſatur, & infra v. Oratio, vbi agitur tã de oratione mentali quàm de vocali. Et v. vita, vbi agitur de vita contemplatiua, & vt iam dictum eſt contemplatio ſtricte ſumpta in verum diuinarum meditatione conſiſtit.

MENDACIVM.

Qu. 1. & quomodo tria concurrant ad rationem mendacij, ſcilicet quòd dicatur falſum, quòd ſit voluntas illud dicendi, & quòd ſit intentio fallendi, iuxta illud D. Auguſtini in libro de mendacio cap. 4. nemo dubitat mentiri eum qui falſum enunciat cauſâ fallendi: quâ propter enunciatio falſi cum voluntate ad fallendum prolata manifeſtum eſt mendacium.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd actus moralis ex duobus ſpeciem ſortitur; ſcilicet ex obiecto, & ex fine: nam finis eſt obiectum voluntatis, quæ eſt primum mouens in moralibus actibus. Po-

tentia autem à voluntate mota habet ſuum obiectum, quod eſt proximum obiectum voluntarij actus, & ſe habet in actu voluntatis ad finem, ſicut materiale ad formale. Dicetur autem quòd virtus veritatis (& per conſequens oppoſita vitia) in manifeſtatione conſiſtit, quæ fit per aliqua ſigna: quæ quidem manifeſtatio ſiue enunciatio eſt rationis actus conferentis ad ſignatum: omnis enim repræſentatio conſiſtit in quadam collatione, quæ propriè pertinet ad rationem: vnde etſi bruta animalia aliquid manifeſtent, non tamen manifeſtationem intendunt, ſed naturali inſtinctu aliquid agunt, ad quod manifeſtatio ſequitur: Inquantum tamen huiuſmodi manifeſtatio ſiue enunciatio eſt actus moralis, oportet quòd ſit voluntarius, & ex intentione voluntatis dependens: Obiectum autem proprium manifeſtationis ſiue enunciationis eſt verum vel falſum: Intentio verò voluntatis inordinatæ poteſt ad duo ferri; quorum vnum eſt, vt falſum enuncietur; aliud eſt effectus proprius falſæ enunciationis, vt ſcilicet aliquis fallatur. Si ergo iſta tria concurrant; ſcilicet quòd falſum ſit id quod enuntiatur; & quod adſit voluntas falſum enuntiandi; & iterum intentio fallendi; tunc eſt falſitas materialiter, quia falſum dicitur; & formaliter propter voluntatem falſum dicendi; & effectiuè propter voluntatem falſitatem imprimendi.

Sed tamen ratio mendacij ſumitur à formali falſitate; ſecundùm hoc ſcilicet quòd aliquis habet voluntatem falſum enuntiandi: vnde & mendacium nominatur ex eo quòd contra mentem dicitur: & ideo ſi quis falſum enunciet credens id eſſe verum, eſt quidem falſum materialiter; ſed non formaliter, quia falſitas eſt præter intentionem dicentis: vnde non habet perfectam rationem mendacij: id enim, quod præter intentionem dicentis eſt, per accidens eſt, vnde non poteſt eſſe ſpecifica differentia. Si verò aliquis formaliter falſum dicat habens voluntatem falſum dicendi, licèt ſit verum id quod dicitur, inquantùm tamen huiuſmodi actus eſt voluntarius, & moralis, habet per ſe falſitatem, & per accidens veritatem, vnde ad ſpeciem mendacij pertingit. Quòd autem aliquis intendat falſitatem in opinione alterius conſtituere fallendo ipſum, non pertinet ad ſpeciem mendacij ſed ad quandam perfectionem ipſius; ſicut & in rebus naturalibus aliquid ſpeciem ſortitur, ſi formam habeat, etiam ſi deſit formæ effectus; ſicut patet in graui, quod violenter ſurſum detinetur, ne diſcedat ſecundùm exigentiam ſuæ formæ. Sic ergo patet, quòd mendacium directe, & formaliter opponitur virtuti veritatis. 2. 2. *q. 110. a. 1. in corp. 3. ſent. d. 38. art. 1. in corp.*

Qr. 2. an ſit mendacium, quando quis falſum indicat nutibus tantùm.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in 2. de doctrina Chriſtiana: *voces præcipuum locum tenent inter alia ſigna:* & ideo cùm dicitur quòd mendacium eſt falſa vocis ſignificatio, nomine vocis intelligitur omne ſignum: Vnde ille qui aliquod

Digitized by Google

falſum nutibus ſignificare intenderet, non eſſet à mendacio immunis. 2. 2. *q.* 110. *a.* 1. *ad* 2. 3. *ſent. d.* 38. *a.* 1. *ad* 2. *&* 4.

Qu. 3. an mendacium rectè diuidatur in iocoſum, officioſum, & perniciosum.

Reſp. D. Thomas, poteſt diuidi mendacium inquantum habet rationem culpæ ſecundùm ea, quæ aggrauant, vel diminuunt culpam mendacij ex parte finis intenti. Aggrauant autem culpam mendacij, ſi aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum: diminuitur autem culpa mendacij, ſi ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, & ſic eſt mendacium iocoſum; vel vtile, & ſic eſt mendacium officioſum, quo intenditur iuuamentum alterius, vel remotio nocumenti; & ſecundùm hoc diuiditur mendacium in tria prædicta. *in eadem qu. a.* 2. *in corp.*

Quar. 4. vtrum omne mendacium ſit peccatum, & fugiendum iuxta illud Eccl. 7. noli velle mentiri omne mendacium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud, quod eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum quia ad hoc, quòd aliquid ſit bonum, requiritur, quòd omnia rectè concurrant. *Bonum enim eſt ex integra cauſa, malum verò eſt ex ſingularibus defectibus*, vt Dionyſius dicit 4. cap. de diuinis nominibus: mendacium autem eſt malum ex genere, eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam: cùm enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuū, innaturale eſt, & indebitum, quòd aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente: vnde Philoſophus dicit in 4. Eth. quòd *mendacium eſt per ſe prauum, & fugiendum, verum autem eſt bonum, & laudabile*: vnde omne mendacium eſt peccatum, ſicut etiam Auguſtinus aſſerit in lib. contra mendacium. 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *in corp. quodlib.* 8. *art.* 14.

Quar. 5. an liceat dicere mendacium, vt alius ab aliquo periculo liberetur, vel ſaltem vti diſſimulatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mendacium non ſolùm habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, ſed ex ſua inordinatione: non licet autē aliqua illicita inordinatione vti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum, ſicut non licet furari ad hoc quòd homo eleemoſinam faciat; niſi fortè in caſu neceſſitatis, in quo omnia ſunt communia: & ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc quòd aliquis alium quocunque periculo liberet.

Licet tamen veritatem ocultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione, vt Auguſtinus dicit in lib. contra mendacium. 2. 2. *q.* 110. *a.* 3. *ad* 4. 3. *ſent. d.* 38. *in expoſ. textus.*

Qu. 6. an & quando mendacium ſit peccatum mortale aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum mortale propriè eſt quod repugnat charitati, per quam anima viuit Deo coniun-

Digitized by Google

ſta : poteſt autem mendacium contrariari charitati tripliciter; vno modo ſecundùm ſe; alio modo ſecundùm finem intentum; tertio modo per accidens.

Secundùm ſe quidem charitati contrariatur ex ipſa falſa ſignificatione : quæ quidem ſi ſit circa res diuinas contrariatur charitati Dei, cuius veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit: vnde huiuſmodi mendacium non ſolùm opponitur virtuti charitatis, ſed etiam virtuti fidei, & religionis; & ideo hoc mendacium eſt grauiſſimum, & mortale. Si verò falſa ſignificatio ſit circa aliquid, cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, puta quæ pertinet ad perfectionem ſcientiæ, & informationem morum, tale mendacium, inquantum infert damnum falſæ opinionis proximo, contrariatur charitati quantùm ad dilectionem proximi; vnde eſt peccatum mortale. Si verò falſa opinio ex mendacio generata ſit circa aliquid, de quo non referat vtrum ſic vel aliter cognoſcatur, tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus; ſicut ſi quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad ſe non pertinentibus; vnde tale mendacium ſecundùm ſe non eſt peccatum mortale.

Ratione verò finis intenti aliquod mendacium contrariatur charitati; puta quod dicitur aut in iniuriam Dei, quod ſemper eſt peccatum mortale, vtpote religioni contrarium; aut in nocumentum proximi, quantùm ad perſonam, diuitias, vel famam: & hoc etiam eſt peccatum mortale; cùm nocere proximo ſit peccatum mortale; ex ſola autem intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat. Si verò finis intentus non ſit contrarius charitati, nec mendacium ſecundùm hanc rationem erit peccatum mortale; ſicut apparet in mendacio iocoſo, in quo intenditur aliqua leuis delectatio; & in mendacio officioſo, in quo intenditur etiam vtilitas proximi.

Per accidens autem poteſt contrariari charitati, ratione ſcandali, vel cuiuſcunque damni conſequentis: & ſic erit etiam peccatum mortale, dum ſcilicet aliquis non veretur propter ſcandalum publicè mentiri. 2. 2. q. 110. a. 4. *in corp.* 3. *ſent. d.* 38. *a.* 4. *in corp.*

Quær. 7. an ſit mendacium, quando non ſeruatur promiſſum: & quibus de cauſis excuſemur ab eo ſeruando.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui aliquid promittit, ſi habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id quod gerit in mente: ſi verò non faciat quod promiſit, tunc videtur Infideliter agere per hoc quòd animum mutat.

Poteſt tamen excuſari ex duobus: vno modo ſi promiſit id quod manifeſtè eſt illicitum; quia promittendo peccauit, mutando autem propoſitum benè facit: alio modo ſi ſunt mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum, vt enim Seneca dicit in lib. de beneficijs, *ad hoc, quòd homo teneatur facere, quod promiſit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant*. Alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit quod

habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec etiam eſt infidelis non implendo quod promiſit, quia eædem conditiones non extant: vnde & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non iuit Corinthũ, quò ſe iterum eſſe promiſerat, vt dicitur 2. ad Corinth. 1. & hoc propter impedimenta, quæ ſupetuenerant. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.

Quær. 8. vtrum omne mendacium ſit peccatum quantumcunque aliquis propter bonum mentiatur; iuxta illud D. Auguſtini in lib. de mendacio cap. 21. quiſquis aliquod genus mendacij quod peccatum non ſit, eſſe putauerit, ſeipſum turpiter decipit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm malum omnifariam contingat, cuiuſlibet circunſtantiæ peruerſitas, etiam aliis circunſtantiis debitis exiſtentibus, peccatum in moribus facit; vt ſi aliquis accipiat, vnde non debet, quantumcunque bonum intendat, vel aliæ circunſtantiæ ordinatæ videantur, peccatum non euitabitur. Cùm autem locutio inuenta ſit ad exprimendam conceptionem cordis, quandocunque aliquis loquitur quod in corde non habet, loquitur quod non debet: hoc autem contingit in omni mendacio: vnde omne mendacium eſt peccatum, quantumcunque aliquis propter bonum mentiatur. 3. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *in corp.*

Quær. 9. de quo mendacio intelligantur hæc ſcripturæ teſtimonia Pſ. 5. perdes omnes qui loquuntur mendacium: ſapient. 1. os quod mentitur occidit animam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illæ authoritates intelliguntur de mendacio pernicioſo, vt exponit gloſſa. *in eadem q.* 110. *a.* 6. *ad* 1.

Quær. 10. in quo ſenſu D. Auguſtinus dixit in 1. de doctr. Chriſt. nemo mentiens, in eo quod mentitur, ſeruat fidem: nam hoc vtique vult vt cui mentitur, fidem ſibi habeat; quam tamen ei mentiendo non ſeruat: omnis autem fidei violator iniquus eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam peccatum veniale largo modo poteſt dici iniquitas, inquantum eſt præter æquitatem iuſtitiæ. Et hoc modo, loquitur Auguſtinus. *ibidem ad* 3.

MERETRIX.

Quær. 1. an meretrices tolerari debeant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipſum debet imitari: Deus autem quamuis ſit omnipotens & ſummè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur; vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur: ſicut Aug. dicit in lib. de ordine, *aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. *in corp.*

Digitized by Google

Quær. 2. quomodo permittendo meretrices euitantur maiora mala.

Reſp. D. Thomas, minus malum eſt mulieribus carnaliter commiſceri, quàm in vilia declinare flagitia. Vnde Aug. dicit, quòd, *hoc facit meretrix in mundo, quod ſentina in mari, vel cloaca in palatio. Tolle cloacam, & replebis fœtore palatium: Et ſimiliter de ſentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis ipſum Sodomia.* opuſc. 20. *de regimine Principum lect. 4. c. 14.*

Quær. 3. an & quando meretrix poſſit id quod ei datur retinere, vel teneatur reſtituere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis dupliciter aliquid illicitè dat: vno modo, quia datio ipſa eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo qui ſimoniacè aliquid dedit: & talis meretur amittere quod dedit; vnde non debet reſtitutio fieri de his: & quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit; non debet ſibi retinere, ſed debet in pios vſus conuertere. Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat, licèt ipſa datio non ſit illicita; ſicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem: vnde & poteſt ſibi retinere quod ei datum eſt. Sed ſi ſuperfluè aliquid per fraudem vel dolum extorſiſſet, teneretur eidem reſtituere. 2. 2. *q. 62. a. 5. ad 3.*

Quær. 4. vtrum ex lucro meretricio fieri poſſint eleemoſinæ, vel oblationes.

Reſp. ſupra v. *eleemoſyna q. 24.* & infra v. *oblatio.*

MERITVM.

Quær. 1. quid ſit meritum ſiue condigni, ſiue congrui, & vtrum opera extra charitatem in ſtatu peccati mortalis facta ſint meritoria, & quem effectum habeant.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd meritum propriè dicitur actio qua efficitur, vt ei qui agit, ſit iuſtum aliquid dari. Sed iuſtitia dupliciter dicitur: vno modo propriè, quæ ſcilicet reſpicit debitum ex parte recipientis: alio modo quaſi ſimilitudinariè, quæ reſpicit debitum ex parte dantis: aliquid enim decet dantem dare, quod tamen non habet recipiens debitum recipiendi: & ſic iuſtitia eſt de eſſentia diuinæ bonitatis; ſicut Anſel. dicit quòd *Deus iuſtus eſt cum peccatoribus parcit, quia eum decet.* Et ſecundùm hoc etiam meritum dicitur dupliciter: vno modo actus per quem efficitur, vt ipſe agens habeat debitum recipiendi; & hoc vocatur meritum condigni: alio modo, per quem efficitur vt ſit debitum dandi in dante ſecundùm decentiam ipſius; & ideo hoc meritum dicitur meritum congrui. Cùm autem in omnibus illis quæ gratis dantur, prima ratio dandi ſit amor; impoſſibile eſt quòd aliquis tale ſibi debitum faciat qui amicitiâ caret; & ideo cùm omnia bona (& temporalia, & æterna) ex diuina liberalitate nobis donentur, nullus acquirere poteſt debitum recipiendi aliquod illorum, niſi per charitatem ad Deum: Et ideo opera extra

charitatem facta, non ſunt meritoria ex condigno neque æterni, neque temporalis alicuius boni apud Deum. Sed quia diuinam bonitatem decet, vt vbicunque diſpoſitionem inuenit perfectionem adiiciat, ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera extra charitatem facta. Et ſecundùm hoc opera iſta valent ad triplex bonum; ſcilicet ad temporalium conſecutionem, ad diſpoſitionem ad gratiam, & ad aſſuetudinem bonorum operum: Quia tamen hoc meritum non propriè meritum dicitur, ideo magis concedendum eſt quòd huiuſmodi opera non ſint alicuius meritoria, quam quòd ſint. 4. *ſ. d. 15. q. 1. a. 3. q. 4. in corp.*

Quær. 2. vtrum homo exiſtens in gratia, & charitate mereri poſſit vtriuſque augmentum, iuxta illud D. Auguſtini ſuper Epiſt. Ioan, charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud cadit ſub merito condigni, ad quod motio gratiæ ſe extendit: motio autem alicuius mouentis non ſolùm ſe extendit ad vltimum terminum motus, ſed etiam ad totum progreſſum in motu: terminus autem motus gratiæ eſt vita æterna: progreſſus autem in hoc motu eſt ſecundùm augmentum charitatis vel gratiæ; ſecundùm illud Prou. 4. *iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem*; qui eſt dies gloriæ: ſic igitur augmentum gratiæ cadit ſub merito condigni. 1. 2. *quæſt. 114. a 8. in corp.*

Quær. 3. cur licèt perſeuerantiam aliquis mereri non poſſit, eam tamen vtiliter poſtulamus in petitionibus orationis dominicæ, vt exponit D. Auguſtinus in libro de bono perſeuerantiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam ea quæ non meremur, orando impetramus: nam & *peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes, quam non merentur*, vt patet per Auguſt. ſuper illud Ioannis 9. *ſcimus quia peccatores Deus non exaudit*: alioquin fruſtra dixiſſet publicanus: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, vt dicitur lucæ 18. & ſimiliter perſeuerantiæ donum aliquis petendo à Deo impetrat vel ſibi vel aliis, quamuis ſub merito non cadat. 1. 2. *q. 114. a. 9. 4. ſ. d. 45. q. 2. a. 1. q. 2.*

Qu. 4. an & quomodo bona temporalia cadant ſub merito.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod ſub merito cadit, eſt præmium vel merces: quod habet rationem alicuius boni: bonum autem hominis eſt duplex; vnum ſimpliciter; aliud ſecundum quid: bonum hominis ſimpliciter eſt vltimus finis eius, ſecundùm illud Pſal. 72. *mihi autem adhærere Deo bonum eſt*: & per conſequens, omnia illa quæ ordinantur vt ducentia ad hunc finem: & talia ſimpliciter cadunt ſub merito: bonum autem ſecundùm quid & non ſimpliciter hominis eſt, quod eſt bonum ei vt nunc, vel quod ei eſt ſecundùm quid bonum: & huiuſmodi non cadunt ſub merito ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. ſecun-

Digitized by Google

dùm hoc ergo dicendum eſt quòd ſi temporalia bona conſiderentur prout ſunt vtilia ad opera virtutum quibus perducimur in vitam æternam, ſecundùm hoc directè & ſimpliciter cadunt ſub merito, ſicut & augmentum gratiæ, & omnia illa quibus homo adiuuatur ad perueniendum in beatitudinem poſt primam gratiam: tantùm enim dat Deus viris iuſtis de bonis temporalibus & etiam de malis quantùm eis expedit ad perueniendum ad vitam æternam: & intantum ſunt ſimpliciter bona huiuſmodi temporalia: vnde dicitur in Pſal. 33. *timentes autem Dominum non minuentur omni bono*: & alibi, *non vidi iuſtum derelictum &c.* Pſal. 36. ſi autem conſiderentur huiuſmodi temporalia bona ſecundùm ſe, ſic non ſunt ſimpliciter bona hominis ſed ſecundùm quid: & ita non ſimpliciter cadunt ſub merito ſed ſecundùm quid, inquantum ſcilicet homines mouentur à Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus ſuum propoſitum conſequuntur, Deo fauente; vt ſicut vitæ æterna eſt ſimpliciter præmium operum iuſtitiæ per relationem ad motionem diuinam, ita temporalia bona in ſe conſiderata habeant rationem mercedis, habito reſpectu ad motionem diuinam qua voluntates hominum mouentur ad hæc proſequenda; licèt intendum in his non habeant homines rectam intentionem. 1. 2. q. 114. *a.* 10. *in corp.*

Qu. 5. an & quomodo meritum vitæ æternæ primariò charitati conuenit, & ſecundariò aliis virtutibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd humanus actus habet rationem merendi ex duobus: Primò quidem & principaliter ex diuina ordinatione; ſecundùm quòd actus dicitur eſſe meritorius illius boni ad quod homo diuinitùs ordinatur: Secundò verò ex parte liberi arbitrij; inquantum ſcilicet homo habet præ cæteris creaturis vt per ſe agat voluntariè agens: & quantùm ad vtrumque principalitas meriti penes charitatem conſiſtit: primò enim conſiderandum eſt quòd vita æterna in Dei fruitione conſiſtit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem diuini boni eſt proprius actus charitatis, per quam omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem; ſecundùm quòd aliæ virtutes imperantur à charitate: & ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quòd earum actus à charitate imperantur: ſimiliter etiam manifeſtum eſt quòd id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus: vnde etiam ſecundùm quod ad rationem meriti requiritur quòd ſit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur. 1. 2. *qu.* 114. *a.* 4.

Quær. 6. vtrum diſtinctio manſionum in cælo proueniat per modum meriti ex charitate via.

Reſp. D. Thomas, actus noſter non habet quod ſit meritorius ex ipſa ſubſtantia actus, ſed ſolùm ex habitu virtutis quo informatur: vis autem merendi eſt in omnibus ex charitate, quæ habet ipſum finem pro obiecto: & ideo diuerſitas in merendo tota refunditur

ad diuerſitatem charitatis; & ſic charitas viæ diſtinguet manſiones per modum meriti. 4. *ſ.* 49. *q.* 1. *a.* 4. *qu.* 4. *in corp.* 3. *ſ. d.* 30. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 3.

Quær. 7. an licèt meritum principaliter ex charitate proueniat, aliæ tamen virtutes mereantur ſingularia præmia.

Reſp. D. Thomas, in rebus naturalibus videmus quòd à cauſa vniuerſali omnes particulares cauſæ ſumunt efficaciam agendi, tamen effectus determinatus, & proprius attribuitur cauſæ particulari; ſicut patet de virtutibus actiuis inferiorũ corporum reſpectu virtutis cæleſtis corporis, & de orbibus inferioribus, qui etſi ſequantur motum primi orbis, habent tamen ſinguli proprios motus: ita etiam eſt & de virtutibus, quibus meremur. Nam omnes habent efficaciam merendi à Charitate, quæ nos vnit Deo à quo meremur, & voluntatem perficit per quam meremur. Singulæ tamen virtutes merentur ſingularia quædam præmia eis proportionaliter reſpondentia: Sicut humilitas meretur exaltationem, & paupertas regnum. *q.* 6. *de potentia a.* 9. *in corp.*

Quær. 8. quomodo difficultas operis ad meritum contribuit, & quare facilitas ex amore proueniens meritum non diminuit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd difficultas non facit ad meritum, niſi fortè dimiſſionis pœnæ, per modum cuiuſdam commutationis: ſed ad meritum quod ordinatur ad conſecutionem boni, ad quod propriè ordinem habet, non facit, niſi ſecundùm quòd exigitur maior conatus, qui eſt ſecundùm maiorem inclinationem voluntatis in illud: Et quia habitus & amor ex hoc faciunt facilitatem, quia faciunt maiorem inclinationem voluntatis, ideo talis facilitas non diminuit rationem meriti. 3. *ſ. d.* 30. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 4.

Quær. 9. quomodo charitas augeat meritum, licet operis difficultatem diminuat ſecundùm illud D. Aug. in lib. de verbis Domini: omnia ſæua & immania facilia & propè nulla facit amor.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd opus aliquod poteſt eſſe laborioſũ & difficile dupliciter. Vno modo ex magnitudine operis: & ſic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti, & ſic charitas non diminuit laborem, imò facit aggredi opera maxima, *magna enim operatur ſi eſt* vt Greg. dicit in quadam homil. alio modo ex defectu ipſius operantis: vnicuique enim eſt laborioſum, & difficile quod non prompta voluntate facit, & talis labor diminuit meritum, & à charitate tollitur. 1. 2. *q.* 114. *a.* 4. *ad* 2.

Qu. 10. quomodo ſicut Philoſ. dicit in 2. ethic. virtus eſt circa difficilia: & quare viri perfecti magis merentur quàm imperfecti, licèt iſti maiorem difficultatem patiantur quàm illi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid poteſt dici difficile dupliciter: vel ex arduitate operis; & ſic virtus intelligitur circa dif-

ficile eſſe quod ſcilicet in ſe difficile eſt & arduum: vel ex imperfectione operantis; & ſic virtus circa difficile non eſt, ſed talem difficultatem virtus tollit: quantò enim aliquis virtuoſior eſt, tantò faciliùs opera virtutis exercet. Nec tamen dicendum eſt, quòd quantò virtuoſior ſit, minùs mereatur. Et per hunc modum difficultas maior eſt in operibus hominis poſt peccatum ex imperfectione operantis. *2.d.29.q.1.a.4.ad 3.*

Quær. 11. an & quomodo certamen interius vel exterius requiratur ad meritum, & vtrum fuerit in primo homine vel in Angelis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis homo in primo ſtatu non habuerit certamen interius, habuit tamen certamen exterius: vnde & victoriam habere potuit, qua coronam mereretur. Nec tamen eſt de neceſſitate meriti certamen contra aliquem impugnantem: quia ſic in Angelis meritum non inueniretur: ſed de neceſſitate meriti eſt certamen, quo quis contendit apprehendere aliquid quod ſupra ſe eſt: ſecundùm quod aliquis quaſi viribus ſuis luctatur: nec oportet vt vbi eſt maius certamen, ibi ſit maius meritum: ſed vbi eſt magis legitimum: contingit autem in minori impugnatione magis legitimum certamen eſſe. *2.ſ.d.29.q.1.a.4.ad 2.*

Qu. 12. vtrum ille qui meretur aliquid alteri, ſibiipſi magis mereatur, licèt qui ſatisfacit pro altero, non ſatisfaciat pro ſeipſo.

Reſp. infra v. *ſatisfactio.*

Quær. 13. quandonam actus charitatis ita mereantur ipſius augmentum, vt ſtatim recipiatur.

Reſp. D. Thomas, quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantùm ad virtutem naturæ, & quantùm ad virtutem habitus infuſi, tunc vnus actus diſponit & meretur augmentum charitatis, vt ſtatim fiat. Quando autem non ſecundùm totam virtutem procedit actus ille, tunc eſt diſpoſitio remota; & poterit tunc per plures actus peruenire ad augmentum charitatis: non tamen de neceſſitate, quia homo quantumcunque ſit diſpoſitus, poteſt non agere ſecundùm rationem diſpoſitionis illius. *1.ſ.d.17.q.2.a.3.1. ad Hannib. diſtinct. ſimiliter 17. a. 3.*

Quæſt. 14. vtrum ad multitudinem actuum charitatis ſequatur de neceſſitate augmentum præmij eſſentialis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando talis eſt actus charitatis, qualis requiritur ad augmentum charitatis, tunc etiam augetur præmium ſubſtantiale, quod debetur charitati maiori conſequenti actum, non charitati quæ eſt radix actus: non autem omnes ſunt tales: & ideo ad multitudinem actuum non ſequitur de neceſſitate augmentum præmij ſubſtantialis. *4.ſ.d.17.q.2.a.3.ad 5.1.ſ.d.17.q.2.a.3.ad 2.*

Qu. 15. an quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur.

Reſp. D. Thomas, non oportet

Digitized by Google

quòd quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur. Quia non in quolibet actu meritorio inuenitur illa conditio, per quam ex actu conſequitur augmentum habitus, ſed ſolùm in illo actu quo quis vtitur acceptâ gratiâ ſecundùm proportiones ſuarum virium, vt in nullo gratiæ Dei deſit per negligentiam. 2.*ſ.d.* 27. *qu.* 1.*a.*5.*ad* 2.3.*ſ.d.*18.*q.*1.*a.*2.*ad* 4.

Qu. 16. *an quolibet actu meritorio mereatur homo augmentum gratiæ ſtatim conferendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & gratiæ conſummationem quæ eſt vita æterna: ſed ſicut vita æterna non ſtatim redditur ſed ſuo tempore: ita nec gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore: cùm ſcilicet aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum. 1.2.*q.*114.*a.*9.*ad* 3.

Qu. 17. *an quilibet actus charitatis tam remiſſus quàm intenſus mereatur ipſius augmentum ſicut & vitam æternam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem ſtatim exhibendam, ſed ſuo tempore: ſimiliter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad huiuſmodi augmentum. 2.2.*q.*24. *a.*6.*ad* 1.

Qu. 18. *an meritum & præmium charitati correſpondens quantumuis minimum ſit maius quolibet alio correſpondente actu virtutibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maior eſt excellentia meriti quæ conſurgit ex charitate, quàm illa quæ conſurgit ex genere actûs: ſicut finis ad quem ordinat charitas, eſt potior his quæ ſunt ad finem, circa quæ actus noſtri conſiſtunt: vnde etiam præmium reſpondens merito ratione charitatis, quantumcunque ſit paruum, eſt maius quolibet præmio reſpondente actui ratione ſui generis: & ideo aureola diminutiuè dicitur reſpectu aureæ. 4.*ſ.d.*49.*q.*5.*a.*1.*ad* 5.*diſt.*49.*q.*5.*a.*5.*qu.*3.

Qu. 19. *vtrum Apoſtoli ſint omnibus aliis ſanctis præferendi, ex hoc quòd opera ſua fecerunt ex maiori charitate, & maiora fecerunt in animi præparatione.*

Reſp. D. Thomas, patet quòd Apoſtoli ſunt omnibus aliis ſanctis, quæcunque prærogatiua præfulgeant, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ, ſiue martyrij præferendi, tanquam abundantiùs Spiritum-Sanctum habentes. Sed poteſt aliquis dicere, quòd quidam alii Sancti maiora tormenta ſuſtinuerunt, & maiores auſteritates propter Chriſtum, quàm Apoſtoli. Sed ſciendum eſt, quòd magnitudo meriti principaliter, & reſpectu eſſentialis præmii, attenditur ſecundùm charitatem: conſiſtit enim præmium eſſentiale in gaudio quod habetur de Deo: Manifeſtum eſt autem, quòd de Deo plus gaudebunt, qui plus amant. Vnde & illam viſionem beatam Dominus ſuo dilecto promittit, dicens Ioan.

Digitized by Google

14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Sed ſecundùm quantitatem operum, meretur homo præmium accidentale, quod eſt gaudium de talibus operibus. Apoſtoli ergo, illa opera quæ fecerunt, ex maiori charitate fecerunt, ex qua habebant cor ad multa maiora facienda, ſi fuiſſet opportunum. *ad Rom.8. lect. 5. 1. ad Corinth.3. lect.2.*

Qu. an & quomodo opera noſtra referri debeant in Deum tanquam finem vltimum, ad hoc vt ſint æternæ vitæ meritoria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non ſufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod eſt in habitu, nullus meretur; ſed ex hoc quod actu operatur: nec tamen oportet quòd intentio actualis ordinãs in finem vltimum, ſit ſemper coniuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum; ſed ſufficit quòd aliquando actualiter omnes illi fines in finem vltimum referantur, ſicut fit quando aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et ſi quæratur quando oporteat actum referre in finem vltimum, hoc nihil aliud eſt quàm quærere, quando oportet habitum charitatis exire in actum: quia quandocunque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem vltimum; & per conſequens omnium eorum quæ in ipſum ordinantur vt bona ſibi. *2.ſ.d.40.q.1.a.5.ad 6. 1. ad Corinth. 10.lect. 7.*

Quær.21. quid requiratur & ſufficiat ad hoc vt Deus, vel charitas ſit finis actionum noſtrarum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad hoc quòd alicuius actionis finis ſit Deus vel charitas, non oportet quòd agendo illam actionem aliquis de Deo vel charitate cogitet: nec iterum ſufficit quòd aliquis in habitu tantùm Deum & charitatem habeat: quia ſic etiã actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falſum eſt: ſed oportet quòd priùs fuerit cogitatio de fine, qui eſt charitas vel Deus, & quòd actiones ſequentes in hunc finem ordinauerit; ita quòd rectitudo illius ordinationis in actionibus ſequentibus ſaluetur; vt patet in exemplo quod Auicenna ponit de artifice; qui, ſi dum opus ſuum exercet, ſemper de regula artis cogitaret, multùm in opere impediretur, ſed ſicut priùs excogitauit per regulas artis, ita poſtmodum operatur, & ſic in opere eius rectitudo artis ſaluatur. *2.ſ.d. 38. q. 1. a. 1. ad 4.*

Qu.22. vtrum ex hoc quòd aliquis intendit formaliter aliquem finem ſecundarium, intendat virtualiter finem vltimum ſiue Deum, atque ita in omnibus ſuis actionibus mereri poſſit, ſi charitatem habeat.

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quòd ſicut in cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in omnibus cauſis ſequentibus, ita etiam intentio principalis finis manet in omnibus finibus ſecundariis: vnde quicunque actu intendit aliquem finem ſecun-

Digitized by Google

darium, virtute intendit finem principalem; ſicut Medicus dum colligit herbas actu intendit conficere potionem, nihil fortaſſis de ſanitate cogitans, virtualiter tamen intendit ſanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cùm aliquis ſeipſum ordinat in Deum ſicut in finem in omnibus, quæ propter ſeipſum facit, manet virtute intentio vltimi finis, qui Deus eſt; vnde in omnibus mereri poteſt ſi charitatem habeat. *q. 2. de virt. a. 11. ad 2.*

Qu. 23. an ſufficiat ad meritum quòd aliquis referat opera ſua ad finem conuenientem, qui habitualiter refertur in Deum dummodo ipſius opera non ſint inordinata.

Reſp. D. Thomas, ad hoc quòd aliquis ſit actus meritorius in habente charitatem, non requiritur quòd actu referatur in Deum, ſed ſufficit quòd actu referatur ad aliquem finem conuenientem qui habitu refertur in Deum: ſicut ſi aliquis volens peregrinari propter Deum emat equum, nihil actu de Deo cogitans, ſed ſolùm de via quam iam in Deum ordinauerat, hoc eſt ei meritorium. Sed conſtat quòd ille qui habet charitatem, ſe & omnia ſua ordinauit in Deum, cui inhæret vt vltimo fini: ergo quidquid ordinat vel ad ſe vel ad quodcunque aliud ſui, meritoriè agit etiam ſi actu de Deo non cogitet; niſi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non ſit referibilis in Deum. *q. 2. de malo a. 5. in arg. 11. quod obiicitur, & conceditur.*

Qu. 24. an & quomodo in homine qui eſt in ſtatu gratiæ & charitatis, omnis actus humanus eſt meritorius vel demeritorius.

Reſp. ſupra v. *actus humanus qu. 4. & ſequentibus.*

Quæritur 25. quomodo intelligi debeat illud Iacobi 2. qui offendit in vno factus eſt omnium reus: & vtrum omnia merita per quodlibet mortale peccatum mortificentur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc intelligitur quantùm ad amiſſionem ſummi boni, à quo omne peccatum auertit: quo amiſſo quidquid virtutis habèbatur, deperit; & omnia virtutum merita mortificantur. *3. ſent. d. 36. q. 1. a. 5. ad 1.*

Qu. 26. quomodo merita per ſubſequens peccatum mortificentur, iuxta illud Ezech. 18. ſi auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd res viua per mortem perdit operationem vitæ; vnde per quandam ſimilitudinem dicuntur res mortificati, quando impediuntur à ſuo proprio effectu vel operatione: effectus autem operum virtuoſorum, quæ in charitate fiunt, eſt perducere ad vitam æternam: quod quidem impeditur per peccatum mortale ſequens; quod gratiam tollit: & ſecundùm hoc opera in charitate facta, mortificari dicuntur per ſequens mortale peccatum. *3. p. q. 89. a. 4. in corp.*

Quær.

Qu. 27. an & quomodo merita per aliquod mortale peccatum mortificata, per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcant, iuxta illud Ioëlis 2. reddam vobis annos, quos comedit locuſta: vbi dicit Gloſſa: non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione animi amiſiſtis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt quòd opera meritoria per peccatum ſequens mortificata, non reuiuiſcunt per pœnitentiā ſubſequentem, conſiderantes quòd opera illa non remanent, vt iterum viuificari poſſint. Sed hoc impedire non poteſt quin viuificentur: non enim habent vim perducendi in vitam æternam (quod pertinet ad eorum vitam) ſolùm ſecundùm quòd actu exiſtunt; ſed etiam poſtquam actu eſſe deſinunt, ſecundùm quòd remanent in acceptatione diuina: ſic autem remanent quantùm eſt de ſe, etiam poſtquam per peccatum mortificantur: quia ſemper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & ſancti de eis gaudebunt, ſecundùm illud Apocal. 2. *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Sed quòd iſti qui ea fecit, non ſint efficacia ad ducendum in vitam æternam, prouenit ex impedimento peccati ſuperuenientis, per quod ipſe redditus eſt indignus vitâ æternâ. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata: vnde reſtat quòd opera priùs mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea, in vitam æternam: quod eſt ea reuiuiſcere: & ita patet quòd opera mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcunt. 3. *p. q.* 89. *a.* 5.

Quær. 28. vtrum ille qui in minori charitate reſurgit, recuperet merita operum, quæ fecit in prima charitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui per pœnitentiā reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundùm quantitatem charitatis, in qua inuenitur; habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus quæ in ſecunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. *ibidem ad* 3.

Qu. 29. quomodo intelligi debeat Hugo de ſancto Victore dicens: nemo debet in ſpe correctionis peccare: quia quod ſemel amittitur, ipſum amplius non recuperatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verbum Hugonis eſt intelligendum quantùm ad bona amiſſa, quæ nunquam recuperantur; quia tempus amiſſum non recuperatur, & ideo eius iactura eſt grauiſſima, vt Seneca dicit: non autem loquitur de bonis mortificatis. 4. *ſ. d.* 14. *qu.* 2. *a.* 3. *quæſtiunc.* 3. *ad* 1.

Qu. 30. an merita mortificentur ſolummodo reſpectu peccatoris & non reſpectu aliorum: quænam ſit differentia inter mortificationem bonorum & malorum operum: & vtrum pœnitens poſſit omnino tollere meritorum mortificationem, atque ita totalem eorum reuiuiſcentiam obtinere.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum mortale non mortificabat merita præcedentia, quin in ſe eſſent viua; vnde in gloriam electorum cedebant: ſed mortificabantur ſolùm quantùm ad illum cuius erant, qui impediebatur à conſecutione effectûs ipſorum; & ideo remoto impedimento in ſua efficacia remanent quoad iſtum; ſed peccatum per pœnitentiam non ſolùm mortificatur quoad peccantem, ſed etiam in ſe: remiſſio enim peccatorum eſt principaliter opus Dei; ſed mortificatio meritorum præcedentium eſt opus hominis: homo autem ſua actione non poteſt euacuare ſimpliciter opus Dei, quamuis poſſit impedire ne ſibi proſit: & ideo homo per peccatum ſequens non poteſt remiſſionem peccatorum præcedentium annullare: poteſt autem ſua actione euacuare quod per ipſum factum eſt: Et ideo poteſt mortificationem præcedentiũ meritorum per merita ſequentia penitus annullare; præcipuè gratiâ adiutus. *4. ſ. d. 21. qu. 1. ad 6. ad Hebra. 6 lect. 3.*

Quædam alia de merito videantur v. Martyrium. Voluntas. Votum. Propoſitio autem Ianſenij circa meritum vel demeritum, à ſummu Pontificibus damnata videatur infra v. Moralitas.

METVS.

Quær. 1. quid ſit metus.

Reſp. D. Thomas, metus ſecundùm iuriſperitos eſt *inſtantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. 4. ſent. d. 29. quæſt. 1. a. 1. in corp.*

Quær. 2. an, & quomodo ea quæ fiunt ex metu ſint mixta ex voluntario, & inuoluntario.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in 3. ethic. & idem dicit Gregor. Nyſſenus in libro ſuo de homine: huiuſmodi *quæ per metum aguntur mixta ſunt ex voluntario & inuoluntario.* Id enim quod per metum agitur, in ſe conſideratum non eſt voluntarium, ſed fit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed ſi quis rectè conſideret magis ſunt huiuſmodi voluntaria quàm inuoluntaria: ſunt enim voluntaria ſimpliciter, inuoluntaria autem ſecundùm quid: vnumquodque enim ſimpliciter eſſe dicitur ſecundùm quòd eſt in actu, ſecundùm autem quòd eſt in ſola apprehenſione non eſt ſimpliciter ſed ſecundùm quid: hoc autem quod per metum agitur, ſecundùm hoc eſt in actu ſecundùm quòd fit: Cùm enim actus in ſingularibus ſint; ſingulare autem inquantum huiuſmodi, eſt hîc & nunc, ſecundùm hoc id quod fit, eſt in actu ſecundùm quòd eſt hic & nunc, & ſub aliis conditionibus indiuidualibus. Sic autem hoc, quod fit per metum, eſt voluntarium: inquantum ſcilicet eſt hîc & nunc, prout ſcilicet in hoc caſu eſt impedimentum maioris mali quod timebatur; ſicut proiectio mercium in mare fit *voluntarium* tempore tempeſtatis propter timorem periculi: Vnde manifeſtum eſt quòd ſimpliciter voluntarium eſt, vnde & competit ei ratio *voluntarij*, quia principium eius eſt in-

tra: ſed quòd accipiatur, id quod per metum fit, vt extra hunc caſum exiſtens, prout repugnat voluntati, hoc non eſt niſi ſecundùm rationem tantùm; & ideo eſt inuoluntarium ſecundùm quid, ideſt prout conſideratur extra hunc caſum exiſtens. 1. 2. q. 6. *a.* 6. *in corp.* 4. *ſent. d.* 19. *q.* 1. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 3. quis ſit metus cadens in virum conſtantem: & in quo differat homo conſtans ab inconſtanti, & pertinaci.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cadere metum in aliquem eſt aliquem metu cogi: cogitur autem aliquis metu quando aliquid facit quod aliàs non vellet ad euitandum aliquid quod timet: in hoc autem conſtans ab inconſtanti diſtinguitur, quantùm ad duo. Primò quantùm ad qualitatem periculi quod timetur; quia conſtans ſequitur rationem rectam per quam ſcit quid pro quo ſit dimittendum vel faciendum; ſemper autem minus malum, vel maius bonum eligendum eſt; & ideo conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu maioris mali, non autem cogitur ad maius malum, vt vitet minus malum: Sed inconſtans cogitur ad maius malum propter metum minoris mali, ſicut ad peccatum propter metum corporalis pœnæ: Sed pertinax econtrario non poteſt cogi etiam ad minus malum ſuſtinendum, vel faciendum, vt euitet maius malum: Vnde conſtans eſt medius inter inconſtantem, & pertinacem.

Secundò differunt quoad æſtimationem periculi imminentis: quia conſtans nonniſi ex forti æſtimatione, & probabili cogitur; ſed inconſtans ex leui, prouerb. 28. *fugit impius nemine perſequente.* 4. *d.* 29. *q.* 1. *a.* 2. *in corp.* 1. 2. *q.* 6. *a.* 6.

Quær. 4. quænam mala cauſent metum qui cadit in virum conſtantem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccata ſunt maxima malorum: & ideo ad hoc nullo modo poteſt homo conſtans cogi, imò magis debet homo mori quàm talia ſuſtinere, vt etiam Philoſ. in 3. ethic. dicit: ſed quædam damna corporalia ſunt inter præcipua quæ ad perſonam pertinent, ſicut mors, verbera, dehoneſtatio per ſtuprum, & ſeruitus: & ideo ex iſtis cogitur ad alia damna corporalia ſuſtinenda, & hæc continentur hoc verſu.

Stupri, ſiue ſtatus, verberis, atque necis.

Nec differt vtrum hæc pertineant ad perſonam propriam, vel vxoris, vel filiorum, aut aliorum huiuſmodi. 4. *ſent. d* 29. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 5. cur metus infamiæ non reputatur metus cadens in virum conſtantem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd infamia quamuis ſit magnum damnum, tamen ei de facili occurri poteſt, & ideo non reputatur cadens in conſtantem virum metus infamiæ ſecundùm iura 4. *ſ. d.* 29. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 3.

Digitized by Google

habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec etiam eſt infidelis non implendo quod promiſit, quia eædem conditiones non extant: vnde & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non iuit Corinthū, quò ſe iterum eſſe promiſerat, vt dicitur 2. ad Corinth. 1. & hoc propter impedimenta, quæ ſuperuenerant. 2. 2. q. 110. *a. 3. ad 5.*

Quær. 8. *vtrum omne mendacium ſit peccatum quantumcunque aliquis propter bonum mentiatur; iuxta illud D. Auguſtini in lib. de mendacio cap. 21. quiſquis aliquod genus mendacij quod peccatum non ſit, eſſe putauerit, ſeipſum turpiter decipit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm malum omnifariam contingat, cuiuſlibet circunſtantiæ peruerſitas, etiam aliis circunſtantiis debitis exiſtentibus, peccatum in moribus facit; vt ſi aliquis accipiat, vnde non debet, quantumcunque bonum intendat, vel aliæ circunſtantiæ ordinatæ videantur, peccatum non euitabitur. Cùm autem locutio inuenta ſit ad exprimendam conceptionem cordis, quandocunque aliquis loquitur quod in corde non habet, loquitur quod non debet: hoc autem contingit in omni mendacio: vnde omne mendacium eſt peccatum, quantumcunque aliquis propter bonum mentiatur. 3. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *in corp.*

Quær. 9. *de quo mendacio intelligantur hæc ſcripturæ teſtimonia Pſ.* 5. *perdes omnes qui loquuntur mendacium: ſapient.* 1. *os quod mentitur occidit animam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illæ authoritates intelligantur de mendacio pernicioſo, vt exponit gloſſa. *in eadem q.* 110. *a.* 6. *ad* 1.

Quær. 10. *in quo ſenſu D. Auguſtinus dixit in* 1. *de doctr. Chriſt. nemo mentiens, in eo quod mentitur, ſeruat fidem: nam hoc vtique vult vt cui mentitur, fidem ſibi habeat; quam tamen ei mentiendo non ſeruat: omnis autem fidei violator iniquus eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam peccatum veniale largo modo poteſt dici iniquitas, inquantum eſt præter æquitatem iuſtitiæ. Et hoc modo loquitur Auguſtinus. *ibidem ad* 3.

MERETRIX.

Quær. 1. *an meretrices tolerari debeant.*

RESp. D. Thomas, dicendum quòd humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipſum debet imitari: Deus autem quamuis ſit omnipotens & ſummè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur; vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur: ſicut Aug. dicit in lib. de ordine, *aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. *in corp.*

Quær.

Digitized by Google

Quær. 2. quomodo permittendo meretrices euitantur maiora mala.

Reſp. D. Thomas, minus malum eſt mulieribus carnaliter commiſceri, quàm in vilia declinare flagitia. Vnde Aug. dicit, quòd, *hoc facit meretrix in mundo, quod ſentina in mari, vel cloaca in palatio. Tolle cloacam, & replebis fœtore palatium: Et ſimiliter de ſentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis ipſum Sodomia.* opuſc. 20. *de regimine Principum lect.* 4. *c.* 14.

Quæ. 3. an & quando meretrix poſſit id quod ei datur retinere, vel teneatur reſtituere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis dupliciter aliquid illicitè dat: vno modo, quia datio ipſa eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo qui ſimoniacè aliquid dedit: & talis meretur amittere quod dedit; vnde non debet reſtitutio fieri de his: & quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit; non debet ſibi retinere, ſed debet in pios vſus conuertere. Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat, licèt ipſa datio non ſit illicita; ſicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem: vnde & poteſt ſibi retinere quod ei datum eſt. Sed ſi ſuperfluè aliquid per fraudem vel dolum extorſiſſet, teneretur eidem reſtituere. 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad* 3.

Quær. 4. *vtrum ex lucro meretricio fieri poſſint eleemoſina, vel oblationes.*

Reſp. ſupra v. *eleemoſyna q.* 24. & infra v. *oblatio.*

MERITVM.

Quær. 1. *quid ſit meritum ſiue condigni, ſiue congrui, & vtrum opera extra charitatem in ſtatu peccati mortalis facta ſint meritoria, & quem effectum habeant.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd meritum propriè dicitur actio qua efficitur, vt ei qui agit, ſit iuſtum aliquid dari. Sed iuſtitia dupliciter dicitur: vno modo propriè, quæ ſcilicet reſpicit debitum ex parte recipientis: alio modo quaſi ſimilitudinariè, quæ reſpicit debitum ex parte dantis: aliquid enim decet dantem dare, quod tamen non habet recipiens debitum recipiendi: & ſic iuſtitia eſt de eſſentia diuinæ bonitatis; ſicut Anſel. dicit quòd *Deus iuſtus eſt cum peccatoribus parcit, quia eum decet.* Et ſecundùm hoc etiam meritum dicitur dupliciter: vno modo actus per quem efficitur, vt ipſe agens habeat debitum recipiendi; & hoc vocatur meritum condigni: alio modo, per quem efficitur vt ſit debitum dandi in dante ſecundùm decentiam ipſius; & ideo hoc meritum dicitur meritum congrui. Cùm autem in omnibus illis quæ gratis dantur, prima ratio dandi ſit amor, impoſſibile eſt quòd aliquis tale ſibi debitum faciat qui amicitiâ caret; & ideo cùm omnia bona (& temporalia, & æterna) ex diuina liberalitate nobis donentur, nullus acquirere poteſt debitum recipiendi aliquod illorum, niſi per charitatem ad Deum: Et ideo opera extra

Digitized by Google

charitatem facta, non ſunt meritoria ex condigno neque æterni, neque temporalis alicuius boni apud Deum. Sed quia diuinam bonitatem decet, vt vbicunque diſpoſitionem inuenit perfectionem adiiciat, ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera extra charitatem facta. Et ſecundùm hoc opera iſta valent ad triplex bonum; ſcilicet ad temporalium conſecutionem, ad diſpoſitionem ad gratiam, & ad aſſuetudinem bonorum operum: Quia tamen hoc meritum non propriè meritum dicitur, ideo magis concedendum eſt quòd huiuſmodi opera non ſint alicuius meritoria, quam quòd ſint. 4. *ſ. d. 15. q. 1. a. 3. q. 4. in corp.*

Quar. 2. vtrum homo exiſtens in gratia, & charitate mereri poſſit vtriuſque augmentum, iuxta illud D. Auguſtini ſuper Epiſt. Ioan, charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud cadit ſub merito condigni, ad quod motio gratiæ ſe extendit: motio autem alicuius mouentis non ſolùm ſe extendit ad vltimum terminum motus, ſed etiam ad totum progreſſum in motu: terminus autem motus gratiæ eſt vita æterna: progreſſus autem in hoc motu eſt ſecundùm augmentum charitatis vel gratiæ; ſecundùm illud Prou. 4. *iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem*; qui eſt dies gloriæ: ſic igitur augmentum gratiæ cadit ſub merito condigni. 1. 2. *quæſt.* 114. *a* 8. *in corp.*

Quar. 3. cur licèt perſeuerantiam aliquis mereri non poſſit, eam tamen vtiliter poſtulamus in petitionibus orationis dominicæ, vt exponit D. Auguſtinus in libro de bono perſeuerantiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam ea quæ non meremur, orando impetramus: nam & *peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes, quam non merentur*, vt patet per Auguſt. ſuper illud Ioannis 9. *ſcimus quia peccatores Deus non exaudit*: alioquin fruſtra dixiſſet publicanus: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, vt dicitur lucæ 18. & ſimiliter perſeuerantiæ donum aliquis petendo à Deo impetrat vel ſibi vel aliis, quamuis ſub merito non cadat. 1. 2 *q.* 114. *a.* 9. 4. *ſ. d.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 2.

Qu. 4. an & quomodo bona temporalia cadant ſub merito.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod ſub merito cadit, eſt præmium vel merces: quod habet rationem alicuius boni: bonum autem hominis eſt duplex; vnum ſimpliciter; aliud ſecundum quid: bonum hominis ſimpliciter eſt vltimus finis eius, ſecundùm illud Pſal. 72. *mihi autem adhærere Deo bonum eſt*; & per conſequens, omnia illa quæ ordinantur vt ducentia ad hunc finem: & talia ſimpliciter cadunt ſub merito: bonum autem ſecundùm quid & non ſimpliciter hominis eſt, quod eſt bonum ei vt nunc, vel quod ei eſt ſecundùm quid bonum: & huiuſmodi non cadunt ſub merito ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. ſecun-

Digitized by Google

dùm hoc ergo dicendum eſt quòd ſi temporalia bona conſiderentur prout ſunt vtilia ad opera virtutum quibus perducimur in vitam æternam, ſecundùm hoc directè & ſimpliciter cadunt ſub merito, ſicut & augmentum gratiæ, & omnia illa quibus homo adiuuatur ad perueniendum in beatitudinem poſt primam gratiam: tantùm enim dat Deus viris iuſtis de bonis temporalibus & etiam de malis quantùm eis expedit ad perueniendum ad vitam æternam: & intantum ſunt ſimpliciter bona huiuſmodi temporalia: vnde dicitur in Pſal. 33. *timentes autem Dominum non minuentur omni bono*: & alibi, *non vidi iuſtum derelictum &c.* Pſal. 36. ſi autem conſiderentur huiuſmodi temporalia bona ſecundùm ſe, ſic non ſunt ſimpliciter bona hominis ſed ſecundùm quid: & ita non ſimpliciter cadunt ſub merito ſed ſecundùm quid, inquantum ſcilicet homines mouentur à Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus ſuum propoſitum conſequuntur, Deo fauente; vt ſicut vitæ æterna eſt ſimpliciter præmium operum iuſtitiæ per relationem ad motionem diuinam, ita temporalia bona in ſe conſiderata habeant rationem mercedis, habito reſpectu ad motionem diuinam qua voluntates hominum mouentur ad hæc proſequenda; licèt intendum in his non habeant homines rectam intentionem. 1.2.q.114. a.10.*in corp.*

Qu. 5. an & quomodo meritum vitæ æternæ primariò charitati conuenit, & ſecundariò aliis virtutibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd humanus actus habet rationem merendi ex duobus: Primò quidem & principaliter ex diuina ordinatione; ſecundùm quòd actus dicitur eſſe meritorius illius boni ad quod homo diuinitùs ordinatur: Secundò verò ex parte liberi arbitrij; inquantum ſcilicet homo habet præ cæteris creaturis vt per ſe agat voluntariè agens: & quantùm ad vtrumque principalitas meriti penes charitatem conſiſtit: primò enim conſiderandum eſt quòd vita æterna in Dei fruitione conſiſtit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem diuini boni eſt proprius actus charitatis, per quam omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem; ſecundùm quòd aliæ virtutes imperantur à charitate: & ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quòd earum actus à charitate imperantur: ſimiliter etiam manifeſtum eſt quòd id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus: vnde etiam ſecundùm quod ad rationem meriti requiritur quòd ſit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur. 1.2.qu. 114. a. 4.

Quær. 6. vtrum diſtinctio manſionum in cælo proueniat per modum meriti ex charitate via.

Reſp. D. Thomas, actus noſter non habet quod ſit meritorius ex ipſa ſubſtantia actus, ſed ſolùm ex habitu virtutis quo informatur: vis autem merendi eſt in omnibus ex charitate, quæ habet ipſum finem pro obiecto: & ideo diuerſitas in merendo tota refunditur

ficile eſſe quod ſcilicet in ſe difficile eſt & arduum: vel ex imperfectione operantis; & ſic virtus circa difficile non eſt, ſed talem difficultatem virtus tollit: quantò enim aliquis virtuoſior eſt, tantò faciliùs opera virtutis exercet. Nec tamen dicendum eſt, quòd quantò virtuoſior ſit, minùs mereatur. Et per hunc modum difficultas maior eſt in operibus hominis poſt peccatum ex imperfectione operantis. 2.*d.*29.*q.*1.*a.*4.*ad* 3.

Quær. 11. an & quomodo certamen interius vel exterius requiratur ad meritum, & vtrum fuerit in primo homine vel in Angelis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis homo in primo ſtatu non habuerit certamen interius, habuit tamen certamen exterius: vnde & victoriam habere potuit, qua coronam mereretur. Nec tamen eſt de neceſſitate meriti certamen contra aliquem impugnantem: quia ſic in Angelis meritum non inueniretur: ſed de neceſſitate meriti eſt certamen, quo quis contendit apprehendere aliquid quod ſupra ſe eſt: ſecundùm quod aliquis quaſi viribus ſuis luctatur: nec oportet vt vbi eſt maius certamen, ibi ſit maius meritum: ſed vbi eſt magis legitimum: contingit autem in minori impugnatione magis legitimum certamen eſſe. 2.*ſ.d.* 29.*q.*1.*a.*4.*ad* 2.

Qu. 12. vtrum ille qui meretur aliquid alteri, ſibiipſi magis mereatur, licèt qui ſatisfacit pro altero, non ſatisfaciat pro ſeipſo.

Reſp. infra v. *ſatisfactio.*

Quær. 13. quandonam actus charitatis ita mereantur ipſius augmentum, vt ſtatim recipiatur.

Reſp. D. Thomas, quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantùm ad virtutem naturæ, & quantùm ad virtutem habitus infuſi, tunc vnus actus diſponit & meretur augmentum charitatis, vt ſtatim fiat. Quando autem non ſecundùm totam virtutem procedit actus ille, tunc eſt diſpoſitio remota; & poterit tunc per plures actus peruenire ad augmentum charitatis: non tamen de neceſſitate, quia homo quantumcunque ſit diſpoſitus, poteſt non agere ſecundùm rationem diſpoſitionis illius. 1.*ſ.d.*17.*q.*2.*a.*3.1. *ad Hannib. diſtinct. ſimiliter* 17. *a.* 3.

Quært. 14. vtrum ad multitudinem actuum charitatis ſequatur de neceſſitate augmentum præmij eſſentialis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando talis eſt actus charitatis, qualis requiritur ad augmentum charitatis, tunc etiam augetur præmium ſubſtantiale, quod debetur charitati maiori conſequenti actum, non charitati quæ eſt radix actus: non autem omnes ſunt tales: & ideo ad multitudinem actuum non ſequitur de neceſſitate augmentum præmij ſubſtantialis. 4.*ſ.d.*17.*q.*2.*a.*3.*ad* 5.1.*ſ.d.*17.*q.*2. *a.*3.*ad* 2.

Qu. 15. an quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur.

Reſp. D. Thomas, non oportet

Digitized by Google

quòd quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur. Quia non in quolibet actu meritorio inuenitur illa conditio, per quam ex actu conſequitur augmentum habitus, ſed ſolùm in illo actu quo quis vtitur acceptâ gratiâ ſecundùm proportiones ſuarum virium, vt in nullo gratiæ Dei deſit per negligentiam. 2.ſ.d. 27. qu. 1.a.5.ad 2.3.ſ.d.18.q.1.a.2. ad 4.

Qu. 16. an quolibet actu meritorio mereatur homo augmentum gratiæ ſtatim conferendum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & gratiæ conſummationem quæ eſt vita æterna: ſed ſicut vita æterna non ſtatim redditur ſed ſuo tempore: ita nec gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore: cùm ſcilicet aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum. 1.2.q.114.a.9.ad 3.

Qu. 17. an quilibet actus charitatis tam remiſſus quàm intenſus mereatur ipſum augmentum ſicut & vitam æternam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem ſtatim exhibendam, ſed ſuo tempore: ſimiliter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad huiuſmodi augmentum. 2.2.q.24. a.6.ad 1.

Qu. 18. an meritum & præmium charitati correſpondens quantumuis minimum ſit maius quolibet alio correſpondente aliis virtutibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maior eſt excellentia meriti quæ conſurgit ex charitate, quàm illa quæ conſurgit ex genere actûs: ſicut finis ad quem ordinat charitas, eſt potior his quæ ſunt ad finem, circa quæ actus noſtri conſiſtunt: vnde etiam præmium reſpondens merito ratione charitatis, quantumcunque ſit paruum, eſt maius quolibet præmio reſpondente actui ratione ſui generis: & ideo aureola diminutiuè dicitur reſpectu aureæ. 4. ſ.d.49.q.5.a.1.ad 5.&iſt.49.q.5.a.5.qu.3.

Qu. 19. vtrum Apoſtoli ſint omnibus aliis ſanctis præferendi, ex hoc quòd opera ſua fecerunt ex maiori charitate, & maiora fecerunt in animi præparatione.

Reſp. D. Thomas, patet quòd Apoſtoli ſunt omnibus aliis ſanctis, quacunque prærogatiua præfulgeant, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ, ſiue martyrij præferendi, tanquam abundantiùs Spiritum-Sanctum habentes. Sed poteſt aliquis dicere, quòd quidam alii Sancti maiora tormenta ſuſtinuerunt, & maiores auſteritates propter Chriſtum, quàm Apoſtoli. Sed ſciendum eſt, quòd magnitudo meriti principaliter, & reſpectu eſſentialis præmii, attenditur ſecundùm charitatem: conſiſtit enim præmium eſſentiale in gaudio quod habetur de Deo: Manifeſtum eſt autem, quòd de Deo plus gaudebunt, qui plus amant, Vnde & illam viſionem beatam Dominus ſuo dilecto promittit, dicens Ioan.

Digitized by Google

14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Sed ſecundùm quantitatem operum, meretur homo præmium accidentale, quod eſt gaudium de talibus operibus. Apoſtoli ergo, illa opera quæ fecerunt, ex maiori charitate fecerunt, ex qua habebant cor ad multa maiora facienda, ſi fuiſſet opportunum. *ad Rom.8. lect. 5. 1. ad Corinth. 3. lect. 2.*

Qu. an & quomodo opera noſtra referri debeant in Deum tanquam finem vltimum, ad hoc vt ſint æternæ vitæ meritoria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non ſufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod eſt in habitu, nullus meretur; ſed ex hoc quod actu operatur: nec tamen oportet quòd intentio actualis ordinãs in finem vltimum, ſit ſemper coniuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum; ſed ſufficit quòd aliquando actualiter omnes illi fines in finem vltimum referantur, ſicut fit quando aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et ſi quæratur quando oporteat actum referre in finem vltimum, hoc nihil aliud eſt quàm quærere, quando oportet habitum charitatis exire in actum: quia quandocunque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem vltimum; & per conſequens omnium eorum quæ in ipſum ordinantur vt bona ſibi. *2. ſ. d. 40. q. 1. a. 5. ad 6. 1. ad Corinth. 10. lect. 7.*

Quær. 21. quid requiratur & ſufficiat ad hoc vt Deus, vel charitas ſit finis actionum noſtrarum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad hoc quòd alicuius actionis finis ſit Deus vel charitas, non oportet quòd agendo illam actionem aliquis de Deo vel charitate cogitet: nec iterum ſufficit quòd aliquis in habitu tantùm Deum & charitatem habeat: quia ſic etiã actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falſum eſt: ſed oportet quòd priùs fuerit cogitatio de fine, qui eſt charitas vel Deus, & quòd actiones ſequentes in hunc finem ordinauerit; ita quòd rectitudo illius ordinationis in actionibus ſequentibus ſaluetur; vt patet in exemplo quod Auicenna ponit de artifice; qui, ſi dum opus ſuum exercet, ſemper de regula artis cogitaret, multùm in opere impediretur, ſed ſicut priùs excogitauit per regulas artis, ita poſtmodum operatur, & ſic in opere eius rectitudo artis ſaluatur. *2. ſ. d. 38. q. 1. a. 1. ad 4.*

Qu. 22. vtrum ex hoc quòd aliquis intendit formaliter aliquem finem ſecundarium, intendat virtualiter finem vltimum ſiue Deum, atque ita in omnibus ſuis actionibus mereri poſſit, ſi charitatem habeat.

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quòd ſicut in cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in omnibus cauſis ſequentibus, ita etiam intentio principalis finis manet in omnibus finibus ſecundariis: vnde quicunque actu intendit aliquem finem ſecun-

Digitized by Google

darium, virtute intendit finem principalem; ſicut Medicus dum colligit herbas actu intendit conficere potionem, nihil fortaſſis de ſanitate cogitans, virtualiter tamen intendit ſanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cùm aliquis ſeipſum ordinat in Deum ſicut in finem in omnibus, quæ propter ſeipſum facit, manet virtute intentio vltimi finis, qui Deus eſt; vnde in omnibus mereri poteſt ſi charitatem habeat. *q.* 2. *de virt. a.* 11. *ad* 2.

Qu. 23. *an ſufficiat ad meritum quòd aliquis referat opera ſua ad finem conuenientem, qui habitualiter refertur in Deum, dummodo ipſius opera non ſint inordinata.*

Reſp. D. Thomas, ad hoc quòd aliquis ſit actus meritorius in habente charitatem, non requiritur quòd actu referatur in Deum, ſed ſufficit quòd actu referatur ad aliquem finem conuenientem qui habitu refertur in Deum: ſicut ſi aliquis volens peregrinari propter Deum emat equum, nihil actu de Deo cogitans, ſed ſolùm de via quam iam in Deum ordinauerat, hoc eſt ei meritorium. Sed conſtat quòd ille qui habet charitatem, ſe & omnia ſua ordinauit in Deum, cui inhæret vt vltimo fini: ergo quidquid ordinat vel ad ſe vel ad quodcunque aliud ſui, meritoriè agit etiam ſi actu de Deo non cogitet; niſi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non ſit referibilis in Deum. *q.* 2. *de malo a.* 5. *in arg.* 11. *quod obiicitur, & conceditur.*

Qu. 24. *an & quomodo in homine qui eſt in ſtatu gratiæ & charitatis, omnis actus humanus eſt meritorius vel demeritorius.*

Reſp. ſupra v. *actus humanus qu.* 4. *& ſequentibus.*

Quæritur 25. *quomodo intelligi debeat illud Iacobi* 2. *qui offendit in vno factus eſt omnium reus: & vtrum omnia merita per quodlibet mortale peccatum mortificentur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc intelligitur quantùm ad amiſſionem ſummi boni, à quo omne peccatum auertit: quo amiſſo quidquid virtutis habebatur, deperit; & omnia virtutum merita mortificantur. 3. *ſent. d.* 36. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 1.

Qu. 26. *quomodo merita per ſubſequens peccatum mortificentur, iuxta illud Ezech.* 18. *ſi auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd res viua per mortem perdit operationem vitæ; vnde per quandam ſimilitudinem dicuntur res mortificati, quando impediuntur à ſuo proprio effectu vel operatione: effectus autem operum virtuoſorum, quæ in charitate fiunt, eſt perducere ad vitam æternam: quod quidem impeditur per peccatum mortale ſequens; quod gratiam tollit: & ſecundùm hoc opera in charitate facta, mortificari Dicuntur per ſequens mortale peccatum. 3. *p. q.* 89. *a.* 4. *in corp.*

Quær.

Qu. 27. an & quomodo merita per aliquod mortale peccatum mortificata, per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcant, iuxta illud Ioëlis 2. reddam vobis annos, quos comedit locuſta: vbi dicit Gloſſa: non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione animi amiſiſtis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt quòd opera meritoria per peccatum ſequens mortificata, non reuiuiſcunt per pœnitentiã ſubſequentem, conſiderantes quòd opera illa non remanent, vt iterum viuificari poſſint. Sed hoc impedire non poteſt quin viuificentur: non enim habent vim perducendi in vitam æternam (quod pertinet ad eorum vitam) ſolùm ſecundùm quòd actu exiſtunt; ſed etiam poſtquam actu eſſe deſinunt, ſecundùm quòd remanent in acceptatione diuina: ſic autem remanent quantùm eſt de ſe, etiam poſtquam per peccatum mortificantur: quia ſemper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & ſancti de eis gaudebunt, ſecundùm illud Apocal. 2. *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Sed quòd iſti qui ea fecit, non ſint efficacia ad ducendum in vitam æternam, prouenit ex impedimento peccati ſuperuenientis, per quod ipſe redditus eſt indignus vitâ æternâ. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata: vnde reſtat quòd opera priùs mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea, in vitam æternam: quod eſt ea reuiuiſcere: & ita patet quòd opera mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcunt. 3. *p. q.* 89. *a.* 5.

Quær. 28. vtrum ille qui in minori charitate reſurgit, recuperet merita operum, quæ fecit in prima charitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille quiper pœnitentiá reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundùm quantitatem charitatis, in qua inuenitur; habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus quæ in ſecunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. *ibidem ad* 3.

Qu. 29. quomodo intelligi debeat Hugo de ſancto Victore dicens: nemo debet in ſpe correctionis peccare: quia quod ſemel amittitur, ipſum amplius non recuperatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verbum Hugonis eſt intelligendum quantùm ad bona amiſſa, quæ nunquam recuperantur; quia tempus amiſſum non recuperatur, & ideo eius iactura eſt grauiſſima, vt Seneca dicit: non autem loquitur de bonis mortificatis. 4. *ſ. d.* 14. *qu.* 2. *a.* 3. *quæſtiunc.* 3. *ad* 1.

Qu. 30. an merita mortificentur ſolummodo reſpectu peccatoris & non reſpectu aliorum: quænam ſit differentia inter mortificationem bonorum & malorum operum: & vtrum pœnitens poſſit omnino tollere meritorum mortificationem, atque ita totalem eorum reuiuiſcentiam obtinere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum mortale non mortificabat merita præcedentia, quin in ſe eſſent viua; vnde in gloriam electorum cedebant: ſed mortificabantur ſolùm quantùm ad illum cuius erant, qui impediebatur à conſecutione effectûs ipſorum; & ideo remoto impedimento in ſua efficacia remanent quoad iſtum; ſed peccatum per pœnitentiam non ſolùm mortificatur quoad peccantem, ſed etiam in ſe: remiſſio enim peccatorum eſt principaliter opus Dei; ſed mortificatio meritorum præcedentium eſt opus hominis: homo autem ſua actione non poteſt euacuare ſimpliciter opus Dei, quamuis poſſit impedire ne ſibi proſit: & ideo homo per peccatum ſequens non poteſt remiſſionem peccatorum præcedentium annullare: poteſt autem ſua actione euacuare quod per ipſum factum eſt: Et ideo poteſt mortificationem præcedentiũ meritorum per merita ſequentia penitus annullare; præcipuè gratiâ adiutus. *4. ſ. d. 21. qu. 1. ad 6. ad Hebræ. 6 lect. 3.*

Quædam alia de merito videantur v. Martyrium. Voluntas. Votum. Propoſitio autem Ianſenij circa meritum vel demeritum, à ſummu Pontificibus damnata videatur infra v. Moralitas.

METVS.

Quær. 1. quid ſit metus.

RESp. D. Thomas, metus ſecundùm iuriſperitos eſt *inſtantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. 4. ſent. d. 29. quæſt. 1. a. 1. in corp.*

Quær. 2. an, & quomodo ea quæ fiunt ex metu ſint mixta ex voluntario, & inuoluntario.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in 3. ethic. & idem dicit Gregor. Nyſſenus in libro ſuo de homine: huiuſmodi *quæ per metum aguntur mixta ſunt ex voluntario & inuoluntario.* Id enim quod per metum agitur, in ſe conſideratum non eſt voluntarium, ſed fit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed ſi quis rectè conſideret magis ſunt huiuſmodi voluntaria quàm inuoluntaria: ſunt enim voluntaria ſimpliciter, inuoluntaria autem ſecundùm quid: vnumquodque enim ſimpliciter eſſe dicitur ſecundùm quòd eſt in actu, ſecundùm autem quòd eſt in ſola apprehenſione non eſt ſimpliciter ſed ſecundùm quid: hoc autem quod per metum agitur, ſecundùm hoc eſt in actu ſecundùm quòd fit: Cùm enim actus in ſingularibus ſint; ſingulare autem inquantum huiuſmodi, eſt hîc & nunc, ſecundùm hoc id quod fit, eſt in actu ſecundùm quòd eſt hic & nunc, & ſub aliis conditionibus indiuidualibus. Sic autem hoc, quod fit per metum, eſt voluntarium: inquantum ſcilicet eſt hîc & nunc, prout ſcilicet in hoc caſu eſt impedimentum maioris mali quod timebatur; ſicut proiectio mercium in mare fit *voluntarium* tempore tempeſtatis propter timorem periculi: Vnde manifeſtum eſt quòd ſimpliciter voluntarium eſt, vnde & competit ei ratio *voluntarij*, quia principium eius eſt in-

Digitized by Google

tra: ſed quòd accipiatur, id quod per metum fit, vt extra hunc caſum exiſtens, prout repugnat voluntati, hoc non eſt niſi ſecundùm rationem tantùm; & ideo eſt inuoluntarium ſecundùm quid, ideſt prout conſideratur extra hunc caſum exiſtens. 1. 2. q. 6. *a.* 6. *in corp.* 4. *ſent. d.* 19. *q.* 1. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 3. quis ſit metus cadens in virum conſtantem: & in quo differat homo conſtans ab inconſtanti, & pertinaci.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cadere metum in aliquem eſt aliquem metu cogi: cogitur autem aliquis metu quando aliquid facit quod aliàs non vellet ad euitandum aliquid quod timet: in hoc autem conſtans ab inconſtanti diſtinguitur, quantùm ad duo. Primò quantùm ad qualitatem periculi quod timetur; quia conſtans ſequitur rationem rectam per quam ſcit quid pro quo ſit dimittendum vel faciendum; ſemper autem minus malum, vel maius bonum eligendum eſt; & ideo conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu maioris mali, non autem cogitur ad maius malum, vt vitet minus malum: Sed inconſtans cogitur ad maius malum propter metum minoris mali, ſicut ad peccatum propter metum corporalis pœnæ: Sed pertinax econtrario non poteſt cogi etiam ad minus malum ſuſtinendum, vel faciendum, vt euitet maius malum: Vnde conſtans eſt medius inter inconſtantem, & pertinacem.

Secundò differunt quoad æſtimationem periculi imminentis: quia conſtans nonniſi ex forti æſtimatione, & probabili cogitur; ſed inconſtans ex leui, prouerb. 18. *fugit impius nemine perſequente.* 4. *d.* 29. *q.* 1. *a.* 2. *in corp.* 1. 2. *q.* 6. *a.* 6.

Quær. 4. quænam mala cauſent metum qui cadit in virum conſtantem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccata ſunt maxima malorum: & ideo ad hoc nullo modo poteſt homo conſtans cogi, imò magis debet homo mori quàm talia ſuſtinere, vt etiam Philoſ. in 3. ethic. dicit: ſed quædam damna corporalia ſunt inter præcipua quæ ad perſonam pertinent, ſicut mors, verbera, dehoneſtatio per ſtuprum, & ſeruitus: & ideo ex iſtis cogitur ad alia damna corporalia ſuſtinenda, & hæc continentur hoc verſu.

Stupri, ſiue ſtatus, verberis, atque necis.

Nec differt vtrum hæc pertineant ad perſonam propriam, vel vxoris, vel filiorum, aut aliorum huiuſmodi. 4. *ſent. d* 29. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 5. cur metus infamiæ non reputatur metus cadens in virum conſtantem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd infamia quamuis ſit magnum damnum, tamen ei de facili occurri poteſt, & ideo non reputatur cadens in conſtantem virum metus infamiæ ſecundùm iura 4. *ſ. d.* 29. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 3.

Digitized by Google

Quær. 6. vtrum ille mentiatur qui ex metu aliquid promiſit, quod non intendit ſoluere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conſtans non cogitur ad mentiendum, quia tunc vult dare; ſed tamen poſtea vult petere reſtitutionem, vel ſaltem iudici denuntiare, ſi ſe promiſit non petiturum reſtitutionem: non poteſt autem promittere ſe non denuntiaturum; cùm hoc ſit contra bonum iuſtitiæ, ad quod cogi non poteſt; vt ſcilicet contra iuſtitiam faciat. *4.ſ.d.29. q.1.a.2.ad 4.*

Quær. 7. an iuramentum, & matrimonium quæ fiunt ex metu ſint valida.

Reſp. v. *iuramentum qu.18. & v. Matrimonium qu.27. & qu.112. & ſequent.*

MILES.

Quær. 1. quodnam ſit officium militis, & quàm ſit fructuoſum reipublicæ.

RESp. D. Thomas, ad hoc conſtituitur miles in ciuitate, vt ſe pro ſua patria contra hoſtes opponat. Vnde ad hoc, iuramento aſtringuntur cùm ad gradum militarem aſcendunt, pro republica non recuſantes mortem, vt in Policrato traditur, vbi de Sacramento militis agitur. Eſt ergo bellator in republica neceſſarius, & pars præcipua politiæ: quia eius officium eſt aſſiſtere Principi pro exequenda iuſtitia, vt dicitur in commentario lib. & fideliter & conſtanter contra hoſtes pugnare pro conſeruanda patria: & ſic non ſolùm parti politiæ, ſed toti, militaris gradus in Republica ſingulariter eſt fructuoſus. Ex quibus omnibus manifeſtè patet ſufficientia politiæ Socratis & Platonis quantùm ad partes eius. *opuſc. 20.de regim. princ.c. 24.*

Quær. 2. an grauiſſimum peccatum contra militiam ſit, quòd miles non ſubdatur duci.

Eſp. D. Thomas, in exercitu qui ordinatur ad ducem ſicut ad finem primum eſt quòd miles ſubdatur duci: & huius contrarium eſt grauiſſimum: ſecundum verò vt aliis coordinetur. *2. 2. q. 100. a. 6. in corp.*

Quær. 3. an & quando bellum ſit licitum: & vtrum ipſi etiam pœnitentes poſſint exercere militiam.

Reſp. ſupra v. *Bellum* & infra v. *Pœnitentia.*

MISSA.

Qu. 1. quænam ſint rationes huius nominis.

RESp. D. Thomas, quòd vt Magiſter dicit: Miſſa dicitur eo quòd cœleſtis miſſus ad conſecrandum viuificum corpus adueniat, iuxta dictum ſacerdotis dicentis: *omnipotens Deus iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum &c.*

Præter hanc rationem nominis aſſignat Hugo tres alias rationes. Primò, quia Miſſa dicitur quaſi tranſmiſſa; eo quòd populus fide-

Digitized by Google

lis per miniſterium Sacerdotis (qui mediatoris vice fungitur inter Deum & hominem) preces, vota, & oblationes Deo tranſmittit. Secundò, ipſa Hoſtia ſacra Miſſa vocari poteſt; quia tranſmiſſa eſt priùs à Patre nobis, (vt ſcilicet nobiſcum eſſet) poſtea à nobis Patri (vt apud patrem pro nobis eſſet) Tertiò, Miſſa ab emittendo dicitur, vt quidam dicunt; quia vt Sacerdos Hoſtiam conſecrare incipit, per manum Diaconi & oſtiarij catechumenos & non communicantes foras Eccleſiam mittit. 4. *ſ. d.* 13. *in expoſ. textu*.

Qu. 2. *an liceat Sacerdoti omnino à celebratione miſſæ abſtinere: vel teneatur quandoque celebrare, iuxta illud D. Ambroſij: graue eſt, quòd ad menſam tuam mundo corde,& manibus innocentibus non venimus; ſed grauius eſt, ſi dum peccatum metuimus, etiam ſacrificium non reddamus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm quoſdam non peccat, qui dimittit celebrationem, niſi populum habeat commiſſum, vel ex obedientia teneatur celebrare: ſed quia ſecundùm Gregorium, *cùm creſcunt dona, rationes creſcunt donorum*, cùm Sacerdoti ſit data poteſtas nobiliſſima, reus negligentiæ erit, niſi illa vtatur ad honorem Dei, & ſalutem ſuam, & aliorum viuorum, & mortuorum, ſecundùm illud primæ Petri 3. *vnuſquiſque gratiam, quam accepit in alterutrum illam adminiſtrantes &c.* Niſi fortè aliquis ex familiari Spiritus-Sancti inſtinctu dimittat; ſicut legitur de quodam Sancto Patre in vitis Patrum, qui ordinatus nunquam poſtea celebrauit. 4. *ſent. d.* 13. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *in corp.*

Qu. 3. *an teneatur ſacerdos celebrare Miſſam in præcipuis feſtis; & maximè in illis in quibus fideles communicare conſueuerunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt quòd ſacerdos poteſt omnino à conſecratione licitè abſtinere; niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare, & populo ſacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia vnuſquiſque tenetur vti gratiâ ſibi datâ, cùm fuerit opportunum, ſecundùm illud 2. ad cor. 6. *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Opportunitas autem ſacrificium offerendi, non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione huius Sacramenti ſacrificium offertur: vnde Sacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione ceſſare: ſed ſaltem videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis feſtis; & maximè in illis diebus in quibus fideles communicare conſueuerunt: & hinc eſt quòd 2. Machab. 4. contra quoſdam ſacerdotes dicitur quòd *iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & ſacrificiis neglectis*. 3. *p. q.* 82. *a.* 10. *in corp.*

Quær. 4. *cur plures ſacerdotes ſimul cum Epiſcopo Miſſam celebrant quando ordinantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm morem quarun-

Digitized by Google

dam Eccleſiarum plures ſacerdotes Epiſcopo concelebrant, quando ordinantur, ad repræſentandum quòd quando Dominus hoc ſacramentum inſtituit, & poteſtatem conſecrandi diſcipulis dedit, eis concœnauit, ſicut Epiſcopus ſimul cum ordinatis presbyteris celebrat. 4. *ſent. d. 23. q. 1. a. 2. quæſt. 2. in corp.*

Qu. 5. quam intentionem habere debeant ſacerdotes ſimul cum Epiſcopo celebrantes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Innocentius dicit: omnes celebrantes debent intentionem referre ad illud inſtans in quo Epiſcopus verba profert; & ſic Epiſcopi intentio non defraudatur, nec aliquis ibi facit quod factum eſt. *ibidem ad 2.*

Qu. 6. quibus de cauſis Miſſa quotidie in Eccleſia celebretur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Innocentiũ quinque de cauſis quotidie Miſſa in Eccleſia celebratur: primò, quia oportet ſemper eſſe paratam medicinam contra quotidiana peccata: ſecundò, vt lignum vitæ ſemper ſit in medio Paradiſi: tertiò, vt nobis quotidie Chriſtus vniatur ſacramentaliter, & nos ei ſpiritualiter: quartò, vt ſit apud nos iugis memoria Paſſionis: quintò, vt vero agno loco typici quotidie vtamur ad veſperam, quoniam Iudæi ad veſperam conuertendi eſurient, ſecundùm illud Pſal. 58. *conuertentur ad veſperam &c. 4. ſ. d. 13. q. 1. a. 2. q. 3. in corp.*

Qu. 7. an liceat eidem ſacerdoti plures Miſſas in die celebrare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut habetur de conſecrat. diſt. 1. ex decreto Alexandri Papæ, *ſufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die vna celebrare; quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, & valdè felix eſt, qui vnam dignè celebrare poteſt. Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, alteram de die, ſi neceſſe ſit. Qui verò pro pecunia, aut adulationibus ſæcularium vna die præſumunt plures celebrare Miſſas, non æſtimo euadere damnationem.* Et extra de celebrat. Miſſæ dicit Innocentius tertius, quòd *excepto die Natiuitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die vnam Miſſam ſolummodo celebrare. 3. p. quæſt. 83. a. 2. ad 4.*

Qu. 8. an Sacerdos poſſit celebrare Miſſam coram vno tantùm.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ſolemni celebratione Miſſæ plures debent adeſſe: vnde Soter Papa dicit, vt habetur de conſecrat. diſtin. 1. *hoc quoque ſtatutum eſt, vt nullus Presbyterorum, Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, ipſe tertius habeatur; quia cùm pluraliter ab eo dicitur*, Dominus vobiſcum, *& illud in ſecretis*, orate pro me, *apertiſſimè conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi*: vnde & ad maiorem ſolemnitatem ibidem ſtatutum legitur, quòd Epiſcopus cum pluribus Miſſarum ſolemnia peragat. In Miſſis tamen priuatis ſufficit vnum habere mi-

Digitized by Google

niſtrum, qui gerit perſonam totius populi catholici, ex cuius perſona Sacerdoti pluraliter reſpondetur. 3.p.q.83.a.5.ad 12.

Qu. 9. quibus horis debeat celebrari Miſſa iuxta diuerſitatem temporum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd communiter loquendo Miſſa debet dici in die, & non in nocte: quia hoc Sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem ſignificatur, Rom. 13. *nox præceſſit, dies autem appropinquauit:* dies autem iudicatur non ſolùm ab ortu ſolis, ſed ex quo incipiunt orituri ſolis ſigna manifeſtari per aliquam aëris illuſtrationem. Tamen in duabus noctibus Miſſa decantatur propter priuilegium illarum noctium; ſcilicet in nocte Natiuitatis, quando Chriſtus natus eſt; & in nocte Reſurrectionis circa principium, vt apparet ex oratione, *Deus qui hanc Sacratiſſimam noctem*, &c. Quamuis hoc non oporteat ſemper obſeruari.

Solemnis autem Miſſæ celebratio tribus horis inſtituta eſt fieri; ſcilicet in tertia, diebus feſtis; in ſexta, diebus profeſtis; in nona, diebus ieiuniorum: quia in Miſſa recolitur mors Chriſti, qui quidẽ horâ tertiâ crucifixus eſt linguis Iudæorum; horâ ſextâ manibus militum; horâ nonâ expirauit.

Sed quando fiunt ordines, Miſſa poteſt cantari etiam poſt nonam, & præcipuè in Sabbatho ſancto; quia ordines pertinent ad diem Dominicam: vel etiam, vt diligentior fiat præparatio, differtur quantùm differri poteſt ante prandium: & ideo quando non eſt dies ieiunij, celebratur inter tertiam & ſextam, quâ horâ comeditur communiter: ſed in diebus ieiunij, in nona.

Priuatæ autem Miſſæ poſſunt dici à mane vſque ad tertiam, vel etiam vſque ad nonam in diebus ieiuniorum. 4. *ſent. d. 13. q. 1. a. 2. q. 4. in corp.*

Qu. 10. an regulariter loquendo Miſſa ſolemnis dici debeat ab hora 3. vſque ad nonam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in celebratione huius myſterij attenditur repræſentatio dominicæ paſſionis, & participatio fructus eius: & ſecundùm vtrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius Sacramenti: quia enim fructu dominicæ paſſionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Eccleſia regulariter hoc Sacramentum offertur: vnde & Dominus nos petere docet Luc. 11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* quod exponens Aug. lib. de verbis Domini dicit: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit:* quia verò dominica paſſio celebrata eſt à tertia hora vſque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei ſolemniter hoc ſacramentum in Eccleſia celebratur. 3. *p. q. 83. a. 2. in corp.*

Qu. 11. vtrum excepta nocte natalis Domini, & excepto ſabbatho ſancto Miſſa debeat celebrari de die, ſumendo eius principium ab aurora.

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd regulariter Miſſa debet celebrari in die, & non in nocte; quia ipſe Chriſtus eſt præſens in hoc ſacramento, qui dicit Ioan. 9. *me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari: quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi*: ita tamen quòd principium diei accipiatur non à media nocte; nec etiã ab ortu ſolis (ideſt quando ſubſtantia ſolis apparet ſuper terram) ſed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur ſol ortus, inquantum claritas radiorum eius apparet: vnde & Marci 15. dicitur quòd *mulieres venerunt ad monumentum orto iam ſole*: cùm tamen venerint *cùm adhuc tenebræ eſſent ad monumentum*, vt dicitur Ioan. 20. ſic enim hanc contrarietatem ſoluit Auguſtinus in lib. 3. de conſenſu Euang. ſpecialiter tamen in nocte natalis Domini miſſa celebratur, propter hoc quòd Dominus in nocte natus eſt, vt dicitur de conſec. diſt. 1. cap. *nocte* &c. & ſimiliter etiam in Sabbatho ſancto circa noctis principium, propter quòd Dominus nocte ſurrexit, ideſt cùm adhuc tenebræ eſſent ante manifeſtum ſolis ortum. *3. p. q. 83. a. 2. ad 3.*

Qu. 12. cur debeat celebrari Miſſa in Eccleſia: & vtrum in neceſſitate liceat alibi celebrare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd regulariter Sacramentum Euchariſtiæ debet celebrari in domo, per quam ſignificatur Eccleſia, ſecundùm illud primæ Timoth. 3. *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari*, quæ eſt Eccleſia Dei viui, extra Eccleſiam enim non eſt locus veri Sacrificij, vt Auguſtinus dicit: & quia Eccleſia non erat concludenda ſub finibus gentis Iudaicæ, ſed erat in vniuerſo mundo fundanda, ideo Paſſio Chriſti non eſt celebrata intra ciuitatem Iudæorum, ſed ſub Dio, vt ſic totus mundus ſe haberet ad Paſſionem Chriſti vt domus.

Et tamen vt dicitur de conſec. d. 1. cap. concedimus, *in itinere poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub Dio, ſeu in tentorio, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque ſacra myſteria ad officium pertinentia ibi affuerint, Miſſarum ſolemnia celebrari concedimus*. *3. p. q. 83. a. 3. ad 2.*

Qu. 13. an liceat celebrare in loco, vel altari non conſecrato, ſaltem de licentia Epiſcopi.

Reſpond. v. *Conſecratio qu. 4.*

Qu. 14. quænam ſint ſubſtantialia Miſſæ, & quænam accidentalia: & vtrum aliqua ex ipſis omittere ſit peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd in hoc Sacramento ſicut & in omnibus aliis ſunt quædam ſubſtantialia, quædam accidentalia: ſubſtantialia ſunt quatuor; ſcilicet materia panis & vini, forma verborum, ordo Miniſtri, & intentio: alia ſunt accidentalia pertinentia ad decorem, & ſolemnitatem Sacramenti: vnde in illis non eſt idem modus apud omnes Eccleſias. Dicendum eſt ergo quòd ſi aliquid de ſubſtantialibus omittatur, Sacramentum non conficitur: ſi verò aliquid de accidentalibus ſolùm, conficitur: ſed

Digitized by Google

ſed grauiter peccat qui ſcienter omittit, quia facit contra præceptum Eccleſiæ. 4. *ad Hannib. d.* 13. *a.* 2. *in corp.*

Quær. 15. *quid faciendum, quando Sacerdos moritur ante, vel poſt conſecrationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi Sacerdos morte, aut infirmitate graui occupetur ante conſecrationem Corporis, & Sanguinis Domini, non oportet, vt per alium ſuppleatur: ſi verò incœptâ conſecratione hoc acciderit (puta conſecrato corpore ante conſecrationem Sanguinis, vel etiam conſecrato vtroque) debet Miſſæ celebritas per alium expleri; vnde vt habetur in Decret. 7. q. 1. cap. *nihil*, in Toletano Concilio legitur: *cenſuimus conuenire, vt cùm a Sacerdotibus Miſſarum tempore Myſteria ſacra conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cuiuſlibet euentus, quo cœptum nequeat expleri myſterium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri, conſecrationem exequi incepti officij: non enim aliud competit ad ſupplementum initiatis myſteriis, quàm aut incipientis, aut ſubſequentis benedictio completa Sacerdotis; quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfecto ordine compleantur: cùm enim ſimus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium diuerſitas perſonarum formas, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei repræſentat. Ne tamen, quod naturę languoris cauſâ conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur, nullus abſque præuentu patentis moleſtia, miniſter vel Sacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis hoc temerariè præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 1.

Quær. 16. *quomodo ſe gerere debeat ſacerdos, qui in prædicto caſu ſupplet defectum alterius.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm ſtatutum concilii Toletani, ſi ſacerdos impeditur vt cœptum miſſarum officium explere non poſſit, alius ſacerdos debet explere, quod ille inchoauit; ita quòd incipiat ſequens ſacerdos vbi primus dimiſit, ſi ſciatur; ſi autem neſciatur, debet à capite incipere; non enim dicitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum. Nec aliquid per hoc derogatur vnitati ſacramenti; quia omnes vnum ſumus in Chriſto propter fidei vnitatem. Secundùm tamen Innocentium conſultius eſt, vt illâ Hoſtiâ iam conſecrata ſeorſum poſita, ſuper aliam deinceps totum officium iteretur. 4. *ſ. d.* 8. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 2. *in corp.*

Quæritur 17. *quid faciendum quando Sacerdos recordatur ante vel poſt conſecrationem, ſe comediſſe aut bibiſſe, aut eſſe in peccato mortali, aut excommunicatum eſſe.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vbi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendũ illud, quod habet minùs de periculo: maximè autẽ periculosũ circa hoc Sacramentum eſt; quod eſt contra perfectionem huius Sacramenti; quia hoc eſt immane ſacrilegium: minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis: & ideo ſi Sacerdos poſt conſecrationem incœptam recordatur ſe aliquid co-

Digitized by Google

mediſſe, vel bibiſſe, nihilominus debet perficere ſacrificium, & ſumere Sacramentum. Similiter ſi recordetur ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi; & ſic non indignè, ſed fructuosè ſumet Sacramentum. Et eadem ratio eſt ſi meminerit ſe excommunicationi cuicunque ſubiacere: debet enim aſſumere propoſitú humiliter abſolutionem petendi; & ſic per inuiſibilem Pontificem Ieſum Chriſtum abſolutionem conſequetur, quantùm ad hunc actum, quòd peragat diuina myſteria.

Si verò ante conſecrationem alicuius prædictorum ſit memor, tutius reputarem (maximè in caſu manducationis, & excommunicationis) quòd Miſſam inceptam desereret, niſi graue ſcandalum timeretur. 3. *p.q.* 83, *a.* 6. *ad* 2.

Quær. 18. *quid agendum ſit quando aranea, vel muſca, vel aliud animal cadit in calicem; vel etiam quando Sacerdos aduertit in calicem venenum eſſe immiſſum.*

Reſp. D Thomas, dicendum quòd ſi muſca, vel aranea in Calicem ante conſecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit eſſe immiſſum, debet effundi; & abluto calice, denuò aliud vinum poni conſecrandum: ſi verò aliquid horum poſt conſecrationem acciderit, debet animal cautè capi, & diligenter lauari, & comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium mitti.

Si verò venenum ibi eſſe deprehenderit immiſſum, nullo modo debet ſumere, nec alij dare, ne calix vitæ vertatur in mortem; ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum Reliquiis conſeruari: & ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuò reſumere conſecrationem ſanguinis, & ſacrificium perficere. 3. *p.q.* 83, *a.* 6. *ad* 3.

Quær. 19. *quid ſit agendum, quando Sacerdos aduertit ſe non immiſiſſe aquam aut vinum in Calicem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi Sacerdos ante conſecrationem ſanguinis, & poſt conſecrationem corporis percipiat, aut vinum aut aquam non eſſe in calice, debet ſtatim apponere, & conſecrare: ſi verò poſt conſecrationis verba perceperit, quòd aqua deſit, debet nihilominus procedere; quia impoſitio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti: debet tamen puniri ille, ex cuius negligentia hoc contingit: nullo autem modo debet aqua vino iam conſecrato miſceri; quia ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte.

Si verò percipiat poſt verba conſecrationis, quòd vinum non fuerit poſitum in calicem; ſi quidem hoc percipiat ante ſumptionem corporis, debet depoſitâ aquâ, ſi ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & reſumere à verbis conſecrationis ſanguinis: ſi verò hoc perceperit poſt ſumptionem corporis, aliam hoſtiam apponere debet, iterum conſecrandam ſimul cum ſanguine. Quod ideo dico: quia ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſeruaretur debitus ordo conſecrandi: & ſicut dicitur in 7. cap. Toletani Concilij, *perfecta videri non poſſunt*.

ſacrificia, niſi perfecto ordine compleantur: ſi verò inciperet à conſecratione ſanguinis & repeteret omnia verba conſequentia, non competeret, niſi adeſſet hoſtia conſecrata; cùm in verbis illis occurrant quædam dicenda, & fienda non ſolùm circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum ſumere hoſtiã conſecratam & ſanguinem, non obſtante etiamſi priùs ſumpſerit aquam, quæ erat in calice: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris eſt ponderis, quàm præceptum quòd hoc Sacramentum à ieiunis ſumatur. *3.p.q. 83.a. 6.ad 4.*

Qu.20. quid debeat agere Sacerdos, quando per errorem contingit quòd aqua loco vini ponatur.

Reſp. D. Thomas, ſi per errorem contingat, vt aqua loco vini ponatur, ſi ante conſecrationem vini percipiat, debet aquam effundere, & vinum imponere: ſi autem poſt, debet incipere conſecrationem vini, alio vino ſuperinfuſo, contritione de negligentia præhabitâ; vel etiam à capite Canonem inchoare ſuper aliam hoſtiam, hoſtiâ priùs conſecratâ poſitâ ſeorſum, vt Innocentius dicit. 4. *ſent. diſt.* 11. *in expoſ. textus.*

Quær. 21. quid agere debeat Sacerdos quando non recordatur ſe dixiſſe verba conſecrationis, aut etiam alia, quæ dicuntur in celebratione Miſſæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt Sacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari; non enim qui multa dicit, recolit omnia quæ dixit, niſi fortè aliquid in dicendo apprehendat ſub ratione iam dicti, ſic enim aliquid efficitur memorabile: vnde ſi aliquis attentè cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet ſe dicere illud, non multùm poſtea recolit ſe dixiſſe: ſic enim fit aliquid ſubiectum memoriæ, inquantum accipitur ſub ratione præteriti, ſicut dicitur in lib. de memoria.

Si tamen Sacerdoti probabiliter conſtet ſe aliqua omiſiſſe, ſi quidem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non exiſtimo quòd propter hoc debeat reſumere immutando ordinem ſacrificij, ſed debet vlteriùs procedere: ſi verò certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti (ſcilicet formam conſecrationis) cùm forma conſecrationis ſit de neceſſitate Sacramenti, ſicut & materia, idem videtur faciendum, quod dictum eſt in defectu materiæ; vt ſcilicet reſumatur à forma conſecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo ſacrificij. *3.p.q. 83. a. 6.ad 5.*

Quær. 22. quid faciendum, quando hoſtia propter frigus dilabitur in calicem, ſiue ante ſiue poſt conſecrationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fractio hoſtiæ conſecratæ, & quòd vna ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admixtio aquæ ſignificat populum: & ideo horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificij, vt propter hoc ſit neceſſe

aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti. 3.*p*.*q*. 83. *a*.6.*ad* 6.

Qu. 23. *quid ſit agendum, quando per negligentiam Sanguis Chriſti effunditur, vel Sacerdos Sacramentum ſumptum euomit; aut hoſtia conſecratæ putreſiunt, aut ab aliquo animali comeduntur; aut qualitercunque perduntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut legitur de conſecrat. diſtinct. 2. ex decreto Pij Papæ, *ſi per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in tabulam quæ terræ adhæret, linguâ lambetur, & tabula radetur: ſi verò non fuerit tabula, terra radetur, & igni conſumetur, & cinis intra altare condetur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat: ſi autem ſuper altare ſtillauerit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat, ſi ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat; ſi vſque ad tertium, nouem diebus pœniteat; ſi vſque ad quartum viginti diebus pœniteat: & linteamina, quæ ſtilla tetigerit, tribus vicibus lauet miniſter calice ſubtus poſito, & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recordatur.*

Poſſet etiam ſumi in potum à miniſtro, niſi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem vlteriùs partem illam linteaminum incidunt, & comburunt, & cinerem in altari, vel Sacrario reponunt.

Subditur autem ibidem ex pœnitentiali Bedæ Presbyteri, *ſi quis per ebrietatem, vel voracitatem Euchariſtiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, ſi laicus eſt: Clerici vero, vel Monachi, ſeu Diaconi, & Presbyteri ſeptuaginta diebus pœniteant: Epiſcopus nonaginta: ſi autem infirmitatis cauſâ euomuerint, ſeptem diebus pœniteant.*

Et in eadem diſtinct. legitur ex Concilio Arelatenſi, *qui non benè cuſtodierit Sacramentum, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat: qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat.* Et eâdem pœnitentiâ videtur dignus Sacerdos, per cuius negligentiam Hoſtiæ conſecratæ putreſiunt.

Prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare, & à communione ceſſare: penſatis tamen conditionibus negotij, & perſonæ poteſt minui vel addi ad pœnitentiam prædictam.

Hoc tamen obſeruandum eſt, quòd ubicunque ſpecies integræ inueniuntur, ſunt reuerenter conſeruandæ, vel etiam ſumendæ: quia manentibus ſpeciebus manet ibi Corpus Chriſti: ea verò in quibus inueniuntur, ſi commodè fieri poteſt, ſunt comburenda, cinere in ſacrario recondito, ſicut de raſura Tabulæ dictum eſt. 3. *p*. *q*. 83. *a*. 6. *ad* 7.

Qu. 24. *quo fine prædictæ pœnitentiæ ſint impoſitæ, & quomodo ſint adimplendæ.*

Reſp. D. Thomas, dicunt quidam quòd pœna irrogata fuit ad cautelam, vt negligentia magis caueretur: & ideo circunſtantiis penſatis poteſt minui vel addi ad pœnam prædictam; ſed tutius eſt vt prædictã peragat. Debet autem ſecundùm quoſdam diebus illis ieiunare, & à communione ceſſa-

Digitized by Google

te: alij verò dicunt quòd his diebus iniungenda eſt pœnitentia arbitraria penſatis conditionibus perſonæ, & negotij: & hoc probabilius videtur. 4. *ſ.d.* 15. *in exp. textus.*

Qu. 25. *an Sacerdos ſibi conſcius peccati mortalis teneatur nedum conteri, ſed etiam confiteri antequam celebret, ſi copiam habet confeſſarii.*

Reſp. ſupra v. *Communio qu.* 70.

Qu. 26. *quid debeat agere Sacerdos ſi miſſam inchoauit, & occurrit ipſi peccatum mortale de quo non eſt confeſſus, nec habet cui confiteatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd debet peragere Miſſæ Sacrificium cum propoſito poſtea confitendi quando citiùs occurret opportunitas confitendi. 4. *ad Hann. d.*9.*a.*3. *ad* 4.

Qu. 27. *quid agere debeat Sacerdos ſibi conſcius peccati mortalis, ſi non habet confeſſorem, & populus expectat Miſſam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ſine ſcandalo poteſt vitare communionem commodè, vel vicarium ponendo, vel aliter (ita quòd debitis officiis populus non fruſtretur) vitare debet: alioquin cum ſimili propoſito celebrare poteſt. *ibidem ad* 5.

Qu. 28. *quomodo Sacerdos celebraturus debeat confortari bonâ conſcientiâ, iuxta illud D. Auguſtini, caueat ne priùs ad dominicum corpus accedat, quàm confortetur bonâ conſcientiâ.*

Reſp. D. Thomas, bonâ conſcientiâ confortatur, quando certis ſignis coniicere poteſt peccatum ſibi dimiſſum: & hoc, quando facit quod in ſe eſt: & ideo qui habet copiam Sacerdotis, & neceſſitate non vrgetur ad communicandum, ſicut vrgentur Sacerdotes Parochiales, non debet accedere ante confeſſionem. 4. *ſ.d.* 16. *in exp. textus. d.* 17. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 4. *in corp.*

Retulimus ſupra v. communio poſt qu. 71. *decretum concilij Tridentini, quo declaratur Sacerdotem ſibi conſcium peccati mortalis quantumuis ſibi contritus videatur, debere confiteri antequam Celebret, ſi copiam confeſſoris habet. Et ſi neceſſitate vrgente abſque præuia confeſſione celebrauerit, debere poſtea quamprimùm confiteri. Hoc mandatum non eſt conſilium, ſed præceptum; nec illa particula, quamprimùm, intelligitur cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur, ſed quando occurrit opportunitas, vt patet ex* 38. *&* 39. *propoſitionibus ab Alexandro VII. damnatis, quas referemus ſub finem huius vocabuli. Et hoc totum conforme eſt doctrinæ noſtri ſancti Doctoris tum in præced. quæſt. tum loco citato. v. Communio qu.* 70.

Qu. 29. *an liceat audire Miſſam, vel communionem ſuſcipere à Sacerdote malo, vel concubinario, vel excommunicato, aut ſchiſmatico, aut etiam hæretico.*

Reſp. ſupra. v. *Communio qu.*46. *& tribus ſequentibus*, & v. *Excommunicatio qu.* 22. & infra. v. *Sacramentum.*

Digitized by Google

Qu. 30. vtrum ille qui celebrat in peccato mortali, & ille qui ad celebrandum inducit, peccent mortaliter: Et vtrum audire Miſſam Sacerdotis fornicarij ſit peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc eſt conſiderandum, quòd aliquid quantùm ad ius naturale eſt per ſe malum, & aliquid malum eſt quantùm ad ius poſitiuum: quicunque enim ſacerdos in peccato mortali exiſtens celebrat, peccat mortaliter: vnde ſi conſtaret mihi eum eſſe in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem mortaliter; & hoc eſt ſecundùm ipſum ius naturale, quia hoc eſt prouocare eum ad peccatum mortale. Ius autem poſitiuum addit plus, quòd non ſolùm non debeam inducere eum ad celebrandum, ſed etiam ſi audiam eius Miſſam, pecco mortaliter, quod quidem inſtitutum eſt in pœnam ſacerdotis fornicarij. Attendendum tamen eſt, quòd hoc non intelligitur de quolibet ſacerdote fornicario, ſed de publicè fornicariis, qui propriè dicuntur publici, quando iudicio, & ſententià Eccleſiæ vocantur publici: vnde quicunque à tali fornicario publico audit Miſſam, peccat mortaliter. *quodlibeto* 11. *art.* 8. *in corp.*

Qu. 31. vtrum excuſentur fideles, ſi audiant miſſam publici fornicarij, ex hoc quòd Prælati eos tolerant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ſuſtinetur à Prælatis, propter hoc non excuſatur: quia hoc eſt vel propter negligentiam, vel propter miſeriam & defectum ipſorum Prælatorum, qui non ſunt auſi corrigere alios, cùm in ſe multa corrigenda cognoſcant: vel etiam propter timorem aliquando: vnde non excuſantur propter hoc. *quodl.* 11. *a.* 8.

Qu. 32. cur prohibentur fideles audire miſſam Sacerdotis fornicarij, ſicut dicit canon 32. diſt. nullus miſſam audiat ſacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere; licet fornicatio non ſit grauior cæteris peccatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt fornicatio non ſit grauior cæteris peccatis, tamen ad eam proniores ſunt homines propter carnis concupiſcentiam: & ideo ſpecialiter hoc peccatum ſacerdotibus prohibitum eſt ab Eccleſia, & ne aliquis audiat miſſam concubinarij ſacerdotis. Sed hoc intelligendum eſt de notorio, vel per ſententiam, quæ fertur in conuictum; vel per confeſſionem in iure factam; vel per euidentiam facti, quando non poteſt peccatum aliqua tergiuerſatione celari. 3. *p. q.* 82. *a.* 9. *ad* 3.

Qu. 33. an ſit æquale audire miſſam boni vel mali Sacerdotis cùm D. Auguſtinus in lib. de corpore Chriſti dicat: in myſterio corporis, & ſanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de Miſſa poſſumus loqui dupliciter: aut quantùm ad id quod eſt eſſentiale in ea, ſcilicet Corpus Chriſti; & ſic à quocunque dicatur, æqualiter bona eſt, quia

opus operatum æqualiter bonum eſt & virtuoſum: vel quantùm ad id quod annexum eſt Sacramento, & quaſi ſecundarium; & ſic Miſſa boni Sacerdotis melior eſt, quia non ſolùm habet efficaciam ex opere operato, ſed ex opere operantis: Et ideo cæteris paribus melius eſt audire Miſſam boni Sacerdotis, quàm mali. 4. *ſ. d.13. q.1.a.1.q.5. in corp.*

Qu. 34. an Miſſa boni Sacerdotis plus valeat quàm Miſſa mali, cùm dicatur in decretis causâ 1. qu. 1. quantò Sacerdotes fuerint digniores, tantò faciliùs in neceſſitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in Miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, quod eſt principale: & orationes, quæ in Miſſa fiunt pro viuis & mortuis: quantùm ergo ad Sacramentum non minùs valet Miſſa Sacerdotis mali quàm boni: quia vtrobique idem conficitur Sacramentum.

Oratio etiam: quæ fit in Miſſa poteſt conſiderari dupliciter: vno modo inquantum habet efficaciam ex deuotione ſacerdotis orantis: & ſic non eſt dubium, quòd Miſſa melioris ſacerdotis magis eſt fructuoſa: alio modo inquantum oratio in Miſſa profertur à ſacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter, cuius quidem miniſterium etiam in peccatoribus manet: vnde etiam quantùm ad hoc eſt fructuoſa non ſolùm oratio ſacerdotis peccatoris in Miſſa, ſed omnes eius orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officijs in quibus gerit perſonam Eccleſiæ: licet orationes priuatæ non ſint fructuoſæ, ſecundùm illud Prouer. 28. *qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 3. p.q. 82. a. 6. in corp. 4. ad hann. d. 13.a.5. in corp. & ad 1.*

Qu. 35. an patiens defectum oculorum, vel digitorum, aut linguæ; vel etiam morbum caducum, alienationem mentis; aut lepram, poſſit aut debeat dicere Miſſam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd debilitas, vel ægritudo ſuperueniens ordini ſacerdotali ordinem non tollit; executionem tamen ordinis tollit quantùm ad conſecrationẽ Euchariſtiæ: quandoque quidem propter impoſſibilitatem executionis; ſicut ſi priuetur oculis, aut digitis, aut vſu linguæ: quandoque autem propter periculum; ſicut patet de eo, qui patitur morbum caducum; vel etiam quamcunque alienationem mentis: quandoque propter abominationem, ſicut patet de leproſo, qui non debet publicè celebrare: poteſt tamen Miſſam dicere occultè, niſi lepra adeo inualuerit, quòd per corroſionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem. *3.p.q. 82. a. 10. ad 3.*

Qu. 36. cur Sacerdos debet abluere manus in Miſſa, non autem pedes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ablutio manuum debet fieri in celebratione Miſſæ propter reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ; & hoc dupliciter: primò quidem, quia aliqua pretioſa tractare non conſueuimus niſi manibus ablutis; vnde in decens vide-

tur, quòd ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinitatis: ſecundò, propter ſignificationem, quia vt Dionyſius dicit in 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, *extremitatum ablutio ſignificat emundationem etiam à minimis peccatis*, ſecundùm illud Ioannis 13. *qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet*: & talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum, quod ſignificatur per confeſſionem, quæ fit ante introitum Miſſæ: & hoc idem ſignificat ablutio Sacerdotum in veteri lege, vt ibidem Dionyſius dicit.

Nec tamen Eccleſia hoc ſeruat tanquam cæremoniale veteris legis præceptum, ſed quaſi ab Eccleſia inſtitutum, ſicut quoddam ſecundùm ſe conueniens: & ideo non eodẽ modo obſeruatur, ſicut tunc: prætermittitur enim pedum ablutio, & ſeruatur ablutio manuũ, quæ poteſt fieri magis in promptu, & quæ ſufficit ad ſignificandã perfectam mundationẽ: cùm enim manus ſit *organum organorum*, vt dicitur in 4. de anima, omnia opera attribuuntur manibus, vnde in Pſal. 25. dicitur, *lauabo inter innocentes manus meas*. 3. p. q. 83. a. 5. ad 1.

Qu. 37. cur Sacerdos poſt communionem debet os, & digitos vino abluere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vinum ratione ſuæ humiditatis eſt ablutiuum: & ideo ſumitur poſt ſuſceptionem huius Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant, quòd pertinet ad reuerentiã Sacramenti: vnde extra de celeb. Miſſarum, c. ex parte, *ſemper Sacerdos vino os perfundere debet, poſtquam totum percepit Eucharistiæ Sacramentum, niſi cùm eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare: ne ſi fortè vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret*.

Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Chriſti tetigerat. 3. *par*. q. 83. *a*. 5. *ad* 10.

Quær. 38. quibus proſit miſſa, & pro quibus ſit offerenda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantùm ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ; ſed effectum non habet niſi in illis, qui Paſſioni Chriſti coniunguntur per fidem, & charitatem: ita & hoc ſacrificium, quod eſt memoriale Dominicæ Paſſionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramento per fidem & charitatem: vnde & Auguſtinus dicit ad Renatum. *Quis offerat Corpus Chriſti, niſi pro eis qui ſunt membra Chriſti?* vnde & in canone Miſſæ non oratur pro his qui ſunt extra Eccleſiam. Illis tamen prodeſt plus vel minùs ſecundùm modum deuotionis eorum. 3. *p*. q. 79. *a*. 7. *ad* 2.

Qu. 39. cur celebretur Miſſa pro pueris morientibus poſt Baptiſmum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pro pueris baptizatis Miſſarum ſolemnia celebrantur; non quia eis iuuentur ad remiſſionem alicus culpæ, vel quantùm ad augmentum gloriæ, ſed propter alias rationes: tum propter ſolatium

tium viuorum : tum ad oſtendendum paruulos ad vnitatem corporis myſtici pertinere, dum idem modus exequiarum ſeruatur in ipſis, & in aliis : tum ad commendandum redemptionis myſterium, quod in ſacramento commemoratur, per quod paruuli ſine proprio merito ſalutem conſequuntur æternam. 4. *ſent. d.* 12. *q.* 2. *ad* 2.

Qu. 40. *quanam Miſſa magis proſit defunctis, an Miſſa de Sancto, an potiùs Miſſa de Requiem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in officio Miſſæ non ſolùm eſt ſacrificiũ, ſed etiã ſunt ibi orationes: & ideo Miſſæ ſuffragium continet duo, ſcilicet orationem, & ſacrificium. Ex parte igitur ſacrificij oblati Miſſa æqualiter prodeſt defuncto, de quocunque dicatur, & hoc eſt præcipuum quod fit in Miſſa : ſed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iſte defectus recompenſari poteſt per maiorem deuotionem, vel eius qui dicit Miſſam, vel eius qui facit dicere; vel iterum per interceſſionem Sancti, cuius ſuffragium in Miſſa imploratur. 4. *ſent. d.* 45. *qu.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 5.

Qu. 31. *quem effectum habeat Eucharistia ſiue vt Sacramentum, ſiue vt Miſſæ ſacrificium.*

Reſpond. infra. v. *Sacrificium.* & v. *Sacramentum.*

Qu. 42. *an & quomodo Miſſa per modum ſuffragij proſit & viuis & defunctis.*

Reſpond. infra v. *Suffragium.*

Sequentes propoſitiones à ſummo Pontifice Alexandro VII. fuere damnatæ in duobus decretis ſæpe citatis.

8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Vrbani VIII.*

9. *Poſt decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſa celebranda traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.*

10. *Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre; neque etiam contra fidelitatem; etiamſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.*

38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.*

39. *Illa particula, quamprimùm, intelligitur cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquàm per decem annos.*

MODESTIA.

Qu. 1. *quomodo modeſtia dicitur à modo ſeruando.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd modeſtia non dicitur ex eo quòd imponat modum in qualibet materia, ſecundùm quòd hîc accipitur; ſed tantùm in ex-

teri̇oribus geſtibus; vt ſcilicet in eis maturitas debita obſeruetur: & huius virtutis pars potiſſima eſt eutrapelia, quam Philoſophus ponit; quia etiam in ludicris, in quibus eſt difficilius, modum debitum non excedit. *3. ſ. d. 33. q. 3. a. 2. qu. 1. ad 3. 2. 2. q. 160. a. 1.*

Qu. 2. in quo ſenſu Tullius dicit de modeſtia quòd eſt pudor honeſtatis puram, & ſtabilem comparans authoritatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pudor non ponitur hîc pro paſſione verecundiæ, ſed pro quadam exteriori compoſitione, cuius pudor cauſa eſſe poteſt: ſicut etiam caſtitas *pudor* interdum dicitur; quia contrarium eius maximè eſt turpe, quod verecundia timet. Similiter contrarium modeſtiæ eſt maximè apparens; & ſic eſt natum confuſionem inducere, quam pudor timet. *3. ſ. d. 33. q. 3. a. 2. qu. 1. ad 4.*

Qu. 3. cur Apoſt. ad titum 3. ait ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.

Reſp. D. Thomas, modeſtia eſt virtus, per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, vt non offendat cuiuſquam aſpectum: Philipp. 4. *modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*: Prouerb. 22. *finis modeſtiæ, timor Domini, diuitia, gloria, & vita, &c.* quantò autem quis eſt impetuoſior in interioribus affectibus, tantò refrenatur difficiliùs etiam in exterioribus: talis autem eſt inter omnes affectus iræ: & ideo contra hoc ponit manſuetudinem, quæ moderatur paſſiones iræ: vnde dicit, *omnem manſuetudinem oſtendentes ad omnes homines*: Matth. 11. *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Iacob. 1. *in manſuetudine inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. in exp. illius cap. 3. lect. 1.*

MOLLITIES.

Quær. 1. quid ſit mollities: an ſit vitium contra naturam, & vnum ex grauiſſimis, ac turpiſſimis peccatis in materia luxuriæ; & quomodo opponatur perſeuerantiæ.

Reſp. ſupra v. *luxuria à qu. 7. vſque ad 14.* & infra v. *perſeuerantia.*

Quæritur 2. à quibus cauſetur mollities.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mollities cauſatur dupliciter: vno modo ex conſuetudine; cùm enim aliquis conſuetus eſt voluptatibus frui, difficiliùs poteſt earum abſentiam ſuſtinere: alio modo ex naturali diſpoſitione; quia videlicet habet animum minùs conſtantem propter fragilitatem complexionis: & hoc modo comparantur fœminæ ad maſculos, vt Philoſophus dicit in 7. eth. & ideo illi qui muliebria patiuntur, *molles* dicuntur, quaſi *muliebres effecti. 2. 2. quæſt. 138. a. 1. ad 1.*

MONACHVS.

V. Religioſus.

MONETA.

Quær. an falſarii monetæ ſint bonis ſuis ſpoliandi, & morte plectendi.

Reſp. ſupra v. *hæreſis qu*. 7. & 8.

MORALITAS.

Quær. an moralitas actuum humanorum exigat nedum libertatem à coactione, ſed etiam à neceſſitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate mouetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur: Non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolùm id cuius principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus: non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritoriū quòd aliquis ſic ex neceſſitate agit, quòd vitare non poſſit.

Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones. Quia non ſolùm contrariatur fidei; ſed ſubuertit omnia principia Philoſophiæ moralis: Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate mouemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit. *in q. diſp. q. vnica de electione humana a. vnico in corp.*

Exactiorem huius difficultatis reſolutionem remittimus ad theologicam ſcholaſticam. Sufficit hic aduertere quòd iuxta doctrinam noſtri ſancti doctoris, quinque propoſitiones ex Ianſenio excerptæ in ipſius ſenſu damnatæ fuerunt à ſummis Pontificibus Innocentio 10. *in conſtitutione lata anno* 1653 *pridie calen. iunii. Et Alexandro* 7. *in altera conſt. lata anno* 1656. 17. *cal. nou. tertia autem propoſitio ſic habet: ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Cenſura verò huius propoſitionis hæc eſt: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

MORIBVNDVS.

Qu. an liceat à moribundo requirere, quòd poſt mortem ſtatum ſuum reuelet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm peccatum ſit contra naturam, vt patet per Damaſcenum in 2. lib. de fide Orthod. requirere impletionem naturalis deſiderij non eſt peccatum, niſi aliqua inordinatio adiungatur; ſicut patet in ſumptione cibi, & potus: homo autem naturaliter ſcire deſiderat: vnde ſi requiratur alicuius rei notitia, non eſt peccatum; niſi forte per accidens, hoc eſt per aliquam inordinationem adiunctam; puta ſi per ſtudium, & inquiſitionem alicuius ſcientiæ aliquis impediatur ab his, quibus tenetur intendere; puta ſi prædicator impediatur ab officio debitæ prædicationis propter ſtudium Geometriæ; aut etiam ſi quis inquirat aliquid cognoſcere ſuperbè, & præſumptuosè de ſua facultate confidens; vel ſi qua alia huiuſmodi inordinatio circa hoc contingat.

Nulla autem inordinatio in hac inquiſitione videtur, ſi aliquis requirat à moriente cognoſcere ſtatum ſuum poſt mortem, ſubmittendo tamen hoc diuino iudicio: vnde nulla ratio videtur, quare

Digitized by Google

debeat dici hoc eſſe peccatum; niſi fortè ex dubitatione fidei de futuro ſtatu, quaſi tentando inquirat. *quodlibeto 3. art. 22. in corp.*

MVLIER.

Quæritur cur in mulieribus abundat deuotio.

Reſp. ſupra v. *deuotio q. 16.*

Quær. 2. quænam ſit propria mulieris paſſio.

RESp. D. Thomas, dicit Chryſoſt. quòd *propria paſſio mulieris luxuria eſt*: & Philoſ. in 7. ethic. quòd *mulieres non dicuntur incontinentes propriè loquendo, propter facilem inclinationem in concupiſcentias*; quia nec bruta animalia poſſunt continere propter hoc quòd non habent aliquid quod concupiſcentiis obuiare poſſit. 4. *ſ. d. 35. q. 1. a. 4. in primo argum. ſed contra.*

De ornatu mulierum videatur infra v. ornatus.

MVSICA.

V. Cantus, & laus.

MVTILATIO.

Quær. 1. an & quando liceat aliquem membro mutilare.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd cùm membrum aliquod ſit pars totius humani corporis, eſt propter totum, ſicut imperfectum propter perfectum: vnde diſponendum eſt de membro humani corporis ſecundùm quòd expedit toti: membrum autem humani corporis per ſe quidem vtile eſt ad bonum totius corporis: per accidens tamen poteſt contingere quòd ſit nociuum: puta cùm membrum putridum eſt totius corporis corruptiuum: ſi ergo membrum ſanum fuerit, & in ſua naturali diſpoſitione conſiſtens, non poteſt præſcindi abſque totius corporis detrimento. Sed quia ipſe totus homo ordinatur vt ad finem ad totam communitatem, cuius eſt pars, poteſt contingere, quòd abſciſſio membri etſi vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum Communitatis, inquantum alicui infertur in pœnam ad cohibitionem peccatorum: & ideo ſicut per publicam poteſtatem aliquis licitè priuatur totaliter vita propter aliquas maiores culpas, ita etiam priuatur membro propter aliquas culpas minores.

Hoc autem non eſt licitum alicui priuatæ perſonæ, etiam volente illo cuius eſt membrum: quia per hoc fit iniuria communitati, cuius eſt ipſe homo, & omnes partes eius: ſi verò membrum propter putredinem ſit totius corporis corruptiuum, tunc licitum eſt de voluntate eius cuius eſt membrum, putridum membrum præſcindere, propter ſalutem totius corporis: quia vnicuique commiſſa eſt cura propriæ ſalutis & eadem ratio eſt, ſi fiat voluntate eius, ad quem pertinet curare de ſalute eius, qui habet membrum corruptiuum: aliter autem aliquem membro mutilare eſt omnino illicitum. 2. 2. *q. 65. a. 1. in corp.*

Digitized by Google

Qu. 2. cur licèt pro ſalute corporali non tamen pro ſpirituali licita eſt mutilatio: vnde ſecundum ſtatuta Concilij Niſſeni puniuntur illi, qui ſe caſtrauerunt ad caſtitatem conſeruandam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubueniri non poteſt: ſaluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubueniri quàm per membri præciſionem: quia peccatum ſubiacet voluntati: & ideo in nullo caſu licet membrum præcindere propter quodcunque peccatum vitandum: vnde Chryſoſtomus exponens illud Matthæi 19. *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, dicit: *Non per membrorum abſciſſionem, ſed malarum cogitationum interemptionem: maledictioni enim eſt obnoxius, qui membrum abſcindit, etenim homicida ſunt, qui talia præſumunt*: & poſtea ſubdit, *neque concupiſcentia manſuetior ita fit ſed moleſtior: aliunde enim habet fontes ſperma quod in nobis eſt, & præcipuè à propoſito incontinenti, & mente negligente: nec ita abſciſio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frenum*. 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3.

Qu. 3. quomodo ille qui alterum iniuſte mutilat, reſtitutionem facere debeat.

Reſp. v. *reſtitutio*.

MVTVVM
V. Vſura.

NEGLIGENTIA.

Qu. 1. an negligentia opponatur prudentiæ: & vnde dicatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd negligentia directè opponitur ſolicitudini: ſolicitudo autem pertinet ad rationem, & rectitudo ſollicitudinis ad prudentiam: vnde per oppoſitum negligentia ad imprudentiam pertinet.

Et hoc etiam ex ipſo nomine apparet: quia Iſidorus dicit in libro etymol. *negligens dicitur quaſi nec eligens*: electio autem recta eorum, quæ ſunt ad finem, ad prudentiam pertinet: vnde negligentia pertinet ad imprudentiam. 2. 2. q. 54. a. 2. *in corp.*

Quær. 2. an & quando negligentia eſt peccatum mortale, vel veniale, de quo dicitur prou. 19. qui negligit viam ſuam, mortificabitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd negligentia prouenit ex quadam remiſſione voluntatis, per quam contingit quòd ratio non ſolicitatur, vt præcipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet. Poteſt ergo dupliciter contingere, quòd negligentia ſit peccatum mortale: vno modo ex parte eius quod prætermittitur per negligentiam; quod quidem ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſiue ſit actus, ſiue circunſtantia, erit peccatum mortale: alio modo ex parte cauſæ; ſi enim voluntas intantùm ſit remiſſa circa ea quæ ſunt Dei, vt totaliter a Dei charitate deficiat, talis negligentia fit peccatum mortale. Et hoc præcipuè contingit, quando negligentia ſequitur ex contemptu.

Alioquin ſi negligentia cōſiſtat in prætermiſſione alicuius actus, vel circunſtantiæ, quæ non ſit de neceſſitate ſalutis; nec hoc fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu

Digitized by Google

ferуoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia non eſt mortale peccatum, ſed veniale. 2.2.q.54. a.3. in corp.

Quær. 3. quomodo verificetur illud Eccl. 7. qui timet Deum, nihil negligit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd timor Dei operatur ad vitationem cuiuſlibet peccati, quia vt dicitur prouerb. 15. per timorem Domini declinat omnis à malo: & ideo timor facit negligentiam vitare. Non tamen ita quòd directè negligentia timori opponatur; ſed inquantum timor excitat hominem ad actus rationis: vnde etiam infra dicetur quòd timor facit conſiliatiuos. *in eadem q.54.a.2.ad 4.*

Qu.4. quomodo intelligatur Gloſſa ſuper illud Eccle. 7. de negligentia tua purga te cum paucis, dicens: quamuis oblatio parua ſit, multorum delictorum purgat negligentias.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd parua oblatio cum humili mente & pura dilectione facta, vt ibidem dicitur, non ſolùm purgat peccata venialia, ſed etiam mortalia. *ib.d.a. 3. ad 2.*

NEGOTIATIO.

Qu. 1. quid ſit negotiatio: & vtrum ſit licita, & laudabilis, iuxta illud D. Auguſtini ſupra Pſ.70. negotiator auidus acquirendi, pro damno blaſphemat, pro pretiis rerum mentitur, & peierat: ſed hæc vitia hominis ſunt non artis, quæ ſine his vitiis agi poteſt.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ad negotiatores pertinet commutationibus rerum inſiſtere: vt autem Philoſophus dicit in primo politicorum, duplex eſt rerum commutatio: vna quidem quaſi naturalis, & neceſſaria, per quam ſcilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum & denariorum propter neceſſitatem vitæ, & talis commutatio non propriè pertinet ad negotiatores, ſed magis ad œconomicos, vel politicos, qui habent prouidere, vel domui, vel Ciuitati de rebus neceſſariis ad vitam: alia verò commutationis ſpecies eſt, vel denariorum ad denarios, vel quarumcunque rerum ad denarios, non propter res neceſſarias vitæ, ſed propter lucrum quærendum; & hæc quidem negotiatio propriè videtur ad negotiatores pertinere ſecundùm Philoſophum.

Prima autem commutatio laudabilis eſt, quia deſeruit naturali neceſſitati: ſecunda autem iuſtè vituperatur; quia quantùm eſt de ſe deſeruit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit. Et ideo negotiatio ſecundùm ſe conſiderata quandam turpitudinem habet, inquantum non importat de ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium.

Lucrum tamen, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſui ratione non importet aliquid honeſtum, vel neceſſarium, nihil tamen importat de ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium: vnde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem neceſſarium, vel etiam

Digitized by Google

honeſtum; & ſic negotiatio licita reddetur. Sicut cùm aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus ſuæ ſuſtentationem; vel etiam ad ſubueniendum indigentibus: vel etiam cùm aliquis negotiationi intendit propter publicam vtilitatem, ne ſcilicet res neceſſariæ ad vitam Patriæ deſint; & lucrum expetit non quaſi finem, ſed quaſi ſtipendium laboris. 2. 2. *quaſt.* 77. *a.* 4. *in corp.*

Qu. 2. *quanam ſint conditiones bonæ negotiationis.*

Reſp. D. Thomas, quòd tempore debito mercationes fiant, non diebus feſtiuis; & tempore quo cariſtiam inducere poſſit, tale officium exerceatur: Et modus debitus ſeruetur, vt ſine fraude fiat, ſecundùm licitum contractum. 4. *ſent. d.* 16. *q.* 4. *art.* 2. *queſtiunc.* 3. *in corp.*

Qu. 3. *vtrum omnis vendens cariùs quàm emerit, negotietur: & in quibus caſibus id liceat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non quicunque cariùs vendit aliquid quàm emerit, negotiatur; ſed ſolùm qui ad hoc emit vt cariùs vendat. Si autem emit rem non vt vendat, ſed vt teneat; & poſtmodum propter aliquam cauſam eam vendere velit, non eſt negotiatio, quamuis cariùs vendat.

Poteſt enim licitè facere; vel quia in aliquo rem meliorauit; vel quia pretium rei eſt mutatum ſecundùm diuerſitatem loci, vel temporis; vel propter periculum, cui ſe exponit, transferendo rem de loco ad locum, vel etiam ferri faciendo. 2. 2. *q* 77. *a.* 4.

Qu. 4. *an negotiatio ſit licita clericis, vel monachis, vel pœnitentibus.*

Reſp. ſupra. v. *Clericus qu.*° 5. & infra. v. *Pœnitens & Religioſus.*

NEMESIS.

Qu. quid ſit nemeſis, & vtrum ſit laudabilis, aut vituperabilis.

Reſp. ſupra. v. *inuidia q.* 5. & v. *malus q.* 4.

NOTORIVM.

Qu. 1. *quot modis dicatur aliquid notorium.*

Reſp. v. *Miſſa qu.* 32.

Qu. 2. *an vti obſeruantijs artis Notoriæ ſit illicitum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ars Notoria eſt illicita, & ineficax: illicita quidem eſt, quia vtitur quibuſdam ad ſcientiam acquirendam, quæ non habent ſecundùm ſe virtutem cauſandi ſcientiam; ſicut inſpectione quarundam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis huiuſmodi: & ideo huiuſmodi ars non vtitur his, vt cauſis, ſed vt ſignis: non autem vt ſignis diuinitùs inſtitutis, ſicut ſunt ſacramentalia ſigna: vnde relinquitur, quòd ſint ſuperuacua ſigna, & per conſequens pertinentia ad pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita,

Digitized by Google

atque fœderata:& ideo ars Notoria penitus eſt repudianda, & fugienda Chriſtiano, ſicut & aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, vt Auguſtinus dicit. 2. de Doctr. Chriſti.

Eſt etiam homini ars inefficax ad ſcientiam acquirendam; cùm enim per huiuſmodi artem non intendatur acquiſitio ſcientiæ per modum homini connaturalem, ſcilicet adinueniendo, vel addiſcendo; conſequens eſt, quòd iſte effectus vel expectetur à Deo, vel à dæmonibus: certum eſt autem aliquos à Deo ſapientiam & ſcientiam per infuſionem habuiſſe, ſicut de Salomone legitur. 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 1. Dominus etiam Diſcipulis ſuis dixit Lucæ 21. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarii veſtri*: ſed hoc donum non datur quibuſcunque, aut cum certa obſeruatione, ſed ſecundùm arbitrium Spiritus S. ſecundùm illud 1. ad Cor. 12. *Alii quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum*; & poſtea ſubditur, *hæc omnia operetur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*: ad dæmones autem non pertinet illuminare intellectum: acquiſitio autem ſcientiæ fit per illuminationem intellectus: & ideo nullus vnquam per dæmones ſcientiam acquiſiuit; vnde Auguſtinus dicit in 10. de ciuit. Dei. *Porphyrium fateri theurgicis teletis* (ideſt operationibus dæmonum) *animæ intellectuali nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum, & percipienda ea, quæ vera ſunt*, qualia ſunt omnia ſcientiarum Theoremata.

Poſſunt tamen dæmones verbis hominibus colloquentes, exprimere verbis aliqua ſcientiarum documenta: ſed hoc non quæritur per artem Notoriam. 2. 2. q. 96. *art.* 1. *in corp.*

NOVITII.

Qu. 1. an nouitij ſint grauandi, vel potius dulciter tractandi, ſicut egit Chriſtus cum ſuis diſcipulis, vt refertur Matth. 9.

RESp. D. Thomas, quia primordium nouæ legis fuit in amore, ideo Chriſtus diſcipulos ſuos nutrire debuit in amore quodam: ideo ſe ſponſum nominat & diſcipulos filios; quia iſta ſunt nomina: amoris vnde bonum eſt quòd conſeruem eos & ideo nolo aliquid graue eis imponere ne abhorreant, & ſic retrocedant: & ideo qui in Religionibus ſunt noui, non ſunt grauandi: vnde Ambroſius in lib. de ſimilitudinibus reprehendit eos, qui nouitios grauiter onerant. Et hoc eſt quod Chriſtus dicit (nunquid poſſunt &c.) quaſi dicat: non oportet quòd ieiunent, ſed magis in quadam dulcedine viuere, & amore, vt ſic legem meam recipiant in amore, vt habetur ad Rom. 6. *quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*: vnde à Paſcha vſque ad Pentecoſtem non ſunt ieiunia, quia tunc recolit Eccleſia nouitatem legis. *in cap. 9. Matth.*

Qu. 2. an facilius ſit in ieiuniis diſpenſandum cum nouitiis & imperfectis, quàm cum antiquioribus & perfectis.

perfectis: & quomodo intelligi debeat illud Chriſti Lucæ 5. non poſſunt filii ſponſi ieiunare quamdiu cum ipſis eſt ſponſus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud verbum Domini tripliciter poteſt exponi: vno modo ſecundùm Chryſ. qui dicit quòd *diſcipuli, qui filii ſponſi dicuntur, adhuc imbecillius diſpoſiti erant; vnde veſtimento veteri comparantur; & ideo in præſentia corporali Chriſti erāt magis fouendi in quadam dulcedine, quàm in auſteritate ieiunii exercendi*: Et ſecundùm hoc magis conuenit vt cum imperfectis & nouitiis in ieiuniis diſpenſetur, quàm cum antiquioribus & perfectis; vt patet in Gloſſa ſuper illud Pſal. 130. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua*: alio modo poteſt dici ſecundùm Hieron. quòd *Dominus ibi loquitur de ieiunio veterum obſeruantiarum: vnde per hoc ſignificat Dominus quòd Apoſtoli non erant in veteribus obſeruantiis detinendi; quos oportebat gratiæ nouitate perfundi*: Tertio modo, ſecundùm Auguſt. qui diſtinguit duplex ieiunium; quorum vnum pertinet ad humilitatem tribulationis: Et hoc non competit viris perfectis, qui dicuntur filij ſponſi: vnde vbi Luc. dicit, *non poſſunt filii ſponſi ieiunare*, dicit Matth. *non poſſunt filii ſponſi lugere*: aliud autem eſt quod pertinet ad gaudium mentis in ſpiritualia ſuſpenſæ: & tale ieiunium conuenit perfectis. 2.2.q.147.a.4. *ad* 5.

OBEDIENTIA.

Quær. 1. vtrum obedientia ſit virtus; & obliget iure naturali, & diuino.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita etiā operationes humanæ procedunt ex humana voluntate: oportet autem in rebus humanis, quòd ſuperiores moueant inferiores per ſuam voluntatem ex vi authoritatis Diuinitùs ordinatæ: mouere autem per rationem, & voluntatem eſt præcipere: & ideo ſicut ex ipſo ordine naturali Diuinitùs inſtituto inferiora in rebus naturalibus neceſſe habent ſubiici motioni ſuperiorū; ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis, & diuini tenentur inferiores ſuis ſuperioribus obedire. 2. 2. *q.* 104. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 2. vtrum ex hoc quòd obedire non ſit gratuitum ſed debitum, diminuatur meritum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid poteſt iudicari gratuitum dupliciter: vno modo ex parte ipſius operis; quia ſcilicet homo ad id non obligatur: alio modo ex parte operantis, quia ſcilicet liberâ voluntate hoc facit: opus autem redditur virtuoſum & laudabile & meritorium præcipuè ſecundùm quod ex voluntate procedit: & ideo quamuis obedire ſit debitum, ſi prompta voluntate aliquis obediat, non propter hoc minuitur eius meritum; maximè apud Deum, qui non ſolùm exteriora opera, verùm etiam interiorem voluntatem videt. 2.2.q. 104. *a.* 1. *ad* 3.

Quær. 3. vtrum obedientia ſit ſpecialis virtus; & tantò promptior quantò præuenit ſuperioris præceptum cognita ipſius voluntate.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad omnia opera bona quæ ſpecialem habent laudis rationem ſpecialis virtus determinatur: hoc enim propriè competit virtuti, vt opus bonum reddat (ſicut dicitur 2. Eth.) obedire autem ſuperiori debitum eſt ſecundùm diuinum ordinem rebus inditum, & per conſequens eſt bonum, cùm bonum conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine, vt Aug. dicit in lib. de natura boni, habet autem hic actus ſpecialem rationem laudis ex ſpeciali obiecto: cùm enim inferiores ſuis ſuperioribus multa debeant exhibere, inter cætera hoc eſt vnum ſpeciale; quòd tenentur eorum præceptis obedire, vnde obedientia eſt ſpecialis virtus; & eius ſpeciale obiectum eſt præceptum, tacitum vel expreſſum: voluntas enim ſuperioris quocunque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum: Et tantò videtur obedientia promptior, quantò expreſſum præceptum obediendo præuenit voluntate ſuperioris intellectâ. *2.2.q.104.a.2. in corp.*

Qu.4. quomodo intelligi debeat illud D. Gregorij vlt. moral um, obedientia tantò magis eſt meritoria, & laudabilis, quantò minus habet de ſuo.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd obedientia ſicut & quælibet virtus debet habere promptam voluntatem in ſuum proprium obiectum, non autem in id quod repugnans eſt ei: proprium autem obiectum obedientiæ eſt præceptum, quod quidem ex alterius voluntate procedit: vnde obedientia reddit promptam hominis voluntatem ad implendum voluntatem alterius, ſcilicet præcipientis. Si autem id, quod ei præcipitur, ſit propter ſe ei volitum, etiam abſque ratione præcepti, ſicut accidit in proſperis, iam ex propria voluntate tendit in illud, & non videtur illud implere propter præceptum, ſed propter voluntatem propriam: ſed quando illud quod præcipitur, nullo modo eſt ſecundùm ſe volitum, ſed eſt ſecundùm ſe conſideratum propriæ voluntati repugnans, ſicut accidit in aſperis, tunc omnino manifeſtum eſt, quòd non impletur, niſi propter præceptum: & ideo Gregorius dicit ibidem, quòd *obedientia, quæ habet aliquid de ſuo in proſperis, eſt vel nulla vel minor*; quia ſcilicet voluntas propria non videtur principaliter tendere ad implendum præceptum, ſed ad aſſequendum proprium volitum, *in aduerſis autem vel difficilibus, eſt maior*: quia voluntas propria in nihil aliud tendit, quàm in præceptum.

Sed hoc intelligendum eſt ſecundùm id quod exteriùs apparet: ſecundùm tamen Dei iudicium, qui corda rimatur, poteſt contingere, quòd etiam in proſperis obedientia aliquid de ſuo habens non propter hoc ſit minùs laudabilis; ſi ſcilicet propria voluntas obedientis non minùs deuotè tendat ad impletionem præcepti. *2.2.q.104. a.2. ad 3.*

Qu.5. an ſubditi teneantur ſuis ſuperioribus in omnibus obedire: & vtrum homo teneatur obedire ſoli Deo quantùm ad interiores motus voluntatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd ſicut dictum eſt, obediens mouetur ad imperium præcipientis, quadam neceſſitate iuſtitiæ, ſicut res naturalis mouetur ex virtute ſui motoris neceſſitate naturæ: quòd autem aliqua res naturalis non moueatur à ſuo motore, poteſt contingere dupliciter: vno modo, propter impedimentum quod prouenit ex fortiori virtute alterius mouentis; ſicut lignum non comburitur ab igne, ſi fortior vis aquæ impediat: alio modo ex defectu ordinis mobilis ad motorē; quia etſi ſubiiciatur eius actioni quantùm ad aliquid non tamen quoad omnia; ſicut humor quādoque ſubiicitur actioni caloris quātùm ad calefieri, non tamen quantùm ad exſiccari ſiue conſumi. Et ſimiliter ex duobus poteſt contingere, quòd ſubditus ſuo ſuperiori non teneatur in omnibus obedire: vno modo propter præceptum maioris poteſtatis, vtenim ſuper; illud ad Rom. 13. *qui poteſtati reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, dicit Gloſſa, *ſi quid iuſſerit curator, nunquid eſt tibi faciendum, ſi contra Proconſulem iubeat? rurſum ſi quid Proconſul iubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur illo contempto iſti eſſe ſeruiendum? ergo ſi aliud Imperator, aliud Deus iubeat, contempto illo obtemperandum eſt Deo:* alio modo non tenetur inferior ſuo Superiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatûr, dicit enim Seneca in 3. de beneficiis, *errat, ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere; pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & aſcripta Dominis; mens quidem eſt ſui iuris:* & ideo in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire ſed ſolùm Deo.

Tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exteriùs per corpus ſunt agenda; in quibus tamen ſecundùm ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolùm Deo: quia omnes naturâ ſunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem: vnde non tenentur nec ſerui Dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda, aut aliquo alio huiuſmodi.

Sed in his, quę pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire ſecundùm rationem ſuperioris; ſicut miles Duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum; ſeruus Domino in his quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda; filius Patri in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam: & ſic de aliis. *2.2.q. 104. a. 5, in corp. 2. ſent. d. 44. q. 2. in expoſit. textus.*

Qu. 6. quomodo tria attendi debeant, & obſeruari in obedientia.

Reſp. D Thomas, dicendum quòd ſicut diuinâ prudentiâ reguntur res naturales quodam ordine, ita & res humanæ: in gubernatione autem rerum naturalium talis ordo attenditur, quòd Deus infima per ſuperiora mouet, ſicut habetur ab Aug. in 3. de Trin. & ſimiliter in rebus humanis oportet quòd inferiores à Deo mediantibus ſuperioribus gubernentur: mouent autem Prælati ſuos ſubditos per imperium: vnde

ſicut quilibet tenetur ſubeſſe diuinæ prouidentiæ, ita & obedite ſuis Prælatis. Sed in hac obligatione ſunt tria attendenda: quorum primum eſt, vt Prælatus iuſtè prælationis locum obtineat; aliàs ſi per potentiam occupauerit, non tenentur ſubditi ei obedire; niſi eius prælatio ſit ratificata per conſenſum ſubditorum, vel authoritatem alicuius ſuperioris: Secundum eſt, vt præcepta non proponat contraria diuinis præceptis: ſic enim præciperet contra ordinem diuinæ prouidentiæ: vnde ſubditi ei obedire non deberent; ſicut nec diuinæ prouidentiæ repugnare: Tertium eſt, vt præcepta proponat in his ad quæ ſe extendit ſua prælatio; aliàs ſubditi ei non tenerentur obedire; ſicut ſi Princeps ſæcularis vellet diſponere de ſpiritualibus ſuo præcepto. 2. *ſ. d. 45. q. 2. a. 1. in c.*

Qu. 7. an filii vel ſerui teneantur obedire parentibus, vel dominis quantùm ad matrimonium

Reſp. ſupra. v. *matrimonium qu. 26. & quatuor ſequentibus.*

Qu. 8. an filii aliique domeſtici teneantur obedire patriſamilias in omnibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm obedientia Prælato debeatur, ad illa ſe extendit debitum obedientiæ, ad quæ ſe extendit ius Prælationis: habet autem pater carnalis ius Prælationis in filium; primò quidem quantùm ad domeſticam conuerſationem: ſic enim eſt paterfamilias in domo, ſicut Rex in regno; vnde ſicut ſubditi Regis tenentur obedire Regi in his, quæ pertinent ad gubernationem regni, ita etiam filii & alij domeſtici tenentur obedire patrifamilias in his quæ pertinent ad diſpenſationem domus: Secundo quantùm ad morum diſciplinam, vnde apoſtolus dicit ad Heb. 12. *Patres quidem carnis noſtra habuimus eruditores, & obtemperabamus eis:* debet enim pater filio non ſolùm educationem, ſed etiam diſciplinam, vt Philoſophus dicit. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, & non in aliis. *quodlibeto 2. a. 9. in corp.*

Quær. 9. quomodo intelligatur illud Deuteron. 21. ſi genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audiat Patris imperium, lapidibus eum obruet populus ciuitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd loquitur ibi Moyſes de imperio paterno, quod pertinet ad diſciplinam morum: vnde ibidem dicitur, *monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuria atque conuiuiis.* ibid. ad 1.

Qu. 10. an Religioſus, qui emiſit votum obedientiæ, teneatur in omnibus Prælato obedire: & quomodo intelligi debeat illud D. Bernardi in lib. de diſpenſatione & præcepto, nil me Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat quàm promiſi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc partim conueniunt omnes, & partim ad inuicem diſſentiunt. Quòd enim Religioſus non teneatur Prælato obedire in

Digitized by Google

his quæ ſunt contra Deum, vel contra regulam, vel quantùm ad ea, in quibus Prælatis diſpenſatio non committitur, omnes communiter dicunt: quòd etiam in his, quæ ſunt arctiora quàm regula, obedire non teneatur, ſed ſic obedire ſit obedientiæ perfectæ, ab omnibus dicitur.

Sed circa indifferentia, vel ea quæ ſunt infra arctitudinem regulæ, aut æqualia regulæ, ſunt duæ opiniones: quibuſdam dicentibus, quòd obedire in huiuſmodi eſt de neceſſitate obedientiæ; alijs autem quòd non eſt de neceſſitate obedientiæ, ſed de perfectione: quæ quidem duæ opiniones etſi multùm differre videantur quantùm ad vocem, tamen quantùm ad rem parum, vel nihil differre inueniuntur. Nam ad regulam pertinere intelligenda ſunt non ſolùm ea, quæ ſunt expreſſa in regula, ſed etiam illa quæ quocunque modo ad regulam reducuntur; vtpote quæ pertinent ad obſequium fraternæ ſocietatis, & ad punitionem culparum; ad quæ duo ferè omnia huiuſmodi indifferentia poſſunt reduci.

Si tamen aliqua ſunt, quæ nullatenus ad regulam reducuntur, videtur eſſe verior opinio, quòd obedire in huiuſmodi non ſit de neceſſitate obedientiæ, ſed de perfectione, vt Bernardus manifeſtè dicit in lib. de præceptis, & diſpenſationibus: & hoc ideo, quia obedientia non ſe extendit vltra poteſtatem, vel ius Prælationis, quæ quidem ſecundùm regulam limitatur, *quodlib.* 10. *a.* 10. *in corp.* 2. *ſ.d.* 44. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5.

Qu. 11. *in quibus Religioſus teneatur obedire Prælatis ſuis: & quomodo triplex eſt obedientia, ſufficiens, perfecta, & indiſcreta.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Religioſi obedientiam profitentur quàntùm ad regularem conuerſationem, ſecundùm quam ſuis Prælatis ſubduntur: & ideo quantùm ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem conuerſationem pertinere; & hæc eſt obediẽtia ſufficiens ad ſalutem: ſi autem etiam in alijs obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſſionem regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui: vna *ſufficiens ad ſalutem*, quæ ſcilicet obedit in his ad quæ obligatur: alia *perfecta*, quæ obedit in omnibus licitis: alia *indiſcreta*, quæ etiam in illicitis obedit. 2. 2. *q.* 104. *a.* 5. *ad* 3.

Qu. 12. *an votum obedientiæ Religioſorum ſit vniuerſale: & cur aliqua ſub ipſo non cadunt, ſicut fricare barbam, leuare feſtucam de terra, & alia ſimilia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum obedientiæ ad Religionem pertinens, ſe extendit ad diſpoſitionem totius humanæ vitæ: & ſecundùm hoc votum obedientiæ habet quandam vniuerſalitatem, licèt non ſe extendat ad omnes particulares actus; quorum quidam ad Religionem non pertinent, quia non ſunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei, & proximi; ſicut confricatio barbæ, vel leuatio feſtucæ de terra, & ſi-

Digitized by Google

milia quæ non cadunt ſub voto, nec ſub obedientia: quidam verò etiam contrariantur Religioni. 2. 2.q.186.a.5.ad 4.

Quær. 13. an teneatur ſubditus obedire Prælato præcipienti reuelationem criminis occulti.

Reſp. infra v. *reus*, *&* v. *ſecretum.*

Quær. 14. quomodo ſit intelligendum, id quod beatus Benedictus in ſua regula dicit, ſi Prælatus aliquid impoſſibile præceperit, tentandum eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ideo dicitur: quia an aliquid ſit poſſibile ſubditus non debet ſuo iudicio diffinire, ſed iudicio ſuperioris in vnoquoque ſtare. 1.2. q. 13.a.5.ad 3.

Qu. 15. de qua obedientia loquatur ibi D. Benedictus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd beatus Benedictus loquitur de obedientia perfecta, quam omnes obedientiam profitentes ex honeſtate æmulari debent; non tamen obligantur ex neceſſitate. 2.*ſent. d.* 44. *quæſt.* 2, *a.* 3. *ad* 2. *quodl.* 10. *ad* 2.

Qu. 16. quenam ſit obedientia perfecta iuxta D. Bernardum.

Reſp. D. Thomas, B. Bernardus in libro de diſpenſatione, & præcepto dicit: *perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, non continetur profeſſionis Anguſtiis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, ſpontaneo vigore liberalis alacriſque animi (modum non conſiderans) in infinitum extenditur. In eodem a. 3. in corp.*

Qu. 17. cur ſicut ait D. Gregorius vlt. moralium nunquam per obedientiam malum debet fieri; aliquando autem per obedientiam bonum quod agitur, intermitti debet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt bonum: quoddam, ad quod faciendum homo ex neceſſitate tenetur, ſicut amare Deum vel aliquid huiuſmodi; & tale bonum nullo modo debet propter obedientiam prætermitti: eſt autem aliud bonum, ad quod homo non tenetur ex neceſſitate, & tale bonum debet homo quandoque propter obedientiam prætermittere, ad quam ex neceſſitate homo tenetur, quia non debet homo aliquod bonum facere culpam incurrendo: & tamen ſicut ibidem Gregorius dicit: *qui ab vno quolibet bono ſubiectos vocat, neceſſe eſt vt multa concedat, ne obedientiæ mens funditus intereat, ſi à bonis omnibus repulſa penitus ieiunet*: & ſic per obedientiam, & alia bona poteſt damnum vnius boni recompenſari. 2. 2. q.104.a.3.ad 3.

Qu. 18. an ſit magis meritorium obedire Prælato quàm fratri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis actus poteſt dici magis meritorius dupliciter: vno modo ex genere operis; & ſic ille actus eſt magis meritorius, qui eſt excellentioris virtutis: manifeſtum eſt autem, quòd latria, per quam aliquis ſeruit Deo, eſt excellentior

virtus, quàm beneficentia, quâ quis ſatisfacit proximo; ſicut & diligere Deum eſt magis meritorium, quàm diligere proximum: quòd autem aliquid fiat ad dictum fratris pertinet ad amicitiam, vel beneficentiam, quâ quis diligit proximum; quòd autem obediatur Prælato inquantum eſt Dei miniſter, pertinet ad Religionem, quâ quis colit & diligit Deum: & ideo eſt magis meritorium, quòd aliquis faciat aliquid obediens Prælato, vel ſeruans votum, quàm ſi aliquid faciat ad dictum fratris.

Alio modo poteſt dici aliquis actus magis meritorius ex eo, quòd procedit ex maiori charitate, licèt ſit minor ex ſuo genere; & ſic nihil prohibet magis mereri illum, qui facit aliquid ad dictum fratris. *quodlib. 6. a. 11. in corp.*

Qu. 19. quænam ſit differentia inter obedientiam Religioſorum, & ſecularium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per votum obedientiæ ſupponitur Religioſus Prælato ſuo quantùm ad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ, licèt non quantùm ad omnes actus particulares: ſæcularis autem ſuo Prælato obedire tenetur quantùm ad aliquos actus ſpeciales, non quantùm ad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ. *quodlibeto 10. a. 10. ad 3.*

Qu. 20. an ſit magis obediendum in omnibus poteſtati ſuperiori, quàm inferiori v. g. Papæ, quàm Epiſcopus aut Archiepiſcopus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſtas ſuperior, & inferior dupliciter poſſunt ſe habere: aut ita quòd inferior poteſtas ex toto oriatur à Superiori; & tunc tota virtus inferioris fundatur ſuper virtutem ſuperioris: & tunc ſimpliciter & in omnibus eſt magis obediendum poteſtati ſuperiori, quàm inferiori: ſicut etiam in naturalibus *cauſa prima plus influit ſupra cauſatum cauſa ſecunda, quàm etiam ipſa cauſa ſecunda*, vt in lib. de cauſis dicitur: & ſicut ſe habet poteſtas Dei ad omnem poteſtatem creatam, ſic etiam ſe habet poteſtas Imperatoris ad poteſtatem Proconſulis: ſic etiam ſe habet poteſtas Papæ ad omnem ſpiritualem poteſtatem in Eccleſia: quia ab ipſo Papa gradus dignitatum diuerſi in Eccleſia, & diſponuntur, & ordinantur: vnde eius poteſtas eſt quoddam Eccleſiæ fundamentum, vt patet Math. 16. & ideo in omnibus magis tenemur obedire Papæ, quàm Epiſcopis, vel Archiepiſcopis, vel Monachus Abbati abſque vlla diſtinctione.

Poteſt iterum poteſtas ſuperior, & inferior ita ſe habere, quòd ambæ oriantur ex vna quadam ſuprema poteſtate, quæ vnam alteri ſubdit ſecundùm quòd vult: & tūc vna non eſt ſuperior alterâ, niſi in his in quibus vna ſupponitur alteri à ſuprema poteſtate: & in illis tantùm eſt magis obediendum ſuperiori, quàm inferiori: & hoc modo ſe habent poteſtates, & Epiſcopi & Archiepiſcopi deſcendentes à Papæ poteſtate. *4. ſent. d. 44. q. 2. a. 4. in corp. 2. ad Hann. d. 45. q. 2. a. 2.*

Qu. 21. an ſit magis obediendum poteſtati ſpirituali quàm ſeculari.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſtas ſpiritualis, & ſæcularis vtraque deducitur à poteſtate diuina: & ideo intantum ſæcularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, inquantum eſt ei a Deo ſuppoſita; ſcilicet in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent; & ideo in his magis eſt obediendum poteſtati ſpirituali, quàm ſæculari.

In his autem quæ ad bonum ciuile pertinent, eſt magis obediendum poteſtati ſæculari, quàm ſpirituali, ſecundùm illud Matthei 22. *reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c.* Niſi fortè poteſtati ſpirituali etiam ſæcularis poteſtas coniungatur, ſicut in Papa, qui vtriuſque poteſtatis apicem tenet (ſcilicet ſpiritualis, & ſæcularis) hoc illo diſponente, qui eſt Sacerdos, & Rex in æternum. 2. *ſ. d.* 44. *a.* 4. *ad* 4.

Qu. 22. in quibus ſæcularis teneatur obedire Prælatis ſpiritualibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi, qui obedientiam non profitentur, non tenentur in omnibus obedire ſpiritualibus Prælatis, niſi in illis, quæ pertinent ad regulam, quam in baptiſmo profeſſi ſunt; vt ſcilicet abrenuntiantes ſatanæ, & omnibus pompis eius, & chriſtianam vitam agere profitentes, *induant nouum hominem qui ſecundùm Deũ creatus eſt* 2.*ſ.d.*44.*q.*2.*a.*3.*ad*5.

Qu. 23. an Chriſtiani teneantur obedire ſæcularibus poteſtatibus, iuxta illud ad Titum.3.admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe: & 1. Petri 2. ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum;ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus ab eo miſſis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fides Chriſti eſt iuſtitiæ principium, & cauſa ſecundùm illud Rom. 3.*Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti*; & ideo per fidem Chriſti non tollitur ordo iuſtitiæ, ſed magis firmatur: ordo autem iuſtitiæ requirit, vt inferiores ſuis ſuperioribus obediant:aliter enim non poſſet humanarum rerum ſtatus conſeruari; & ideo per fidem Chriſti non excuſantur fideles, quin principibus ſæcularibus obedire teneantur. 2. 2. *q.* 104. *a.* 6. *in corp.*

Quæritur 24. quando non ſit obediendum Principibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Principibus ſæcularibus intantum homo obedire tenetur, inquantum ordo iuſtitiæ requirit: & ideo ſi non habeant iuſtum Principatum, ſed vſurpatum; vel ſi iniuſta præcipiant,non tenentur eis ſubditi obedire; niſi fortè per accidens propter vitandum ſcandalum, vel periculum. 2.2.*q.*104. *a.* 6. *ad* 3.

Quær. 25. cui magis obedire debeat miles Parentibus an Duci exercitus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm ea, quæ pertinent propriè ad propriam perſonam alicuius, plus debet exhibere dilectionis effectum parentibus, quàm extraneis;niſi fortè inquantum ex bono alicuius extranei penderet bonum commune, quod etiam ſibi ipſi imponere quiſque debet; vt cùm aliquis ſeipſum periculo mortis exponit ad ſaluandum...

Digitized by Google

dum in bello Ducem exercitus, vel in Ciuitate Principem Ciuitatis, inquantum ex eis dependet ſalus totius Communitatis: ſed ſecundùm ea, quæ pertinent ad aliquid ratione alicuius adiuncti vtpote inquantum eſt Ciuis, vel miles, plus debet obedire Rectori Ciuitatis, vel Duci, quàm patri. *q.2. de virt. a.9. ad 15.*

Qu. 26. vtrum obedientia ſit maxima virtum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut peccatum conſiſtit in hoc quòd homo, contempto Deo, commutabilibus bonis inhæret, ita meritum virtuoſi actus conſiſtit in hoc quòd homo, contemptis bonis creatis, Deo inhæret ſicut fini: finis autem potior eſt his quæ ſunt ad finem. Si ergo bona creata propter hoc contemnantur, vt Deo inhæreatur, maior eſt laus virtutis ex hoc quòd Deo inhæret, quàm ex hoc quòd bona terrena contemnit: & ideo illæ virtutes, quibus ſecundùm ſe Deo inhæretur, ſcilicet theologicæ, ſunt potiores virtutibus moralibus, quibus aliquid terrenum contemnitur vt Deo inhæreatur: inter virtutes autem morales tantò aliqua potior eſt, quantò aliquis maius aliquid contemnit vt Deo inhæreat: ſunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo poteſt contemnere propter Deum; quorum infimum ſunt exteriora bona; medium autem ſunt bona corporis; ſupremum autem ſunt bona animæ, inter quæ quodammodo præcipuum eſt voluntas, inquantum ſcilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis vtitur: & ideo per ſe loquendo laudabilior eſt obedientiæ virtus, quæ propter Deum cõtemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum alia bona contemnunt: vnde Gregor. dicit in vlt. moral. quòd *obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Vnde etiam quæcunque alia virtutum opera ex hoc meritoria ſunt apud Deum, quòd fiunt vt obediatur voluntati diuinæ: nam ſi quis etiam martyrium ſuſtineret, vel omnia ſua pauperibus erogaret, niſi hoc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis (quod directè ad obedientiam pertinet) meritoria eſſe non poſſent, ſicut nec ſi fierent ſine charitate, quæ ſine obedientia eſſe non poteſt: dicitur enim 1. Ioan. 2. quòd qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt: qui autem ſeruat verba eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt: & hoc ideo eſt quia amicitia facit idem velle & nolle. *2.2.q.104.a.3.*

Qu. 27. quomodo ſicut ait D. Gregorius vlt. mor. obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad obedientiam pertinent omnes actus virtutum prout ſunt in præcepto: inquantum ergo actus virtutum operantur cauſaliter vel diſpoſitiuè ad earũ generationem & conſeruationem, intantum dicitur quòd obedientia omnes virtutes inſerit & cuſtodit. *ibid. ad 2. 2.ſ.d.44.q.2.a.1. ad 6.*

Quær. 28. quomodo ſicut ait idem D. Gregorius, obedientia non tam eſt virtus, quàm mater omnium virtutum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vna virtus poteſt ex alia dupliciter oriri: vel per modum cauſæ finalis, & hoc modo virtus ex alia dicitur oriri, quando actus eius ad finem alterius virtutis ordinatur: & per hunc modum charitas, cuius obiectum eſt finis vltimus, omnium virtutum mater dicitur: alio modo, ſecundùm quòd ex actibus vnius virtutis vel cauſatur alia virtus, vel conſeruatur; & obedientia hoc modo *virtutum mater* dicitur; quia ad hoc præcepta ſuperiorum ordinantur, vt ad virtutes inducant, præcipiendo ipſos actus virtutum, qui virtutes politicas cauſant conſuetudinem inducentes, & ad virtutes infuſas diſponunt. 2. *ſ. d.* 44. *quaſt.* 2. *a.* 1. *ad* 6.

Quær. 29. an fuerit conueniens quòd Chriſtus ex obedientia moreretur, iuxta illud ad Philipp. 2. factus eſt obediens vſque ad mortem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cõuenientiſſimum fuit quòd Chriſtus ex obedientia pateretur. Primò quidem quia hoc conueniebat iuſtificationi humanæ, vt *ſicut per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius hominis obedientiam iuſti conſtituantur multi*; vt dicitur Rom. 5. ſecundò hoc conueniens fuit reconciliationi Dei ad homines: vnde dicitur Rom. 5. *reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius*, inquantum ſcilicet ipſa mors Chriſti fuit quoddam ſacrificium acceptiſſimum Deo; ſecundùm illud Epheſ. 5. *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*. Obedientia verò omnibus ſacrificiis antefertur, ſecundùm illud 1. Reg. 15. *melior eſt obedientia quàm victima*: Et ideo conueniens fuit vt ſacrificium paſſionis & mortis Chriſti ex obedientia procederet. Tertiò, hoc conueniens fuit eius victoriæ, quâ de morte, & authore mortis triumphauit: non enim miles vincere poteſt, niſi duci obediat: Et ita homo Chriſtus victoriam obtinuit per hoc quòd Deo fuit obediens, ſecundùm illud Prou. 11. *vir obediens loquetur victorias* 3. *p. q.* 47. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 30. Cur Apoſt. ad Philipp. 2. bona eorum opera commemorans, ſpecialiter mentionem facit obedientiæ.

Reſp. D. Thomas, facit mentionem de obedientia, commendando bona eorum: Et hoc ideo, quia per obedientiam intelligitur omnis virtus, quia ex hoc eſt homo iuſtus, quòd mandata Dei cuſtodit. Rom. 6. *ſerui eſtis eius cui obediſtis, ſiue peccati ad mortem ſiue obeditionis ad iuſtitiam* &c. item omne bonum quantũcunque bonum eſt per ſe, per obedientiam redditur melius. Prou. 21. *vir obediens loquetur victorias*. Item quia obedientia inter alias eſt maxima: nam offerre de rebus exterioribus eſt magnum; ſed maius ſi de corpore; maximum autem ſi de anima & voluntate tua, quod fit per obedientiam 1. Reg. 15. *melior eſt obe-*

Digitized by Google

dientia quàm victima, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum &c. ſed ſi ſic feciſtis, hortor vt adhuc ſic faciatis de cætero. ad Philip. 2. lect. 3.

Qu. 31. quomodo per Bethaniam ſignificatur domus obedientiæ, per quam homo perficitur in vita actiua & contemplatiua.

Reſp. D. Thomas, Bethania villa quædam erat prope Hieruſalem vbi Dominus conſueuerat frequenter hoſpitari, & interpretatur domus obedientiæ. Per quod datur intelligi, quòd ſi infirmus ſit Deo obdiens, poteſt ab eo de facili curari, ſicut infirmus obediens medico, faciliùs ab eo beneficium conſequitur ſanitatis 4. Reg. 5. dixerunt ſerui Naaman ad eum, *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, facere debuiſſes.* Iſta Bethania Caſtellum erat Mariæ & Marthæ ſororum Lazari, per quas duplex vita ſignatur, actiua ſcilicet & contemplatiua, vt ſic per hoc detur intelligi, quòd per obedientiam homo perfectus redditur in vita actiua & contemplatiua. *In expoſ. eiuſd. cap. l. 1.*

Qu. 32. cur in principio reparationis noſtræ, & in ipſo Euangelii initio Matth. 1. proponitur obedientia.

Reſp. D. Thomas, nota quòd quia per inobedientiam primi hominis prolapſi in peccatum Rom. 5. per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: Deo in principio reparationis noſtræ proponitur obedientia. Et poſſumus quatuor notare quæ ſunt neceſſaria ad obedientiam. Primum eſt vt ſit ordinata: Et dico ordinata, quia primò deſerenda ſunt vitia, & poſtea obediendum eſt ad operationem virtutū. Hier. 4. *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas* &c. & ideo hîc dicitur quòd Ioſeph exurgens à ſomno (pigritiæ ſcilicet & dubietatis) de hoc ſomno dicitur Epheſ. 5. *ſurge qui dormis, & exurge à mortuis.* Secundum verò eſt, quòd debet eſſe feſtina: Et hoc eſt quod dicitur Eccl. 5. non differas de die in diem &c. Et ideo hic dicitur quòd ſtatim fecit ſicut & gloſſa, quiſquis à Deo mouetur, ſoluat moras, ſurgat à ſomno, faciat quod iubetur. Tertium verò quòd debet eſſe perfecta & non ſolùm quod iubetur, ſed eo modo quo iubetur fiat, & quo eis imperatur. Vnde hîc dicitur, *ſicut præceperat*, Gloſſa perfecta, obedientia. Col. 3. *filii obedite parentibus per omnia.* Quartum quòd debet eſſe diſcreta, vt obediatur cui obediendum eſt, & in quo vt non fiat aliquid contra: vnde dicit quòd fecit ſicut præcepit ei Angelus, non malus, ſed Dei; Ioan. 4. *Nolite omni ſpiritui credere ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum &c. in expoſ. eiuſd. cap.*

Qu. 33. cur ad Hebræos 13. Apoſtolus ait, obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quòd duo debemus Prælatis: ſcilicet obedientiam vt ipſorum mandata impleamus: vnde dicit (*obedite*) 1. Reg. 15. melior eſt

Digitized by Google

obedientia quàm victimæ: item reuerentia, vt eos honoremus tanquam Patres, & ipſorum diſciplinam toleremus: & ideo dicit (ſubiacete eis) 1. Petri 2. *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ*: Roman. 13. qui poteſtati reſiſtit; Dei ordinationi reſiſtit. Rationem ſubiectionis ſubdit dicens (*ipſi enim peruigilant*) ideſt perfectè vigilant Ro. 12. *qui præeſt in ſollicitudine*: vigilare enim ſuper gregem commiſſum incumbit Prælatis: vnde Lucæ 1. dicitur, Paſtores, per quos deſignantur Prælati, erant vigilantes cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum: quia dum dormiunt homines inimicus homo ſuperſeminat zizania in medio tritici: vt dicitur Math. 16. quantùm autem ad periculum quod imminet, dicit, *quaſi pro animabus veſtris reddituri rationem*. Hoc eſt maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit 3. Reg. 20. *cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius*. Reddent enim Prælati in die iudicij rationem de ſibi commiſſis, quando fiet eis illa quæſtio. Hier. 13. vbi eſt grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cùm viſitauerit te? Tu enim docuiſti eos aduerſum te, ſcilicet loquendo bona, & faciendo mala, & erudiſti in caput tuum, per mala tua exempla. Greg. *ſcire debent Prælati, quòd tot mortibus digni ſunt, quot exempla perditionis ad ſubditos tranſmittunt*. Prou. 6. *Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illa queatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum, liberas quia incidiſti in manum proximi tui; diſcurre, feſtina. Suſcita amicum tuum &c.* Prælatus enim manu, ideſt exemplo boni operis, & ore, ideſt prædicatione obligat ſe Chriſto pro ſubditis. *In expoſ. illius cap. l. 3.*

Quær. 34. cur ibidem ſubdit Apoſt. vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

Reſp. D. Thomas, ſi igitur peruigilant, quaſi reddituri rationem pro nobis: & nos debemus, quod in nobis eſt facere, ſcilicet obedire, & non rebellare, *vt ipſi cum gaudio hoc faciant, & non gementes*, ſuſtineant periculum & laborem pro nobis cum gaudio, & non cum gemitu, quia bonus Prælatus multùm gaudet, quando videt ſubditos benè operantes, quia tunc labor ſuus non eſt inanis. Ioan. 3. maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare. Philip. 4. *Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi gaudium meum & corona mea, & ſic in ſtate in Domino chariſſimi.* Ipſi autem gemunt in rebellione veſtra, Galat. 4. *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. Hier. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrimarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* gemunt etiam compatiendo, quando propter rebellionem noſtram non conſequimur fructum laborum ipſorum, qui eſt fructus æternæ hæreditatis. Eſa. 33. *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt*. Subdit autem rationẽ, quare debemus obedire eis, quia *hoc enim non expedit vobis*, quòd ſcilicet ipſi

gemant pro vobis ex rebellione noſtra, Deus enim vindicabit pro ipſis. Pſal. 105. *Irritauerunt Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum Domini, aperta eſt terra, & deglutauit Dathã, & operuit ſuper Congregationem Abiron*. Eſa. 63. *Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt eum, & afflixerunt Spiritum ſanctum eius*. Sequitur, *& conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos*. Nota autem, quòd dicit, *non expedit vobis*, non enim dicit, non expedit illis: gemere enim pro commiſſis ſubditorum benè expedit Prælatis. Sic gemebat Samuel ſuper reprobatione Saülis, 1. Reg. 15. & 16. *ibidem*.

Qu. 35. quomodo intelligatur illud 1. Pet. 2. ſerui ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis: hac eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè; qua enim eſt gratia, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hac eſt gratia apud Deum.

Reſp. D. Thomas, hortatur ſeruos ad ſubiectionem dicẽs: *ſubiecti eſtote*, ſubiectione obedientiæ & reuerẽtiæ, *In omni timore*. Omne enim & totum & perfectum dicimus idem, ideſt in timore filiali, vel in omni timore, ſcilicet interiori & exteriori. *Non tantùm bonis*, quoad Deum. Gloſſa, fide, vita, motibus, *& modeſtis*, quoad proximum moderatè ſcilicet imperantibus & condonantibus quando commiſſum eſt aliquid contra eos, *ſed etiam diſcolis*, indiſciplinatas, & indoctis. Gloſſa, *diſcoli, indocti, & agreſtes*. Alia littera habet, *difficilioribus*, quales ſunt illi qui nihil gratãter accipiunt ſimiles Holoferni. Nec tamen iſta facientes ferocitatem pectoris eius mitigarunt, Iudith 3. *hac eſt enim gratia*, ideſt, in hoc acquiritur Dei gratia. Gloſſa: per hanc efficitur homo gratus Dei, *ſi propter Dei conſcientiam*, ideſt bonam conſcientiam deitatis confortamini, in qua & habitat Deus. Vel propter conſcientiam Dei, ideſt propter intentionem placendi Deo, quia Deus ſit nobiſcum. Vel *propter miſericordiam Dei*, ideſt fidem Dei, vt ponatur conſcientia pro fide, ſicut è cõtrario. Rom. 14. Omne quod nõ eſt ex fide, peccatũ eſt. *Suſtinet quis*, ſcilicet patienter ſine murmuratione cordis. Et dicit *ſuſtinet*, ideſt ſenſualitatem ſub ratione tenet, ne ſcilicet ratio ſuccumbat. *Triſtitias*, ideſt pœnas à Dominis illatas, vnde ſolet oriri triſtitia. Patiens iniuſtè, ideſt, ſine merito ſuo. Patitur enim quis iuſtè, cùm patitur per peccatum: patitur iniuſtè, cùm ſine ſuis demeritis patitur, ſed vt ſoli Deo placeat, vt poſſit dicere illud Pſal. *Propter te ſuſtinui opprobrium, &c. qua enim eſt gratia*, ideſt, acquiritur, vel debetur ex hoc. *Si peccãtes*, ideſt, rebelles in ſeruitio dominorũ nolentes eis ſeruire. *Et colaphizati*, ideſt, colaphis cæſi à Dominis propter hoc, vt dicit Gloſſa. Vt ad obedientiam inducamini, *ſuffertis*, ideſt, ſuſtinetis. Gloſſa, ideſt ſi exteriorem pœnam ſuffertis, & non amore iuſtitiæ, nullum præmium accipietis, *ſed ſi benè facientes*, ideſt, quamuis benè facientes, & dominis veſtris, vt debetis obedientes, *patientes*, ſine murmuratione & indignatione, *ſuſtinetis*, Gloſſa, mala illata à Dominis. *Hac eſt gratia*, ideſt, per hoc ac-

quiritur gratia, *apud Deum*, patientiæ veſtræ remuneratorem, ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati. *In expoſ. eiuſd. cap.*

Quær. 36. an & quare propter obedientiæ votum Religio eſt ſtatus ſummæ perfectionis, & ſummæ pœnitentiæ.

Reſp. infra. v. *Perfectio. Pœnitentia. Religio. Votum.*

OBLATIO.

Qu. 1. vtrum homines teneantur ad oblationes, iuxta illud D. Gregorii: omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nomen oblationis commune eſt ad omnes res quæ in cultum Dei exhibentur: ita quòd ſi aliquid exhibeatur in cultum diuinum, quaſi in aliquod ſacrum quod inde fieri debeat conſumendum, & oblatio eſt, & ſacrificium: vnde Exodi 29. dicitur, *offeres totum arietem in incenſum ſuper Altare, oblatio eſt Domino, odor ſuauiſſimus victima Dei*, & Leuit. 2. dicitur, *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit eius oblatio:* ſi verò ſic exhibeatur, vt integrum maneat diuino cultui deputandum, vel in vſus miniſtrorum expendendum, erit oblatio, & non ſacrificium. Huiuſmodi ergo oblationes de ſui ratione habent, quòd voluntariè offerantur, ſecundùm illud Exodi 25. *ab homine, qui offert Vltroneus, accipietis eas.*

Poteſt tamen contingere, quòd aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. Primò quidem ex præcedenti conuentione; ſicut cùm alicui conceditur aliquis fundus Eccleſiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem cenſus. Secundò, propter præcedentem deputationem, ſiue promiſſionem; ſicut cùm aliquis offert donatione inter viuos, vel cùm relinquit in teſtamento, Eccleſiæ aliquam rem mobilem vel immobilem in poſterum ſoluendam. Tertio modo, propter Eccleſiæ neceſſitatem; puta ſi miniſtri Eccleſiæ non haberent vnde ſuſtentarentur. Quartò, propter conſuetudinem: tenentur enim fideles in aliquibus ſolemnitatibus ad aliquas oblationes conſuetas. Tamen in his duobus vltimis caſibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, ſcilicet quantùm ad quantitatem, vel ſpeciem rei oblatæ. 2.2.q. 86.a.1.in corp.

Quær. 2. quomodo & à quibus puniri poſſint illi, qui oblationes debitas non reddunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui oblationes debitas non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem Sacramentorum; non per ipſum Sacerdotem, cui ſunt oblationes faciendæ, ne videatur per Sacramentorum exhibitionem aliquid exigere, ſed per ſuperiorem aliquem. 2. 2. q. 86. a. 1. ad 3.

Quær. 3. an ſolis Sacerdotibus debeantur oblationes, ſicut dicit canon Damaſi Papæ, & habetur 10. q. 1. oblationes quæ intra ſanctam Ec-

Digitized by Google

cleſiam offeruntur, tantummodo ſacerdotibus, qui quotidie Domino ſeruire videntur, licet comedere, & bibere; quia in veteri teſtamento prohibuit Dominus panes ſanctos comedere filiis Iſraël niſi tantummodo Aaron & filiis eius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacerdos quodammodo conſtituitur ſequeſter & medius inter populum & Deum, ſicut de Moyſe legitur Deut. 5. & ideo ad eum pertinet diuina dogmata, & Sacramenta exhibere populo; & iterum ea quæ ſunt populi (puta preces & ſacrificia & oblationes) per eum Domino debent exhiberi, ſecundùm illud Apoſtoli ad Heb. 5. *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in eis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.*

Et ideo oblationes quæ Deo à populo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non ſolùm vt eas in ſuos vſus conuertant, verùm etiam vt fideliter eas diſpenſent; partim quidem expendendo eas in his, quæ pertinent ad cultum Diuinum, partim verò in his, quæ pertinent ad proprium victum; quia qui Altari deſeruiunt, cum Altari participant, vt dicitur primæ ad Cor. 9. partim etiam in vſus pauperum, qui ſunt (quantùm fieri poteſt) de rebus Eccleſiæ ſuſtentandi: quia & Dominus in vſum pauperum loculos habebat, vt Hieronymus dicit ſuper Matth. 2. 2. *q.* 86. *a.* 2. *in corp.*

Quæritur 4. an Monachi, & alij Religioſi poſſint oblationes recipere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Monachi, ſiue alij Religioſi poſſunt oblationes recipere tripliciter: vno modo ſicut pauperes, per diſpenſationem Sacerdotum, vel ordinationem Eccleſiæ: alio modo, ſi ſint miniſtri Altaris, tunc poſſunt accipere oblationes ſponte oblatas: tertio modo, ſi Parochiæ ſunt eorum: & tunc ex debito poſſunt accipere oblationes tanquam Eccleſiæ rectores. 2. 2. *q.* 86. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 5. an oblationes poſſint dari vel etiam vendi Laicis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oblationes poſtquam fuerint conſecratæ, non poſſunt cedere in vſum laicorum, ſicut vaſa, & veſtimenta ſacra, & hoc modo intelligitur dictum Damaſi Papæ. Illa verò quæ non ſunt conſecrata, poſſunt in vſum Laicorum cedere ex diſpenſatione Sacerdotum; ſiue per modum donationis, ſiue per modum venditionis, 2. 2. *q.* 86. *a.* 2 *ad* 3.

Qu. 6. an poſſint fieri oblationes de bonis ſiue iuſte, ſiue iniuſte acquiſitis, & poſſeſſis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini, *ſi deprædareris aliquem inualidum, & de ſpolijs eius dares alicui Iudici, ſi pro te iudicaret, tanta vis eſt iuſtitiæ vt & tibi diſpliceret: non eſt talis Deus tuus, qualis non debes eſſe nec tu*, & ideo dicitur Eccl. 24. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*: vnde patet quòd de iniuſtè acquiſitis, & poſſeſſis non poteſt oblatio fieri. In veteri autem lege, in qua figuræ ſeruie-

batur, quædam propter ſignificationem reputabantur immunda, quæ offerre non licebat.

Sed in lege noua omnis creatura Dei reputatur munda, vt dicitur ad Titum primo. Et ideo quantùm eſt de ſe, de quolibet licitè poſſeſſo poteſt oblatio fieri. Per accidens autem contingit quòd de aliquo licitè poſſeſſo oblatio fieri non poteſt; puta ſi vergat in detrimentum alterius: vt ſi filius alicuis offerat Deo id vnde debet patrem nutrire, quod Dominus improbat Matth. 15. vel propter ſcandalum, vel propter contemptum, vel aliquid aliud huiuſmodi. 2.2.q.86.a.3.*in corp.*

Quær. 7. cur prohibeantur oblationes ex lucro meretricio Deut. 23. non offeres mercedem proſtibuli in domo Domini Dei tui.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in veteri lege prohibebatur oblatio de mercede proſtibuli, propter immunditiam: in noua autem lege propter ſcandalum; ne videatur Eccleſia fauere peccato, ſi de lucro peccati oblationem recipiat. 2.2.q.86.a.3. *ad* 1.

Quær. 8. cur potius ex huiuſmodi lucro meretricio poſſint fieri eleemoſynæ quàm oblationes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de tali lucro non debet fieri oblatio ad altare (præcipuè manifeſtè) propter ſcandalum, & reuerentiam ſacrorum, vel ſceleris abominationem: ſed hæ cauſæ non prohibent, quin ex tali eleemoſyna fieri poſſet. 4.ſ.d.15. q. 2. a.4. q.3. ad 1.

Quær. 9. an ſubſiſtat prohibitio offerendi pretium canis, quæ habetur deuter. 23.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd canis ſecundùm legem reputabatur animal immundum: alia tamen animalia immunda redimebantur, & eorum pretium poterat offerri, ſecundùm illud leuit. vlt. *ſi immundum animal eſt, redimet qui obtulerit*: ſed canis nec offerebatur, nec redimebatur: tum quia idololatræ canibus vtebantur in ſacrificiis idolorum: tum etiam quia ſignificat rapacitatem, de qua non poteſt fieri oblatio. Sed hæc prohibitio ceſſat in noua lege. 2.2. q.86.a.3. *ad* 2.

Quær. 10. vtrum adhuc ſubſiſtat prohibitio offerendi animal maculatum, ſicut dicitur Malach. 1. ſi offeratis claudum, & languidum, nonne malum eſt?

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oblatio animalis cæci, vel claudi reddebatur illicita tripliciter: vno modò, ratione eius quod offerebatur, vt dicitur Malachiæ primo, *ſi offeratis cæcum immolandum, nonne malum eſt?* Sacrificia autem oportebat eſſe immaculata: ſecundò, ex contemptu; vnde ibidem ſubditur, *vos polluiſtis nomen meum in eo, quod dicitis, menſa Domini contaminata eſt, & quod ſupponitur contemptibile eſt*: tertio modo, ex voto præcedenti, ex quo obligatur homo, vt integrum reddat quod vouit: vnde ibidem ſubditur, *maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.*

Et hæ

Et hæ cauſæ manent in lege noua, quibus tamen ceſſantibus non eſt illicitum. 2. 2. *quæſt*. 86. *a*. 3. *ad* 3.

Oblatio parua, cum humili mente, & pura dilectione, purgat peccata venialia, & mortalia. Ita D. Thomas 2.2.q. 50. *a*. 3. *ad* 2. *ſic citatur in tabula Bergomenſis licet exactiſſima; & in omnibus Theologiæ ſummis quas recuperare potui (exceptâ illâ quam edidit P. Nicolaus, in cuius indice hæc propoſitio non habetur) ſed tamen citatio falſa eſt; & quamuis legendo omnia ſancti Doctoris opera, plures alias citationes correxerim, & mihi videar alicubi prædictam legiſſe ſententiam, nihilominus modo locus non venit in mentem, & aliunde vrget impreſſio.*

OBLIGATIO.

Quæritur 1. *vtrum ex qualibet promiſſione inſurgat obligatio.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligatur, & hæc eſt obligatio iuris naturalis: ſed ad hoc quòd aliquis obligetur ex aliqua promiſſione ciuili; quædam alia requiruntur. 2.2.*q*.88.*a*.3.*ad* 1.

Qu. 2. *quomodo excuſetur homo ab obligatione ſeruandi promiſſum: & in qua ætate poſſit ſe obligare.*

Reſp. ſupra v. *mendacium qu*. 7. & infra v. *Promiſſio. Sponſalia. votum*.

OBSERVANTIA.

Quær. 1. *vtrum obſeruantia ſit ſpecialis virtus, per quam cultus & honor exhibetur perſonis in dignitate conſtitutis.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd neceſſe eſt, vt eo modo per quemdam ordinatum deſcenſum diſtinguantur virtutes, ſicut excellentia perſonarum, quibus eſt aliquid reddendum. Sicut autem carnalis pater particulariter participat rationem Principij, quæ vniuerſaliter inuenitur in Deo: ita etiam perſona, quæ quantùm ad aliquid prouidentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem patris: quia pater eſt principium & generationis, & educationis, & diſciplinæ, & omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent. Perſona autem in dignitate conſtituta, eſt ſicut principium gubernationis reſpectu aliquarum rerum, ſicut Princeps ciuitatis in rebus ciuilibus, Dux autem exercitus in rebus bellicis, magiſter autem in diſciplinis, & ſimile eſt in aliis: Et inde eſt quòd omnes tales perſonæ patres appellantur propter ſimilitudinem curæ: Sicut 4. Reg. 5. Serui Naaman dixerunt ad eum, *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, &c.* Et ideo ſicut ſub religione, per quam cultus tribuitur Deo, quodammodo inuenitur pietas, per quam coluntur parentes; ita ſub pietate inuenitur obſeruantia, per quam cultus, & honor exhibetur perſonis in dignitate conſtitutis. 2. 2. *q*. 102. *a*. 1. *in corp*.

Qu. 2. *an debeamus cultum & honorem perſonis in dignitate conſtitutis, etiamſi non ſimus eis ſubiecti.*

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt debitum: vnum quidem legale, ad quod reddendum homo lege compellitur; & ſic debet homo honorē & cultum his qui ſunt in dignitate conſtituti, prælationem ſuper ipſum habentes: Aliud autem eſt debitum morale, quod ex quadam honeſtate debetur: & hoc modo debemus cultum & honorem his, qui ſunt in dignitate conſtituti, etiamſi non ſimus eis ſubiecti. 2. 2. *q.* 102. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 3. *vtrum obſeruantia ſit maior virtus quàm pietas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perſonis in dignitate conſtitutis poteſt aliquid exhiberi dupliciter: vno modo, in ordine ad bonum cōmune, puta cùm aliquis eis ſeruit in adminiſtratione reipublicæ, & hoc iam non pertinet ad obſeruantiam, ſed ad pietatem, quæ cultum exhibet non ſolùm patri, ſed etiam patriæ: Alio modo exhibetur aliquid perſonis in dignitate conſtitutis, pertinens ſpecialiter ad perſonalem eorum vtilitatem, vel gloriam; & hoc propriè pertinet ad obſeruantiam, ſecundùm quòd à pietate diſtinguitur. Et ideo comparatio obſeruantiæ ad pietatem neceſſe eſt quòd attendatur ſecundùm diuerſas habitudines diuerſarum perſonarum ad nos, quas reſpicit vtraque virtus. Manifeſtum eſt autem, quòd perſonæ parentum & eorum, qui ſunt nobis ſanguine coniuncti, ſubſtantialiùs nobis coniunguntur, quàm perſonæ, quæ ſunt in dignitate conſtitutæ: Magis enim ad ſubſtantiam pertinet generatio, & educatio, cuius principium eſt pater, quàm exterior gubernatio, cuius principium ſunt illi, qui in dignitate conſtituuntur: & per hoc pietas obſeruantiæ præeminet, inquantum cultum reddit perſonis magis coniunctis, quibus magis obligamur. 2. 2. *q.* 102. *a.* 3. *in corp.*

Obſeruationes ſuperſtitioſa

V. *Superſtitio.*

OBSTINATIO.

V. *Peccatum in Spiritum-Sanctum.*

OCCASIO.

Qu. 1. *an & quomodo Pœnitens teneatur exprimere circunſtantias peccatorum de quibus alias confeſſus eſt ac abſolutus, quando ita expedit ad vitandas eorum occaſiones.*

Reſp. infra v. *recidiuans.*

Qu. 2. *quandonam aliquis ſit alteri occaſio ruinæ itaut ipſi imputetur, iuxta illud Exodi* 21. *ſi quis aperuerit ciſternam, dediderit que bos vel aſinus in eam, Dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt occaſio; ſcilicet data, & ſumpta: tunc quidem dat aliquis occaſionem alicui ruendi, vel in ciſternam cadendi, quando facit aliquid vel dicit minùs rectum, ex quo datur proximo occaſio ruinæ; & tunc ruina proximi imputatur danti occaſionem: aliquando autem non eſt occaſio data, ſed ſumpta; puta cùm aliquis

Digitized by Google

inducit aliquem ad bonum, & ipſe ex hoc fit deterior: & tunc non eſt relinquenda monitio bona, propter hoc quòd ille ſumit inde occaſionem ruinæ: vnde & Dominus non dimiſit prædicationem veritatis propter ſcandalum Phariſæorum; vt habetur Matthei 15. & Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Bonifacium, & habetur 23. quæſt.4.cap. *ipſa pietas: quòd ſi plurimi eſſent in domo ruitura, & inde ſaltem vnus liberari poſſet, atque id quia facere conaremur, alii ſemetipſos præcipitatione necarent, doleremus de cæteris, verùm de vnius ſaltem ſalute conſolaremur. quodlib.4.a.23. ad 3.qu.4.de malo a.1.ad 13.*

Quomodo obligandus ſit concubinarius ad relinquendam occaſionem proximam, patet ex propoſitione 41. damnata ab Alexandro 7. & relata ſupra v. concubinatus.

OCCIDERE.

Qu. 1. an occidere quæcunque viuentia ſit illicitum.

REſp. D. Thomas, dicendùm quòd nullus peccat ex hoc quòd vtitur re aliqua ad hoc ad quod eſt: in rerum autem ordine imperfectiora ſunt propter perfectiora, hinc eſt quòd ea quæ tantũ viuunt vt plantæ, ſunt communiter propter animalia; omnia autem animalia ſunt propter hominem: & ideo ſi homo vtatur plantis ad vtilitatem animalium, & animalibus ad vtilitatem hominis, non eſt illicitum, vt etiam patet per Philoſophum in primo Polit. inter alios autem vſus maximè neceſſarius eſſe videtur, vt animalia plantis vtantur in cibum, & homines animalibus, quod ſine mortificatione eorum fieri non poteſt: & ideo licitum eſt, & plantas mortificare in vſum animalium, & animalia in vſum hominum ex ipſa ordinatione diuina: dicitur enim Gen.1. *ecce dedi vobis omnem herbam & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ*: & Gen. 9. dicitur, *omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum. 2.2.qu. 64. a.1.in corp.*

Quær. 2. quomodo liceat occidere beſtiam tam domeſticam quàm Syluestrem.

Reſp. D. Thomas, dicendùm quòd beſtia naturaliter eſt diſtincta ab homine: vnde ſuper hoc non requiritur aliquod iudicium an ſit occidenda, ſi ſit Syluestris: ſi verò ſit domeſtica, requiritur iudicium, non propter ipſam, ſed propter damnum Domini. 2.2.q. 64.a.3.ad 2.

Quær. 3. an Homicidium ſemper ſit peccatum & illicitum, quamuis occidere hominem aliquando liceat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homicidium ſemper eſt peccatum; quia inordinationem habet inſeparabiliter annexam: homicidiũ enim plus importat quàm occiſio hominis; compoſita enim nomina frequenter plus important quàm cõponentia: importat enim homicidium occiſionem hominis indebitam: & ideo homicidium nunquam eſt licitum; quamuis occidere hominem aliquando liceat. *quodlibeto 8.q.14. ad 1.p. 2. q. 100. a.8.ad 3.q.13. de malo a. 4. ad 11.*

Qu. 4. an liceat priuatæ perſonæ occidere malefactores.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd occidere malefactorem licitum eſt, inquantùm ordinatur ad ſalutem totius Communitatis: & ideo ad illum ſolum pertinet, cui committitur cura Communitatis conſeruandæ; ſicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius corporis: cura autem communis boni commiſſa eſt principibus habentibus publicam authoritatem: & ideo eis ſolùm licet malefactores occidere, non autem priuatis perſonis. 2.2.*quæſt*.64.*art*.3.*in corp*. 4.*ſ. d*.37.*q*.2.*a*.1.

Qu. 5. an liceat occidere malos, ex quorum occiſione timetur damnum bonorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus Matth. 13. abſtinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum, vt tritico parceretur, ideſt bonis: quod quidem fit, quando non poſſunt occidi mali, quin ſimul occidantur & boni; vel quia latent inter bonos; vel quia habent multos ſequaces, ita quòd ſine bonorum periculo interfici non poſſunt, vt Auguſtinus dicit contra parmenianum: vnde Dominus docet magis eſſe ſinendum malos viuere, & vltionem reſeruandam vſque ad extremum iudicium, quàm quòd boni ſimul occidantur: quando verò ex occiſione malorum non imminet periculum bonis, ſed magis tutela, & ſalus, tunc licitè poſſunt mali occidi. 2.2.*quæſt*.64.*a*.2.*ad* 1.*ad Rom*. 2.*lect*.3. 3. *contra gentes c*.140.

Qu. 6. an Clericis liceat occidere malefactores.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non licet Clericis occidere duplici ratione. Primò quidem quia ſunt electi ad Altaris miniſterium, in quo repræſentatur Paſſio Chriſti occiſi, qui cùm percuteretur, non repercutiebat, vt dicitur primæ Petri 2. & ideo non competit, vt Clerici ſint percuſſores, aut occiſores, debent enim miniſtri ſuum Dominum imitari ſecundùm illud Eccl. 10. *ſecundùm Iudicē populi, ſic & miniſtri eius*. Alia ratio eſt, quia Clericis committitur miniſterium nouæ legis, in qua non determinatur pœna occiſionis, vel mutilationis corporalis: & ideo vt ſint idonei miniſtri noui teſtamenti debent à talibus abſtinere. 2. 2. *quæſt*. 64. *art*. 4. *in corp*.

Qu. 7. an Prælatis Eccleſiæ liceat occidere aliquos.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Prælati Eccleſiæ accipiunt officium Principum terræ, non vt ipſi iudicium ſanguinis exerceant per ſeipſos, ſed quòd eorum authoritate per alios exerceatur. 2.2. *q*. 64.*a*.4. *ad* 3.

Qu. 8. an liceat alicui occidere ſeipſum: & vtrum hoc ſit ſemper mortale peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſeipſum occidere eſt omnino illicitum triplici ratione.

Digitized by Google

Primò quidem, quia naturaliter quælibet res ſeipſam amat, & ad hoc pertinet quòd quælibet res naturaliter conſeruat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit quantùm poteſt: & ideo quòd aliquis ſeipſum occidat, eſt contra inclinationem naturalem, & contra Charitatem qua quilibet debet ſeipſum diligere: & ideo ſui ipſius occiſio ſemper eſt peccatum mortale, vtpotè contra naturalem legem, & contra Charitatem exiſtens.

Secundò, quia quælibet pars id quod eſt, eſt totius: quilibet autem homo eſt pars Communitatis, & ita id quod eſt, eſt Communitatis: vnde in hoc quòd ſeipſum interficit, iniuriam Communitati facit, vt patet per Philoſophum 5. eth.

Tertiò, quia vita eſt quoddam donum diuinitùs homini attributum, & eius poteſtati ſubiectum, qui occidit, & viuere facit: & ideo qui ſeipſum vita priuat, in Deum peccat; ſicut qui alienum ſeruum interficit, peccat in Dominum, cuius eſt ſeruus; & ſicut peccat ille, qui vſurpat ſibi iudicium de re ſibi non commiſſa: ad ſolum enim Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ, ſecundùm illud *Deut.32. ego occidam, & ego viuere faciam, 2.2. queſt. 64. a. 5. in corp. 3. p. queſt. 47. a. 6. ad heb. 11. lect. 7.*

Queritur 9. an liceat ſaltem habenti publicam authoritatem, ſe occidere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui habet publicam poteſtatem, poteſt licitè malefactorem occidere per hoc quòd poteſt de ipſo iudicare: nullus autem eſt iudex ſui ipſius; vnde non licet habenti publicam poteſtatem ſeipſum occidere propter quodcunque peccatum. Licet tamen ei ſe committere iudicio aliorum. *2.2. q. 64. a. 5. ad 2.*

Qu. 10. an liceat alicui ſe occidere, vt tranſeat ad fæliciorem vitam; vel vt præſentis vitæ miſerias euadat; vel propter aliquod peccatum commiſſum; vel ne corrumpatur; vel ob timorem conſentiendi peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo conſtituitur Dominus ſui ipſius per liberum arbitrium: & ideo licitè poteſt homo de ſeipſo diſponere quantùm ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur; non tamen quantùm ad ea, quæ non ſubiacent ſuo arbitrio. Sed tranſitus de hac vita ad aliam fæliciorem non ſubiacet libero arbitrio hominis, ſed poteſtati diuinæ: Et ideo non licet homini ſeipſum interficere, vt ad fæliciorem tranſeat vitam. Similiter etiam nec vt quaſlibet miſerias præſentis vitæ euadat: quia vltimum malorum huius vitæ & maximè terribile eſt mors, vt patet per Philoſ. in 3. Ethic. & ideo inferre ſibi mortem ad alias vitæ huius iniurias euadendas, eſt maius malum aſſumere ad minoris mali vitationem.

Similiter etiam non licet ſeipſum interficere propter aliquod peccatum commiſſum: tum quia in hoc ſibi maximè nocet, quòd ſibi adimit neceſſarium pœnitentiæ tempus: tum etiam quia malefactorem occidere non licet, niſi

Digitized by Google

per iudicium publicæ poteſtatis. Similiter etiam non licet mulieri ſeipſam occidere, ne ab alio corrumpatur: quia non debet in ſe committere crimen maximum, quod eſt ſui ipſius occiſio, vt vitet minus crimen alienum: non enim eſt crimen mulieris per violentiã violatæ, ſi conſenſus nõ adſit; quia non coinquinatur Corpus niſi de cõſenſu mẽtis, vt Lucia dixit: conſtat autẽ minus eſſe peccatum fornicationem vel adulterium quàm homicidium, & præcipuè ſui ipſius, quod eſt grauiſſimum, quia ſibi ipſi nocet, cui maximam dilectionem debet: eſt etiam periculoſiſſimum; quia non reſtat tempus vt per pœnitentiam expietur. Similiter etiam nulli licet ſeipſum occidere ob timorem, ne conſentiat in peccatum: quia *non ſunt facienda mala, vt veniant bona*, vel vt vitentur mala, præſertim minora, & minùs certa: incertum enim eſt, an aliquis in futurum conſentiat in peccatum: potens eſt enim Deus hominem quacunque tentatione ſuperueniente liberare à peccato. *2. 2. q. 64. a. 5. ad 3.*

Qu. 11. quomodo Samſon qui ſeipſum interfecit, vt habetur Iudicum 16. connumeratur inter ſanctos, vt patet Heb. 11.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in 1. de ciuit. Dei: *nec Samſon aliter excuſatur, quòd ſeipſum cum hoſtibus ruinâ domûs oppreſſit, niſi quòd latenter Spiritus-Sanctus hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Et eandem rationem aſſignat de quibuſdam ſanctis fœminis, quæ tempore perſecutionis ſeipſas occiderunt, quarum memoria in Eccleſia celebratur. *ibidem ad 4.*

Vide quod de eiſdem fœminis dictum eſt ſupra v. martyrium qu. 4. & 5.

Qu. 12. vtrum aliquando ſit laudadabile, quòd aliquis ſe interficiat ad vitandas iniurias, ſicut 2. Macc. 14. dicitur, quòd Razias ſeipſum interfecit, eligens nobiliter mori potius quàm ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis iniuriis agi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad fortitudinem pertinet quòd aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & vt vitet peccatum: Sed quòd aliquis ſibiipſi inferat mortem vt vitet mala pœnalia, habet quidem quandam ſpeciem fortitudinis; propter quod quidam ſeipſos interfecerunt, æſtimantes ſe fortiter agere, de quorum numero Razias fuit: non tamen eſt vera fortitudo, ſed magis quædam mollities animi non volentis mala pœnalia ſuſtinere, vt patet per Philoſ. in 3. ethic. & per Auguſtinum in 1. de Ciuit. Dei. *ibidem ad 5.*

Quær. 13. an liceat in aliquo caſu occidere innocentem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis homo dupliciter cõſiderari poteſt: vno modo ſecũdùm ſe, alio modo per cõparationẽ ad aliud; ſecundùm ſe quidẽ cõſiderando hominem, nullum occidere licet; quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam quam Deus fecit, quæ per occiſionem

corrũpitur: ſed occiſio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur: vita autem iuſtorum eſt conſeruatiua, & promotiua boni communis; quia ipſi ſunt principaliter pars multitudinis: & ideo nullo modo licet occidere innocentem. 2.2. *q.64.a.6. in corp.* 1. 2. *qu.* 94. *a.* 5. *ad* 2. *&* *qu.* 100. *a.* 8. *ad* 3. *& opuſc.* 9. *qu.* 86.

Qu. 14. *an occidens iuſtum grauiùs peccet, quàm occidens peccatorem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in pẽſanda grauitate peccati magis conſiderandum eſt id quod eſt per ſe quàm id quod eſt per accidens: vnde ille qui occidit iuſtum grauiùs peccat quàm ille qui occidit peccatorem: primò quidem, quia nocet ei quem plus debet diligere, & ita magis contra charitatem agit: ſecundò, quia iniuriam infert ei, qui eſt magis dignus, & ita magis contra iuſtitiam agit: tertiò, quia priuat communitatem maiori bono: quartò, quia magis Deum contemnit, ſecundùm illud Lucæ 10. *qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quod autem iuſtus occiſus ad gloriam perducatur à Deo, per accidens ſe habet ad occiſionem. 1.2.*q.* 64.*a.* 6.*ad* 2.

Qu. 15. *an peccet miniſter exequens ſententiam Iudicis condemnantis innocentem ad mortem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd miniſter Iudicis condemnantis, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire; aliàs excuſarentur carnifices, qui Martyres occiderunt: ſi verò non contineat manifeſtam iniuſtitiam, non peccat præceptum exequendo; quia ipſe non habet diſcutere ſuperioris ſententiam: nec ipſe occidit innocentem, ſed Iudex cui miniſterium exhibet. 2.2. *qu.*64.*a.* 6. *ad* 3.

Quær. 16. *an liceat alicui occidere alium ſe defendendo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet vnius actus eſſe duos effectus, quorum alter ſolùm ſit in intentione; alius verò ſit præter intentionem: morales autem actus recipiunt ſpeciem ſecundùm id quod intenditur, non autem ab eo quod eſt præter intentionem, cùm ſit per accidens: ex actu ergo alicuius ſe ipſum defendentis duplex effectus ſequi poteſt: vnus quidem conſeruatio propriæ vitæ; alius autem occiſio inuadentis. Actus ergo huiuſmodi, ex hoc quòd intenditur conſeruatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cùm hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſeruet in eſſe quantùm poteſt.

Poteſt tamen aliquis actus ex bona intentione proueniens illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini: & ideo ſi aliquis ad defendendum propriam vitam vtatur maiori violentia, quàm oporteat, erit illicitum: ſi verò moderatè violentiam repellat, erit licita defenſio, nam ſecundùm iura *vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, vt hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euitandam occiſionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ ſuæ

Digitized by Google

prouidere, quàm vitæ alienæ.

Sed quia occidere hominem non licet, niſi publica authoritate propter bonum commune, illicitum eſt quòd homo intendat occidere hominem vt ſeipſum defendat; niſi ei, qui habet publicam authoritatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro Iudicis pugnante contra latronem: quamuis etiam & iſti peccent, ſi priuata libidine moueantur. 2. 2. *qu.* 64. *a.* 7. *in corp.* 4. *ſ. d.* 25. *q.* 2. *a.* 2. *qu.* 2. *ad* 2. *&* 3.

Qu. 17. *vtrum ille ſit reus homicidii, qui alterum occidit, defendendo vitam propriam, vel etiam domum ſuam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Exod. 22. dicitur: *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens, inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis:* ſed multò magis licitum eſt defendere propriam vitam, quàm propriam domum: ergo etiam ſi aliquis occidat aliquem pro defenſione vitæ ſuæ, non erit reus homicidij 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. *in arg. ſed contra.*

Quær. 18. *quomodo intelligi debeat D. Auguſt. ad publicolam dicens: de occidendis hominibus, ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, accepta legitima poteſtate, ſi eius congruat perſona.* Et in primo de lib. arb. dicens: *quomodo apud diuinam prouidentiam à peccato liberi ſunt, qui pro his rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd authoritas Auguſtini intelligenda eſt in eo caſu quo quis intendit occidere hominem vt ſeipſum à morte liberet: In quo etiam caſu intelligitur authoritas inducta ex libro de libero arbitrio: vnde ſignanter dicitur (*pro his rebus*) in quo deſignatur intentio. *Ibid. ad* 1.

Qu. 19. *quid requiratur, vt ille qui caſu alterum occidit, excuſetur à reatu homicidij.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſophum 2. Phyſicorũ *caſus eſt cauſa agens præter intentionem:* & ideo ea quæ caſualia ſunt, ſimpliciter loquendo, non ſunt intenta, neque voluntaria: & quia omne peccatum eſt voluntarium ſecundùm Auguſtinum, conſequens eſt quòd caſualia inquantum huiuſmodi non ſunt peccata. Contingit tamen id quod non eſt actu, & per ſe volitum vel intentum, eſſe per accidens volitum vel intentum, ſecundùm quòd cauſa per accidens dicitur remouens prohibens: vnde illi qui non remouet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat remouere, erit quodammodo homicidium voluntarium.

Hoc autem contingit dupliciter: vno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debeat, homicidium incurrit: alio modo quando non adhibet debitam ſollicitudinem: & ideo ſecundùm iura ſi aliquis

ſi aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidij reatum: ſi verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non euadet homicidij reatum, ſi ex eius opere mors hominis ſequatur. *2.2. q. 64. a. 8. in corp. 4. ſ.d 75. q. 2. a. 2. q. 2. ad 3.*

Qu. 20. an percutiens mulierem prægnantem, ſi inde ſequatur mors pueri, ſit homicida.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille, qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ: & ideo ſi ſequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen; præcipuè cùm ex tali percuſſione in promptu ſit quòd mors ſequatur. *2.2. q. 64. a. 8. ad 2.*

Qu. 21. an liceat occidere hominem volentem occidi.

Reſp. D. Thomas, ille qui occidit hominem, iniuriam facit non ſolùm homini occiſo, ſed etiam Deo, & Reipublicæ: ſicut etiam & ille, qui occidit ſeipſum, vt Philoſophus dicit in 5. eth. vnde & Dauid damnauit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum, vt occideret Chriſtum Domini, quamuis eo petente, vt legitur 2. Reg. cap. 1. *3. p. q. 47. a. 6. ad 3.*

ODIVM.

Quær. 1. quid ſit odium: & vtrum Deus poſſit odio haberi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd odium eſt quidam motus appetitiuæ potentiæ, qui non mouetur niſi ab aliquo apprehenſo: Deus autem dupliciter ab homine apprehendi poteſt: vno modo ſecundùm ſeipſum, puta cùm per eſſentiam videtur: alio modo per effectus ſuos, cùm ſcilicet *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: Deus autem per eſſentiam ſuam eſt ipſa bonitas, quam nullus odio habere poteſt; quia de ratione boni eſt vt ametur: ideo impoſſibile eſt quòd aliquis videns Deum per eſſentiam eum odio habeat. Sed effectus eius aliqui ſunt, qui nullo modo poſſunt eſſe contrarij voluntati humanæ; quia eſſe, viuere, & intelligere eſt & appetibile & amabile omnibus, qui ſunt quidam effectus Dei: vnde etiam ſecundùm quòd Deus apprehenditur vt author horum effectuum, non poteſt odio haberi: ſunt autem quidam effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati, ſicut inflictio pœnæ, & etiam cohibitio peccatorum per legem diuinam, quæ repugnant voluntati deprauatæ per peccatum: & quantùm ad conſiderationem talium effectuum ab aliquibus Deus odio haberi poteſt; inquantum ſcilicet apprehenditur peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor. *2. 2. qu. 34. a. 1. in corp.*

Quær. 2. vtrum odium Dei ſit maximum peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd defectus peccati conſiſtit in auerſione à Deo: huiuſmodi autem auerſio rationem culpæ non

haberet,niſi voluntaria eſſet:vnde ratio culpæ conſiſtit in voluntaria auerſione à Deo.Hæc autem volũtaria auerſio à Deo per ſe quidẽ importatur in odio Dei : In aliis autem peccatis quaſi participatiuè, & ſecundùm aliud : ſicut enim voluntas per ſe inhæret ei quod amat , ita ſecundùm ſe refugit id quod odit : vnde quando aliquis odit Deum , voluntas eius ſecundùm ſe ab eo auertitur:ſed in aliis peccatis, puta cùm aliquis fornicatur, non auertitur à Deo ſecundùm ſe , ſed ſecundùm aliud , inquantum ſcilicet appetit inordinatam delectationem , quæ habet annexam auerſionem à Deo : ſemper autem id quod eſt per ſe , eſt potius eo quod eſt ſecundùm aliud : vnde odium Dei inter alia peccata eſt grauius. 2. 2. *q.* 34. *a.* 2. *in corp.* 1. 2.*qu.*73. *a.* 4. *ad* 3.

Quar. 3. *an odium Dei ſit maximè peccatum in Spiritum Sanctum.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd ſicut Gregorius dicit 25. moralium , *aliud eſt bona non facere, & aliud eſt bonorum odiſſe datorem ; ſicut aliud eſt ex præcipitatione, aliud ex deliberatione peccare* : Ex quo datur intelligi , quòd odire Deum omnium bonorum datorem ſit ex deliberatione peccare, quod eſt peccatum in Spiritum-Sanctum : vnde manifeſtum eſt, quòd odium Dei maximè eſt peccatum in Spiritum-Sanctum , ſecundùm quod peccatum in Spiritum Sanctum nominat aliquod genus ſpeciale peccati.

Ideo tamen non cõputatur inter ſpecies peccati in Spiritum-Sanctum,quia generaliter inuenitur in omni ſpecie peccati in Spiritum-Sanctum. 2. 2.*q.*34.*a.*2.*in corp.*

Qu. 4. *an odium proximi ſit ſemper cum peccato.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd odium amori opponitur , vnde tantum habet odium de ratione mali, quantum habet amor de ratione boni : amor autem debetur proximo ſecundùm id,quod à Deo habet , id eſt ſecundùm naturam, & gratiam, non autem debetur ei amor ſecundùm id , quod habet à ſeipſo , & diabolo , ideſt ſecundùm peccatum , & iuſtitiæ defectum:& ideo licet habere odio peccatum in fratre, & omne illud, quod pertinet ad defectum diuinæ iuſtitiæ , ſed ipſam naturam , & gratiam fratris non poteſt aliquis habere odio ſine peccato. Hoc autem ipſum , quòd in fratre odimus culpam , & defectum boni pertinet ad fratris amorem ; eiuſdem enim rationis eſt , quòd velimus bonum alicuius , & quòd odiamus malum ipſius. Vnde ſimpliciter accipiendo odium fratris, ſemper eſt cum peccato. 2. 2. *q.* 34. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 5. *an odium proximi ſit grauiſſimum peccatorum quæ in proximum committuntur.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd peccatum , quod committitur in proximum, habet rationem mali ex duobus , vno quidem modo ex deordinatione eius qui peccat ; alio modo ex nocumento quod infertur ei , contra quem peccatur.

Primo ergo modo odium eſt maius peccatum quàm exteriores actus qui ſunt in proximi no-

cumentum; quia ſcilicet per odium deordinatur voluntas hominis, quæ eſt potiſſimum in homine, & ex qua eſt radix peccati; vnde etiam ſi exteriores actus inordinati eſſent abſque inordinatione voluntatis, non eſſent peccata, puta cùm aliquis ignoranter, vel zelo iuſtitiæ hominem occidit; & ſi quid culpæ eſt in exterioribus peccatis, quæ contra proximum committuntur, totum eſt ex interiori odio. Sed quantùm ad nocumentum, quod proximo infertur, peiora ſunt exteriora peccata, quàm interius odiũ. *2.2. q. 34. a. 4. in corp. q. 12. de malo a. 4. & 5.*

Quær. 6. an aliquis poſſit ſeipſum odio habere, iuxta illud Pſal. 10. qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd impoſſibile eſt quòd aliquis, per ſe loquendo, odiat ſeipſum; naturaliter enim vnumquodque appetit bonum, nec poteſt aliquid ſibi appetere niſi ſub ratione boni, nam malum eſt præter voluntatem vt Dionyſius dicit 4. c. de Diuinis nominibus: amare autem aliquem eſt velle ei bonum, vnde neceſſe eſt quòd aliquis amet ſeipſum, & impoſſibile eſt quòd aliquis odiat ſeipſum per ſe loquendo.

Per accidens tamen contingit, quòd aliquis ſeipſum odio habeat, & hoc dupliciter: vno modo ex parte boni, quod ſibi aliquis vult; accidit enim quandoque illud quod appetitur vt ſecundùm quid bonum, eſſe ſimpliciter malum; & ſecundùm hoc aliquis per accidens vult ſibi malum, quod eſt odire: alio modo ex parte ſui ipſius, cui vult bonum: vnumquodque enim maximè eſt quod eſt principalius in ipſo, vnde Ciuitas dicitur facere id quod Rex facit, quaſi Rex ſit tota Ciuitas: manifeſtum eſt ergo quòd homo maximè eſt mens hominis; contingit autem quòd aliqui æſtimant maximè illud quod ſunt ſecundùm naturam corporalem & ſenſitiuam; vndè amant ſe ſecundùm id quod æſtimant ſe eſſe; ſed odiunt id quod verè ſunt, dum volunt contraria rationi: & vtroque modo ille, qui diligit iniquitatem, odit non ſolùm animam ſuam, ſed etiam ſeipſum. *p. 2. quæſt. 29. a. 4. in corp.*

Quæritur 7. an parentes ſint aliquando odio habendi, iuxta illud Luca 14. ſi quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd parentes, quantùm ad naturam & affinitatem qua nobis coniunguntur, ſunt à nobis ſecundùm præceptum Dei honorandi, vt patet Exodi 20. odiendi autem ſunt quantùm ad hoc quòd impedimentum præſtant nobis accedendi ad perfectionem Diuinæ Iuſtitiæ. *2.2. q. 34. a. 3. ad 1.*

Quær. 8. an liceat odiſſe eos qui ſunt nobis contrarij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homines ſecundùm bona quæ habent à Deo, non ſunt nobis contrarij; vnde quantùm ad hoc ſunt amandi: contrariantur autem nobis ſecundùm quòd con-

Digitized by Google

tra nos inimicitias exercent, quod ad eorum culpam pertinet: & quantùm ad hoc ſunt odio habendi: hoc enim in eis debemus habere odio, quòd ſunt nobis inimici. *ibidem ad* 3.

Qu. 9. *cur odium non ponitur inter vitia capitalia: & quare eſt vltimum in deſtructione virtutum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vitium capitale eſt ex quo vt frequentiùs alia vitia oriuntur: vitium autem eſt contra naturam hominis, inquantum eſt animal rationale: in his autem quæ contra naturam fiunt, paulatim id quod eſt naturæ, corrumpitur: vnde oportet quòd primò recedatur ab eo quod eſt minus ſecundùm naturam; quia id quod eſt *primum in conſtructione, eſt vltimum in reſolutione*: id autem quod eſt maximè & primò naturale homini eſt quòd diligat bonum, & præcipuè bonum diuinum & bonum proximi: & ideo odium quod dilectioni huic opponitur, non eſt primum in deſtructione virtutis, quæ fit per vitium, ſed vltimum: & ideo odium non eſt vitium capitale. 2.2.*q.* 34. *a.* 5. *in corp. qu.* 12. *de malo a.* 5.

Quærit. 10. *cur ſicut dicit D. Gregorius* 31. *moral. de inuidia oritur odium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, odium proximi eſt vltimum in progreſſu peccati, eo quòd opponitur dilectioni qua naturaliter proximus diligitur: quòd autem aliquis recedat ab eo quod eſt naturale, contingit ex hoc quòd intendit vitare aliquid quod eſt naturaliter fugiendum: naturaliter autem omne animal fugit triſtitiam, ſicut & appetit delectationem, ſicut patet per Philoſ. in 7. & 10. ethic. & ideo ſicut ex delectatione cauſatur amor, ita ex triſtitia cauſatur odium: ſicut enim mouemur ad diligendum ea quæ nos delectant, inquantum ex hoc ipſo accipiuntur ſub ratione boni; ita mouemur ad odiendum ea quæ nos contriſtant, inquantum ex hoc ipſo accipiuntur ſub ratione mali: vnde cùm inuidia ſit triſtitia de bono proximi, ſequitur quòd bonum proximi reddatur nobis odioſum: & inde eſt quòd ex inuidia oritur odium. 2.2. *q.* 34. *a.* 6. *in corp. q.* 10. *de malo a.* 3.

Qu. 11. *quomodo ſicut dicit D. Auguſtinus in ſua regula, ira creſcit in odium.*

Reſp. D. Thomas, ex ira oritur odium ſecundùm quoddam augmentum: nam primò per iram appetimus malum proximi, ſecundùm quandam menſuram, prout ſcilicet habet rationem vindictæ: poſtea autem per continuitatem iræ peruenitur ad hoc quòd homo malum proximi abſolutè deſideret, quod pertinet ad rationem odij. 2.2. *q.* 34. *a.* 6. *ad* 3.

Quær. 12. *cur odium ſit peius irâ: quare miſericordiam non compatitur: & quare ſufficit illi qui odio habet quòd ille quem odit, patiatur malum.*

Reſp. ſupra v. *ira quaſt.* 24. 25. & 26.

Digitized by Google

Quær. 13. quare odium eſt inſanabilius, & permanentius quàm ira.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd id quod ex pluribus cauſis cauſatur, tunc eſt ſtabilius quando cauſæ accipiuntur vnius rationis; ſed vna cauſa poteſt præualere multis aliis; odium tamen prouenit ex permanentiori cauſa quàm ira: nam ira prouenit ex aliqua commotione animi propter læſionẽ illatã; ſed odium procedit ex aliqua diſpoſitione hominis ſecundùm quam reputat ſibi contrarium & nociuum id quod odit: & ideo ſicut paſſio citiùs tranſit quàm diſpoſitio vel habitus; ita etiam citiùs tranſit quàm odium: quamuis etiam odium ſit paſſio ex tali diſpoſitione proueniens: & propter hoc Phil. dicit in 2.Rhet. quòd *odium eſt magis inſanabile quàm ira.* 1.2.q.46.a.6. ad 3.

Quær. 14. an poſſint homines odio habere veritatem.

Reſp. infra v. *veritas.*

Quær. 15. quibus de cauſis mundus odio habet ſanctos.

Reſp.D.Thomas, poteſt triplex ratio aſſignari, quare mundus odit Sanctos. Primò eſt diuerſitas conditionis, quia ſcilicet mundus in morte eſt; ſed ſancti ſunt in ſtatu vitæ, 1. Ioan. 3. *nolite mirari ſi odit vos mundus, &c. tranſlati ſumus de morte ad vitam* &c. Et ideo dicit ſapiens 2. grauis eſt nobis etiam ad videndum. Secunda ratio eſt diſplicentia correctionis: Nam ſancti viri & verbis & factis mundi facta reprehendunt, & ideo mundus odit eos, Amos 5. *odio habuerunt corripientem in porta,* ſup. *me autem odit,* ſcilicet mundus, *quia teſtimonium perhibeo de illo,* &c. Tertia ratio eſt iniquitas æmulationis, qua mali inuident viris iuſtis, cùm eos vident creſcere & multiplicari in bonitate, & ſanctitate, ſicut ægiptii videntes creſcere filios Iſraël, habebant eos odio & perſequebantur Exodi 1. & Gene 26. dicitur, quòd videntes fratres Ioſeph, quòd *cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, &c.* Ioan. 15. lect. 5.

Quæritur 16. quænam ſit maxima conſolatio iuſtorum dum odio habentur.

Reſp. D. Thomas, ſciendum eſt, quòd ſicut omnium beneficiorum principium eſt amor, ita & perſecutionum omnium principium eſt odium futurum, Math.24. odio eritis omnibus hominibus, Luc. 6. *Beati eritis, cùm vos oderint homines,* &c. dicit ergo, *ſi mundus vos odit,* ideſt, futurum eſt, quòd mundus vos odio habeat, & manifeſtabit odium ſuum perſequendo vos, *ſcitote quia me priorem vobis odio habuit,* ſup. 1. *non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit.* Sed hæc eſt grandis conſolatio iuſtis ad fortiter ſuſtinendum perſecutiones, Heb. 11. Recogitate eum qui talem ſuſtinuit, &c. 1. Pet. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini,* &c. Et ideo ſecundùm Aug. non debent ſe membra ſupra verticem extollere, nec recuſare ſe in corpore eſſe, nolendo mundi odium ſuſtinere cum capite. *In ead. lect.*

Digitized by Google

ſtrorum ſubditorum.

Sed tamen talis venditio expediens non videtur. Primò quidem, quia contingit frequenter, quòd illi qui eſſent magis idonei ad huiuſmodi officia exercenda, ſunt pauperes, vt emere non poſſint; & ſi etiam ſunt diuites, illi qui meliores ſunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucrá ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quòd vt plurimum illi officia ſuſcipiant, qui ſunt peiores, ambitioſi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, & veſtra etiam commoda non ſic fideliter procurare. Vnde magis videtur expediens vt bonos homines & idoneos ad ſuſcipiendum officia eligatis; quos etiam inuitos, ſi neceſſe fuerit, compellatis: quia per eorum bonitatem, & induſtriam maiora accreſcent vobis & ſubditis veſtris, quàm de officiorum venditione acquirere valeant. Et hoc conſilium dedit Moyſi eius cognatus Exodi 18. *prouide*, inquit, *de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit charitas, & qui oderint auaritiam: & conſtitue ex eis tribunos, centuriones, & quinquagenarios & Diaconos qui iudicent populum omni tempore.*

Quæritur 6. an & quomodo poſſint Principes recipere mutuum ab illis, quibus huiuſmodi officia ſecularia conferunt.

Reſp. D. Thomas in eodem opuſculo ad eamdem Duciſſam: dicendum videtur, quòd ſi hoc pacto mutuum dant, vt officium accipiant, abſque dubio pactum eſt vſurarium, quia pro mutuo accipiunt officij poteſtatem. Vnde in hoc datis eis occaſionem peccandi, & ipſi etiam tunc tenentur reſignare officio taliter acquiſito. Si tamen gratis officia dederitis, & poſt ab eis mutuum acceperitis, quod de ſuo officio poſſint recipere, hoc abſque omni peccato fieri poteſt.

OMISSIO.

Quæritur 1. an omiſſio ſit ſpeciale peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omiſſio importat prætermiſſionem boni, non autem cuiuſcunque, ſed boni debiti: Bonum autem ſub ratione debiti pertinet propriè ad iuſtitiam; ad legalem quidem, ſi debitum accipiatur in ordine ad legem Diuinam, vel humanam: ad ſpecialem autem iuſtitiam ſecundùm quòd debitum conſideratur in ordine ad proximum. Vnde eo modo, quo iuſtitia eſt virtus ſpecialis, & omiſſio eſt ſpeciale peccatum. 2. 2. q. 79. a. 3. *in c. 2. ſent. d. 5. q. 1. a. 3. ad* 4.

Qu. 2. vtrum omiſſio ſit peccaminoſa, licet ſit neceſſaria, ſicut cùm mulier corrupta eſt quæ virginitatem vouit; vel cùm Sacerdos tenetur celebrare, & habet aliquod impedimentum; vel cùm aliquis amiſit rem quam reſtituere tenetur.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd omiſſio non eſt niſi boni debiti ad quod aliquis tenetur: nullus autem tenetur ad impoſſibile, vnde nullus ſi non facit id quod facere non poteſt, peccat per omiſſionem. Mulier ergo corru-

pta, quæ virginitatem vouit, non omittit, virginitatem non habendo, ſed non pœnitendo de peccato præterito, vel non faciendo quod poteſt ad votum adimplendum per continentiæ obſeruantiam. Sacerdos etiam non tenetur dicere Miſſam niſi ſuppoſitâ debitâ opportunitate; quæ ſi deſit non omittit. Et ſimiliter aliquis tenetur ad reſtitutionem ſuppoſitâ facultate, quam ſi non habet, nec habere poteſt, non omitit, dummodo faciat quod poteſt. Et idem dicendum eſt in aliis. *2.2.q. 79. a. 3. ad 2.*

Qu. 3. an peccatum omiſſionis multiplicetur toties, quoties redit tempus, in quo tenetur quis ad obſeruantiam præcepti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum omiſſionis non habet rationem culpæ, niſi ex hoc quòd opponitur præcepto affirmatiuo legis naturalis, vel ſcriptæ: præceptum autem affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper: & ideo omnis omiſſio pro illo tempore eſt peccatum in actu, in quo quis per præceptum obligatur; & quoties illud tempus reuertitur, toties peccatum multiplicatur. *2.ſent. d.22.q.2.a.1. ad 4.*

Qu. 4. quandonam omiſſio ex præcedenti culpa proueniens imputetur ad peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut peccatum tranſgreſſio opponitur præceptis negatiuis, quæ pertinent ad declinandum à malo, ita peccatum omiſſionis opponitur præceptis affirmatiuis, quæ pertinent ad faciendum bonum: præcepta autem affirmatiua non obligant ad ſemper, ſed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omiſſionis incipit eſſe.

Poteſt autem contingere, quòd aliquis tunc ſit impotens ad faciendum quod oportet: quod quidem ſi ſit præter eius culpam, non omittit quod debet; ſi verò ſit propter eius culpam præcedentem, puta ſi aliquis de ſero ſe inebriauerit, & non poteſt ſurgere ad matutinas vt debet, dicunt quidam, quòd tunc incipit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum, & incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum: quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret; vnde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa.

Vnde dicendum eſt; quod omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter cauſam præcedêtem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria. *2.2.q.79. a. 3. ad 3. 2. ſentent. d.22. quæſt. 2. art. 1. ad 4.*

OPINIO.

Qu. 1. quid ſit opinio.

Reſp. D. Thomas, opinio ſignificat actum intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius. *1. p.q.79.a.9. ad 4.*

Qu. 2. quomodo opiniones contradictoriorum non ſint contradictoria, ſed contraria.

Reſp.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ipſæ res contrariæ non habent contrarietatem in anima; quia vnum eſt ratio cognoſcendi alterum: & tamen in intellectu eſt contrarietas aſſirmationis & negationis quæ ſunt contraria, vt dicitur in fine perihermenias: quamuis enim eſſe & non eſſe non ſint contraria ſed contradictoriè oppoſita, ſi conſiderentur ipſa ſignificata prout ſunt in rebus, quia alterum eſt ens, & alterum eſt purè non ens, tamen ſi referantur ad actum animæ, vtrumque ponit aliquid eſſe: vnde eſſe & non eſſe ſunt contradictoria, ſed opinio qua opinamur quòd *bonum eſt bonum*, eſt contraria opinioni qua opinamur quòd *bonum non eſt bonum*: & inter huiuſmodi contraria medium eſt virtus intellectualis. 1.2.*qu*. 64. *a*. 3. *ad* 3.

Qu. 3. *cur opinio quam omnes vel plures tenent, non poſſit eſſe omnino falſa.*

Reſp. D. Thomas, illud in quod omnes, vel plures conſentiunt, non poteſt eſſe omnino falſum: vnde in prouerbio dicitur, quòd non perditur omnino fama, quæ apud multos populos diuulgatur. Et huius ratio eſt, quia natura non deficit neque in omnibus, neque in pluribus, ſed solùm in paucioribus: vnde qnod inuenitur in omnibus, aut in pluribus, videtur eſſe ex inclinatione naturæ, quæ non inclinat neque ad malum, neque ad falſum. 7. *ethic. lect*. 13.

Qu. 4. *quomodo diſſenſio voluntatum ſit cauſa diuerſitatis opinionum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc modo diſſenſio opinionum poteſt ſequi ex diſcordia voluntatum, quo ratio ſequitur voluntatem: quod quidem contingit indirectè, & hoc tripliciter: vno modo in operabilibus: ex hoc enim ipſo quòd voluntas tendit in aliquid, illud habet quandam apparentiam boni, & ſic à ratione bonum eſſe determinatur: nam ſatisfacere voluntati eſt quoddam apparens bonum: & ideo ſecundùm quòd diuerſa homines volunt diuerſas ſententias habent de bono: alio modo in ſpeculatiuis, ex parte illa qua voluntas imperat rationi, vt in credendo contingit; nam *nemo credit niſi volens*: vnde ſecundùm diuerſas voluntates diuerſa homines credunt: & hoc præcipuè in illis in quibus non patent rationes cogentes: tertio modo ex parte eorum quæ mouent rationem per modum obiecti: nam quando homini complacet vna opinio, diligenter inquirit illa quæ ſunt pro illa opinione, & negligenter ea quæ ſunt contra: ex quo contingit quòd diuerſi ſecundùm diuerſas voluntates in diuerſas opiniones incidant. *in prologo lib. ad hannib. qu*. 3. *a*. 5.

Qu. 5. *an ille, qui plures habet prabendas, peccet ex hoc ipſo quòd de hoc ſunt contraria opiniones Magiſtrorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: Vno modo faciendo contra legem, vt cùm aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conſcientiam, etſi non ſit contra legem, vt ſi conſ-

ſcientia dictat alicui, quòd leuare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſiue habeat certam fidem de contrario eius quod agit, ſiue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione: Illud autem quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quòd eſt ſecundùm conſcientiam: & ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamuis non ſit contra legem: quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum.

Dicendum eſt ergo quòd quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram,& alteram falſam: aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum, vtpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamuis non faciat contra conſcientiam; ſic enim contra legem Dei facit: aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur; ita quòd verè licet habere plures præbendas: & tuc diſtinguendum eſt.

Quia aut talis habet conſcientiam de contrario: & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens,quamuis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, vtpote magis amans beneficium têporale quàm propriam ſalutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non ſe committit diſcrimini, nec peccat. *quodlib.8. art.13.*

Quær.6. an ſit periculoſum determinare quæſtiones, in quibus agitur de mortali peccato, & propter diuerſas opiniones Doctorum veritas ambigua eſt, vt accidit in quæſtione de beneficiorum pluralitate.

Reſp. ſupra. v. *Beneficium Eccleſiaſticum qu.* 8.

Qu. 7. an diſcipuli ſequentes ſuorum Magiſtrorum opiniones excuſentur à peccato, cùm dicatur Matth.15. ſi cæcus ducatum cæco præſtet, ambo in foueam cadunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diuerſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ, ſi quidem non pertineant ad fidem,& bonos mores, abſque periculo auditores vtramque opinionem ſequi poſſunt: tunc enim habet locum quod Apoſtolus dicit ad Rom. 14. *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*: in his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicuius Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat: alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arrij, Neſtorij, & aliorum Hæreſiarcharum.

Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus erroneam opinionem ſequantur. In rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus; quinimò, vt Auguſtin.

Digitized by Google

dicit in lib. 3. de doctrina Chriſtiana, *conſulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarium planioribus locis, & Eccleſia authoritate percepit.* Qui ergo aſſentit opinioni alicuius Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſiue contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari. *quodlib. 3. art. 10. in corp.*

Quær. 8. quomodo intelligi debet illud Chriſti Domini Matth. 23. ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæ dicunt vobis, ſeruate & facite.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ideo præmiſit, *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi,* vt quod poſtea ſubdit, *omnia quæ dixerint vobis, ſeruate, & facite,* de illis intelligatur quæ ad cathedram pertinent; ad quam non pertinent ea quæ ſunt contra fidem, vel bonos mores. *ibidem ad 1.*

Qu. 9. quid ſit opinio falſa: & vnde plerumque proueniat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd falſa opinio eſt quædam defectiua operatio naturæ, vnde Philoſophus dicit in 6. Ethic. quòd *malum intellectus eſt falſum:* defectiua autem operatio ſemper procedit ex defectu alicuius Principij, ſicut ex aliquo defectu ſeminis procedit monſtruoſitas partus, vt dicitur in 2. Phyſic. vnde neceſſe eſt quòd omnis falſa æſtimatio procedat ex defectu alicuius Principij cognoſcendi; ſicut in nobis falſa opinio accidit plerumque ex indebita ratiocinatione. *qu. 16. de malo a. 6. in corp.*

Plura ad opinionem ſpectantia videantur ſupra v. hæreſis, & infra v. probabilitas. & v. ſuſpicio.

OPPROBRIVM.

Quær. 1. quid ſit opprobrium.

Reſp. D. Thomas, opprobrium eſt quando quis imponit crimen alicui, quod eſt contra eius honorem. *ſuper Pſal. 34.*

Quær. 2. quanam opprobria ſint contemnenda.

Reſp. v. *verecundia.*

ORATIO.

Quær. 1. quid ſit oratio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dicit Caſſiodorus, *Oratio dicitur quaſi oris ratio:* vnde ex ſuo nomine oratio ſignificat expreſſionem alicuius actus rationis per effectum oris: habet autē ratio duos actus, etiā ſecundùm quòd eſt ſpeculatiua: primus eſt cōponere, & diuidere; & iſte actus rationis exprimitur ore per orationem, quam Philoſ. 1. Periherm. deſcribit: ſecundus actus rationis eſt diſcurrere de vno in aliud innoteſcendi cauſâ; & ſecundùm hoc ſyllogiſmus oratio quædam dicitur: & quia ſermones Rethorici, qui conciones dicuntur, continent argumentationes ad perſuadendum accommodatas, inde eſt quòd etiam *orationes* dicuntur, & Rhetores *oratores*: & quia orationes

Digitized by Google

iſtæ præcipuè quantùm ad genus cauſarum, quod iudiciale dicitur, ordinantur ad hoc quòd aliquid à Iudice petamus (vnde & in iure aduocationes *poſtulationes* dicuntur) ideo tranſlatum eſt vlteriùs hoc nomen ad ſignificandum petitionem, quam Deo aliquis facit, velut Iudici, qui habet curã noſtrorum actuum: & ſic diffinit Damaſcenus orationem: *oratio eſt petitio decentium à Deo.* 4. *ſ. d.* 15. *qu.* 4. *a.* 1. *qu.* 1. *in corp.*

Qu. 2. *cur dicitur Pſ.* 9. *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd deſiderium pauperum dicitur Dominus exaudire; vel quia deſiderium eſt cauſa petendi, cùm petitio ſit quodammodo deſiderij interpres, vel hoc dicitur ad oſtendendum exauditionis velocitatem; quia ſcilicet dum adhuc aliquid in deſiderio pauperum eſt, Deus exaudit, antequam orationem proponant, ſecundùm illud Eſa.65. *erit quæ antequã clament, ego exaudiam eos.* 2. 2. q. 83. *a.* 1. *ad* 1.

Qu. 3. *cur ſicut dicit D. Dyoniſ. in* 3. *cap. de Diu. nom. ante omnia ab oratione incipere nos eſt vtile, ſicut Deo noſipſos tradentes & vnientes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd voluntas mouet rationem ad ſuum finem: vnde nihil prohibet, mouente voluntate actum rationis tendere in finem charitatis, qui eſt Deo vniri: tendit autem oratio in Deum quaſi à voluntate charitatis mota, dupliciter: vno quidem modo, ex parte eius quod petitur; quia hoc præcipuè eſt in oratione petendum, vt Deo vniamur, ſecundùm illud Pſ. 26. *vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Quæſt. 4. *an ſit conueniens orare; iuxta illud Lucæ* 8. *oportet ſemper orare.*

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quòd ex diuina prouidentia non ſolùm diſponitur qui effectus fiant, ſed etiam ex quibus cauſis, & quo ordine proueniant: inter alias autem cauſas ſunt etiam quorundam cauſæ actus humani: vnde oportet homines agere aliqua, non vt per actus ſuos diuinam diſpoſitionem immutent, ſed vt per actus ſuos impleant quoſdam effectus ſecundùm ordinem à Deo diſpoſitum. Et idem etiam eſt in naturalibus cauſis. Et ſimile eſt etiam de oratione: non enim propter hoc oramus, vt Diuinam diſpoſitionem immutemus, ſed vt id impetremus, quod Deus diſpoſuit per orationem Sanctorum eſſe implendum; vt ſcilicet *homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante ſæcula diſpoſuit donare*, vt Gregorius dicit in lib. dialogorum. 2. 2. *quæſt.* 83. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 5. *cur Deus licèt liberaliſſimus vult quòd ipſum oremus ad impetranda ipſius dona, & tamen vt dicit Seneca nulla res carius emitur, quàm quæ precibus empta eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deus nobis multa præſtat ex ſua liberalitate, etiam non petita: ſed quòd aliqua vult præſtare no-

Digitized by Google

bis petentibus hoc eſt propter noſtram vtilitatem; vt ſcilicet fiduciam quandam accipiamus recurrendi ad Deum; & vt recognoſcamus eum eſſe bonorum noſtrorum authorem: vnde Chryſoſt. dicit: conſidera quanta eſt tibi conceſſa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Chriſto miſcere colloquia; optare quod velis, quod deſideras poſtulare. *ibidem ad* 3.

Qu. 6. vtrum oratio ſit actus Religionis.

Reſp. D. Thomas, quòd dicitur in pſal. 140. *dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*: vbi dicit Gloſſa, *in huius figuram in veteri lege incenſum dicebatur offerri in odorem ſuauem Domino*: ſed hoc pertinet ad Religionem: ergo oratio eſt religionis actus. 2.2.*q.* 83.*a.* 3. *in a. ſed c.*

Qu. 7. an oratio ſit propriè religionis actus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad Religionem propriè pertinet, reuerentiam & honorem Deo exhibere; & ideo omnia illa, per quæ Deo reuerentia exhibetur, pertinent ad Religionem: per orationem autem homo Deo reuerentiam adhibet; inquantum ſcilicet ei ſe ſubiicit, & profitetur orando ſe eo indigere ſicut authore ſuorum bonorum: vnde manifeſtum eſt quòd oratio eſt propriè religionis actus. *in eodem a.* 3. *in corp.*

Qu. 8. cur oratio præeminet aliis actibus religionis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd orando tradit homo mentem ſuam Deo quam ei per reuerentiam ſubiicit, & quodammodo præſentat, vt patet ex authoritate Dyoniſij priùs inducta: & ideo ſicut mens humana præeminet exterioribus & corporalibus membris, vel exterioribus rebus quæ ad Dei ſeruitium applicantur, ita etiam oratio præeminet aliis actibus religionis. *ibidem ad* 3.

Quær. 9. quomodo intelligatur illud D. Gregorii: orare eſt amaros gemitus in compunctione reſonare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd gemitus ſiue fletus non eſt oratio per eſſentiam, ſed eſt quaſi fundamentum orationis; ſuperflua enim videtur petitio, vbi neceſſitas deeſt: Et ideo recognitio ſuæ miſeriæ, qua indigentem ſe aliquis videt, & ſibi ſubuenire non poteſt (quæ gemitum in effectu facit) quaſi oratio reputatur à Deo: & propter hoc dicit Auguſt. quòd *orationis negotium plus gemitibus quàm verbis agitur; & plus fletu quàm affatu.* 4.*ſ.d.* 15.*q.*4.*a.* 1. *q.*2.*ad* 3.

Qu. 10. an oratio ſit neceſſaria homini poſt Baptiſmum.

Reſp. D. Thomas, poſt Baptiſmum neceſſaria eſt homini iugis oratio, ad hoc quòd cœlum introeat: Licèt enim per Baptiſmum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interiùs, & Mundus & Dæmones qui impugnant exteriùs: & ideo ſignanter dicitur Lucæ 3. quòd *Ieſu Baptizato & orante apertum eſt cœlum*: quia ſcilicet fidelibus neceſſa-

ria eſt oratio poſt Baptiſmum. 3. *p.q. 39. a.5. in corp. lect. 2. ſuper cap. 12. ad Rom.*

Qu. 11. cur poſtquam Apoſtolus ad Rom. 12. dixit ſolicitudine non pigri, Spiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, ſubdit orationi inſtantes.

Reſp. D. Thomas, quantùm ad omnia prædicta dicit, *orationi inſtantes*, in quo orationis aſſiduitas deſignatur Luc. 18. *oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* 2. Timot. 5. *ſine intermiſſione orate.* per orationem enim in nobis ſolicitudo excitatur, feruor accenditur, ad Dei ſeruitium incitamur, gaudium ſpei in nobis augetur, & auxilium in tribulatione promeremur. Pſal. 119. *ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Ibid. lect. 2.*

Qu. 12. an & quomodo nedum miniſtri Eccleſiæ, ſed etiam omnes fideles teneantur ad orationem & pro ſe & pro aliis.

Reſp. v. *hora canonica q. 1.*

Qu. 13. vtrum orationes porrigere poſſimus nedum Deo, ſed etiam Sanctis Angelis, & hominibus iuxta illud Iob 5. voca, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio porrigitur alicui dupliciter: vno modo quaſi per ipſum implenda: alio modo ſicut per ipſum impetranda: primo quidem modo ſoli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam, quam ſolus Deus dat, ſecundùm illud Pſal. 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*: ſed ſecundo modo orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus, non vt per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat, ſed vt eorum precibus & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum: & ideo dicitur Apocalip. 8. quòd *aſcendit fumus aromatum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et hoc etiam patet ex ipſo modo quo Eccleſia vtitur in orando: nam à Sancta Trinitate petimus vt noſtri miſereatur; ab alijs autem Sanctis quibuſcunque petimus vt orent pro nobis. 2. 2. *q. 83. a. 4. in c. 4. ſ. d. 15. q. 4. a. 5. q. 1. in corp.*

Qu. 14. an ſancti qui ſunt in gloria orent pro nobis iuxta illud 2. Mac. vlt. hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Hiero. dicit, Vigilantii error fuit, quòd dum viuimus, mutuò pro nobis orare poſſumus; poſtquam autem mortui fuerimus nullius pro alio ſit exaudienda oratio; præſertim cùm martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare nequeant. Sed hoc eſt omnino falſum: quia cùm oratio pro aliis facta ex charitate proueniat, quantò ſancti qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuuari poſſunt: & quantò ſunt Deo coniunctiores, tantò eorum orationes ſunt magis efficaces: habet enim hoc diuinus

Digitized by Google

ordo vt ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur, ſicut ex claritate ſolis in aërem: vnde & de Chriſto dicitur Hæb.7. *accedens per ſemetipſum ad Deum, ad interpellandum pro nobis*: Et propter hoc Hieron. contra Vigilantium dicit: *ſi Apoſtoli, & martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, pro aliis orant; quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* 2.2. *quaſt*. 83. *a*. 11. *in corp*.

Qu. 15. *an ſit vtile in ſuis orationibus inuocare nedum maiores ſanctos, ſed etiam minores*.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis ſuperiores ſancti ſint magis Deo accepti quàm inferiores, vtile tamen eſt etiam minores Sanctos interdum orare.

Et hoc propter quinque rationes. Primò, ex hoc quòd aliquis quandoque habet maiorem deuotionem ad ſanctum minorem quàm ad maiorem: ex deuotione autem maximè dependet orationis effectus. Secundò, propter faſtidium tollendum: quia aſſiduitas vnius rei faſtidium parit; per hoc autem quòd diuerſos ſanctos oramus quaſi in ſingulis nouus feruor deuotionis excitatur. Tertiò, quia quibuſdam ſanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis præcipuè patrocinari; ſicut S. Anthonio ad ignem infernalem. Quartò, vt honor debitus omnibus exhibeatur. Quintò, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod vnius oratione non impetraretur. 4. *ſ.d*. 45. *q*. 2. *a*. 2. *ad* 2.

Quæritur. 16. *cur quandoque inuocatio minoris ſancti eſt efficacior quàm maioris*.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deus vult inferiora per omnia ſuperiora iuuari, & ideo oportet non ſolùm ſuperiores, ſed etiam inferiores ſanctos implorare: alioquin eſſet ſolius Dei miſericordia imploranda: contingit tamen quãdoque quòd imploratio inferioris ſancti efficacior eſt, vel quia deuotiùs imploratur, vel quia Deus vult eius Sanctitatem declarare. 2. 2. *q*. 83. *a*. 11. *ad* 4.

Quær. 17. *cur inuocamus ſanctos nominibus propriis*.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia ſancti viuentes meruerunt vt pro nobis orarent, ideo inuocamus eos nominibus quibus hîc vocabantur, quibus etiam nobis magis innoteſcunt; & iterum, propter fidem reſurectionis inſinuandum; ſicut legitur Exod. 3. *Ego ſum Deus Abraham &c. Ibidem ad* 5.

Qu. 18. *cur non imploramus ſuffragia eorum qui ſunt in hoc mundo, vel in purgatorio*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui ſunt in hoc mundo, vel in purgatorio, nondum fruuntur viſione verbi, vt poſſint cognoſcere ea quæ nos cogitamus vel dicimus: & ideo eorum ſuffragia non imploramus orando; ſed à viuis petimus colloquendo. 2. 2. *q*. 83. *a*. 4. *ad* 3.

Quær. 19. *quomodo vt legitur in dialogis D. Greg. Paſchaſius Dia-*

Digitized by Google

conus qui etiam poſt mortem miraculum fecit (dæmoniacum ſanans qui eius dalmaticam feretro ſuperpoſitam tetigerat) reuelatus eſt beato Germano Capuano Epiſcopo in purgatorio eſſe (vel in thermis calidis ab eodem inuentis vbi ſe deputatum ad pœnam dixit.)

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in miraculis præcipuè attenditur fides & deuotio orantis; vnde etiam Dominus mulieri quam ſanauit dixit, Math. 9. *fides tua te ſaluam fecit*: Et quia ille propter excellentiam meritorum credebatur in patria eſſe ideo orabatur: Et talis oratio propter fidem orantium exaudiebatur tunc, vt vita illius approbaretur; non quòd ille pro aliis in purgatorio exiſtens oraret (imò ab Epiſcopo ſupradicto petiit vt pro ipſo Dominum precaretur; ſicut ibi ſubiungit Gregorius. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 4. *a.* 5. *queſt.* 2. *ad* 3.

Quær. 20. an in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Valerius Maximus refert, *Socrates nihil vltra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent; quia hi demum ſcirent quid vnicuique eſſet vtile: nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetraſſe melius foret.* Quæ quidem ſententia aliqualiter vera eſt quantùm ad illa, quæ poſſunt malum euentum habere, quibus etiam homo poteſt malè & benè vti ſicut ſunt *diuitiæ*, *quæ* vt ibidem dicitur, *multis exitio fuerunt; honores, etiam complures peſſumdederunt; regna, quorum exitus ſæpè miſerabiles cernuntur; ſplendida coniugia, quæ nonnunquam domos funditus euertunt.* Sunt tamen quædam bona, quibus homo malè vti non poteſt, quæ ſcilicet malum euentum habere non poſſunt: hæc autem ſunt, quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur: quæ quidem Sancti orando abſolutè petunt, ſecundùm illud Pſal. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, & iterum 118. *deduc me in ſemitam mandatorum tuorum.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 5. *in corp.*

Quær. 21. ad quid proſit determinatio eius quod in oratione petendum eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd determinatio eius quod in oratione petendum eſt, ad tria valet: primò, ad hoc quòd attentio orationis determinetur ad aliquid, quę plurimùm eſt in oratione neceſſaria: ſecundò, vt nobis innoteſcat deſiderium noſtrum, & quantùm in ipſo profecerimus: tertiò, vt feruentiùs petamus; quia bona quantò particulariùs inſpiciuntur, tantò feruentiùs concupiſcuntur, ſicut de delectabilibus corporalibus Philoſ. dicit 3. Ethic. vnde Auguſtinus in lib. de orando Deum dicit: *ideo per certa interualla temporum, etiam verbis oramus Deum, vt illis rerum ſignis noſipſos admoneamus* (quantùm ad primum) *& quantùm in ipſo deſiderio profecerimus nobis innoteſcamus* (quantùm ad ſecundum) *& ad hoc agendum noſipſos acriùs excitemus* (quantùm ad tertium) 4. *ſ. d.* 15. *q.* 4. *a.* 4. *qu.* 1.

Quær. 22. vtrum homo in oratione debeat temporalia petere, iuxta illud prou. 38. tribue tantùm victui meo neceſſaria.

Reſp.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit ad Probam de orando Deum, *hoc licet orare, quod licet deſiderare:* temporalia autem licet deſiderare; non quidem principaliter, ſed ſicut quædam adminicula, quibus adiuuemur ad tendendum in beatitudinem; inquantum ſcilicet per ea vita corporalis ſuſtentatur, & inquantum nobis organicè deſeruiunt ad actus virtutum, vt etiam Philophus dicit in primo Ethic. & ideo pro temporalibus licet orare: & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit ad Probam, quòd *ſufficientiam vitæ non indecenter vult, quiſquis eam vult, & non amplius, quæ quidem non appetitur propter ſeipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonæ hominis, vt non ſit inconueniens eis, cum quibus viuendum eſt. Iſta ergo cùm habentur, vt teneantur, cùm non habentur, vt habeantur, orandum eſt.* 2.2.q.83.a.6. *in corp.* 4. *ſent. d.* 15. *q.* 4.*a.* 4. *q.* 2. *in corp.*

Quær. 23. an debeamus orare nedum pro nobis, ſed etiam pro aliis, iuxta illud Iac. 5. orate pro inuicem, vt ſaluemini.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, *illud debemus orando petere, quod debemus deſiderare:* deſiderare autem debemus bona non ſolùm nobis, ſed alijs; hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere: & ideo charitas hoc requirit, vt pro alijs oremus: vnde Chryſoſtomus dicit ſuper Matth. *pro ſe orare neceſſitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur; dulcior autem ante Deum eſt oratio, non quam neceſſitas transmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.* 2.2.q. 83.a. 7. *in corp.* 4. *d.* 15. *q.* 4.*a.* 4.*qu.* 3.

Qu. 24. an ſit maioris meriti orare pro alio quàm pro ſeipſo.

Reſp. D. Thomas, iſta comparatio poteſt dupliciter intelligi: vno modo vt aliquis ita oret pro alio, quòd etiam pro ſe ipſo: Et tunc maioris meriti eſt pro alio orare, & pro ſe ipſo, quàm pro ſe tantùm, maioris enim meriti eſt amicum beneuolum & beneficum eſſe ſibi & alij, quàm ſibi tantùm: alio modo poteſt intelligi, vt aliquis oret pro alio, & non pro ſe; & ſic oſtenderetur eſſe alteri beneuolus magis quàm ſibi, & ita peccaret in ordine Charitatis, magis alium quàm ſe diligens: & hoc modo intelligendo comparationem, melius eſt orare pro ſe quàm pro alio. *quodl.* 8. *q.* 5. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 25. cur ſpecialiter orare debeamus pro ſuperioribus noſtris iuxta illud Apoſt. 1. ad Timoth. 2. pro regibus & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.

Reſp. D. Thomas, pro quibus ſpecialiter? *pro regibus*, &c. Baruch. 1. *orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babyloniæ. & pro vita Balthazar filij eius.* Et Apoſt. dicit Roman. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 1. Pet. 3. *ſubiecti eſtote omni humanæ naturæ, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.* Subiecti quippe oportet

quòd impendant Dominis ſuis de ſuis officiis. Vtilitas autem eſt, quia per hoc etiam procuramus bonum noſtrum:in pace enim eorum eſt pax noſtra: vnde dicit, *vt quietam & tranquillam*, &c. In his duobus eſt pax mundi. Eccleſia ſiquidem habet pacem propriam, in qua non eſt mundus, quia *non eſt pax impiis.* Sed quædam eſt pax communis vtriſque, & hac indiget Eccleſia. Hier. 29. *quærite pacem ciuitatis ad quam tranſmigrare vos feci.* Pax terrena quandoque perturbatur ab interiori, quandoque ab exteriori. 2. Cor. 1. *foris pugnæ, intus timores.* Quantùm ad primum dicit, *vt quietam.* Quantùm ad ſecundùm dicit, *& tranquillam vitam.* Et licèt pax terrena communis ſit bonis & malis, tamen diuerſimode vtrique illâ vtuntur. Mali enim tunc ad duo ea vtebantur, ſcilicet ad cultum dæmonum: quia illam proſperitatem falſis diis attribuebant. Item ad Laſciuiam: quia tempore pacis vitia carnalia abundabant. Sap. 14. *in magno viuentes inſcientia bello, tot & magna mala pacem appellant.* Sed ſancti è conuerſo ea vtuntur, quia in cultu veri Dei & in caſtitate: & ideo dicit *in omni pietate & caſtitate.* Tit. 2. *ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo. Ibid. lect.* 1.

Quæritur 26. an & quare debemus orare pro peccatoribus, & pro iuſtis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiam pro peccatoribus orãdum eſt vt conuertantur, & pro iuſtis vt perſeuerent, & proficiant. Orantes tamen non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, ſed pro quibuſdam: exaudiuntur enim pro prædeſtinatis, non autem pro præſcitis ad mortem: ſicut etiam correctio, qua fratres corrigimus, effectum habet in prædeſtinatis, non in reprobatis, ſecundùm illud Eccl. 7. *nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit*: & ideo dicitur primæ Ioannis 5. *qui ſcit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem, petat; & dabitur ei vita peccantis peccato non ad mortem.* Sed ſicut nulli quamdiu viuit hîc, ſubtrahendum eſt correctionis beneficium, quia non poſſumus prædeſtinatos diſtinguere à reprobatis, vt Auguſtinus dicit in lib. de correptione, & gratia; ita etiam nulli eſt denegandum orationis ſuffragium.

Pro iuſtis etiam eſt orandum triplici ratione. Primò quidem, quia multorum preces faciliùs exaudiũtur: vnde ſuper illud Rom. 15. *adiuuetis me in orationibus veſtris,* dicit gloſſ. *bene rogat Apoſtolus minores pro ſe orare: multi enim minimi dum congregantur vnanimes, fiunt magni; & multorum preces impoſſibile eſt, quòd non impetrent,* illud ſcilicet quod eſt impetrabile. Secundò, vt à multis gratiæ agantur Deo de beneficijs, quæ conferuntur iuſtis, quæ etiam in vtilitatem multorum vergunt, vt patet per Apoſtolum 2. ad Corinthios 1. Tertiò, vt maiores non ſuperbiant, dum conſiderant ſe minorum ſuffragijs indigere. 2. 2. q. 83. a. 7. ad 3. 4. ſ. d. 15. q. 4. a. 4. qu. 3.

Qu. 27. an ſit orandum pro infidelibus, & excommunicatis.

Reſp. ſupra v. *excommunicatio qu.* 2. *&* 3.

Digitized by Google

Quær. 28. an debeamus orare pro inimicis, iuxta illud Matth. 5. orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd orare pro alio charitatis eſt: vnde eodem modo, quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare: qualiter autem teneamur inimicos diligere dictum eſt, vt ſcilicet in eis diligamus naturam, non culpam: & quòd diligere inimicos in generali eſt in præcepto, in ſpeciali autem non eſt in præcepto, niſi ſecundùm præparationem animi; vt ſcilicet homo eſſet paratus etiam ſpecialiter inimicum diligere, & eum adiuuare in neceſſitatis articulo, vel ſi veniam peteret; ſed in ſpeciali abſolutè inimicos diligere, & eos iuuare perfectionis eſt. Et ſimiliter neceſſitatis eſt, vt in communibus noſtris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus: quòd autem pro eis ſpecialiter oremus perfectionis eſt, non neceſſitatis, niſi in aliquo caſu ſpeciali. 2.2.q.83.a.8.*in co p.*

Quær. 29. an liceat orando petere aliqua mala temporalia inimicorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut licitum eſt impugnare inimicos, vt compeſcantur à peccatis, quod cedit in bonum eorum, & aliorum: ſic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, vt corrigantur. 2.2.q.83. *ar.8.ad 3.*

Qu. 30. cur præſertim illi exaudiuntur qui orant pro inimicis.

Reſp. D. Thomas, Deus maximè præcepit patientiam, Math. 5. *ſi quis te percuſſerit in vnam maxillam &c.* Et ideo illi exaudiuntur à Deo qui nouerunt pro inimicis orare, vt Eccleſia facit: vnde dicit Hier. 15. *ſi ſteterint Moyſes & Samuel coram me &c.* quia iſti in veteri teſtamento orauerunt pro inimicis, *non eſt anima mea ad populum iſtum*, id eſt non exaudiam eos pro populo iſto: quaſi dicat: ideo quia patienter ſuſtineo te exaudies me. *in expoſ. Pſalm. 37.*

Quær. 30. an & quare oratio debet eſſe vocalis, iuxta illud Pſ. 141. voce meâ ad Dominum clamaui, voce mia ad Dominum deprecatus ſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt oratio, communis & ſingularis: communis quidem oratio eſt quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur: & ideo oportet quòd talis oratio innoteſcat toti populo, pro quo profertur, quod non poſſet fieri niſi eſſet vocalis: & ideo rationabiliter inſtitutum eſt, vt miniſtri Eccleſiæ huiuſmodi orationes etiam altâ voce pronuntient, vt ad notitiam omnium poſſit peruenire: oratio verò ſingularis eſt quæ offertur à ſingulari perſona cuiuſcunque, ſiue pro ſe, ſiue pro aliis orantis; & de huiuſmodi orationis neceſſitate non eſt quòd ſit vocalis.

Adiungitur tamen vox tali orationi triplici ratione. Primò quidem, ad excitandam interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuatur in Deum; quia per exteriora ſigna (ſiue vocum, ſiue etiam aliquorum factorum) mo-

Digitized by Google

uetur mens hominis ſecundùm apprehenſionem, & per conſequens ſecundùm affectionem: vnde Auguſtinus dicit ad Probam, quòd *verbis & alijs ſignis ad augendum deſiderium ſanctum nos ipſos acriùs excitamus*: & ideo in ſingulari oratione tantùm eſt vocibus & huiuſmodi ſignis vtendum, quantùm proficit ad excitandum interiùs mentem; ſi verò mens per hoc diſtrahatur, vel qualitercunque impediatur, eſt à talibus ceſſandum. Quod præcipuè contingit in his, quorum mens ſine huiuſmodi ſignis eſt ſufficienter ad deuotionem parata: vnde Pſalm. 26. dicitur, *tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea*; Et de Anna legitur 1. Reg. 1. quòd *loquebatur in corde ſuo.*

Secundò, adiungitur vocalis oratio quaſi ad redditionem debiti, vt ſcilicet homo Deo ſeruiat ſecundùm illud totum quod ex Deo habet, ideſt non ſolùm mente, ſed etiam corpore. Quod præcipuè competit orationi ſecundùm quòd eſt ſatisfactoria; vnde dicitur Oſeæ vlt. *omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

Tertiò, adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab animâ in corpus, ex vehementi affectione, ſecundùm illud Pſalm. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea. 2. 2. q. 83. a. 12. in corp. 4. ſent. d. 15. quæſt. 4. art. 2. quæſtiunc. 1.*

Qu. 32. ad quid proſit vocalis oratio.

Reſp. D. Thomas, vox orationi adiungitur propter quatuor: Primò vt homo excitet ſeipſum verbis ad deuotè orandum: Secundò vt intentionem cuſtodiat, ne euagetur, magis enim tenetur ad vnum, ſi verba etiam orantis affectui coniunguntur. Tertio ex vehementia deuotionis in orante vox ſequitur: quia motus ſuperiorum virium, ſi ſit fortis, etiam ad inferiores redundat; vnde & cùm mens orantis per deuotionem accenditur, in fletus, & ſuſpiria, & iubilos, & voces inconſideratè prorumpit. Quartò propter debitum iuſtitiæ: quia Deo cui reuerentia exhibetur, non ſolùm mente, ſed etiam corpore ſeruiendum eſt. *4. ſ. d. 15. qu. 4. a. 2. qu. 1. in corp.*

Qu. 33. an & quando vocalis oratio mentalem impediat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando duæ vires ordinatæ ſunt ad idem, vna non impedit aliam in ſuo actu, ſed magis iuuat, ſicut ſenſus imaginationem, quando ad idem ordinantur: ſed intentio expreſſa per vocem non impedit aſcenſum intellectus ad Deum, niſi nimia cura in verbis proferendis fiat; ſicut illi qui verba compoſita in oratione proferre nituntur. *ibid. ad 3.*

Qu. 34. quomodo intelligendum ſit illud Apoſt. ad Rom. 8. in quo clamamus Abba Pater.

Reſp. D. Thomas, hoc dicimus non tantùm ſono vocis quantùm intentione cordis, quæ quidem propter ſuam magnitudinem clamor dicitur: ſicut & ad Moyſem tacentem dicitur Exod. 19. *quid clamas ad me*, ſcilicet intentione cordis? ſed iſta magnitudo inten-

Digitized by Google

tionis; ex affectu filialis amoris procedit, quem in nobis ſcilicet facit: & ideo dicit, in quo ſcilicet Spiritu-Sancto clamamus Abba Pater: vnde Eſa. 6. dicitur quòd Seraphim qui interpretantur ardentes, quaſi igne Spiritus-Sancti clamabant alter ad alterum. *in expoſit. eiuſdem cap.* 8. *lect.* 3.

Qu. 35. vtrum in oratione neceſſaria ſit attentio: quinam ſint orationis effectus: & quænam præcipua ex attentionibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quæſtio præcipuè habet locum in oratione vocali. Circa quam ſciendum eſt, quòd neceſſarium dicitur aliquid dupliciter: vno modo, per quod melius peruenitur ad finem; & ſic attentio abſolutè orationi neceſſaria eſt: alio modo aliquid dicitur neceſſarium, ſine quo res non poteſt conſequi ſuum effectum.

Eſt autem triplex effectus orationis, primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod eſt mereri: & ad hunc effectum non ex neceſſitate requiritur, quòd attentio adſit orationi per totum, ſed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, ſicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus autem effectus orationis eſt ei proprius, quod eſt impetrare, & ad hunc etiam effectum ſufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit: ſi autem prima intentio deſit, oratio nec meritoria eſt, nec impetratiua, *illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit*, vt Gregorius dicit. Tertius autem effectus orationis eſt, quem præſentialiter efficit, ſcilicet quædam ſpiritualis refectio mentis: & ad hoc de neceſſitate requiritur in oratione attentio: vnde dicitur primæ Corinth. 14. *ſi orem linguâ, mens mea ſine fructu eſt.*

Sciendum tamen, quòd triplex eſt attentio, quæ orationi vocali poteſt adhiberi: vna quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret; ſecunda, qua attenditur ad ſenſum verborum: tertia, qua attenditur ad finem orationis ſcilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem eſt maximè neceſſaria; Et hanc etiam poſſunt habere idiotæ: & quandoque intantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam omnium aliorum mens obliuiſcatur, ſicut dicit Hugo de S. Victore. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *in corp.*

Qu. 36. quinam ſint orationis fructus: Et quanam attentio poſſit quandoque eſſe nociua.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt fructus orationis: Vnus fructus eſt meritum, quod homini prouenit: alius fructus eſt ſpiritualis conſolatio, & deuotio concepta de oratione: Et quantùm ad fructum deuotionis ſpiritualis priuatur, qui non attendit ad ea quæ orat, ſeu non intelligit: Sed quantùm ad fructum meriti, non eſt dicendum quòd priuetur, quia ſic multæ orationes eſſent ſine merito, cùm vix vnum Pater noſter poteſt homo dicere, quin mens ad alia feratur.

Et ideo dicendum eſt, quòd quando orans aliquando diuertit

ab iis quæ dicit, ſeu quando quis in vno opere meritorio non continuè cogitat in quolibet actu, quod facit hoc propter Deum, non perdit rationem meriti. Cuius ratio eſt, quia in omnibus actibus meritoriis, qui ordinantur ad finem rectum, non requiritur, quòd intentio agentis cõiungatur fini ſecundùm quemlibet actum; ſed vis prima, quæ mouet intentionem, manet in toto opere, etiamſi aliquando in aliquo particulari diuertat: & ſic prima vis facit totum opus meritorium, niſi interrumpatur per contrariam affectionem, quæ diuertat à fine prædicto ad finem contrarium.

Sed ſciendum eſt quòd triplex eſt attentio: Vna eſt ad verba quæ homo dicit; & hæc aliquando nocet, inquantùm impedit deuotionem: Alia eſt ad ſenſum verborum; & hæc nocet, non tamen eſt multùm nociua: Tertia ad finem & hæc eſt melior, & quaſi neceſſaria. 1. *ad Corinth.* 15. *lect.* 3.

Qu. 37. quomodo vis prima attentionis in tota oratione remaneat: & ad hoc debeat homo frequenter reuocare cor ſuum ad ſeipſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo; vel ad euitandum tranſgreſſionem in illa oratione quæ eſt in præcepto; vel ad meritum, in illa quæ non eſt in præcepto, ſed non omnibus modis. Sicut enim dictum eſt aliquis actus manet per eſſentiam, & virtutem quandoque, ſed quandoque tranſit actu & manet virtute, ſicut in exemplo de proiectione lapidis patet: & ſic manere actum in virtute eſt quidam medius modus inter ipſum eſſe, & in habitu, & in actu; quia quod in habitu eſt, neque virtute neque per eſſentiam actus eſt: ſecundùm hoc ergo dico quòd attentio in oratione manere debet ſemper ſecundùm virtutem, ſed non requiritur quòd ſemper maneat per eſſentiam actus: manet autem ſecundùm virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi vel Deo debitum obſequium reddendi; etiamſi in proſecutione orationis mens ad alia rapiatur: niſi tanta fiat euagatio, quòd omnino depereat vis primæ intentionis; & ideo oportet quòd frequenter homo cor ſuum reuocet ad ſeipſum. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 4. *a.* 2. *qu.* 4.

Qu. 38. quomodo triplex eſſe poſſit attentio in oratione: & quanam ex ipſis ſit magis laudabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd attentio in oratione poteſt eſſe triplex: primò enim eſt attentio ad verba quibus petimus: deinde ad petitionem ipſam, & ad ea quæ petitionem ipſam circunſtant, ſicut eſt neceſſitas pro qua petitur, & Deus qui rogatur, & alia huiuſmodi: & quæcunque harum attentionũ adſit, non eſt reputanda inattenta oratio: vnde etiam illi qui non intelligunt petitionum verba, ad orationem attenti eſſe poſſunt. Sed tamen vltima attentio eſt laudabilior quàm ſecunda, & ſecunda quàm prima. Et quia anima non poteſt vehementer attenta eſſe ad diuerſa, ideo prima attentio poteſt nocere vt minor ſit orationis fructus ſi ſecun-

dam euacuat: vel ſecunda, ſi tertiam omnino tollat: ſed non econtrario. Tamen attentio, communiter accipiendo, non nocet, ſed multùm prodeſt. *in eodem a. 2. q. 5. in corp.*

Quær. 39. vtrum in oratione noceat attentio ſi continua fuerit, ſicut in aliis actionibus plurimùm noceret ſi ſemper adeſſet; quia optimus cithaeroedus peſſimus redderetur vt Auicenna dicit.

Reſp. D. Thomas, dicendùm quòd ratio illa procedit de prima attentione, quæ ſi ſit nimia, ineptam interruptionem faciet: ſcilicet ſi in ſingulis verbis homo cogitare velit qualiter formanda ſunt: quandoque etiam faciet errorem, quia ſic cogitanti minùs verba occurrent. Talis autem attentio ſufficit, vt ſit tanta quanta ſufficit ad integram verborum pronuntiationem. *ibid. ad 2.*

Quærit. 40. vtrum orare ſine attentione ſit peccatum, & ſic orans videatur deridere Deum; ſicut ſi alicui homini loqueretur, & non attenderet ad ea quæ ipſe proferret: vnde D. Baſilius dicit, quòd diuinum auxilium eſt implorandum, non remiſſe, nec mente huc vel illuc euagante; eo quòd talis non ſolùm non impetrabit quod petit, ſed etiam magis Deum irritabit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi quis ex propoſito in oratione mente euagetur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum: & contra hoc Auguſtinus dicit in regula, *pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde quod profertur in ore.* Euagatio verò mentis, quæ fit præter propoſitum, orationis fructum non tollit: vnde Baſilius dicit, *ſi verò debilitatus à peccato fixe nequis orare, quantumcunque potes teipſum cohibeas; & Deus ignoſcit: eo quòd non ex negligentia ſed ex fragilitate non potes vt oportet aſſiſtere coram eo. 2. 2. q. 83. a. 3. ad 3.*

Quær. 41. quomodo intelligi debeat Hugo de ſancto victore dicens: ſi cùm orationem fundimus, aliud quodlibet in corde verſamus, etiamſi illud bonum ſit, à culpa liberi non ſumus: & quandonam diſtractio in oratione ſit culpa mortalis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verbum Hugonis intelligēdum eſt quando aliquis ex propoſito mentem ad alia diſtrahit in orando; tunc enim ſine culpa non eſt: & præcipuè ſi in aliis ſponte ſe occupat quæ mentem diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera: & ſi ad contrarium mens euagetur, etiam culpa mortalis erit: ſi autem ſine hoc quòd percipiamus, mens ad alia euagetur, vel culpâ caret, vel leuiſſima culpa eſt; niſi præcedens cogitatio, ex qua contingit euagatio talis, in culpa eſſe dicatur. 4. *ſent. d. 15. q. 4. a. 2. q. 4. ad 2.*

Quær. 42. &c quomodo oratio debeat eſſe continua, ſicut Dominus dicit Lucæ 18. oportet ſemper orare & non deficere: & 1. ad Theſſ. 5. ſine intermiſſione orate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de oratione dupliciter loqui poſſumus: vno modo ſecundùm

ſeipſam: alio modo ſecundùm cauſam ſuam. Cauſa autem orationis eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem in nobis debet eſſe continuum vel actu vel virtute; manet enim virtus huius deſiderij in omnibus, quæ ex charitate facimus; omnia autem debemus in gloriam Dei facere, vt dicitur primæ ad Corinthios 10. & ſecundùm hoc oratio debet eſſe continua: vnde Auguſtinus dicit ad Probam, *in ipſa fide ſpe & charitate, continuato deſiderio ſemper oramus*.

Sed ipſa oratio ſecundùm ſe conſiderata non poteſt eſſe aſſidua; quia oportet aliis operibus occupari: ſed ſicut Auguſtinus dicit ibidem, *ideo per certa interualla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus; quantumque in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nos ipſos acriùs excitemus*. vniuſcuiuſque autem rei quantitas debet eſſe proportionata fini, ſicut quantitas potionis ſanitati: vnde & conueniens eſt vt oratio tantùm duret, quantùm eſt vtile ad excitandum interioris deſiderij feruorem: cùm verò hanc menſuram excedit, ita quòd ſine tædio durare non poſſit, non eſt vlteriùs oratio protendenda: vnde Auguſtinus dicit ad Probam, *dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breuiſſimas: & raptim quodammodò iaculatas; ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio: ac per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt hanc intentionem, ſicut non eſſe obtundendam ſi perdurare non poteſt, ita ſi perdurauerit, non citò eſſe rumpendam.*

Et ſicut hoc eſt attendendum in oratione ſingulari per comparationem ad intentionem orantis; ita etiam in communi oratione per comparationem ad populi deuotionem. 2.2.q. 83.a. 14. *in corp.* 4. *ſent. d.* 15.*q.*4.*a.*2.

Qu. 43. in quo ſenſu ſumi debeat illud Matth. 6. orantes nolite multum loqui.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit ad Probam, *non eſt hoc orare in multiloquio, ſi diutius oretur: aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus; nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quòd pernoctauerit in orando, & quòd prolixiùs orauerit: vt nobis præberet exemplum*: & poſtea ſubdit, *abſit ab oratione multa locutio: ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio: nam multùm loqui eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis: multùm autem precari eſt ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulſare: plerumque autem hoc negotium plus gemitibus, quàm ſermonibus agitur, plus fletu quàm afflatu.* 2. 2. q. 83. a. 14. ad 1.

Quær. 44. in quo conſiſtat orationis prolixitas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prolixitas orationis non conſiſtit in hoc quòd multa petantur; ſed in hoc quòd affectus continuetur ad vnum deſiderandum. *ibidem ad* 2.

Quær.

Digitized by Google

Q. 45. quot modis oratio continua dici poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum eſt quòd hoc poteſt eſſe tripliciter. Primò quòd ille ſemper orat, qui ſtatutas horas non intermittit: ſimile habetur 2. Regum 9. *tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Secundò, ſic ſemper id eſt continuè orate: ſed tunc oratio ſumitur pro effectu orationis: eſt enim oratio, interpretatio ſeu explicatio deſiderij, quia quando deſidero aliquid, tunc illud orando, peto; vnde & oratio eſt petitio decentium à Deo, & ideo deſiderium habet vim orationis, Pſal. 9. *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*: omnia ergo quæ facimus, ex deſiderio proueniunt: Ergo oratio in bonis quæ facimus, manet in virtute; quia bona quæ facimus, ex deſiderio bono proueniunt: Gloſſa, *non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere.* Tertiò, quoad cauſam orationis, ſcilicet faciendo eleemoſynam. In vitis patrum: ille ſemper orat, qui eleemoſynas dat: quia qui eleemoſynā accepit, orat pro te, etiam te dormiente. *1. ad Theſſal. 5. lect. 2.*

Quær. 46 cur Dominus luca 18. poſtquam ærumnarum, & periculorum meminit, orationis mentionem facit.

Reſp. D. Thomas, Theophilactus dicit: poſtquam ærumnarum, & periculorum Dominus meminit, ſubdit horum remedium, quod eſt oratio iugis & præmeditata, vnde dicitur, dicebat autem & parabolam ad illos &c. Chryſoſt. qui te redemit, quid te facere velit, demonſtrauit. non vult te ceſſare à precibus; vult te beneficia meditari dum petis; vult te rogando accipere, quod benignitas deſiderat impartiri: nec vnquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, ſuâ pietate inſtigat. Hortamenta Domini libenter admitte: quod præcipit, velle debes; nolle, ſi ipſe Dominus prohiberet. Denique conſidera quanta eſt tibi conceſſa felicitas, orationibus fabulari cum Deo, quod deſideras poſtulare: qui etſi verbis ſilet, tamen beneficiis reſpondet: non aſpernatur quod petis, non tædet, niſi fortè ipſe tacueris. *in ca ena aurea in expoſitione eiuſdem capitis.*

Quæritur 47. an & quomodo oratio ſit meritoria & impetratoria, & variæ virtutes ad ipſam concurrant iuxta illud Pſal. 34. oratio mea in ſinu meo conuertetur; vbi dicit Gloſſ. etſi eis non profuit, ego tamen non ſum meâ mercede fruſtratus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio præter effectum ſpiritualis conſolationis quam præſentialiter affert, duplicem habet virtutem reſpectu futuri effectûs; ſcilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi: oratio autem ſicut & quilibet alius actus virtutis habet efficaciam merendi, inquantum procedit ex radice Charitatis, cuius proprium obiectum eſt bonum æternum, cuius fruitionem meremur: procedit tamen oratio à charitate mediante Religione, cuius eſt actus oratio, concomitantibus etiam quibuſ-

dam aliis virtutibus, quæ ad bonitatem orationis requiruntur, ſcilicet humilitate & fide: ad religionem enim pertinet ipſam orationem Deo offerre: ad charitatem verò pertinet deſiderium rei cuius complementum oratio petit: fides autem eſt neceſſaria ex parte Dei quem oramus; vt ſcilicet credamus ab eo nos poſſe obtinere quod petimus: humilitas autem eſt neceſſaria ex parte ipſius petentis, quia ſuam indigentiam recognoſcit: Eſt etiam & deuotio neceſſaria: ſed hæc ad religionem pertinet, cuius eſt primus actus, neceſſarius ad omnes conſequentes: efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei quem oramus; qui etiam nos ad orandum inducit: vnde Aug. dicit in lib. de verbis Domini, *non nos hortaretur vt peteremus, niſi dare vellet*: Et Chryſoſt. dicit, *nunquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, ſuâ pietate inſtigat.* 2. 2. q. 83. 15. *in corp.*

Quær. 48. *an, & quare orationis meritum exigatur ad ſupplendum defectus omnium aliorum noſtrorum meritorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd opera noſtra non ſunt ſufficientia à ſeipſis ad obtinendum omne illud quo indigemus: Et ideo oportet quòd illud quod nobis deeſt, ex diuina miſericordia ſuppleatur, & hanc oratio pulſat: Et ideo orationis meritum exigitur ad ſupplendum defectus omnium aliorum noſtrorum meritorum: vnde Greg. in moral. dicit: *multum vtique apud Deum hæc ſummè ſibi neceſſariò congruunt, vt & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio.* 4. *ſ. d.* 15. *q.* 4. *a.* 7. *quæſt.* 2. *ad* 3.

Quær. 49. *quomodo ipſa etiam gratia per orationem impetretur, ſecundùm illud Lucæ* 11. *Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio ſine gratia gratum faciente meritoria non eſt, ſicut nec aliquis alius actus virtuoſus: Et tamen etiam oratio quæ impetrat gratiam gratũ facientem, procedit ex aliqua gratia, quaſi ex gratuito dono; quia ipſum orare eſt quoddam donum Dei; vt Aug. dicit in lib. de perſeuerantia. 2. 2. *q.* 83. *a.* 15. *ad* 1.

Quær. 50. *an & quomodo ſemper impetramus id quod in orationibus noſtris poſtulamus; ſi adſint quatuor iſta conditiones, vt ſcilicet poſtulemus pro nobis, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeueranter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad aliud principaliter reſpicit meritum orationis quandoque, quàm ad id quod petitur: meritum enim præcipuè ordinatur ad beatitudinem; ſed petitio orationis directè ſe extendit quandoque ad aliqua alia. Si ergo illud aliud quod petit aliquis pro ſeipſo non ſit ei ad beatitudinem vtile, non meretur illud; ſed quandoque hoc petendo & deſiderando, meritum amittit; puta ſi petat à Deo complementum alicuius peccati; quod eſt, non piè orare: quandoque verò non eſt neceſſarium ad ſalutem, nec manifeſtè ſaluti con-

Digitized by Google

tratium : Et tunc licèt orans poſſit orando mereri vitam æternam: non tamen meretur illud obtinere quod petit : vnde Aug. dicit in lib. ſententiarum proſperi : *fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur : quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus quàm ægrotus.* Et propterea etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoueri ſtimulum carnis quia non expediebat: ſi verò id quod petitur, ſit vtile ad beatitudinem hominis, quaſi pertinens ad eius ſalutem, meretur illud non ſolùm orando, ſed etiam alia bona opera faciendo : & ideo indubitanter accipit quod petit : ſed quando debet accipere : *quædam enim non negantur ; ſed vt congruo dentur tempore, differuntur*, vt Aug. dicit ſuper Ioan. Quod tamen poteſt impediri, ſi in petendo non perſeueret: Et propter hoc dicit Baſilius, *ideo quandoque petis, & non accipis quia perperam poſtulaſti; vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel deſtitiſti.* Quia verò homo non poteſt aliis mereri vitam æternam ex condigno, ideo per conſequens nec ea quæ ad vitam æternam pertinent, poteſt aliquando aliquis ex condigno alteri mereri. Et propter hoc non ſemper ille auditur qui pro alio orat : Et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat quod petit : vt ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeueranter. 2.2. *q.* 83. *a.* 15. *ad* 2. 3. *contra gentes cap.* 98.

Quæritur. 51. cur Oratio principaliter innititur fidei iuxta illud Iacobi 1. *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio innititur principaliter fidei, non quantùm ad efficaciam merendi (quia ſic innititur principaliter Charitati) ſed quantùm ad efficaciam impetrandi ; quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ diuinæ & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat quod petit. 2. 2. *q.* 83. *a.* 15. *ad* 3.

Qu. 52. *vnde proueniat quòd oratio facta pro alio non ſit impetratoria, etiamſi fiat cum debitis conditionibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd contingit quandoque, quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiamſi fiat piè, & perſeueranter, & de pertinentibus ad ſalutem, propter impedimentum, quod eſt ex parte eius pro quo oratur, ſecundùm illud Hier. 15. *ſi ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non erit anima mea ad populum iſtum.* Nihilominus tamen oratio meritoria erit oranti, qui ex charitâte orat, ſecundùm illud Pſalm. 34. *oratio mea in ſinu meo conuertetur*, Gloſſa. *ideſt etſi non eis proſit, ego tamen non ſum fruſtratus mea mercede.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 7. *ad* 2.

Qu. 53. *quomodo etiam ipſi peccatores orando impetrant id quod à Deo poſtulant, ſi ſeruent debitas conditiones orationis, ſicut D. Auguſtinus dicit ſuper Ioannem ſi peccatores non exaudiret Deus, fruſtra publicanus dixiſſet, Domine propitius eſto mihi peccatori : & Chry-*

Digitized by Google

ſeſt. ſuper Matth. omnis qui petit, ideſt ſiue iuſtus ſit ſiue peccator.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in peccatore duo ſunt conſideranda; ſcilicet natura quam diligit Deus, & culpa quam odit: ſi ergo peccator orando aliquid petit inquantum peccator, ideſt ſecundùm deſiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex miſericordia, ſed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata; *Deus enim quadam negat propitius, quæ concedit iratus*, vt Auguſtinus dicit.

Orationem verò peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit; non quaſi ex iuſtitia, quia peccator hoc non meretur; ſed ex pura miſericordia. Obſeruatis tamen quatuor conditionibus, vt ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeueranter. 2. 2. *quaſt.* 83. *a.* 16. *in corp.*

Quær. 54. quomodo ſit intelligendum id quod dicitur Ioan.9. ſcimus quia peccatores Deus non audit, & prou. 28. qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit ſuper Ioannem tract. 44. *illud verbum eſt caci adhuc inuncti*, ideſt, nondum perfectè illuminati; & ideo non eſt ratum: quamuis poſſit verificari, ſi intelligatur de peccatore inquantum eſt peccator. Per quem etiam modum oratio eius dicitur execrabilis. 2.2.q.83 *a.*16. *ad* 1.

Quær. 55. quomodo peccatoris oratio poſſit eſſe pia, & impetratoria, cùm non fiat in ſtatu gratiæ, ſed peccati.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccator non poteſt piè orare, quaſi eius oratio ex habitu virtutis informetur: poteſt tamen eius oratio eſſe pia quantùm ad hoc quòd petit aliquid ad pietatem pertinens. Sicut ille, qui non habet habitum iuſtitiæ, poteſt aliquid iuſtum velle.

Et quamuis eius oratio non ſit meritoria, poteſt tamen eſſe impetratiua: quia meritum innititur iuſtitiæ, ſed impetratio gratiæ. 2. 2. *qu.* 83. *a.* 16. *ad* 2.

Qu. 56. an malorum orationes, licèt ipſis infructuoſa, ſint tamen fructuoſa aliis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in oratione orans eſt ſicut principale agens, non ſolùm ſicut inſtrumentale: & ideo requiritur ad efficaciam orationis quòd ex opere operante effectum ſortiatur, non ſolùm ex opere operato, ſicut eſt in Sacramentis: & ideò malorum orationes infructuoſæ ſunt quantùm ex eis eſt, ſed poſſunt eſſe fructuoſæ aliis, pro quibus orant, propter eorum deuotionem, vel inquantum orant in perſona Eccleſiæ. 4.ſ.d.5.q.2.a. 2. *qu.* 2. *ad* 2.

Qu. 57. vtrum inter omnia ad chriſtianam vitam neceſſaria, præcipua ſit oratio: & vtrum conuenienter aſſignentur quatuor ipſius partes, iuxta illud 1. ad Timoth. 2. obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicit ergo: quia ita eſt quòd Chriſtus venit peccatores ſaluos facere: igitur, *primum omnium obſecro, &c.* in quo apertè oſtendit, quòd inter omnia neceſſaria ad vitam chriſtianam præcipua eſt oratio, quæ valet contra pericula tentationis, & ad proficiendum in bono: Iacobi vlt. *multùm valet oratio iuſti aſſidua.*

Diſtinguit ergo orationem in quatuor, ſcilicet *obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones*; quorum tria pertinent ad beneficia impetranda, vltimum ad beneficia accepta. In impetrandis autem beneficiis tria requiruntur. Primò, vt ſcilicet implorans aſſignet cauſam quare debet ei concedi. Secundò, oportet quòd oſtendat cauſam eſſe rationabilem. Tertiò, concludit petitionem. Et ſicut Rhetores faciunt, ſic & nos in orando debemus facere. Primò excogitare cauſam quare ſit concedendum, & hoc non merita noſtra, ſed miſerationem diuinam, Danielis 9. *non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis, &c.* & ad hoc eſt obſecratio, quæ eſt obteſtatio per ſacra, ſicut, per paſſionem, & crucem tuam libera nos Domine. Hâc cauſâ excogitatâ neceſſe eſt quòd meditemur quòd hoc ſacrum eſt cauſa ſalutis: & ideo requiritur oratio quæ eſt aſcenſus mentis in Deum: Pſ. 68. *ego verò orationem meam ad te Domine, &c.* dicitur autem oratio quaſi oris ratio: Perſuaſiones enim Rhetorum, dicuntur orationes, quia perſuadent; ſed aliter ibi, aliter in noſtra ad Deum, quia non intendimus quòd animum Dei flectamus, qui ſemper ad bonum eſt paratus, ſed vt noſtrum cor ſit in oratione ad Deum eleuatum. Tertio, poſtulatio: Iac. 1. *poſtulet in fide nihil hæſitans.* Item de acceptis donis gratiarum actiones: 1. Theſſal. vlt. *in omnibus gratias agite:* Philipp. 4. *in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deũ.*

Vnde iſte modus orandi eſt in Eccleſia Dei, *Omnipotens ſempiterne Deus*; ecce aſcenſus mentis, qui eſt oratio: *qui dediſti Eccleſiæ tale beneficium*; ecce gratiarum actio: *præſta quæſumus*; ecce poſtulatio: *per Dominum*: ecce obſecratio. Similiter in miſſa eſt obſecratio vſque ad conſecrationem Corporis & Sanguinis, quia in eis eſt cõmemoratio ſacrorum, ex quibus eſt fiducia impetrandi. In myſterio conſecrationis eſt oratio; quia meditatio eorum quæ Chriſtus egit. In aliis verò vſque ad communionem eſt poſtulatio pro viuis & mortuis, & pro ſe. In fine autem eſt gratiarum actio. Vel hæc quatuor referuntur ad quatuor, quæ nos volumus in oratione obtinere: vt obſecratio referatur ad difficilia impetranda, vt ad impiorum conuerſionem: oratio, quando iam conuerſis imploramus gratiam vt proficiant: poſtulatio, vt præmia pro meritis retribuantur: & pro beneficiis iam acceptis, gratiarum actio. *In expoſitione eiuſdem cap. 2. lect. 1. 2. 2. qu. 83. a. 17. 4. ſ. d. 15. q. 4. a. 3. q. 1. in corp.*

Qu. 58. quomodo oratio triſtitiam excludit cauſando delectationem maximam, & etiam ſpem augeat.

Reſp. D. Thomas, oratio habet duplicem effectum: vnus eſt ex-

Digitized by Google

pulſio triſtitiæ: alius eſt augmentum ſpei. Primus effectus eſt, quia per orationem aſcendit mens hominis in Deum: & quia Deus eſt ſummè bonus, quando anima inhæret ei ſentit delectationem maximam, & delectatio pellit triſtitiam, vel diminuit: & ideo dicit, *quare triſtis es, &c.* ex quo oraui. Alius effectus eſt, quia creſcit ſpes: quia ſi Rex admittit aliquem ad familiare obſequium & colloquium, aſſumit fiduciam petendi, & obtinendi: in oratione autem ſpecialiter loquitur cum Deo; Pſ. 27. *in ipſo ſperauit cor meum*: & ideo ſubdit, *ſpera in Deo. In expoſ. Pſ. 41. ſub finem.*

Qu. 59. cur oratio dominica eſt omnium perfectiſſima.

Reſp. D. Thomas, inter alias orationes oratio dominica principalior inuenitur. Habet enim quinque excellentias, quæ in oratione requiruntur: debet enim eſſe oratio ſecura, recta, ordinata, deuota, & humilis.

Secura quidem, vt cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ eius, vt dicitur ad Heb. 4. *in fide etiam non deficientes* dicitur enim Iac. 1. *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Rationabiliter autem hæc oratio eſt ſecuriſſima: eſt enim ab aduocato noſtro formata, qui eſt ſapientiſſimus petitor, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, vt dicitur ad coloſſ. 2. de quo dicitur 1. Ioan. 2. *aduocatum habemus apud Patrem*: vnde dicit Cyprianus in lib. de orat. Domini, *cùm Chriſtum habeamus aduocatum apud Patrem pro peccatis noſtris, quando pro delictis noſtris petimus, aduocati noſtri verba proponamus.* Vlteriùs ſecurior apparet ex hoc, quòd ipſe qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare, ſecundùm illud Pſ. 90. *clamabit ad me, & ego exaudiam eum*: vnde Cyprianus dicit: *amica, familiaris, & deuota eſt oratio, Dominum de ſuo rogare.* Vnde ab hac oratione nunquam ſine fructu receditur; nam per eam venialia dimittuntur, vt dicit Auguſt.

Debet etiam eſſe oratio noſtra recta, vt petat orans à Deo quæ ſibi conueniunt: nam Damaſcenus dicit, oratio eſt petitio decentium à Deo. multoties enim non exauditur oratio, quia indecentia poſtulantur. Iacobi 4. *petitis, & non accipitis, eoquòd malè petatis.* ſcire autem quid ſit petendum, difficillimum eſt, cùm difficillimũ ſit ſcire quid ſit deſiderandum: ea enim quæ licitè petuntur, in oratione licitè deſiderantur: & ideo Apoſt. dicit ad Rom. 8. *nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus*: ipſe autem Chriſtus doctor eſt: nam ipſius eſt docere quid nos orare oporteat: nam diſcipuli dixerunt ei Lucæ 11. *Domine doce nos orare.* ea ergo quæ ipſe orare docuit, rectiſſimè poſtulantur: vnde Auguſtinus, *quæcunque autem verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm quod in iſta oratione poſitum eſt, ſi rectè & congruenter oramus.*

Debet etiam eſſe oratio ordinata ſicut deſiderium, cùm oratio ſit deſiderij interpres: eſt autem hic debitus ordo, vt ſpiritualia carnalibus, cœleſtia terrenis deſiderando & orando præferamus, ſecundùm illud Matth. 6. *primùm quærite regnum Dei &c.* hunc Dominus in oratione ſeruare docuit, in qua primò petuntur cœleſtia, &

poſtmodum terrena.

Debet etiam oratio eſſe deuota; quia pinguedo deuotionis facit ſacrificium orationis eſſe Deo acceptum, ſecundùm illud Pſ. 62. *in nomine tuo leuabo manus meas; ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* deuotio autem plerumque propter prolixitaté orationis ob tunditur: vnde Dominus ſuperfluam orationis prolixitatem docuit vitare dicens Matth. 6. *orantes autem nolite multum loqui:* & Auguſtinus dicit ad Probam: *abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio,* ſi feruens perſeueret *intentio*: vnde Dominus hanc orationem breuem inſtituit. Conſurgit autem deuotio ex charitate, quæ eſt amor Dei,& proximi,quorum vtrumque in hac oratione oſtenditur: nam ad inſinuandum diuinum amorem, vocamus eum Patrem:ad inſinuandum autem amorem proximi communiter pro omnibus oramus, dicentes, *Pater noſter &c. & dimitte nobis debita noſtra &c.* ad quod proximorum dilectio nos inducit.

Debet etiam oratio eſſe humilis ſecundùm illud Pſ. *reſpexit in orationem humilium*: & Lucæ 18. de Phariſæo, & Publicano:& Iudith 9. *humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio*: quæ quidem humilitas in hac oratione ſeruatur: nam vera humilitas eſt,quando aliquis nihil ex ſuis viribus præſumit,ſed totum ex diuina virtute impetrandum expectat. *in proœmio opuſc. 7. de expoſitione orationis dominicæ.*

Quær. 60. quomodo conuenienter aſſignentur ſeptem petitiones orationis Dominicæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio Dominica perfectiſſima eſt; quia ſicut Aug. dicit ad Probam, *ſi rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, quàm quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt*: quia enim oratio eſt quodammodo deſiderij noſtri interpres apud Deum, illa ſolum rectè orando petimus, quæ rectè deſiderare valemus: in oratione autem dominica non ſolùm petuntur omnia quæ rectè deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine quo deſideranda ſunt; vt ſic hæc oratio non ſolùm inſtruat poſtulare, ſed etiam ſit informatiua totius noſtri affectûs. Manifeſtum eſt autẽ quòd primò cadit in deſiderio noſtro finis, deinde ea quæ ſunt ad finem: finis autem noſter Deus eſt; in quem noſter affectus tendit dupliciter: vno quidem modo prout volumus gloriam Dei: alio modo ſecundùm quòd volumus frui gloriâ eius: quorum primum pertinet ad dilectionem qua Deum in ſeipſo diligimus: ſecundum verò pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur, *ſanctificetur nomen tuum*, per quam petimus gloriã Dei: ſecunda verò ponitur, *adueniat regnum tuum*, per quam petimus ad gloriam regni eius peruenire: ad finem autem prædictum nos ordinat aliquid dupliciter: vno modo per ſe, alio modo per accidens: Per ſe quidem, bonum quod eſt vtile in finem: eſt autem aliquid vtile in finem beatitudinis dupliciter: vno modo directè & principaliter, ſcilicet meritum quo beatitudinem meremur, obediendo Deo: Et quantùm ad hoc ponitur, *fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in*

Digitized by Google

terra: alio modo inſtrumentaliter, & quaſi coadiuuans nos ad merendum, & ad hoc pertinet quod dicitur, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; ſiue hoc intelligatur de pane ſacramentali, cuius quotidianus vſus proficit homini (in quo etiam intelliguntur omnia alia ſacramenta) ſiue etiam intelligatur de pane corporali, vt per panem intelligatur omnis ſufficientia victûs, ſicut dicit Aug. ad Probam, quia Euchariſtia eſt præcipuum ſacramentum, & panis eſt præcibuus cibus: vnde & in Euangelio Matth. ſcriptũ eſt, *ſuperſubſtantialem*, ideſt, præcipuum, vt Hieron. exponit: Per accidens autem ordinamur in beatitudinem, per remotionem prohibentis. Tria autem ſunt quæ nos à beatitudine prohibent: primò quidem peccatum, quod directè excludit à regno, ſecundùm illud 1. ad cor. 6. *neque fornicarii, neque idolis ſeruientes, &c. regnum Dei poſſidebunt*: Et ad hoc pertinet quod dicitur, *dimitte nobis debita noſtra*. Secundò, tentatio, quæ nos impedit ab obſeruantia diuinæ voluntatis: Et ad hoc pertinet quod dicitur, *& ne nos inducas in tentationem*: Per quod non petimus, vt non tentemur, ſed vt à tentatione non vincamur; quod eſt in tentationem induci: Tertiò, pœnalitas præſens, vt quæ impedit ſufficientiam vitæ: Et quantùm ad hoc dicitur, *libera nos à malo*. 2.2.q.83. a.9. in corp.

Qu. 61. an ſeptem illa petitiones correſpondeant donis, & beatitudinibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Aug. in lib. 2. de verbis domini in monte adaptat ſeptem petitiones donis & beatitudinibus, dicens: *Si timor Dei eſt quo beati ſunt pauperes ſpiritu, petamus vt ſanctificetur nomen Dei in hominibus in timore caſto: Si pietas eſt qua beati ſunt mites, petamus vt veniat regnum eius, vt miteſcamus, nec ei reſiſtamus*: *Si ſcientia eſt qua beati ſunt qui lugent, oremus vt fiat voluntas eius; & ſic non lugebimus: Si fortitudo eſt qua beati ſunt qui eſuriunt, oremus vt panis noſter quotidianus detur nobis: Si conſilium eſt quo beati ſunt miſericordes, debita dimittamus, vt nobis noſtra dimittantur: Si intellectus eſt quo beati ſunt mundo corde, oremus ne habeamus duplex cor, temporalia ſectando, de quibus tentationes ſunt nobis: Si ſapientia eſt qua beati ſunt pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur, oremus vt liberemur à malo: Ipſa enim liberatio liberos nos faciet filios Dei*. 2.2. q. 83. *art.* 9. *ad* 3.

Quær. 62. cur D. Lucas cap. 11. in oratione dominica poſuit tantùm quinque petitiones.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in enchiridio: *Lucas in oratione dominica petitiones non ſeptem ſed quinque complexus eſt; oſtendens enim tertiam petitionem, duarum præmiſſarum eſſe quodammodo repetitionem, prætermittendo, eam magis facit intelligi*: ſcilicet ad hoc præcipuè voluntas Dei tendit, vt eius ſanctitatem cognoſcamus, & cum ipſo regnemus. Quod etiam Matth. in vltima poſuit, *libera nos à malo*, Lucas non poſuit; *vt ſciat vnuſquiſque in eo liberari à malo, quòd non infertur in tentationem*. ibid. ad 4.

Quær.

21. 63. *quomodo in hac oratione excitetur maximè noſtra fiducia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio non porrigitur Deo, vt ipſum flectamus, ſed vt in nobis ipſis fiduciam excitemus poſtulandi: quæ quidem præcipuè excitatur in nobis, conſiderando eius charitatem ad nos, qua bonum noſtrum vult; & ideo dicimus *Pater noſter*; & eius excellentiam qua poteſt; & ideo dicimus, *qui es in cœlis. Ibid. ad 5.*

Quærit. 64. an liceat vti aliis orationibus præter Dominicam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus non inſtituit hanc orationem, vt his ſolis verbis vti debeamus in orando; ſed quia ad hæc ſola impetranda debet tendere noſtræ orationis intentio, qualitercunque proferamus vel cogitemus. 2. 2. *q.* 83. *a.* 14. *ad* 3.

Qu. 65. vtrum ille qui non dimittit iniurias inimicis peccet dicendo orationem Dominicam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio Dominica profertur ex perſona communi totius Eccleſiæ: & ideo ſi aliquis nolens dimittere debita proximo, dicat orationem Dominicam, non mentitur; quamuis hoc quod dicit non ſit verum quantùm ad ſuam perſonam: eſt enim verum quantùm ad perſonam Eccleſiæ, extra quam eſt merito; & ideo fructu orationis caret. Quandoque tamen aliqui peccatores parati ſunt debitoribus ſuis dimittere; & ideo ipſi orantes exaudiuntur, ſecundùm illud Eccl. 28. *relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. *ad* 3. *Opuſculo* 7. *cap.* 9.

Quær. 66. an retinens inimicitiam peccaret, etiamſi orationem Dominicam in ſua perſona diceret.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non peccat, quia non dicit in perſona ſua, ſed in perſona Eccleſiæ: vel ſi in perſona ſua, non quantùm ad id quod agit, ſed quantùm ad id ad quod optat peruenire. 3. *ſ. d.* 30. *in exp. textus.*

Qu. 67. vtrum ille qui nullum habet peccatum mentiatur dicendo orationem Dominicam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non eſt alicui certum, quòd omnino à peccato (ſaltem veniali, vel quantùm ad aliquem reatum) immunis ſit: ſi tamen per reuelationem ſciat, non peccat dicens in perſona Eccleſiæ. 4. *ſ. d.* 16. *in expoſ. textus.*

Qu. 68. vtrum oratio Dominica valeat nedum ad remiſſionem peccatorum venialium, ſed etiam mortalium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in Enchir. *oratio Dominica*, & alia huiuſmodi non ſolùm ad delenda peccata venialia valent, ſed ad remiſſionem mortalium; quamuis non ita ſufficiant ad deletionem mortalium, ſicut venialium. *qu.* 15. *de verit. a.* 4. *ad* 1. 1. 2. *qu.* 74. *a.* 8. *ad* 6. 2. *d.* 24. *in exp. textus.*

Digitized by Google

Qu. 69. quomodo oratio Dominica, aliaque Sacramentalia cauſent huiuſmodi peccatorum remiſſionem.

Reſp. infra v. *Sacramentale.*

Qu. 70. an & quomodo oratio ſit vna ex ſeptem eleemoſynis ſpiritualibus, & vnum ex tribus operibus ſatisfactoriis.

Reſpondetur ſupra v. *eleemoſyna*, & infra v. *ſatisfactio.*

Plura quæ orationem concernunt, videri poſſunt ſupra. v. cantus, *Deuotio. Hora canonica. Meditatio. Et Miſſa. Et infra v. Sacrificium. Suffragium. Et v. vita, vbi agitur de vita contemplatiua.*

Supra in reſponſione ad tertiam quæſtionem omiſſa eſt pars reſponſionis cum citatione, quæ ſic habet: alio modo ex parte ipſius petentis, quem oportet accedere ad eum à quo petit; vel loco ſicut ad hominem; vel mente ſicut ad Deum: vnde dicit ibidem Dyoniſius, quòd *quando orationibus inuocamus Deum, reuelata mente adſumus ipſi*: & ſecundùm hoc etiam Damaſcenus dicit quòd *oratio eſt aſcenſus mentis in Deum. 2. 2. qu. 83. a. 1. ad 2.*

ORDO.

Qu. 1. an fuerit conueniens quòd inſtituerentur ordines in Eccleſia.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd Deus ſua opera in ſui ſimilitudinem perducere voluit (quantùm poſſibile fuit) vt perfecta eſſent, & per ea cognoſci poſſet: & ideo vt in ſuis operibus repræſentaretur non ſolùm ſecundùm quòd in ſe eſt, ſed etiam ſecundùm quòd aliis influit, hanc legem naturalem poſuit omnibus vt vltima per media perficerentur, & media per prima, vt Dionyſius dicit: & ideo vt iſta pulchritudo Eccleſiæ non deeſſet, poſuit ordinem in ea, vt quidam aliis ſacramenta traderent (ſuo modo Deo in hoc aſſimilati, quaſi Deo cooperantes) ſicut etiam in corpore naturali quædam membra aliis influunt. 4. *ſ. d. 24. quæſt. 1. a. 1. quæſt. 1. in corp. 3. contra gentes cap. 74.*

Quær. 2. vtrum ordo benè diffiniatur à Magiſtro, ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diffinitio quam Magiſter de ordine ponit, conuenit ordini ſecundùm quòd eſt Eccleſiæ ſacramentum: & ideo duo ponit; ſignum exterius; ibi *ſignaculum quoddam* &c. ideſt ſignum quoddam; & effectum interiorem, ibi *quo ſpiritualis poteſtas* &c. *in eodem a. 1. q. 2.*

Quæritur 3. vtrum ordo ſit Sacramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacramentum nihil eſt aliud quàm quædam ſanctificatio homini exhibita cum aliquo ſigno viſibili: vnde cùm in ſuſceptione ordinis quædam conſecratio homini adhibeatur per viſibilia ſigna:

Digitized by Google

conſtat ordinem eſſe Sacramentum. *4. ſent. d. 24. quæſt. 1. a. 1. q. 5. in corp.*

Quær. 4. cur verba ab Epiſcopo prolata, quæ ſunt forma ſacramenti ordinis, ſunt imperatiua, accipe poteſtatem &c.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum principaliter conſiſtit in poteſtate tradita: poteſtas autem à poteſtate traducitur, ſicut ſimile à ſimili; & iterum poteſtas per vſum innoteſcit, quia potentiæ notificantur per actus: & ideo in forma ordinis exprimitur vſus ordinis per actum qui imperatur; & exprimitur traductio poteſtatis per actum imperatiuum. *ibid. q. 4.*

Qu. 5. cur in ſacramento ordinis materia, quæ ſunt inſtrumenta ordinandis ab Epiſcopo porrecta, non præexigit ſanctificationem ſicut in aliis ſacramentis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd materia in ſacramentis exteriùs adhibita ſignificat virtutem in ſacramentis agentem ex extrinſeco omnino aduenire: vnde cùm effectus proprius huius ſacramenti (ſcilicet character) non percipiatur ex aliqua operatione ipſius qui ad ſacramentum accedit, ſicut erat in pœnitentia, ſed omnino ex extrinſeco adueniat, competit ei materiam habere: tamen diuerſimodè ab aliis ſacramentis quæ materiam habent. Quia hoc quod in ſacramento confertur in aliis ſacramentis, deriuatur tantùm à Deo, non à miniſtro qui ſacramentum diſpenſat: ſed illud quod in hoc ſacramento traditur (ſcilicet ſpiritualis poteſtas) deriuatur etiam ab eo qui ſacramentum dat, ſicut imperfecta poteſtas à perfecta: & ideo efficacia illorum ſacramentorum principaliter conſiſtit in materia, quæ virtutem diuinam & ſignificat & continet ex ſanctificatione per miniſtrum adhibita: ſed efficacia huius ſacramenti principaliter reſidet penes eum qui ſacramentum diſpenſat: materia autem adhibetur magis ad determinandum poteſtatem quæ traditur particulariter ab habente eam completè quàm ad poteſtatem cauſandum: quod patet ex hoc quòd materia competit vſui poteſtatis. *4. ſ. d. 24. q. 1. a. 1. quæſt. 5. in corp.*

Quær. 6. an verum ſit quod aliqui dicunt, contactum materiæ non eſſe de neceſſitate huius ſacramenti, ſed tantum ipſius porrectionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuſtinendo illud dictum, apparet ex dictis cauſa eius: quia enim poteſtas ordinis non accipitur à materia, ſed à miniſtro principaliter; ideo porrectio materiæ magis eſt de eſſentia ſacramenti quàm tactus: tamen ipſa verba formæ videntur oſtendere quòd tactus materiæ ſit de eſſentia ſacramenti; quia dicitur, *accipe hoc, vel illud. ibidem ad 3.*

Quæ. 7. vtrum in Sacramento ordinis conferatur gratia ſanctificans.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd *Dei perfecta ſunt opera*, vt dicitur Deuteron. 32. & ideo cuicunque datur potentia aliqua di-

uinitùs, dantur ea per quæ executio illius potentiæ poteſt congrue fieri; & hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra quibus animæ potentiæ poſſunt exire in actus ſuos, niſi ſit defectus ex parte materiæ:ſicut autem gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad hoc quòd homo digne recipiat Sacramenta, ita etiam ad hoc quod homo dignè diſpenſet: & ideo ſicut in Baptiſmo, per quem homo fit ſuſceptiuus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in Sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum diſpenſationem. 4. *ſent d.* 24. *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 1. *in c.*

Quær. 8. *vtrum illi qui accedunt ad ſuſcipiendos ordines debeant eſſe in ſtatu gratiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad idoneam executionem ordinum non ſufficit bonitas quācunque, ſed requiritur bonitas excellens; vt ſicut illi qui ordinem ſuſcipiunt ſuper plebem conſtituuntur gradu ordinis, ita & ſuperiores ſint merito ſanctitatis: & ideo præexigitur gratia quæ ſufficiebat ad hoc quòd digne comnumerarentur in plebe Chriſti: ſed confertur in ipſa ſuſceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad maiora reddantur idonei. *in eadem quæſtiunc.* 1. *ad* 3.

Quær. 9. *an in quolibet Sacramento ordinis imprimatur character.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt, quòd in ſolo Ordine Sacerdotali character imprimitur; ſed hoc non videtur verum, quia actum Diaconi nullus poteſt exercere licitè, niſi Diaconus; & ita patet quòd habet aliquam ſpiritualem poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum, quam alij non habent. Et propter hoc alij dixerunt, quòd in ſacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus: ſed hoc nihil iterum eſt: quia per quemlibet ordinem aliquis conſtituitur ſuper plebem in aliquo gradu poteſtatis in ordine ad Sacramentorum diſpenſationem: vnde cùm character ſit ſignum diſtinctiuum ab alijs, oportet quòd in omnibus character imprimatur: cuius etiam ſignum eſt, quòd perpetuò manent, & nunquam iterantur. Et hæc eſt tertia opinio, quæ communior eſt. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *in corp.*

Quær. 10. *an character ordinis præſupponat characterem baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil poteſt aliquid recipere, cuius receptiuam potentiam non habet: per characterem autem Baptiſmalem efficitur homo receptiuus aliorum Sacramentorum: vnde qui characterem Baptiſmalem non habet, nullum alterum Sacramentum ſuſcipere poteſt: & ſic character ordinis baptiſmalem characterem præſupponit. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.*

Qu. 11. *an ple credi poſſit, quòd ſi aliquis non baptizatus promoueretur ad Sacerdotium, vel Epiſcopatum ſummus Sacerdos Chriſtus ſuppleret defectum quantum ad vl-*

Digitized by Google

timum Sacramentorum effectum.

Reſp. v. *Sacramentum.*

Quær. 12. cur licet de neceſſitate character Baptiſmi preſupponatur ad ordines; character tamen confirmationis non praexigatur niſi ex congruitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad ſuſceptionem Ordinis præexigitur aliquid quaſi de neceſſitate Sacramenti, & aliquid de congruitate: de neceſſitate enim Sacramenti præexigitur quòd ille, qui accedit ad ordines, ſit ordinis ſuſceptiuus, quod competit ei per Baptiſmum; & ideo character Baptiſmalis præſupponitur de neceſſitate Sacramenti, ita quòd ſine eo Sacramentum ordinis conferri non poteſt: ſed de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis; & vnum de iſtis eſt, vt ſit confirmatus: & ideo de congruitate character ordinis characterem confirmationis præſupponit, & non de neceſſitate. 4. *ſent. d.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 2. *q.* 4. *in corp.*

Quær. 13. vtrum ille qui non ſuſcepit minores ordines ordines poſſit ſuſcipere maiores: & cur illi qui fuerunt ordinati per ſaltum non reordinantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non eſt de idoneitate ſuperiorum ordinum, quòd aliquis minores ordines priùs habeat; quia poteſtates ſunt diſtinctæ, & vna quantùm eſt de ſui ratione non requirit aliam in eodem ſubiecto: & ideo etiam in primitiua Eccleſia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui priùs inferiores ordines non ſuſceperant; & tamen poterant omnia, quæ inferiores ordines poſſunt; quia inferior poteſtas comprehenditur in ſuperiori virtute, ſicut ſenſus in intellectu, & Ducatus in Regno. Sed poſtea per conſtitutionem Eccleſiæ determinatum eſt, quòd ad maiores ſe non ingerat, qui priùs in minoribus officiis ſe non humiliauerit: & inde eſt quòd qui ordinantur per ſaltum, ſecundùm canones non reordinantur, ſed id quod omiſſum fuerat de præcedentibus ordinibus, eis confertur. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 5. *in corp.*

Qu. 14. vtrum in ordinandis requiratur bonitas vitæ, iuxta illud leuitici 21. homo de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offerat panes coram Domino, nec accedat ad miniſterium eius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Dionyſius dicit in 3. cap. Eccleſ. Hierar. *vt ſubtiliores & clariores eſſentiæ repletæ influxu ſolarium ſplendorum lumen in eis ſupereminens ad ſimilitudinem ſolis in alia corpora inuehunt: ſic in omni diuino non eſt audendum aliis dux eſſe, niſi ſecundùm omnem habitum ſuum ſit factus Dei firmiſſimus & Dei ſimillimus*: vnde cùm in quolibet ordine aliquis conſtituatur dux aliis in rebus diuinis, in quolibet quaſi præſumptuoſus mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis ad ordines accedit: & ideo ſanctitas vitæ requiritur ad ordinem de neceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti:

Digitized by Google

vnde ſi malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato. 4. *ſent. d. 24. q. 1. a. 3. q. 1. in corp.*

Qu. 15. vtrum in omnibus ordinibus requiratur ſanctitas vitæ.

Reſp. D. Thomas, Hieronymus dicit quòd *non ſolum Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum cui præſident, conuerſatione, ſermone, ſcientiâ præcedant; verùm etiam inferiores gradus, & omnes qui Domini domus deſeruiunt: quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit, meliores eſſe laicos quàm clericos:* ergo in omnibus ordinibus requiritur ſanctitas vitæ. 4. *ſ. d. 24. q. 1. a. 3. qu. 1. in 2. argum. ſed contra.*

Qu. 16. quanam in ordinandis ſcientia requiratur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in quolibet actu hominis, ſi debeat eſſe ordinatus, oportet quòd adſit directio rationis; vnde ad hoc quòd homo ordinis officium exequatur, oportet quòd habeat tantũ de ſcientia quòd ſufficiat ad hoc quòd dirigatur in actu illius ordinis: ideo talis ſcientia requiritur in eo, qui ad ordines promoueri debet: & non quòd vniuerſaliter in tota ſcriptura ſit inſtructus, ſed plus & minùs ſecundùm quòd ad plura vel pauciora ſe eius officium extendit; vt ſcilicet illi, qui aliis præponuntur curam animarum ſuſcipientes, ſciant ea quæ ad doctrinam fidei & morum pertinent; & alij ſciant ea quæ ad executionem ſui ordinis ſpectant. 4. *ſent. d. 24. qu. 1. a. 3. q. 2. in corp.*

Qu. 17. quanam ſcientia requiratur, & ſufficiat vt aliquis ad Sacerdotium promoueatur: & quanam in Epiſcopis eſſe debeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacerdos habet duos actus; vnum principalem ſupra Corpus Chriſt verum, & alterum ſecundariũ ſupra Corpus Chriſti myſticum: Secundus autem actus dependet à primo, ſed non conuertitur; & ideo aliqui ad Sacerdotium promouentur, quibus committitur primus actus tantùm ſicut Religioſi, quibus cura animarum non committitur: Et à talium ore non requiritur lex, ſed ſolùm quòd Sacramenta conficiant: Et ideo talibus ſufficit ſi tantum de ſcientia habeant, quòd ea, quæ ad Sacramentum perficiendum ſpectant ritè ſeruare poſſint. Alij autem promouentur ad alium actum, qui eſt ſupra Corpus Chriſti myſticum: & à talium ore populus legem requirit: vnde ſcientia legis in eis eſſe debet; non quidem vt ſciant difficiles quæſtiones legis (quia in his debet ad ſuperiores haberi recurſus) ſed ſciant quæ populus debet credere, & obſeruare de lege. Sed ad ſuperiores Sacerdotes, ſcilicet Epiſcopos, pertinet vt etiam ea quæ difficultatem in lege facere poſſint, ſciant: & tantò magis, quantò in maiori gradu collocantur. 4. *ſ. d. 24. q. 1. a. 3. qu. 2. ad 1.*

Qu. 18. quanam ſcientia requiratur & ſufficiat, vt ſuſcipi poſſit ordo Lectoratus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad lectorem non pertinet

Digitized by Google

tradere intellectum ſacræ ſcripturæ populo (quia eſt ſuperiorum ordinum) ſed ſolùm pronuntiare: & ideo ab eo non exigitur quòd habeat tantum de ſcientia quòd ſacram ſcripturam intelligat, ſed ſolùm quòd recte pronunciare ſciat: Et quia talis ſcientia de facili addiſcitur & à multis, ideo probabiliter æſtimari poteſt, quòd ordinatus talem ſcientiam acquiret, etiamſi tunc eam non habeat; maximè ſi in via ad hoc eſſe videatur. 4. *ſentent. d.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 3.

Quær. 19. *an promouens indignos peccet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd à Domino deſcribitur fidelis, qui eſt *ſeruus conſtitutus ſuper familiam, vt det illis tritici menſuram:* & ideo infidelitatis reus eſt, qui aliter ſupra menſuram eius diuina tradit: hoc autem facit quicunque indignum promouet: & ideo mortale crimen committit quaſi ſummo Domino infidelis; & præcipuè cùm hoc in detrimentum Eccleſiæ vergat, & honoris diuini, qui per bonos miniſtros promouetur: eſſet enim infidelis domino terreno, qui in eius officio aliquos inutiles poneret. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 4. *in corp.*

Qu. 20. *vtrum indignos promouere liceat ſaltem in caſu quo non inuenirentur digni.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deus nunquam deſerit Eccleſiam ſuam, quin inueniantur idonei miniſtri ſufficienter ad neceſſitatem plebis, ſi digni promouerentur, & indigni repellerentur: & ſi non poſſent tot miniſtri inueniri quot modò ſunt, melius eſſet habere paucos miniſtros bonos, quàm multos malos, vt dicit beatus Clemens. 4. *ſ. d.* 24. *qu.* 1. *a.* 3. *qu.* 4. *ad* 1.

Qu. 21. *quid requiratur vt poſſit ordinans ſine peccato promouere ad ordines.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad minus hoc requiritur quòd neſciat ordinans aliquid contrarium ſanctitati in ordinando eſſe: ſed etiam exigitur ampliùs vt ſecundùm menſuram ordinis vel officij iniungendi diligentior cura apponatur, vt habeatur certitudo de qualitate promouendorum, ſaltem ex teſtimonio aliorum: Et hoc eſt quod Apoſt. dicit 1. Timoth. 5. *manus citò nemini impoſueris. Ibid. ad.* 3.

Quær. 22. *an quicunque in peccato mortali ſuum ordinem exercet peccet mortaliter.*

Reſp. v. *Sacramentum.*

Qu. 23. *an fuerit conueniens plures diſtingui ordines.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ordinum multitudo inducta eſt in Eccleſia propter tria. Primò, propter ſapientiam Dei commendandam, quæ in diſtinctione ordinatâ rerum maximè relucet tam in naturalibus, quàm in Spiritualibus; quod ſignificatur in hoc quòd Regina Saba, *videns ordinem miniſtrantium Salomoni non habebat vltra Spiritum*, deficiens in admi-

Digitized by Google

ratione ſapientiæ ipſius. Secundò, ad ſubueniendũ humanæ infirmitati; quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina myſteria pertinebant, expleri ſine magno grauamine: Et ideo diſtinguuntur ordines diuerſi ad diuerſa officia: Et hoc patet per hoc quòd dominus num. 11. dedit Moyſi ſeptuaginta ſenes populi in adiutorium. Tertiò, vt via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diuerſis officiis diſtribuuntur, vt omnes ſint Dei cooperatores; quo nihil eſt diuinius, vt Dyoniſius dicit. 4. *ſ.d.* 24.*q.* 2. *a.* 1.*q.* 1.*in corp.*

Quær. 24. vtrum omnes ordines ſint vnum ſacramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſtinctio ordinum non eſt totius integralis in partes, neque totius vniuerſalis, ſed totius poteſtatiui; cuius hæc eſt natura quòd totum ſecundùm completam rationem eſt in vno; in aliis autem eſt aliqua participatio ipſius: Et ita eſt hîc: tota enim plenitudo huius ſacramenti eſt in vno ordine, ſcilicet ſacerdotio, ſed in aliis eſt quædam participatio ordinis: Et hoc ſignificatum eſt in hoc quòd Dominus dicit num. 11. Moyſi: *auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis vt ſuſtentent onus populi.* Et ideo omnes ordines ſunt vnum ſacramentum. *Ibid. ad* 2.

Quæritur 25. an ſint ſeptem ordines, ſcilicet oſtiaratus, lectoratus, exorciſtatus, acholytatus, ſubdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus: & quænam in quolibet eorum poteſtas conferatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ordinis Sacramentum ad Sacramentum Euchariſtię ordinatur, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, vt dicit Dyoniſius. Sicut enim templum, & altare, & vaſa, & veſtes, ita & miniſteria quæ ad Euchariſtiam ordinantur, conſecratione indigent; & hæc conſecratio eſt ordinis ſacramentum: Et ideo diſtinctio ordinum eſt accipienda ſecundùm relationem ad Euchariſtiam: quia poteſtas ordinis aut eſt ad conſecrationem Euchariſtiæ ipſius, aut ad aliquod miniſterium ordinatum ad hoc: Si primo modo ſic eſt ordo ſacerdotum: Et ideo cùm ordinantur accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane, poteſtatem accipiendo conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti: cooperatio autem miniſtrorum eſt vel in ordine ad ipſum ſacramentum, vel in ordine ad ſuſcipientes: ſi primò, ſic tripliciter: Primò enim eſt miniſterium, quo miniſter cooperatur ſacerdoti in ipſo ſacramento quantùm ad diſpenſationem; licèt non quantùm ad conſecrationem, quam ſolus ſacerdos facit; & hoc pertinet ad diaconum: vnde in littera dicitur quòd ad diaconum pertinet miniſtrare ſacerdotibus in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti; vnde ipſi ſanguinem diſpenſant: Secundò, eſt miniſterium ordinatum ad materiam ſacramenti ordinandam in ſacris vaſis ipſius ſacramenti: Et hoc pertinet ad ſubdiaconũ: vnde in littera dicitur quòd vaſa corporis & ſanguinis Domini portant, & oblationes in altari ponunt; & ideo accipiunt calicem de manu Epiſcopi, ſed vacuum. cùm

im ordinantur: Tertiò, eſt miniſterium ordinatum ad præſentandum materiam ſacramenti: Et hoc competit acolytho; ipſe enim vt in litera dicitur, vrceolum cum vino, & aqua præparat; vnde accipiunt vrceolum vacuum. Sed miniſterium ad præparationem recipientium ordinatum non poteſt eſſe niſi ſuper immundos; quia qui mundi ſunt, iam ſunt ad ſacramenta recipienda idonei. Triplex autem eſt genus immundorum, vt Diony. dicit: quidam enim ſunt omnino infideles credere non volentes: Et hi totaliter etiam à viſione diuinorum, & à cætu fidelium arcendi ſunt: Et hoc pertinet ad oſtiarios. Quidam verò ſunt volentes credere, ſed nondum ſunt inſtructi, ſcilicet catechumeni: Et ad horum inſtructionem ordinatur ordo lectorum: Et ideo prima rudimenta ad doctrinam fidei, ſcilicet vetus teſtamentum, eis legendum committitur. Quidam verò ſunt fideles & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex dæmonis poteſtate; ſcilicet Energumeni: Et ad hoc habet miniſterium ordo exorciſtarum. Et ſic patet ratio, & numerus, & gradus ordinum. 4. ſ. d. 24. q. 2. a. 1. qu. 2. *in corp.*

Qu. 26. an ſint tantum tres ordines ſacri, ſcilicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ordo dicitur ſacer dupliciter: vno modo ſecundùm ſe; & ſic quilibet ordo eſt ſacer, cùm ſit ſacramentum quoddam: alio modo ratione materiæ circa quam habet aliquem actum; & ſic ordo ſacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam conſecratam: Et ſic ſunt tantùm tres ordines ſacri; ſcilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habet actum circa Corpus Chriſti & Sanguinem conſecratum; & Subdiaconus, qui habet actum circa vaſa conſecrata: Et ideo etiam eis continentia indicitur, vt ſancti & mundi ſint, qui ſancta tractant. 4. d. 24. q. 2. a. 1. qu. 3.

Qu. 27. quomodo ſuperiores & inferiores ordines Sacerdoti cooperentur: Et quinam ſint præcipui ex minoribus ordinibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd actus acolythorum ſe habet propinquiùs ad principales actus ſuperiorum miniſtrorum, quàm actus aliorum ordinum; & ſimiliter etiam quantùm ad actus ſecundarios, quibus populum per doctrinam diſponunt; quia acolythus doctrinam noui teſtamenti viſibiliter figurat lumen portans: ſed lector recitando figuras alias: Et ideo acolythus eſt ſuperior. Similiter etiam Exorciſta: quia ſicut ſe habet actus lectoris ad actum ſecundarium diaconi & Subdiaconi, ita ſe habet actus Exorciſtæ ad ſecundarium actum Sacerdotis (ſcilicet ligare & ſoluere) per quem totaliter homo à ſeruitute diaboli liberatur.

Et in hoc patet ordinatiſſimus ordinum progreſſus: quia Sacerdoti quantùm ad actum eius principalem, (ſcilicet conſecrare Corpus Chriſti) cooperantur tantùm tres ſuperiores ordines; ſed quantùm ad actum eius ſecundarium (qui eſt abſoluere & ligare) coo-

Digitized by Google

perantur ſuperiores & inferiores. *In eadem q. a. 2. ad* 8.

Qu. 28. *an quandoque detur gratia ſpecialis oſtiario : & quid facere debeat ex officio : & vtrum illi qui non ſuſceperunt quatuor minores, poſſint eorum actus exercere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dicunt quòd in ſuſceptione ordinis oſtiario datur quædam vis diuina, vt arcere poſſit alios ab introitu templi; ſicut & in Chriſto fuit, quando eiecit vendentes de templo: ſed hoc magis pertinet ad gratiam gratis datam, quàm ad gratiam Sacramenti: & ideo dicendum quòd ſuſcipit poteſtatem, vt ex officio hoc agere poſſit; quamuis etiam & hoc ab aliis fieri poſſit, ſed non ex officio. Et ita eſt in omnibus actibus minorum ordinum, quòd poſſunt per alios licitè fieri, quamuis illi non habeant officium ad hoc. *Ibid. ad* 9.

Qu. 29. *quomodo in collatione ordinum requiratur benedictio, impoſitio manuum, & vnctio: & in quo actu imprimatur character Sacerdotalis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd eiuſdem eſt formam aliquam inducere, & materiam de proximo præparare ad formam: vnde Epiſcopus in collatione ordinum duo facit: Præparat enim ordinandos ad ordinis ſuſceptionem, & ordinis poteſtatem tradit: Præparat quidem, & inſtruendo eos de proprio officio; & aliquid circa eos operando, vt idonei ſint poteſtatem accipiendi: Quæ quidem præparatio in tribus conſiſtit; ſcilicet benedictione, manus impoſitione, & vnctione: Per benedictionem diuinis obſequiis mancipantur; & ideo benedictio omnibus datur: ſed per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia ſint idonei: & ita ſolis Diaconis, & Sacerdotibus fit manus impoſitio: quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum: quamuis vni vt principali & alteri ſicut miniſtro: ſed vnctione ad aliquod Sacramentum tractandum conſecrantur: Et ideo vnctio ſolis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus Corpus Chriſti tangunt: ſicut etiam calix inungitur qui continet Sanguinem, & patena quæ continet Corpus: ſed poteſtatis collatio fit per hoc, quòd datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet: Et quia principalis actus Sacerdotis eſt conſecrare Corpus & Sanguinem Chriſti, ideo in ipſa datione calicis ſub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur. 4. *ſ. d.* 24. *q.* 2. *a.* 3. *in corp.*

Quær. 30. *quodnam ſit officium Sacerdotis.*

Reſp. infra. v. *Sacerdos.*

Qu. 31. *quomodo omnes alij miniſtri cooperentur Sacerdoti in ſuo officio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd miniſter comparatur ad Sacerdotem ſicut ſecundarium & inſtrumentale agens ad principale, vt indicat ipſum nomen miniſtri: agens autem ſecũdarium non agit ſine principali agente, ſed coope-

Digitized by Google

ratur principali agenti in operando: quantò autem potior eſt operatio, tantò principale agens potioribus indiget inſtrumentis ſeu miniſtris: Potior autem eſt operatio Sacerdotis, inquantùm confert ipſum Sacramentum quàm in præparatoriis ad Sacramentum: & ideo ſupremi miniſtri, qui dicuntur *Diacones*, cooperantur Sacerdoti in ipſa collatione Sacramentorum: dicit enim Iſidor. quòd ad diaconum pertinet aſſiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Chriſti; in Baptiſmo ſcilicet, in Chriſmate, patena, & calice: Inferiores autem miniſtri cooperantur Sacerdotibus in his quæ ſunt præparatoria ad Sacramentum; ſicut lectores in Cathechiſmo, & Exorciſtæ in Exorciſmo. 3. *p. q.* 71. *a.* 4. *in corp.*

Quær. 32. *in quo actu imprimatur character Diaconatus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſtas Diaconi eſt media inter poteſtatem Subdiaconi, & Sacerdotis: Sacerdos enim directè habet poteſtatem ſuper Corpus Chriſti, Subdiaconus autem ſuper vaſa tantùm; ſed Diaconus ſuper corpus in vaſe contentum: vnde eius non eſt tangere Corpus Chriſti, ſed portare Corpus Chriſti in patena, & diſpenſare Sanguinem cum calice: & ideo eius poteſtas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vaſis tantùm, nec per dationem materiæ, ſed exprimitur poteſtas eius ad actum ſecundarium in hoc quòd datur ipſi liber Euangeliorum; & in hac poteſtate intelligitur alia: & ideo in ipſa libri datione imprimitur character. 4. *ſ. d.* 24. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5.

Qu. 33. *quodnam ſit proprium Diaconi officium: & vtrum baptizare poſſit, cùm Gelaſius Papa dicat, & habetur in decretis* 93. *diſt. Diaconos propriam conſtituimus obſeruare menſuram: & infra: abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus fortaſſe longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut cœleſtium ordinum proprietates, & officia ex eorum nominibus accipiuntur, ita etiam ex nominibus Eccleſiaſticorum ordinum accipi poteſt quid ad vnumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi quaſi miniſtri, quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere, ſed adhibere miniſterium aliis maioribus in Sacramentorum exhibitione: & ſic ad Diaconum non pertinet quaſi ex proprio officio tradere Sacramentum Baptiſmi: ſed in collatione huius Sacramenti & aliorum aſſiſtere, & miniſtrare maioribus: vnde Iſidorus dicit: *ad Diaconum pertinet aſſiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Chriſti; in Baptiſmo ſcilicet, in Chriſmate, in Patena, & in Calice.* 3. *p. qu.* 67. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 34 *an & quomodo ad Diaconum pertineat prædicare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd ad diaconum pertinet recitare Euangelium in Eccleſia, & prædicare ipſum per modum Catechizantis: vnde & Dionyſius dicit, quòd *Diaconi habent officium ſuper immundos*, inter quos ponit catechumenos: ſed dicere, ideſt exponere Euangelium, pertinet propriè ad Epiſcopum, cuius actus eſt perficere ſecundùm Dionyſium 5. cap. Eccl. Hierarchiæ: perficere autem idem eſt quòd docere. *ibidem ad* 1.

Quær. 35. quare olim inferiora miniſteria Diaconis committebantur, non autem modo: & cur Eccleſia alios ordines inſtituit, cùm in doctrina Chriſti, & Apoſtolorum non fiat mentio niſi de Presbyteris, & Diaconis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in primitiua Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria diaconis committebantur, vt patet per Dionyſium 2. cap. Ecc. Hierarchiæ, vbi dicit: *miniſtrorum alij ſtant ad portas templi clauſas; alij aliud quid proprij ordinis operantur; alij cum Sacerdotibus proponunt ſuper Altare Sacrum panem, & benedictionis Calicem*: nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicitè in vna diaconi poteſtate: ſed poſtea ampliatus eſt cultus diuinus, & Eccleſia, quod implicitè habebat in vno ordine, explicitè tradidit in diuerſis: & ſecundùm hoc dicit Magiſter in littera, quòd Eccleſia alios ordines inſtituit. 4. *ſ. d*. 24. *q*. 2. *a*. 1. *q*. 2. *ad*. 2.

Quæritur. 36. an catechiſmus, & inſtructio præcedens baptiſmum pertineat ad Diaconum: & vtrum poſſit Diaconus diſpenſare corpus, vel ſanguinem Chriſti.

Reſp. v. baptiſmus *qu*. 67. & v. communio *q*. 14. & 45.

Qu. 37. an & quomodo Diaconis, & ſubdiaconis competit oblationes offerre, Epiſtolam legere, & crucem ferre, quam ferunt ſubdiaconi etiam coram Papa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oblationes à populo oblatæ per ſacerdotem offeruntur: Et ideo duplex miniſterium circa oblationes eſt neceſſarium: vnum ex parte populi; & hoc eſt ſubdiaconi, qui accipit oblationes à populo, & in altari ponit, vel offert diacono: aliud ex parte ſacerdotis; & hoc eſt diaconi, qui oblationes miniſtrat ipſi ſacerdoti: Et in hoc eſt actus principalis vtriuſque; Et propter hoc ordo diaconi, eſt ſuperior: legere autem Epiſtolam non eſt actus diaconi, niſi ſecundùm quòd actus inferiorum ordinum ſuperioribus attribuuntur. Similiter etiam crucem ferre: Et hoc ſecundùm conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum; quia in actibus ſecundariis non eſt inconueniens diuerſas conſuetudines eſſe. 4. *ſ. d*. 24. *q*. 2. *a*. 2. *ad* 3.

Quær. 38. cur Diacono committitur Euangelii lectio, ſubdiacono verò lectio Epiſtolæ.

Reſp. D. Thomas, quòd doctrina eſt remota præparatio ad ſuſcipiendum ſacramentum: Et ideo pronuntiatio doctrinæ miniſtris committitur: Sed doctrina vete-

Digitized by Google

ris teſtamenti eſt adhuc magis remota quàm doctrina noui: quia non inſtruit de hoc ſacramento niſi in figuris: & ideo nouum teſtamentum ſuperioribus miniſtris pronuntiandum committitur: vetus autem inferioribus: doctrina etiam noui teſtamenti perfectior eſt, quam dominus per ſeipſum tradidit, quàm ipſius manifeſtatio per Apoſtolos: Et ideo Euangelium diacono, epiſtola ſubdiacono committuntur. *Ibidem ad 4.*

Qu. 39. cur acolythus in ſui ordinatione recipit vrceolum vacuum, & ſubdiaconus plenum: Diaconus verò calicem vacuum, & ſacerdos plenum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd acolythi habent actum ſuper vrceolum tantùm, non ſuper ea quæ in vrceolo continentur: ſed ſubdiaconus habet actum ſuper contentis in vrceolo: quia aquâ vtitur & vino ad ponendum in calice: & aquam iterum manibus ſacerdoti præbet, & diacono: ſicut & diaconus habet actum ſolùm ſuper calicem, non ſuper contenta: Et ideo ſicut diaconus in ſui ordinatione accipit calicem vacuum, ſacerdos plenum: ita acolythus vrceolum vacuum, ſed ſubdiaconus plenum: & ſic eſt quædam connexio in ordinibus. *ibidem ad 6.*

Qu. 40. in quo actu imprimatur character acholytatus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd principalior actus Acholyti eſt quo miniſtrat in vrceolo, quàm quo miniſtrat in candelabro: quãuis denominetur ab actu ſecundario, propter hoc quòd eſt magis notus, & magis proprius ei: & ideo in datione vrceoli imprimitur character, virtute verborum ab Epiſcopo pronuntiatorum. *4. ſ.d.24.q.3. a. 3. ad 6.*

Qu. 41. an exorcizare baptizandos pertineat ad Exorciſtas.

Reſp. v. *baptiſmus qu.73.*

Qu. 42. an corona ſit ordo, vel ſolùm diſpoſitio ad ordines: & vtrum Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus ab ordine ſacerdotii, vel ſolummodo ipſius extenſio.

Reſp. v. clericus *q.1. & ſequent.* & v. Epiſcopatus *q. 22. & ſequentibus.*

Quær. 43. an mulier poſſit ordinari: & quænam olim dicebatur Diaconiſſa, vel Presbytera.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quædam requiruntur in recipiente Sacramentum quaſi de neceſſitate Sacramenti, quæ ſi deſint, non poteſt aliquis ſuſcipere Sacramentum, neque rem Sacramenti: quædam verò requiruntur non de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti propter congruitatem ad Sacramentum; & ſine talibus aliquis ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti. Dicendum ergo, quòd ſexus virilis requiritur ad ſuſceptionem ordinis non ſolùm ſecundo modo, ſed etiam primo: vnde etſi mulieri exhibeantur omnia, quæ in ordinibus fiunt, ordinem non ſuſci-

Digitized by Google

pit : quia cùm Sacramentum ſit ſignum, in his quæ in Sacramento aguntur, requiritur non ſolùm res, ſed ſignificatio rei; ſicut in extrema vnctione exigitur quòd ſit infirmus, vt ſignificetur curatione indigens: cùm ergo in ſexu fœmineo non poſſit ſignificari aliqua eminentia gradus, quia mulier ſtatum ſubiectionis habet; ideo non poteſt ordinis Sacramentum ſuſcipere.

Quidam autem dixerunt, quòd ſexus virilis non eſt de neceſſitate Sacramenti: quia etiam in decretis fit mentio de diaconiſſa, & Presbytera. Sed *Diaconiſſa* dicitur, quæ in aliquo actu diaconi participat, ſicut quæ legit homiliam in Eccleſia: *Presbytera* autem dicitur vidua, quia Presbyter idem eſt quod ſenior. 4 *ſent. d. 25 q. 2. a. 1. q. 1. in corp.*

Qu. 44. an pueri non habentes vſum rationis poſſint promoueri ad ordines, vel etiam ad Epiſcopatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per pueritiam, & alios defectus quibus tollitur vſus rationis, præſtatur impedimentum actui: & ideo omnia illa Sacramenta, quæ actum requirunt ſuſcipientis, talibus non competunt, ſicut pœnitentia, matrimonium, & huiuſmodi. Sed quia poteſtates infuſæ ſunt priores actibus, ſicut & naturales, quamuis acquiſitæ ſint poſteriores; remoto autem poſteriori non tollitur prius: ideo omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis de neceſſitate Sacramenti, ſed poteſtas aliqua ſpiritualis diuinitùs datur, poſſunt pueri ſuſcipere, & alij qui vſu rationis carent.

Hac tamen diſtinctione habita, quòd in minoribus ordinibus requiritur diſcretionis tempus de honeſtate propter dignitatem Sacramenti, ſed non de neceſſitate præcepti, neque de neceſſitate Sacramenti: vnde aliqui, ſi neceſſitas adſit, & ſpes profectus, ad minores ordines poſſunt ante annos diſcretionis promoueri ſine peccato: & ſuſcipient ordinem: quia quamuis tunc non ſint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen propter aſſuetudinem idonei reddentur. Sed ad maiores ordines requiritur vſus rationis, & de honeſtate, & de neceſſitate præcepti, propter votum continentiæ quod habent annexum: & quia etiam eis Sacramenta tractanda committuntur. Quidam autem dicunt, quòd ad omnes ordines requiritur vſus rationis de neceſſitate Sacramenti: ſed eorum dictum ratione, vel authoritate non confirmatur. 4. *ſent. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 2. in corp.*

Qu. 45. in qua ætate poſſit aliquis ordines recipere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm antiqua iura à ſeptimo anno vſque ad duodecimum poteſt accipere omnes minores ordines: à duodecimo vſque ad vigeſimum primum poteſt recipere Acolythatum & Subdiaconatũ, ita quòd in vigeſimo primo Subdiaconatum recipiat: in vigeſimo ſexto poteſt recipere Diaconatum: in trigeſimo Presbyteratum: & poſtmodum poteſt fieri Epiſcopus. Sed nunc abbreuiatum eſt tempus: quia Subdiaconatum poteſt reci-

Digitized by Google

pere quando peruenerit ad annos diſcretionis, vt poſsit cognoſcere votum continentiæ: & Presbyter fieri in viginti quinque annis: & diaconatum circa vigeſimum primum annum (& præcipuè in Religioſis) Epiſcopus autem in trigeſimo anno. *4. ſent. d. 25. in expoſit. textus.*

Quær. 46. an ſerui, vel illi qui ſunt ratiociniis obligati, aut alij huiuſmodi poſſint ordinari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ſuſceptione ordinis mancipatur homo Diuinis officiis: & quia nullus poteſt alteri dare quod ſuum non eſt; ideo ſeruus qui non habet poteſtatem ſui, non poteſt ad ordines promoueri. Si tamen promouetur, ordinem ſuſcipit: quia libertas non eſt de neceſſitate Sacramenti, licèt ſit de neceſſitate præcepti; cùm non impediat poteſtatem, ſed actum tantùm. Et ſimilis ratio eſt de omnibus, qui ſunt aliis obligati, vel ratiociniis detenti, & huiuſmodi perſonæ. *4. ſent. diſt. 25. q. 2. a. 2. q. 1. in corp.*

Qu. 47. quid agendum ſit erga Dominum, quando eius ſeruus fuit ordinatus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi eſt promotus ſciente Domino ſuo, & non reclamante, ex hoc ipſo efficitur ingenuus: ſi autem eo neſciente, tunc Epiſcopus & ille qui præſentauit, tenentur Domino in duplum, quàm ſit pretium ſerui, ſi ſciuerunt ipſum eſſe ſeruum: aliàs ſi ſeruus habet peculium, debet ſeipſum redimere; alioquin redigetur in ſeruitutem Domini ſui, non obſtante quòd ordinem ſuum exequi non poteſt. *4. ſent. d. 25. q. 2. a. 2. q. 1. ad 5.*

Qu. 48. cur homicidæ, & omnes ad alicuius occiſionem cooperantes etiã ſecundum iuſtitiam, vel ſe defendendo; illi quoque qui ſunt illegitimi, vel infames vel publicè pœnitentes; vel qui patiuntur defectum in membris, ordinari non poſſunt, & ſunt irregulares.

Reſp. v. irregularitas o.

Qu. 49. an Bigami, & homicidæ nedum non ſint ad ordines admittendi: ſed etiam ſi irrepſerint ſint deiciendi.

Reſp. D. Thomas, in decretis diſt. 50. cap. *ſi quis viduam*, ex Concilio Martini Papæ cap. 26. dicitur: *ſi quis viduam aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad Clerum: quòd ſi irrepſerit, deiciatur. Similiter ſi homicidij, aut facto, aut præcepto, aut Conſilio, aut defenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit*; ſed hoc non eſt ratione peccati, ſed ratione irregularitatis. *3. p. qu. 89. a. 3. in corp.*

Quamuis iure antiquo, quod vigebat tempore D. Thomæ, ille qui aliquem occiderat etiam ſe defendendo, à ſacris ordinibus recipiendis vel exercendis arceri deberet tanquam irregularis, vt patet ex prædicta reſponſione, & ex decreto Nicolai Papæ, quòd habetur in eadem diſt. nēt. 50. cap. 6. de his Clericis, & refertur ab eodem Angelico Doctore 2. 2. qu. 64. a. 7. in 3. argum. qui etiam 4. ſ. d. 25. q. 2. a. 2. qu. 2. in

Digitized by Google

argum. dicit, quòd de hoc ſunt plura Canonum ſtatuta, & Eccleſiæ conſuetudo: ure tamen nouo hæc irregularitas ſublata eſt vt patet ex Clemen. vnica de homicidio cap. ſi furioſus, ibi ſic habetur: nullam per hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat inuaſorem.

Hæc quæſtio 49. cum iſta annotatione debuerat poni ſupra v. irregularitas poſt qu. 4. ſed ibi omiſſa, huc translata fuit.

Qu. 50. an ſolus Epiſcopus poſſit conferre Sacramentum ordinis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſtas Epiſcopalis ſe habet ad poteſtatem ordinum inferiorum ſicut politica quæ coniectat bonum commune, ad inferiores artes & virtutes, quæ coniectant aliquod bonum ſpeciale: Politica autem, vt dicitur in 1. ethic. ponit legem inferioribus artibus, ſcilicet quis, quam debeat exercere, & quantum, & qualiter: & ideo ad Epiſcopum pertinet in omnibus diuinis miniſteriis alios collocare: vnde ipſe ſolus confirmat: quia confirmati in quodam officio confitendi fidem conſtituuntur: ideo etiam ſolus ipſe Virgines benedicit, quæ figuram gerunt Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, cuius cura ipſi principaliter committitur.

Ipſe etiam in miniſtris ordinum ordinandos conſecrat, & vaſa quibus vti debent eis determinat ſuâ conſecratione: ſicut etiam officia ſæcularia in Ciuitatibus diſtribuuntur ab eo, qui habet excellentiorem poteſtatem, ſicut à Rege. 4. *ſent. d. 25. quæſt. 1. art. 1. in corp.*

Qu. 51. cur ſacerdotes cum Epiſcopo manus imponunt ſacerdotibus; ſolus verò Epiſcopus Diacono.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in impoſitione manuum non datur character ſacerdotalis ordinis, ſed gratia, ſecundùm quam ad exequendum ordinem ſint idonei: Et quia indigent ampliſſimâ gratiâ, ideo ſacerdotes cum Epiſcopo manus imponunt eis qui in ſacerdotes promouentur; ſed diaconis ſolus Epiſcopus. 4. *ſ. d. 25. q. 1. a. 1. ad 1.*

Qu. 52. cur Archidiaconus tradit ordinandis ea, quæ ad ipſorum miniſterium pertinent: & in quo actu imprimatur character ſubdiaconi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quod Archidiaconus eſt (iuxta vim græcæ vocis) quaſi *princeps miniſterii*: ideo omnia quæ ad miniſterium pertinent ipſe tradit: ſicut cereum quo acolythus diacono ſeruit ante euangelium, ipſum portando; & vrceolū quo ſeruit ſubdiacono: Et ſimiliter dat ſubdiacono ea quibus (vel per quæ) ſuperioribus ordinibus ſeruit: Et tamen in illis non conſiſtit principaliter actus ſubdiaconi, ſed in hoc quòd operatur circa materiam ſacramenti: Et ideo characterem accipit in hoc quòd datur ei calix ab Epiſcopo. *Ibid. ad 2.*

Qu. 53. vtrum heretici, aliique ab Eccleſia præciſi, & ſimoniaci poſſint ordines recipere, vel conferre, vel etiam exercere.

Reſp. infra v. *ſacramentum*, & v. *ſimonia.* *Quar,*

Qu. 54. an ſimplex ſacerdos proinde que etiam Abbas poſſit ordines conferre ex commiſſione Papæ; ſicut Presbyteris cardinalibus committitur vt conferant minores ordines.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, poteſt committere non Epiſcopo ea, quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Chriſti: & ideo ex eius commiſſione aliquis Sacerdos ſimplex poteſt conferre minores ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos: nec iterum Sacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet maiorem poteſtatem quàm ſimplex Sacerdos. 4. *ſent. d. 25. q. 1. a 1. ad 3. d. 7. q. 3. a. 1. q. 2. 4. ad ban. d. 7. a. 5. q. 2.*

Quær. 55. an Epiſcopus poſſit auferre ordines, ſicut poteſt eos conferre.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Epiſcopus non dat ordinem, ſed Deus per miniſterium Epiſcopi: & Deus poſſet auferre, non Epiſcopus: quia non eſt conſtitutus miniſter auferendi ordinem, ſicut conferendi; quia propter efficaciam conſecrationis debet ordo eſſe perpetuus. 4. *ſ. d. 13. q. 1. a. 1. q. 4. ad 2.*

Qu. 56. quibus temporibus debeant conferri ordines.

Reſp. D. Thomas, ſciendum eſt quòd maiores ordines in ſex temporibus anni poſſunt celebrari, ſcilicet in quatuor Sabbatis quatuor temporum, & in Sabbato ante Dominicam de Paſſione, & in vigilia Reſurrectionis. Papa tamen in die Dominico, & feſtis præcipuis confert Subdiaconatũ. Et in his etiam diebus, quibus Epiſcopus poteſt conferre minores ordines. 4. *ſent. d. 25. in expoſit. litteræ.*

Quæritur 57. quomodo in ordinibus ſuſcipiendis ſeruari debeant interſtitia: & qua de cauſa poſſit in eis diſpenſari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis poteſt accipere omnes maiores ordines vna die; non tamen vnum de minoribus cum Subdiaconatu; nec duos de minoribus ſimul. Poteſt tamen in Dominica conſecrari in Epiſcopum, qui præcedenti die factus eſt Sacerdos.

De illis autem, qui gradatim ad Clericatum accedunt, ſciendum eſt quòd poſſunt in octo annis recipere omnes ordines: ita quòd in primis duobus recipiant minores, in aliis quinque tres maiores. Monachus tamen poſſet omnes recipere per annum: & etiam alij diſpenſatiuè propter neceſſitatem Eccleſiæ. *ibidem.*

Quærit. 58. quot modis dicatur aliquis malè promotus: & vtrum Epiſcopus, qui renunciauit loco ſed non officio, poſſit ordines conferre: & quænam ſit pœna eorum, qui furtiuè, vel per ſaltum ordines ſuſcipiunt,

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, aliquis dicitur malè promotus dupliciter. Vno modo ex parte ordinantis, ſiue cùm eſt hæreticus, ſiue ſimoniacus, vel quomodocunque alio modo ab Eccleſia ſeparatus; ſiue cùm ordinatur à non ſuo Epiſcopo ſine licentia, & authoritate proprij Epiſcopi; & tunc debet deponi, niſi Epiſcopus ponat ſpem in ratihabitionem alterius Epiſcopi; ſicut de B. Epiphanio in epiſtola ſua legitur; ſiue ordinetur ab Epiſcopo, qui abrenuntiauit officio, & loco. Si enim officium ſibi retinuerit, loco abrenuntians, poteſt conferre minores ordines, & de licentia Epiſcopi etiam maiores.

Alio modo dicitur etiam malè promotus, quia non promouetur, ſicut debet: quod contingit dupliter: primò, quia furtiuè accipit ordinem, vt cùm accipit duos ordines ſacros vnâ die, vel vnumquemque ſine licentia Epiſcopi: & pœna talium eſt depoſitio: & tunc ſi fuit ſuper hoc lata excommunicatio, ſolus Papa poteſt cum eo diſpenſare; ſi autem non fuit, poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare, præcipuè in minoribus ordinibus; vel ſi clauſtrum intrauerit: ſecundò, quia prætermittit aliquem ordinem; & tunc ſi ex malitia facit, debet deponi quamuis characterem recipiat; ſi verò ignoranter, debet illi imponi pœna ab Epiſcopo; & interim careat executione ordinis, quouſque ordinem prætermiſſum recipiat. *in expoſ. eiuſdem textus.*

Quær. 59. an veſtes miniſtrorum conuenienter in Eccleſia fuerint inſtituta.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd veſtes miniſtrorum deſignant idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tractandum diuina: Et quia quædam ſunt quæ in omnibus requiruntur, & quædam quæ in ſuperioribus, quæ non ita exiguntur in inferioribus, ideo quædam veſtes ſunt omnibus miniſtris communes, quædam autem ſuperiorum tantùm: Et ideo omnibus miniſtris competit *amictus* humeros regens; quo ſignificatur fortitudo ad diuina officia exequenda, quibus mancipantur: Et ſimiliter *alba* quæ ſignificat puritatem vitæ: Et *cingulum* quod ſignificat repreſſionem carnis: ſed ſubdiaconus vlteriùs habet *manipulum* in ſiniſtra, quo ſignificatur exterſio minimarum macularum, quia manipulus eſt quaſi ſudarium ad extergendum vultum: Ipſi enim primò ad ſacra tractanda admittuntur: habent etiam *tunicam* ſtrictum, per quam doctrina Chriſti ſignificatur; vnde & in veteri lege in ipsâ tintinnabula pendebant: ſubdiaconi enim primò admittuntur ad doctrinam nouæ legis annuntiandam; ſed diaconus habet amplius *ſtolam* in ſiniſtro humero, in ſignum quòd applicatur ad miniſterium in ipſis Sacramentis; & *dalmaticam*, quæ eſt veſtis larga, (ſic dicta, quia in dalmatiæ partibus primò vſus eius fuit) ad ſignificandum quòd ipſe primò diſpenſator Sacramentorum ponitur: Ipſe enim ſanguinem diſpenſat: In diſpenſatione autem largitas requiritur: ſed Sacerdoti *ſtola* in vtroque humero ponitur, vt oſtendatur quòd plena poteſtas diſpenſandi Sacraméta

Digitized by Google

ei datur, non vt miniſtro alterius; & ideo ſtola deſcendit vſque ad inferiora: habet etiam & *caſulam*, quæ ſignificat charitatem; quia Sacramentum conſecrat charitatis; ſcilicet Euchariſtiam. 4. *ſ. d.* 24. *q.* 3. *a.* 3. *in corp.*

Quædam habentur in prædictis reſponſionibus de ætate, ſcientia, & moribus ordinandorum, iuxta ius antiquum quod vigebat tempore D. Thomæ, & vſque ad concilium Tridentinum, quæ aliter diſpoſita ſunt iure nouo, quod in eodem concilio ſtatutum eſt, ſicut etiam factum eſt de aliquibus matrimonii impedimentis, vt vidimus ſupra.

Sic igitur habet concilium ſeſſ. 23. *in decreto de Reformatione cap.* 4. *prima tonſura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non ſuſceperint; & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & ſcribere neſciant; & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſæcularis iudicii fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

Et cap. 11. *minores ordines iis, qui ſaltem latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur; vt eò accuratiùs quantum ſit huius diſciplinæ pondus, poſſint edoceri, ac in vnoquoque munere, iuxta præſcriptum Epiſcopi, ſe exerceant: idque in ea cui adſcripti erunt Eccleſia, niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina maior accreſcat. Quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque maior erga Preſbyteros & ſuperiores ordines reuerentia, & crebrior quàm antea Corporis Chriſti communio maximè comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus ordinibus dignum oſtendat. Si verò nonniſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoueantur: niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas, iudicio Epiſcopi, aliud expoſcat.*

Et cap. 12. *Nullus in poſterum ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum; ad diaconatus ante vigeſimum tertium; ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur. Sciant tamen Epiſcopi non ſingulos in ea ætate conſtitutos, debere ad hos ordines aſſumi, ſed dignos duntaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.*

Plura de hoc notatu digniſſima videri poſſunt in eodem decreto.

ORNATVS.

Quæritur 1. *an & quomodo poſſit eſſe virtus aut vitium circa exteriorem ornatum: iuxta illud D. Ambroſii* 1. *de offic. decor corporis non ſit affectatus, ſed naturalis ſimplex, neglectus magis quàm expetitus; non pretioſis & albentibus adiutus veſtimentis, ſed communibus; vt honeſtati vel neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitori.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd in ipſis rebus exterioribus, quibus homo vtitur, non eſt aliquod vitium, ſed ex parte hominis, qui immoderatè vtitur eis: quæ quidem immoderantia poteſt eſſe dupliciter: Vno quidem modo per comparationem ad conſuetudinem hominum cum

quibus aliquis viuit: alio modo poteſt eſſe immoderantia in vſu talium rerum ex inordinato affectu vtentis, ex quo quandoque contingit quòd homo nimis libidinosè talibus vtatur, ſiue ſecundùm conſuetudinem eorum cum quibus viuit, ſiue præter eorum conſuetudinem: vnde Auguſtinus dicit in 3. de doct. Chriſt. *in vſu rerum oportet abeſſe libidinem, quæ non ſolùm ipsâ eorum inter quos viuit conſuetudine nequiter abutitur, ſed etiam ſæpe fines eius egreſſa, fœditatem ſuam, quæ inter clauſtra morum ſolemnium latitabat, flagitioſiſſimâ eruptione manifeſtat.* Contingit autem iſta inordinatio affectus tripliciter, quantùm ad ſuperabundantiam: vno modo, per hoc quòd aliquis ex ſuperfluo cultu veſtium hominum gloriam quærit, prout ſcilicet veſtes, & alia huiuſmodi pertinent ad quendam ornatum: vnde Gregorius dicit in quadam homilia, *ſunt nonnulli, qui cultum ſubtilium, pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum: quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd Diues qui torquebatur apud inferos, Byſſo & purpurâ indutus fuiſſet; nemo quippe veſtimenta pretioſa* (ſcilicet excedentia proprium ſtatum) *niſi ad inanem gloriam quærit*: alio modo, ſecundùm quòd homo per ſuperfluum cultum veſtium quærit delicias, ſecundùm quòd veſtis ordinatur ad corporis fomentum: tertiò, ſecundùm quòd nimiam ſollicitudinem apponit ad exteriorem veſtium cultum, etiamſi non ſit aliqua inordinatio ex parte finis.

Et ſecundùm hoc Andronicus ponit tres virtutes circa exteriorem cultum; ſcilicet *humilitatem*, quæ excludit intentionem gloriæ: vnde dicit quòd *humilitas eſt habitus non ſuperabundãs in ſumptibus, & præparationibus*: & *per ſe ſufficientiam*, quæ excludit intentionem deliciarum: vnde dicit quòd *per ſe ſufficientia eſt habitus contentus quibus oportet, & determinatiua eorum quæ ad viuere conueniunt* (ſecundùm illud Epiſt. 1. ad Timoth. vlt. *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus*) & *ſimplicitatem*, quæ excludit ſuperfluam ſollicitudinem talium: vnde dicit quòd *ſimplicitas eſt habitus contentus his quæ contingunt.*

Ex parte autem defectus ſimiliter poteſt eſſe duplex inordinatio per affectum: Vno quidem modo, ex negligentia hominis, qui non adhibet ſtudium vel laborem ad hoc quòd exteriori cultu vtatur ſecundùm quòd oportet: vnde Philoſophus dicit in 5. eth. quòd *ad mollitiem pertinet quòd aliquis trahat veſtimentum per terram, vt non laboret eleuando ipſum*: alio modo, ex eo quòd ipſum defectũ exterioris cultus ad gloriam ordinat: vnde dicit Auguſtinus in lib. de Sermone Domini in monte, *non in ſolo rerum corporearum nitore atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactantiam, & eò periculoſiorem, quòd ſub nomine ſeruitutis Dei decipit*: & Philoſophus dicit in 4. eth. quòd *ſuperabundantia & inordinatus defectus ad iactantiam pertinet. 2. 2. quæſt. 169. a. 1. in corp.*

Quær. 2. vtrum illi qui ſunt in dignitatibus conſtituti, vel etiam miniſtri altaris vti debeant pretioſioribus veſtibus: illi verò qui aliis ver-

bo & exemplo ad pœnitentiam hortantur, vti debeant vilioribus, iuxta illud Apoſtoli ad Hebr. 11. circuierunt in meletis & in pellibus caprinis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui in dignitatibus conſtituuntur, vel etiam miniſtri altaris pretioſioribus veſtibus quàm cæteri induuntur; non propter ſui gloriam, ſed ad ſignificandum excellentiã ſui miniſterij, vel etiam cultus diuini: & ideo in eis non eſt vitioſum: vnde Auguſtinus dicit, *quiſquis ſic vtitur exterioribus rebus, vt metas conſuetudinis bonorum inter quos verſatur, excedat; aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt:* dum ſcilicet propter delicias, aut oſtentationem talibus vtitur.

Similiter etiam ex parte defectus contingit eſſe peccatum: non tamen ſemper qui vilioribus quàm cæteri veſtibus vtitur, peccat: ſi enim hoc faciat propter macerationem carnis vel humiliationem ſpiritus, ad virtutem temperantiæ pertinet: vnde Auguſtinus dicit in lib. 3. de doctr. Chriſt. *quiſquis reſtrictius rebus prætereuntibus vtitur quàm ſe habent mores eorum cum quibus viuit; aut temperans, aut ſuperſtitioſus eſt.* Præcipuè autem competit vilibus veſtimentis vti his qui alios & verbo & exemplo ad pœnitentiam hortantur; ſicut fecerunt Prophetæ, de quibus Apoſtolus ibi loquitur: vnde quædam gloſſa dicit Matth. 3. *qui pænitentiam prædicat, habitum pænitentiæ pretendit, ibid. ad 2.*

Quær. 3. an vti pretioſis veſtibus ſit ſemper peccatum: & quomodo perſona publica debeant ipſis vti, iuxta illud, Seneca ad quandam Reginam: indue te delicatè; non propter te, ſed ne dignitas regia vileſcat: & 1. ad Timoth. 2. non in tortis crinibus, vel auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: Gloſſa: vltra modum ſuum: quomodo etiam poſſunt vti vilibus: & ſimiliter miniſtri altaris: & quid dicendum ſit de perſonis priuatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliter eſt hic loquendum de perſona publica, & de perſona priuata: Nam in perſona publica conſideratur & ſtatus dignitatis, & propriæ perſonæ conditio, circa quæ duo ita ſe debet habere, ne dignitatis authoritas veniat in contemptum, & ne ipſe in ſuperbiam efferatur: vtrunque ergo poteſt eſſe laudabile, & quòd pretioſis vtatur ad reuerentiam authoritatis inducendam; & quòd vilibus vtatur ratione propriæ humilitatis; ita duntaxat ne quæ ad authoritatem conſeruandam fiunt, in ſuperbiam degenerent: & ne *dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, ſicut Auguſtinus dicit. Et hac ratione laudabiliter Sacerdos in Diuino officio pretioſis vtitur indumentis ad reuerentiam Diuini cultus, & laudabiliter ab huiuſmodi propter humilitatem in quibuſdam Religionibus abſtinetur.

In eo autem, qui eſt priuata perſona, virtuoſum eſt ſi propter propriam humilitatem abiectioribus indumentis vtatur, etiam quàm ſtatus proprius requirat: vnde Gregorius dicit in homilia de diuite epulone, *ſi abiectio vilis indumenti virtus non eſſet, Euangeliſta de Ioanne vigilanter non diceret,*

Digitized by Google

erat indutus pilis camelorum. Licitum eſt autem, vt ſecundùm modum propriæ perſonæ pretioſis vtatur: ſed peccatum eſt, ſi proprium modum excedat. Et quia pretioſum dicitur relatiuè, ſicut & magnum (cùm id quod eſt pretioſum vni non ſit alteri pretioſum) pretioſitas veſtium ſemper ſonat in exceſſum proprij modi: & ſecundùm hoc ſemper eſt peccatum pretioſis veſtibus vti. *quodlib.* 10. *a.* 14. *in corp.*

Qu. 4. an & quando ornatus mulierum, aut etiam virorum ſit peccatum mortale aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa ornamenta mulierum ſunt eadem attendenda quæ ſupra communiter dicta ſunt circa exteriorem cultum: & inſuper quiddam aliud ſpeciale: quòd ſcilicet muliebris cultus viros ad laſciuiã prouocat, ſecundùm illud Prou. 7. *ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, preparata ad decipiendas animas*. Poteſt tamen mulier licitè operam dare ad hoc quòd viro ſuo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur: vnde dicitur 1. ad Cor. 7. quòd *mulier quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*. & ideo ſi mulier coniugata ad hoc ſe ornet vt viro ſuo placeat, poteſt hoc facere abſque peccato. Illæ autem mulieres quæ viros nõ habent vel nec volunt habere, vel ſunt in ſtatu non habendi, non poſſunt abſque peccato appetere placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum: quia hoc eſt dare eis incentiuum peccandi: & ſi quidem hac intentione ſe ornent, vt alios prouocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant: ſi autem ex quadã leuitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quandam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale. Et eadem ratio quantùm ad hoc eſt de viris.

Vnde Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Poſſidium: *nolo vt de ornamentis auri, vel veſtis præproperam habeas in prohibendo ſententiam: niſi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo: illi autem cogitant, quæ ſunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel Mulieres Maritis. Niſi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apoſtolus iubet, nec maritatas decet*. In quo tamẽ caſu poſſent aliquæ à peccato excuſari: quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, ſed propter contrariam conſuetudinem: quamuis talis conſuetudo non ſit laudabilis. 2. 2. *qu.* 169. *a.* 2. *in corp. lect.* 7. *c.* 7. *prima ad Corinthios.*

Qu. 5. quomodo intelligendum ſit illud 1. Petri 3. quarum (ſcilicet mulierum) non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: vbi dicit Gloſſa Cypriani, Serico & purpurâ indutæ Chriſtum ſincere induere non poſſunt; auro & Margaritis adornatæ & monilibus, ornamenta mentis & corporis perdiderunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Gloſſa ibidem dicit: *Mulieres earum, qui in tribulatione erant, contemnebant viros; & vt aliis placerent, ſe pulchre ornabant, quod fieri Apoſtolus prohibet*. In quo etiam

Digitized by Google

caſu loquitur Cyprianus: non autem prohibet Mulieribus coniugatis ornari, vt placeant viris, ne detur eis occaſio peccandi cum aliis: vnde Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. dicit *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, aut veſte pretioſa*: per quod datur intelligi, quòd ſobrius & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus & inuerecundus & impudicus. 2. 2. *q.169.a.2.ad* 1.

Quar. 6. quomodo ſit intelligendum illud Cypriani in libro de habitu Virginum: non Virgines tantùm aut viduas, ſed & nuptas puto & omnes omnino fœminas admonendas, quòd opus Dei & facturam eius & plaſma adulterare nullo modo debeant, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet lineamenta natiua corrumpente medicamine (& poſtea ſubdit) manus Deo inferunt, quando illud quod ille formauit, reformare contendunt: impugnatio eſt diuini operis praeuaricatio eſt veritatis: Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit: de inimico tuo compta, cum illo pariter arſura.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mulierum fucatio de qua Cyprianus loquitur, eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine peccato: vnde Auguſtin. dicit in epiſt. ad Poſſidium, *Fucari pigmentis, quò vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt; quia non dubito etiam ipſos Maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittenda ſunt fœminæ ornari ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium.*

Non ſemper tamen talis fucatio eſt cum peccato mortali: ſed ſolùm quando fit propter laſciuiam, vel in Dei contemptum: in quibus caſibus loquitur Cyprianus. 2. 2. *qu.169.a.2.ad* 2.

Quar. 7. an liceat mulieri occultare turpitudinem ex aliquo caſu prouenientem.

Reſp. D. Thomas, ſciendum quòd aliud eſt fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliquo caſu prouenientem, puta ægritudine, vel aliquo huiuſmodi: hoc enim eſt licitum: quia ſecundùm Apoſtolum primæ ad Corinthios 12. *quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe, his honorem abundantiorem circundamus. 2. 2. quæſt. 169. a. 2. ad* 2.

Qu. 8. an mulier poſſit vti veſte virili, aut è conuerſo: cùm hoc prohibeatur deuter. 22.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cultus exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundùm communem conſuetudinem: & ideo de ſe vitioſum eſt quòd mulier vtatur veſte viri, aut è conuerſo; & præcipuè quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciuiæ: & ſpecialiter prohibetur in lege; quia gentiles tali mutatione habitus vtebantur ad Idololatriæ ſuperſtitionem. Poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſâ ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquid huiuſmodi. *ibidem ad* 3.

Qu. 9. quandonam ornatus mulierum ſit licitus, imò virtuoſus, & meritorius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ornatus menſurandus eſt ad modum & menſuram perſonæ, & intentionem: ſi enim mulieres portent ornamenta decentia ſecundùm ſtatum & dignitatẽ ſuam, & moderatè ſe habeant in factis ſuis, ſecundùm conſuetudinem Patriæ, erit actus virtutis modeſtiæ; quæ modum ponit in inceſſu ſtatu habitu & omnibus motibus exterioribus; & poterit eſſe meritorius, ſi ſit cum gratia: ſimiliter ſi faciat, vt placeat decenter viro ſuo, quem habet, vel quem accipere debet, & vt ab alijs mulieribus retrahatur: ſi autem habeant ornamenta pretioſiora, quàm deceat ipſas, erit arrogantia; vel quid deformatum vitio luxuriæ, ſi faciant ad prouocandum ad concupiſcentiam

Qu. 10. cur Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. ait mulieres in habitu ornato, cum verecundia.

Reſp. D. Thomas, quia naturale eſt quòd ſicut mulieres ſunt mollioris corporis quàm viri, ita & debilioris rationis: rationis autem eſt ordinare affectus & effectus uniuſcuiuſque rei: ornatus verò conſiſtit in debita ordinatione, & diſpoſitione: ſic in interiori decore niſi ſint omnia ordinata per rationem, non habent pulchritudinem ſpiritualem: & ideo quia mulieres deficiunt à ratione, requirit ab eis ornatum. Item verecundia eſt de turpi actu: & ideo eſt laudabilis in illis, qui facilè ſolent declinare in actus turpes, cuiuſmodi ſunt iuuenes & mulieres; & ideo hoc in eis laudatur, non autem ſenes & perfecti: Eccl. 26. *gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata. In expoſ. illius capitis lect. 2.*

Quær. 11. cur mulieres non tam debent eſſe ſollicitæ cultus exterioris quàm interioris, iuxta illud 1. Petri 3. ſed qui abſconditus eſt cordis: homo in incorruptibilitate: quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples, ſic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe.

Reſp. D. Thomas, non ſit cultus mulieris exterior, ſed potius cordis, ideſt homo interior, ſcilicet ratio, qui abſconditus eſt aliis hominibus & ſoli Deo cognitus; 1. Regum 17. *homo videt ea quæ foris patent, Deus autem intuetur cor.* Homo, inquam, manens in incorruptibilitate ſpiritus, quamuis non corporis: Gloſſa: *quia exterior homo videtur corruptus, & beatitudinem integritatis, quæ eſt propriè virginitatis, habere deſtitutus, imitamini incorruptionem ſpiritus per abſtinentiam, & quod corpore non poteſtis mente præſtate: has enim Chriſtus diuitias, & hæc veſtra coniunctionis quæris ornamenta*: & Pitagoras, *vera ornamenta matronarum, pudicitia non veſtes ſunt.* Spiritus, inquam quieti, ab operatione mali, & modeſti, modum ſeruantis in operatione boni; vel quieti in aduerſis, modeſti in proſperis, qui ſcilicet ſpiritus quietus & modeſtus,

ſtus, eſt in conſpectu Dei locuples, in diuitiis ſpiritualibus Deo placentibus, de quibus Eſa. 33. *diuitia ſalutis ſapientia & ſcientia.* Sic enim aliquando, hîc ponit exemplum; ſic enim aliquando, ideſt tempore Patriarcharum, & ante tempus gratiæ, quantò magis nunc, & ſanctæ mulieres vxores Sanctorum, ſperantes in Deo: Gloſſa: *non in ornatu veſtium ſicut mulieres laſciuæ*, ornabant ſe, interiùs non exteriùs, non veſtibus ſed moribus: Auguſt. *nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. in expoſit. illius cap.*

Quær. 12. an & quando peccent artifices ornamenta mulierum præparantes.

Reſp. ſupra v. *ars qu. 1.*

OSCVLVM.

Quæritur. 1. quare oſculum eſt ſignum pacis: & quomodo triplex eſt oſculum, ſcilicet fraudis, libidinis, & ſanctitatis, de quo vltimò dicit Apoſt. 2. ad Corint. 13. ſalutate inuicem in oſculo ſancto.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt quòd oſculum eſt ſignum pacis: nam per os in quo datur oſculum, homo reſpirat: Et ideo quando homines dant ſibi mutua oſcula, ſignum eſt quòd vniunt ſpiritum ſuum ad pacem. Eſt autem pax ſimulata, & hæc eſt eorum, *qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*, &c. vt dicitur in Pſal. 27. quæ quidem fit per oculi fraudulentiam: Prouerb. 27. *meliora ſunt vbera diligentis*, &c. eſt & pax mala & turpis, quando ſcilicet conueniunt ad malum faciendum: ſap. 14. *in magno viuentes inſcientiæ bello*, &c. Et hæc fit per oſculum libidinoſum: Prou. 7. dicitur de mala muliere quòd *apprehenſum deoſculatur iuuenem*, &c. Eſt & pax ſancta quam facit Deus: Phil. vlt. *Et pax Dei quæ exſuperat*, &c. & hæc fit per oſculum ſanctum; quia vnit ſpiritum ad ſanctitatem: Et de hoc oſculo dicitur hîc, *in oſculo ſancto.* Et ex hoc inoleuit conſuetudo, quòd fideles & ſancti viri in ſignum charitatis & vnionis ſe inuicem oſculantur: Et datur pax in Eccleſiis in oſculo ſancto. *In expoſ. eiuſdem cap. lect. 3. ad Rom. 16. lect. 1. 1. ad Theſſalon. ſub fi.*

Quær. 2. vtrum in tactibus & oſculis conſiſtat peccatum mortale, iuxta illud Matth. 5. qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo: & D. Cyprianus ad Pomponium de virginitate ait, certè ipſe concubitus, ipſe amplexus, ipſa confabulatio & oſculatio & contacentium duorum turpis fœda dormitio, quantùm dedecoris & criminis confitetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid dicitur eſſe peccatum mortale dupliciter: vno modo ſecundùm ſpeciem ſuam, & hoc modo oſculum, amplexus, vel tactus ſecundùm ſuam rationem non nominant peccatum mortale; poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut rationabilem cauſam.

Alio modo dicitur aliquid eſſe peccatum mortale ex ſua cauſa,

ſicut ille qui dat eleemoſynam, vt aliquem inducat ad hæreſim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam: conſenſus autem in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum, & ideo cùm fornicatio ſit peccatum mortale, & multò magis aliæ luxuriæ ſpecies, conſequens eſt quòd conſenſus in delectationem talis peccati ſit peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum; & ideo cùm oſcula, & amplexus huiuſmodi propter delectationem huiuſmodi fiant, conſequens eſt quòd ſint peccata mortalia, & ſic dicuntur libidinoſa: vnde huiuſmodi ſecundùm quòd ſunt libidinoſa ſunt peccata morttalia. 2.2. q. 154. a. 4. *in corp.*

Quær. 3. cur Apoſt. poſtquam ad Epheſ. 5. dixit fornicatio, & immunditia, & auaritia, aut turpitudo (quæ ſcilicet conſiſtit in amplexibus & oſculis, vt Gloſſa dicit) aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, ne nominetur in vobis (poſtea ſubiecit) omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei (prætermiſſâ turpitudine, & ſtultiloquio, & ſcurrilitate)

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tactus, amplexus, & oſcula, inquantum ordinantur ad actum fornicationis conſequuntur conſenſum in actu, inquantum autem ordinantur ad ſolam delectationé, conſequuntur conſenſum in delectatione qui eſt peccatum mortale. Et ideo vtroque modo ſunt peccata mortalia: quia cùm huiuſmodi non ſint ſecundùm ſpeciem ſuã peccata mortalia, ſicut fornicatio & adulterium, ſed ſolùm ſecundùm quod ordinãtur ad aliud, ideſt ad conſenſus prædictos, ideo Apoſtolus non reiterauit de turpitudine, & ſcurrilitate, & ſtultiloquio: ſed ſolùm de illis quæ ſunt ſecundùm ſe peccata mortalia. q. 15. *de malo a.* 2. *ad* 18.

Quær. 4. vtrum oſcula libidinoſa, & turpes actus, quatenus procedunt ex conſenſu in fornicationem vel in ipſam delectationem, ſint peccata mortalia.

Reſp. ſupra v. *delectatio moroſa q.* 3.

Propoſitio quadrageſima inter eas, quæ ab Alexandro 7. damnatæ fuerunt, ſic habet: eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur ſecluſo periculo conſenſûs vlterioris, & pollutionis.

OTIOSVM VERBVM.

Quær. 1. quid ſit verbum otioſum: & vtrum ſit magis veniale peccatum quàm otioſum factum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verbum eſt immediatus effectus rationis: Et ideo minùs poteſt verbum præter deliberationem eſſe quàm factum: & propter hoc, verbum otioſum magis eſt peccatum veniale, quàm factum otioſum. Sciendum tamen quòd ſecundùm Gregorium, *otioſum eſt quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione iuſtæ neceſſitatis*: vnde non omne verbum iocoſum eſt o-

Digitized by Google

tioſum, ſi ad recreationem refeatur; quia etiam in iocis contingit eſſe virtutem eutrapeliam, de qua Philoſ. in 4. ethic. determinat. 2. *ſ. d.* 40. *a.* 5. *ad* 8.

Qu. 2. *vtrum omne verbum ſit vel otioſum proindeque malum, vel neceſſarium aut vtile proindeque bonum, & nunquam indifferens.*

Reſp. v. actus humanus *qu.* 2. & ſequent.

Qu. 3. *an dicens verbum otioſum ex habitudine, vel certâ ſcientiâ, cenſendus ſit peccare ex malitia.*

Reſp. ſupra v. malitia *q.* 4. & 5.

PAPA.

Qu. 1. *an debeat eſſe in Eccleſia aliqua authoritas, ſcilicet Papa, ſupra authoritatem Epiſcopalem: & cur illi qui hoc negant, dicantur ſchiſmatici.*

RESp. D. Thomas, dicendum quòd vbicunque ſunt multa regimina ordinata in vnum, oportet eſſe aliquod vniuerſale regimen ſupra particularia regimina; quia in omnibus virtutibus & artibus, vt dicitur 1. ethic. eſt ordo ſecundùm ordinem finium: bonum autem commune diuinius eſt quam bonum ſpeciale: & ideo ſuper poteſtatem regitiuam, quæ coniectat bonum ſpeciale, oportet eſſe poteſtatem regitiuam vniuerſalem reſpectu boni communis; aliàs non poſſet eſſe colligatio ad vnum.

Et ideo cùm tota Eccleſia ſit vnum corpus, oportet ſi iſta vnitas debet conſeruari, quòd ſit aliqua poteſtas regitiua reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem, quâ vnaquæque ſpecialis Eccleſia regitur: & hæc eſt poteſtas Papæ: & ideo qui hanc poteſtatem negant, ſchiſmatici dicuntur, quaſi diuiſores Eccleſiaſticæ vnitatis. 4. *ſ. d.* 24. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 9. *ad* 3.

Quær. 2. *an Papa ſit in Eccleſia ſicut Rex in regno; Epiſcopi verò in Diœceſibus ſicut Iudices in ciuitatibus.*

Reſp. ſupra v. *indulgentia qu.* 13.

Quær. 3. *an ſit error dicere Papam non habere primatum vniuerſalis Eccleſiæ.*

Reſp. D. Thomas, ſimilis error eſt dicentium Chriſti vicarium Romanæ Eccleſiæ Pontificem non habere vniuerſalis Eccleſiæ primatum errori dicentium Spiritum Sanctum à filio non procedere. Ipſe enim Chriſtus Dei filius ſuam Eccleſiam conſecrat, & ſibi conſignat Spiritu Sancto, Quaſi ſuo charactere, & ſigillo: & ſimiliter Chriſti vicarius ſuo primatu, & prouidentia vniuerſam Eccleſiam tanquam fidelis miniſter Chriſto ſubiectam conſeruat. Oſtendendum eſt ergo Chriſti vicarium in totam Eccleſiam Chriſti poteſtatis plenitudinem obtinere.

Quòd enim Romanus pontifex ſucceſſor Petri & Chriſti vicarius, ſit primus & maximus omnium Epiſcoporum, canon concilij expreſsè oſtendit ſic dicens: *Veneramur ſecundùm ſcripturas, & cano-*

Digitized by Google

num diffinitionem Sanctiſſimum antiqua Roma Epiſcopum, primum eſſe, & maximum omnium Epiſcoporum. Hoc autem authoritati conſonat Sacræ Scripturæ, quæ inter Apoſtolos Petro attribuit primum locum tam in Euangelijs, quàm in actibus Apoſtolorum: Vnde dicit Chryſoſt. ſuper Math. ſuper illud, *accesſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes, quis putas maior eſt in regno calorum? quia quoddam humanum ſcandalum conceperunt, quod & in ſe occultare iam non poterant, & tumorem cordis non ſuſtinebant, in eo quòd videbant Petrum ſibi præferri, & prahonorari. opuſc.* 1. *contra errores Gracorum cap.* 66. *opuſc.* 20. *de regimine Principum lib.* 3. *cap.* 10.

Qu. 4. *quomodo ſit intelligendum decretum quod habetur* 99. *c. nullus, vbi dicitur: nullus Patriarcharum vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur, & cap. ſeq. vbi Gregorius prohibet ſe vniuerſalem vocari.*

Reſp. D. Thomas, quòd Papa vniuerſalem Pontificem ſe prohibet nominari, non ideo eſt, quia ipſe non habeat authoritatẽ immediatam, & plenam in qualibet Eccleſia: ſed quia non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ vt proprius, & ſpecialis illius Eccleſiæ Rector: quia ſic ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates. Et hoc capitulum inductum inducit pro ratione. *Opuſc.* 19. *contra impugnantes Religionem cap.* 4.

Qu. 5. *an ad Papam ſpectet determinare ea, qua ſunt fidei.*

Reſp. D. Thomas, ad Papam pertinet, quæ ſunt fidei determinare, dicit enim Cyrillus in lib. Theſaur. *Vt membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt querere, quid credere, & quid tenere debeamus.* Item Maximus in Epiſtola Orientalibus directa dicit: *Omnes fines orbis, qui Dominum ſincere receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Eccleſiam Romanorum tanquam in Solem reſpiciunt; & ex ipſa lumen Catholica, & Apoſtolica fidei recipiunt.* nec immeritò. Nam Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe confeſſus, Domino reuelante, cùm dixit Matth. 16. *tu es Chriſtus filius Dei viui*: vnde & eidem Dominus dicit: *Ego pro te Rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. opuſc.* 1. *contra errores Gracorum cap.* 68.

Qu. 6. *an potius ſtandum ſit diffinitioni ſummi Pontificis quàm authoritati quorumcunque Doctorum quantumuis ſanctorum: & qui aliter faceret, hareticus eſſet.*

Reſp. v. *hereſis qu.* 6.

Qu. 7. *vtrum ad ſolum ſummum Pontificem ſpectet noua editio ſymboli, conuocatio concilii, & diſpoſitio eorum omnium qua totam concernunt Eccleſiam, ſicut habetur in decretis diſt.* 17.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd noua editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandum inſurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius authoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſâ fide teneantur: hoc autem perti-

Digitized by Google

net ad authoritatem ſummi pontificis, ad quem maiores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, vt dicitur in Decretalibus tit. de Baptiſmo, cap. *Maiores.* Vnde & Dominus Lucæ 22. petro dixit, quem ſummum pontificem conſtituit: *ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Et huius ratio eſt, quia vna fides debet eſſe totius Eccleſiæ, ſecundùm illud primæ ad Corinthios primo, *idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*; quod ſeruari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur: & ideo ad ſolam authoritatem ſummi pontificis pertinet noua editio Symboli, ſicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Eccleſiam; vt congregare Synodum generalem, & alia huiuſmodi. 2. 2. q. 1. a. 10. *in corp.*

Qu. 8. vtrum ad diffiniendas res fidei ſola ſufficiat authoritas Papæ ſine concilio generali: & vtrum ad ipſum ſpectet approbare ſententiam concilii, & ad ipſum à concilio poſſit appellari.

Reſp. ſupra v. *Concilium.*

Qu. 9. an Papa errare poſſit in canonizatione Sanctorum, vel in aliis ſententiis: & cur diſpenſare poteſt in illis, quæ inſtituta ſunt ab Apoſtolis.

Reſp. v. Canonizatio *qu. 1. & ſequent.* & v. Diſpenſatio *qu. penult.*

Plura alia, quæ ſummi Pontificis authoritatem concernunt, habentur in variis huius operis locis, vt ex ipſis materiis dignoſci facilè poteſt.

PARVIFICENTIA.

Qu. 1. quid ſit paruificentia: & vtrum ſit vitium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd moralia ſpeciem in fine ſortiuntur: vnde & à fine, vt pluries, nominantur: ex hoc ergo dicitur aliquis *paruificus*, quòd intendit ad aliquid paruum faciendum: paruum autem & magnum ſecundùm Philoſ. in prædicam. Relatiuè dicuntur: vnde cùm dicitur quòd paruificus intēdit aliquid paruum facere, intelligendum eſt in comparatione ad genus operis quod facit: in quo quidem paruum poteſt attendi dupliciter: vno modo ex parte operis fiendi; alio modo ex parte ſumptûs. Magnificus ergo principaliter intendit magnitudinem operis; ſecundariò autem intendit magnitudinem ſumptûs, quam non vitat vt faciat magnum opus: vnde & Philoſ. dicit 4. eth. quòd *magnificus ab æquali ſumptu faciet opus magis magnificum.* Paruificus autem econuerſo principaliter quidem intendit paruitatem ſumptûs; vnde Philoſophus dicit ibidem quòd *intendit qualiter minimum conſumat:* ex conſequenti autem intendit paruitatem operis, quam ſcilicet non recuſat, dummodo paruum ſumptum faciat: vnde Philoſophus dicit ibidem, quòd *paruificus maxima conſumens, in paruo* (ſcilicet quod non vult expendere) *bonum perdit*, ſcilicet magnifici operis.

Sic ergo patet, quòd paruificus deficit à proportione, quæ debet eſſe ſecundùm rationem inter ſumptus & opus: defectus autem ab eo quod eſt ſecundùm rationem, cauſat rationem vitij : vnde manifeſtum eſt quòd paruificentia vitium eſt. 2.2.q. 135.a. 1.*in corp.*

Qu.2.cur ſicut Philoſ. dicit 4.Ethic. diligentia ratiocinij eſt paruifica.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſ. dicit in 2.Rhet. *timor facit conſiliatiuos* : Et ideo paruificus diligenter ratiociniis intendit ; quia inordinatè timet bonorum ſuorum conſumptionem, etiam in minimis : vnde hoc nō eſt laudabile, ſed vitioſū & vituperabile; quia non dirigit affectum ſuum ſecundùm rationem, ſed potius rationis vſum applicat ad inordinationem ſui affectûs. 2.2.q. 135.a. 1. *ad 2.*

Qu. 3 cur ſicut Philoſ. dicit in 4. Ethic. paruificus conſumit pecuniam triſtatus : & quare paruificentia non infert opprobrium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut magnificus conuenit cum liberali in hoc quòd promptè & delectabiliter pecunias emittit, ita etiā paruificus conuenit cū illiberali (ſiue auaro) in hoc quòd cum triſtitia & tarditate expenſas facit: differt autem in hoc quòd illiberalitas attenditur circa communes ſumptus, quos difficilius eſt facere : & ideo minus vitium eſt paruificentia quàm illiberalitas: vnde Philoſ. dicit in 4. Ethic. quòd *quamuis paruificentia & vitium oppoſitum ſint malitiæ, non tamen opprobria inferunt ; quia nec ſunt nociua proximo, nec ſunt valde turpes. Ibid. ad 3.*

Qu. 4. an ſit aliquod vitium paruificentiæ oppoſitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd paruo opponitur magnum : paruum autem & magnum relatiuè dicuntur : ſicut autem contingit ſumptum eſſe paruum per comparationem ad opus, ita etiam contingit ſumptum eſſe magnum in comparatione ad opus ; vt ſcilicet excedat proportionem quæ debet eſſe ſumptûs ad opus, ſecundùm regulam rationis : vnde manifeſtum eſt quòd vitio paruificentiæ, qua aliquis deficit à debita proportione expenſarum ad opus, intendens minùs expendere quàm dignitas operis requirat, opponitur vitium quo aliquis dictam proportionem excedit; vt ſcilicet plus expendat quàm ſit operi proportionatum : & hoc vitium græcè quidem dicitur *banauſia*, à furno dicta; quia videlicet ad modum ignis qui eſt in furno, omnia conſumit : vel dicitur *apyrocalia*, id eſt ſine bono igne ; quia ad modum ignis omnia conſumit non propter bonum : vnde latinè hoc vitium poteſt nominari *conſumptio. in eadem qu. 135. a. 2. in corp.*

PARVIPENSIO.

Qu. 1. quot ſint ſpecies paruipenſionis; & quomodo omnia iræ motiua ad paruipenſionem reducantur.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd omnes cauſæ iræ reducuntur ad paruipenſionem : ſunt

enim tres ſpecies paruipenſionis, vt dicitur 2. Reth. ſcilicet *deſpectus*, *epireaſmus* (ideſt impedimentum voluntatis implendæ) & *contumeliatio* : Et ad hæc tria omnia motiua iræ reducuntur. Cuius ratio poteſt accipi duplex : prima eſt, quia ira appetit nocumentum alterius, inquantum habet rationem iuſti vindicatiui : & ideo intantũ quærit vindictã, inquantum videtur eſſe iuſta:iuſta autem vindicta non fit niſi de eo quod eſt iniuſtè factum : Et ideo prouocatiuum ad iram ſemper eſt aliquid ſub ratione iniuſti : vnde dicit philoſ. in 2. Reth. quòd *ſi homines putauerint ſe ab iis qui læſerunt eſſe iuſtè paſſos, non iraſcuntur : non enim fit ira ad iuſtum* : Contingit autem tripliciter nocumentum alicui inferri; ſcilicet, ex ignoranria, ex paſſione, & ex electione : tunc enim aliquis maximè iniuſtum facit, quando ex electione, vel iniuſtitia, vel ex certa malitia nocumentum infert, vt dicitur in 5. Ethic. Et ideo maximè iraſcimur contra illos quos putamus ex induſtria nobis nocuiſſe : Si enim putemus aliquos vel per ignorantiam, vel ex paſſione nobis intuliſſe iniuriam vel non iraſcimur contra eos, vel multò minùs : agere enim aliquid ex ignorantia, vel ex paſſione diminuit rationem iniuriæ; & eſt quodammodo prouocatiuum miſericordiæ & veniæ : Illi autem qui ex induſtria nocumentum inferunt, ex contemptu peccare videntur : Et ideo contra eos maximè iraſcimur; vnde philoſ. dicit in 2. Rethor. quòd *his qui propter iram aliquid fecerunt, aut non iraſcimur, aut minùs iraſcimur; non enim propter paruipenſionem videntur egiſſe.* Secunda ratio eſt : quia paruipenſio excellentiæ hominis opponitur : quæ enim homines nullo modo putant digna eſſe, paruipendunt, vt dicitur in 2. Rethor. Ex omnibus autem bonis noſtris aliquam excellentiam quærimus : & ideo quodcunque nocumentum nobis infertur, inquantum excellentiæ derogat, videtur ad paruipenſionem pertinere. 1.2.q. 47.a. 2. *in corp.*

Qu. 2. quomodo ad paruipenſionem reducantur alia iræ motiua, quæ vt dicit Philoſ. in 2. Reth. ſunt obliuio, & exultatio in infortuniis, denunciatio malorum, & impedimentum conſequendæ propriæ voluntatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnes illæ cauſæ ad quandam paruipenſionem reducuntur : obliuio enim paruipenſionis eſt euidens ſignum : ea enim quæ magna æſtimamus, magis memoriæ infigimus : Similiter ex quadam paruipenſione eſt quòd aliquis non vereatur contriſtare aliquem denunciando ei aliqua triſtia : Qui etiam in infortuniis alicuius hilaritatis ſigna oſtendit, videtur parùm curare de bono vel malo eius : Similiter etiam qui impedit aliquem à ſui propoſiti aſſecutione, non propter aliquam vtilitatem ſibi inde prouenientem, non videtur multùm curare de amicitia eius : & ideo omnia talia, inquantum ſigna contemptûs, ſunt prouocatiua iræ. *ibidem ad 3.*

PASSIO.

Quær. 1. an peccatum ex paſſione ſit peccatum ex infirmitate.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd cauſa peccati propria eſt ex parte animæ, in qua principaliter eſt peccatum: poteſt autem dici infirmitas in anima ad ſimilitudinem infirmitatis corporis: dicitur autem corpus hominis eſſe infirmum, quando debilitatur vel impeditur in executione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis; ita ſcilicet quòd humores & membra hominis non ſubdantur virtuti Regitiuæ, & motiuæ corporis; vnde & membrum dicitur eſſe infirmum quando non poteſt perficere operationem membri ſani, ſicut oculus quando non poteſt clarè videre, vt dicit Philoſophus in 10. de hiſtorijs animalium: vnde & infirmitas animæ dicitur, quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipſius.

Sicut autem partes corporis dicuntur eſſe inordinatæ quando non ſequuntur ordinem naturæ; ita & partes animæ dicuntur eſſe inordinatæ quando non ſubduntur ordini rationis, ratio enim eſt vis regitiua partium animæ: ſic ergo quando extra ordinem rationis vis concupiſcibilis aut iraſcibilis aliquâ paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur modo prædicto debitæ rationi hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate: vnde & Philoſophus in primo eth. comparat incontinentem epileptico, cuius partes mouentur in contrarium eius, quod ipſe diſponit. *p. 2. q. 77. a. 3. in corp*

Quær. 2. vnde cognoſcatur quòd aliquis peccet ex electione vel paſſione, ſiue ex malitia vel infirmitate.

Reſp. ſupra v. *correctio fraterna. qu. 3.*

Qu. 3. an & quando infirmitas ſeu paſſio alleuiet, vel aggrauet peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccare ex infirmitate eſt peccare ex paſſione, vt dictum eſt: paſſio autem appetitûs ſenſitiui dupliciter ſe habet ad motum voluntatis: vno modo vt præcedens; alio modo vt conſequens.

Vt præcedens quidem ſicut cùm propter paſſionem inclinatur voluntas ad aliquid volendum; ſic paſſio diminuit rationem meriti, & rationem demeriti: quia meritum & demeritum in electione conſiſtit ex ratione præcedente, paſſio autem obnubilat, vel etiam ligat iudicium rationis: quantò autem iudicium rationis fuerit purius, tantò electio eſt perſpicacior ad merendum, vel demerendum: vnde qui inducitur ad benefaciendum ex iudicio rationis laudabiliùs operatur, quàm qui inducitur ad hoc idem ex ſola animi paſſione, hic enim interdum errare poteſt indebitè miſerendo. Et ſimiliter ille, qui inducitur ad peccandum ex deliberatione rationis, magis peccat, quàm ille qui inducitur ad peccandum ex ſola animi paſſione.

Vt conſequens autem conſideratur

ratur paſſio quando ex forti motu voluntatis commouetur appetitus inferior ad paſſionem:& ſic paſſio addit ad meritum, vel demeritum, quia eſt ſignum paſſio quòd motus voluntatis ſit fortior : & hoc modo verum eſt, quòd ille qui cum maiori compaſſione facit eleemoſynam,magis meretur, & qui cum maiori libidine facit peccatum, magis peccat:quia hoc eſt ſignum quòd motus voluntatis ſit fortior. Sed hoc non eſt ex paſſione benefìcere, vel peccare,ſed potius pati ex electione boni vel mali. *q.3. de malo.a.11.in corp.*

Qu. 4. cur peccatum ex habitu vel malitia procedens longè grauius eſt ac periculoſius quàm peccatum ex infirmitate vel paſſione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum ex malitia commiſſum, cæteris paribus eſt grauius peccato, quod committitur ex infirmitate. Cuius ratio ex tribus apparet.

Primò quidem,quia cùm voluntarium dicatur, cuius principium eſt in ipſo, quantò magis principium actus eſt in ipſo agente, tantò magis eſt voluntarium, & per conſequens tantò magis eſt peccatum, ſi actus ſit malus. Manifeſtum eſt autem, quòd cùm aliquis ex paſſione peccat, principium peccati eſt paſſio, quæ eſt in appetitu ſenſitiuo; & ſic huiuſmodi principium eſt extrinſecum à voluntate : ſed quando peccat ex habitu, quod eſt ex malitia peccare, tunc voluntas per ſe ipſam tendit in actum peccati quaſi iam totaliter inclinata ex habitu per modum naturalis inclinationis in actum peccati : vnde peccatum eſt magis voluntarium, & per conſequens grauius.

Secundò, quia in eo qui peccat ex infirmitate ſeu ex paſſione, voluntas inclinatur ad actum peccati quamdiu paſſio durat; ſed ſtatim abeunte paſſione,quæ citò tranſit, voluntas recedit ab illa inclinatione, & redit ad propoſitum boni, pœnitens de peccato commiſſo : Sed in eo qui peccat ex malitia, voluntas inclinatur in actum peccati manente habitu qui non tranſit ſed perſeuerat, vt forma quædam iam immanens & connaturalis facta : vnde qui ſic peccant, perſeuerant in voluntate peccandi & non de facili pœnitent : Et ideo Philoſophus in 7. eth. intemperatum comparat ei qui continuè ab infirmitate grauatur, puta pthyſico,vel hidropico; incontinentem autem ei qui certis temporibus affligitur, & non continuè, ſicut epileptico : Et ſic manifeſtum eſt quòd grauiùs & periculoſiùs peccat, qui peccat ex malitia, quàm qui peccat ex infirmitate.

Tertiò, quia ille qui peccat ex infirmitate habet voluntatem ordinatam in bonum finem; bonum enim proponit & quærit, ſed interdum recedit à propoſito propter paſſionem: Sed ille qui peccat ex malitia, habet voluntatem ordinatam in malum finem, habet enim firmatum propoſitum ad peccandum:Manifeſtum eſt autem quòd finis in appetibilibus,& operabilibus ſe habet ſicut principium in ſpeculatiuis,vt Philoſophus dicit in 2. Phyſicorum : ille autem grauiſſimè errat, & periculoſiſſimè, qui errat circa principia,quia talis non poteſt reduci per aliqua

Digitized by Google

principia priora; ille autem, qui errat tantùm circa concluſiones, poteſt reduci per principia, in quibus non errat: Sic ergo grauiſſimè, & periculoſiſſimè peccat, qui peccat ex malitia, & non poteſt de facili reuocari, ſicut reuocatur ille qui peccat ex infirmitate in quo ad minus manet bonum propoſitum. *q. 3. de malo a. 13. in corp. p. 2. q. 78. ar. 4. in corp.*

PATIENTIA.

Quær. 1. an patientia ſit virtus, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de patientia: virtus animi, qua patientia dicitur tam magnum Dei donum eſt, vt etiam ipſius qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd virtutes morales ordinantur ad bonum, inquantum conſeruant bonum rationis contra impetus paſſionum: inter alias autem paſſiones triſtitia efficax eſt ad impediendum bonum rationis, ſecundùm illud 2. ad Cor. 7. *ſæculi triſtitia mortem operatur*: & Eccl. 30. *multos occidit triſtitia & non eſt vtilitas in illa*: unde neceſſe eſt habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conſeruetur contra triſtitiam, ne ſcilicet ratio triſtitiæ ſuccumbat: Hoc autem facit patientia: vnde Auguſtinus dicit in lib. de patientia, quòd *patientia hominis eſt qua mala æquo animo toleramus* (ideſt, ſine perturbatione triſtitiæ) *ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus*: vnde manifeſtum eſt patientiam eſſe virtutem. *2. 2. qu. 135. a. 1. in corp.*

Qu. 2. an virtus patientiæ reperiatur in malis hominibus, v. g. in auaris, qui vt pecunias congregent, multa mala patienter tolerant, ſecundùm illud Eccleſ. 5. cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de patientia, *patientes propriè dicuntur, qui malunt mala non committendo ferre quàm non ferendo committere: in illis autem qui mala ſuſtinent, vt mala faciant, nec miranda nec laudanda eſt patientia, quæ nulla eſt: ſed miranda duritia, neganda patientia. 2. 2. in eodem art. 1. ad 2.*

Qu. 3. quare patientia ponitur inter fructus Spiritus-Sancti, vt patet ad Gal. 5.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fructus in ſui ratione importat quandam delectationem: ſunt autem operationes virtutum delectabiles ſecundùm ſeipſas, vt dicitur in 1. ethic. conſuetum eſt autem vt nomine virtutis, etiam virtutis actus ſignificentur: & ideo patientia quantùm ad habitum ponitur virtus; quantùm autem ad delectationem, quam habet in actu ponitur fructus; & præcipuè quantùm ad hoc quòd per patientiam animus præſeruatur, ne obruatur triſtitiâ. *ibid. ad 3.*

Quærit. 4. in quo ſenſu patientia habet opus perfectum, vt dicitur Iac. 1.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd patientia dicitur habere opus perfectum in aduerſis tolerandis, ex quibus primò procedit triſtitia, quam moderatur patientia; ſecundò ira, quam moderatur manſuetudo; tertiò odium, quod tollit charitas; quartò iniuſtum nocumentum, quod prohibet iuſtitia: tollere enim principium vniuſcuiuſque eſt perfectius. 2.2.q.134. a.2.ad 1.

Qu. 5. quomodo verificetur id quod dicitur Lucæ 21. in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poſſeſſio importat quietum dominium: & ideo per patientiam dicitur homo ſuam animam poſſidere, inquantum radicitùs euellit paſſiones aduerſitatum, quibus anima inquietatur. *in eodem artic. 2. ad 2.*

Qu. 6. quomodo, ſicut ait D. Gregorius in quadam homilia, patientia eſt radix & cuſtos omnium virtutum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd patientia dicitur eſſe radix & cuſtos omnium virtutum, non quaſi directè eas cauſando & conſeruando, ſed ſolùm remouendo prohibens. *ibidem ad 3.*

Qu. 7. cur nequit haberi patientia ſine auxilio gratiæ iuxta illud Pſ. 61. ab ipſo (ſcilicet Deo) patientia mea: & quomodo ex charitate procedit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de patientia: *vis deſideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum; & nemo niſi pro eo quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre quod cruciat.* Et huius ratio eſt quia triſtitiam & dolorem ſecundùm ſe abhorret animus: vnde nunquam eligeret ea pati propter ſe, ſed ſolùm propter finem: ergo oportet quòd illud bonum, propter quod aliquis vult pati mala, ſit magis volitum & amatum, quàm illud bonum, cuius priuatio ingerit dolorem, quem patienter toleramus: quòd autem aliquis præferat bonum gratiæ omnibus naturalibus bonis, ex quorum amiſſione poteſt dolor cauſari, pertinet ad charitatem, quæ diligit Deum ſuper omnia: vnde manifeſtum eſt quòd patientia, ſecundùm quod eſt virtus, à charitate cauſatur, ſecundùm illud 1. ad Cor. 13. *Charitas patiens eſt:* manifeſtum eſt autem quòd charitas non poteſt haberi niſi per gratiam, ſecundùm illud ad Rom. 5 *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis*: vnde patet quòd patientia non poteſt haberi ſine auxilio gratiæ. *2.2. q.134.a.3.in corp.*

Qu. 8. quare homines proniores ſunt ad patiendum mala propter vitium quàm propter virtutem, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de patientia: multa in laboribus & doloribus ſuſtinent homines propter ea quæ vitioſe diligunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in natura humana, ſi eſſet integra, præualeret inclinatio concupiſcentiæ, quæ in homine dominatur: & ideo pronior eſt homo ad ſuſtinendum mala, in quibus concupiſcentia delectatur præſen-

tialiter,quàm tolerare mala propter bona futura, quæ ſecundùm rationem appetuntur; quod tamen pertinet ad veram patientiam. *ibid. ad* 2.

*Qu.*9. *quomodo patientia eſt pars integralis fortitudinis; vel ipſi adiungitur vt virtus ſecundaria principali: & vtrum ſit contra ipſius rationem, quòd aliquis inſiliat in inimicos Dei & Reipublicæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd patientia poteſt quantùm ad aliquid ſui poni pars integralis fortitudinis, prout ſcilicet aliquis patienter ſuſtinet mala, quæ pertinent ad pericula mortis. Nec eſt contra rationem patientiæ, quòd aliquis quando opus fuerit,inſiliat in eum qui mala facit: quia vt Chryſoſtomus dicit ſuper illud Matth. *Vade Sathana, in iniuriis propriis patientem eſſe laudabile eſt: iniurias autem Dei patienter ſuſtinere nimis eſt impium*: Et Auguſtinus dicit in quadam epiſtola ad Marcellinum, quòd *præcepta patientiæ non contrariantur bono reipublicæ, pro quo conſeruando contra inimicos pugnatur.* Secundùm verò quòd patientia ſe habet circa quæcunque alia mala, adiungitur fortitudini, vt virtus ſecundaria principali 2. 2.*p.* 134.*a.*4.*ad* 3.

Qu. 10. *an & quomodo longanimitas & conſtantia ſub patientia continentur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut magnanimitas dicitur, per quam habet aliquis animum tendendi in magna; ita etiam longanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid, quod in longinquum diſtat: & ideo ſicut magnanimitas magis reſpicit ſpeciem tendentem in bonum, quàm audaciam vel timorem ſiue triſtitiã, quæ reſpiciunt malum; ita etiam & longanimitas: vnde longanimitas maiorem conuenientiam videtur habere cum magnanimitate quàm cum patientia. Poteſt autem conuenire cum patientia duplici ratione: Primò quidem,quia patientia ſicut & fortitudo, ſuſtinet aliqua mala propter aliquod bonum: quod ſi ex propinquo expectetur, facilius eſt ſuſtinere: ſi autem in longinquum differatur illud bonum;mala autem oportet in præſenti ſuſtinere, difficilius eſt: Secundò,quia hoc ipſum, quod eſt differri bonum ſperatum, natum eſt cauſare triſtitiam, ſecundùm illud Prou. 13. *ſpes quæ differtur, affligit animam*: vnde & in ſuſtinendo huiuſmodi afflictionem poteſt eſſe patientia,ſicut & in ſuſtinendo quaſcunque alias triſtitias. Sic ergo ſecundùm quòd ſub eadem ratione mali contriſtantis poteſt comprehendi & dilatio boni ſperati, quæ pertinet ad longanimitatem; & labor,quem homo ſuſtinet in continuata executione boni operis, quod pertinet ad conſtantiam;tam longanimitas, quàm etiam conſtantia ſub patientia comprehenduntur: vnde & Tullius diffiniens patientiam dicit, quòd *patientia eſt honeſtatis ac vtilitatis cauſâ, voluntaria ac diuturna perpeſſio rerum arduarum ac difficilium*, quod dicit, *arduarum*, pertinet ad conſtantiam in bono: quod dicit, *difficilium*, pertinet ad grauitatem mali,quam propriè reſpicit patientia: quod

verò addit, *diuturna* ſiue *diutina*, pertinet ad longanimitatem, ſecundùm quòd conuenit cum patientia. 2.2.q.134.a.5.*in corp.*

PAVPERTAS.

Quæritur 1. an pauperes eligendi ſint ad Regimen Reipublicæ, vel ab ipſo repellendi.

RESp. D. Thomas, diſtingui oportet de duplici indigentia, voluntaria ſcilicet & neceſſaria. Voluntariam habuit Chriſtus & ipſius diſcipuli, & hanc habuit fabritius & alius conſul Romanus, qui vt fideliter gubernarent Rempublicam, diuitias contempſerunt: maluit enim fabritius diuitibus imperare, quàm locupletem fieri. Hæc ergo non repellitur à Regimine: ſed ſecunda, neceſſaria; quia talis rarò vel nunquam benè regit, vel conſulit, niſi ſuo appetitui vacuo ſatiſdetur. *opuſc.* 20. *de Regimine Principum lib.* 4. *cap.* 15.

Quær. 2. cur non eſt periculoſum ſed potius maximè expediens Reipublicæ quòd ad ipſius Regimen aſſumantur illi qui ſunt voluntariè pauperes.

Reſp. D. Thomas, periculoſum eſt politiæ ſiue Reipublicæ pauperem aſſumi ad conſulatum ſiue ad iudicatum, vt Philoſ. dicit, niſi quando paupertas eſt placida: quia tunc eſt reſecanda cupiditas, quæ *omnium malorum eſt radix*, vt ſcribit Apoſt. 1. ad Timoth. 6. talis enim indigens ad regimen politiæ eſt optimus, de quo in Eccleſiaſt. 9. ſcribitur, quòd *inuentus eſt vir pauper & ſapiens, qui liberauit vrbem per ſapientiam ſuam*, nullâ videlicet cupiditate impeditam. *in eodem cap.* 15.

Qu. 3. an voluntaria paupertas tantò ſit laudabilior quantò eſt maior.

Reſp. D. Thomas, paupertas talis laudabilis eſt, cùm homo à ſollicitudinibus terrenis liberatus liberiùs diuinis & ſpiritualibus vacat; ita tamen quòd cum ea remaneat facultas homini per licitum modum ſuſtentandi ſeipſum, ad quod non multa requiruntur: & quantò modus viuendi in paupertate minorem ſollicitudinem exigit, tantò paupertas eſt laudabilior, non autem quantò paupertas fuerit maior. Non enim paupertas ſecundùm ſe bona eſt; ſed inquantum liberat ab illis quibus homo impeditur quo minùs ſpiritualibus intendat: vnde ſecundùm modum quo homo per eam liberatur ab impedimentis prædictis, eſt menſura bonitatis ipſius; & hoc eſt commune omnibus exterioribus, quæ intantum bona ſunt inquantum proficiunt ad virtutem, non autem ſecundùm ſeipſa. 3. *contra gentes cap.* 133.

Quær. 4. quid ſit paupertas ſpiritus: & vtrum ſit beatitudo correſpondens dono timoris, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de ſermone Domini in monte: timor Dei congruit humilibus, de quibus dicitur, beati pauperes ſpiritu.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd timori propriè reſpondet paupertas ſpiritus: cùm enim ad

ēria & plurimis obſcura , vt Diuinitas cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum: propterea pauperculam elegit Matrem, pauperiorem patriam, egens fuit pecuniis, & hoc ibi exponit præſepe. 3.p.q. 40. a.3. in corp.

Quær. 6. quomodo intelligendum ſit illud Prouerb.30. mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo neceſſaria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuperabundantia diuitiarum, & mendicitas vitanda videntur ab his, qui volunt viuere ſecundùm virtutem, inquantum ſunt occaſiones peccandi: abundantia namque diuitiarum eſt ſuperbiendi occaſio, mendicitas autem eſt occaſio furandi & mentiendi, aut etiam periurandi. Quia verò Chriſtus peccati capax non erat, propter hanc cauſam, ex qua Salomon hoc vitabat, Chriſto vitanda non erant. Neque tamen quælibet mendicitas eſt furandi, & periurandi occaſio, vt ibidem Salomon ſubdere videtur, ſed ſola illa, quæ eſt contraria voluntati, ad quam vitandam homo furatur & periurat: ſed paupertas voluntaria periculum non habet: & talem paupertatem Chriſtus elegit. *ibidem ad 1.*

Quæritur. 7. an & quare voluntaria paupertati debetur poteſtas iudiciaria, iuxta illud Iob. 36. non ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuit: Et Matth. 19. ſuper illud, vos qui reliquiſtis omnia &c. dicit Gloſſa: qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Dominum, hi iudices erunt: qui licita habentes, rectè vſi ſunt iudicabuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd paupertati debetur iudiciaria poteſtas ſpecialiter propter tria: Primò ratione congruitatis; quia voluntaria paupertas eſt eorum qui omnibus quæ mundi ſunt contemptis, ſoli Chriſto inhærent: & ideo non eſt in eis aliquid quod eorum iudicium à iuſtitia deflectat: vnde idonei ad iudicandum redduntur, quaſi veritatem iuſtitiæ præ omnibus diligentes: Secundò, per modum meriti: quia humilitati reſpondet exaltatio pro merito: inter omnia autem quæ hominem in hoc mundo deſpectum faciunt, præcipuum eſt paupertas: vnde & pauperibus excellentia iudiciariæ poteſtatis promittitur: vt ſic qui ſe propter Chriſtum humiliant, exaltentur: Tertiò, quia paupertas diſponit ad prædictum modum iudicandi: Ex hoc enim aliquis ſanctorum iudicare dicetur quòd cor habebit edoctum omni diuina veritate, quam alii potens erit manifeſtare: in progreſſu autem ad perfectionem primum quod relinquendum occurrit, ſunt exteriores diuitiæ: quia hæc ſunt vltimò acquiſita: quod autem eſt vltimum in generatione, eſt primum in deſtructione: vnde & inter beatitudines, quibus eſt progreſſus ad perfectionem, prima ponitur paupertas: Et ſic paupertati reſpondet iudiciaria poteſtas, inquantum eſt prima diſpoſitio ad poteſtatem prædictam: Et hinc eſt quòd non quibuſcunque pauperibus (etiam voluntariè) repromittitur poteſtas prædicta: ſed illis qui relinquentes omnia ſequuntur Chriſtum ſecundùm perfectionem vitæ. *4 ſ. d. 47. q. 1. a. 2. quæſt. 2. in corp.*

Qu. 8. *an paupertas voluntaria ſit maxima humilitatis indicium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in eo qui ex neceſſitate pauper eſt, humilitas non multùm commendatur: ſed in eo qui voluntariè pauper eſt (ſicut fuit Chriſtus) ipſa paupertas eſt maximæ humilitatis indicium. 3. *p. qu.* 40. *a.* 3. *ad* 3.

Qu. 9. *an & quomodo voluntaria paupertas eſt ſumma perfectio.*

Reſp. D. Thomas, eſt ſumma paupertatis perfectio, vt ad exemplum Chriſtri, aliqui homines poſſeſſionibus careant, etſi aliqua reſeruent ad pauperum vſum, præſertim quorum eis cura incumbit. Sic Dominus, præcipuè ſuos Diſcipulos propter ipſum pauperes effectos, & de his quæ ſibi dabantur, reſeruans ſuſtentabat. Inter cætera verò quæ Chriſtus in mortali vita vel fecit, vel paſſus eſt, præcipuè Chriſtianis imitandum proponitur venerandæ crucis exemplum: vnde & ipſe Dominus dicebat Matth 16. *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Vnde & Apoſt. quaſi ſimul cum Chriſto crucifixus & in ſola Chriſti cruce gloriam habens, dicebat ad Gal. 6. *Ego ſtigmata Domini in corpore meo porto*; exemplum crucis diligenter ſecutus. Inter alia verò crucis inſignia, apparet omnimoda paupertas, in qua, exterioribus rebus priuatus eſt vſque ad corporis nuditatem, vnde ex perſona eius in pſal. 21. dicitur, *diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Hanc autem crucis nuditatem, per voluntariam paupertatem homines ſequuntur, & præcipuè qui poſſeſſionum reditibus carent: vnde dicit Hieron. ad Paulin Presb. *Tu auditâ ſententiâ Saluatoris*, Matth. 19. (*ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & de pauperibus, & veni, ſequere me*) *verba vertis in opera, & nudam crucem nudus ſequens, expeditior & lætior aſcendis ſcalam Iacob. opuſc* 17. *contra retrahentes hom. ab ingr. relig. c.* 15.

Quær. 10. *quænam ſpiritualia bona conferat voluntaria paupertas.*

Reſp. D. Thomas, nota ſuper illo verbo (*elegi te in camino paupertatis* Iſaiæ 48.) quia paupertas confert multa. primò, peccatorum recognitionem. Secundò, virtutum conſeruationem, Ecc. 10. *pauper gloriatur per diſciplinam, & timorem ſuum.* Tertiò, cordis quietem, Tobiæ 5. *Sufficiebat nobis paupertas noſtra, vt diuitias computaremus hoc quòd videbamus filium noſtrum.* Quartò, deſiderij impletionem, pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Quintò, diuinæ dulcedinis participationem, Pſalm. 63. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Sextò, exaltationem 1. Reg. 2. *Suſcitans de puluere egenum.* Septimò, cœleſtem hæreditatem Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Super illud cap.* 48. *Iſai.*

Plura de paupertate habentur infra v. Religio, vbi agitur de paupertate Religioſorum.

PAX

Digitized by Google

PAX.

Quær. 1. cur Apoſt. ad Philippenſes 4. optat eis pacem his verbis, pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.

Reſp. D. Thomas, pax ſecundùm Auguſt. eſt tranquillitas ordinis, perturbatio enim ordinis eſt deſtructio pacis. Hæc ordinis tranquillitas tripliciter conſideratur. Primò pro vt eſt in principio ordinis, ſcilicet in Deo: Rom. 13. *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*, &c. ab iſto profundo in quo eſt pax deriuatur, primò & perfectiùs in beatos, in quibus nulla eſt perturbatio, nec culpæ, nec pœnæ: & conſequenter deriuatur ad ſanctos viros: Et quantò eſt magis ſanctus, tantò minus patitur perturbationem mentis, Pſal. 118. *pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*: ſed perfecta eſt in beatis. Eſa. vlt. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis*, &c. quia verò cor noſtrum ab omni perturbatione non poteſt eſſe alienum, niſi per Deum, oportet quòd per ipſum fiat. Vnde dicit, *Dei*. Et hoc ſecundùm quod conſideratur in ipſo principio, exuperat omnem ſenſum creatum; quia vt dicitur. 1. Timoth. vlt. *lucem habitat inacceſſibilem*. Iob. 36. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*, &c. Et ſecundùm quod eſt in patria, ſuperat omnem ſenſum Angelorum, ſed ſecundùm quod eſt in Sanctis in via, ſuperat omnem ſenſum humanum non habentium gratiam. Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum*, &c. Hæc ergo pax, *cuſtodiat corda veſtra*, id eſt affectus veſtros, vt in nullo declinetis à bono. Prou. 4. *Omni cuſtodiâ ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*. Item *intelligentias veſtras*, ſcilicet vt in nullo declinetis à vero. Et hoc, *in Chriſto Ieſu*, per cuius ſcilicet charitatem conſeruatur affectus à malo, & per cuius fidem intellectus perſeuerat in vero. *In expoſ. eiuſdem cap. lect. 1. Matth. 5. Ioan. 14. lect. 7.*

Quær. 2. cur idem Apoſtolus 2. ad Corinthios 1. optans eis omnia bona ſolummodo dicit: gratia vobis & pax.

Reſp. D. Thomas, ponit iſta duo extrema bona, vt in eis intelligantur media. Primum enim bonum eſt gratia quæ eſt principium omnium bonorum: nam ante gratiam nihil eſt niſi diminutũ in bonis. Vltimum autem omnium bonorum eſt pax: quia pax eſt generalis finis mentis. Nam qualitercunque pax accipiatur, habet rationem finis: & in gloria æterna, & in regimine, & in conuerſatione finis eſt pax: Pſalm. 147. *qui poſuit fines tuos pacem. in expoſ. eiuſdem cap. lect 1.*

Quær. 3. quomodo in pace continentur omnia quæ in hac vita ſunt vtilia ad ſalutem: ideoque Prædicatores mittuntur ad eam annuntiandam: iuxta illud Iſa. 52. quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem.

Reſp. D. Thomas, prædicans ea quæ ſunt vtilia ad vitam præ-

ſentem, quod deſignat cùm dicit, euangelizantium pacem, ſcilicet triplicem. Primò quidem annuntiant pacem, quam Chriſtus fecit inter homines & Deum, 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, & poſuit in vobis verbum reconciliationis*: ad Rom. 5. *pacem habeamus per Ieſum Chriſtum ad Dominum*. Secundò, annuntiant pacem habendam cum omnibus, ad Rom. 12. *ſi fieri poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habẽtes*. Tertiò annũtiant ea per quæ homo poteſt habere pacem in ſemetipſo: Pſal. 118. *pax multa diligentibus legem tuam Domine*. Et ſub his tribus continentur omnia quæ in hac vita ſunt vtilia ad ſalutem, vel quantùm ad Deum, vel quantùm ad proximum, vel quantùm ad ſemetipſum. *ad Rom. 10. lect. 2. in ſermone Dominicæ in octaua Paſchæ.*

Quær. 4. cur Apoſtolus iubet ſalutare inuicem in oſculo pacis.

Reſp. ſupra v. *oſculum qu. 1.*

Quær. 5. de qua pace loquatur D. Auguſtinus 19. de ciuitate Dei, dum ait: pax hominum eſt ordinata concordia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Auguſtinus loquitur ibi de pace quæ eſt vnius hominis ad alium, & hanc pacem dicit eſſe concordiam, non quamlibet, ſed ordinatam, ex eo ſcilicet quòd vnus homo concordat cum alio ſecundùm illud quod vtriſque conuenit. Si enim homo concordat cum alio non ſpontaneâ voluntate; ſed quaſi coactus timore alicuius mali ſibi imminentis, talis concordia non eſt vera pax: quia non conſeruatur ordo vtriuſque concordantis, ſed perturbatur ab aliquo timorem inferente. Et propter hoc præmittit quòd pax eſt tranquillitas ordinis, quæ quidem tranquillitas conſiſtit in hoc quòd omnes motus appetitiui in vno homine conquieſcunt. 2. 2. *quæſt.* 29. *a.* 1. *ad* 1.

Qu. 6. cur omnes pacem deſiderant, & omnia propter ipſam agunt, vt dicunt D. Auguſtinus 19. de ciu. Dei, & D. Dyoniſius 11. cap. de diu. nomin.

Reſp. D. Thomas, ad beatitudinem requiritur pax, non quæ ſit ipſa eſſentia beatitudinis, ſed ſicut remotio eorum quæ poſſent beatitudinem impedire: & quia ex hoc ipſo quòd deſideratur aliquid, contrarium eius refugit appetitus, ideo ex hoc ipſo quòd omnes appetunt beatitudinem naturaliter, etiam naturaliter refugiunt beatitudinis impedimenta: & hoc eſt eos naturaliter deſiderare pacem. 4. *ſ. d.* 49. *a.* 2. *q.* 4. *in corp.* 2. 2. *q.* 29. *a.* 2.

Quæritur. 7. quomodo etiam illi qui iuſtè bellum gerunt, pacem intendunt.

Reſp. ſupra v. *bellum qu. 4.*

Quær. 8. quare poſtquam Apoſtolus ad Rom. 12. dixit, nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed

Digitized by Google

etiam coram omnibus hominibus, ſubdit: ſi fieri poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes.

Reſp. D. Thomas, reddit rationem vtriuſque dictorum. Ad hoc enim debemus abſtinere à retributione malorum, & coram hominibus bona prouidere, vt cum hominibus pacem habeamus: & ideo ſubdit, cum omnibus hominibus pacem habentes, Heb. vlt. *pacem ſequimini cum omnibus.* Sed hîc addit duo: quorum primum eſt quod dicit, ſi fieri poteſt: quandoque enim malitia aliorum impedit, ne cum eis pacem habere poſſimus; quia ſcilicet cum eis pax haberi non poteſt, niſi eorum malitiæ conſentiatur, quam quidem pacem conſtat eſſe illicitam: vnde Dominus dicit Matth. 10. *non veni mittere pacem, ſed gladium.* aliud autem addit dicens, quod ex vobis eſt, ſcilicet etſi ipſi contra pacem agant, tamen quod in nobis eſt facere nos debemus, vt eorum pacem quæramus: Pſal. 119. *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus:* & alibi: *inquire pacem, & perſequere eam. in expoſ. eiuſdem capitis lect. 3. 2. ad Timoth. 2. lect. 4.*

Qu. 10 vtrum pax reipublicæ ſit ſemper de ſe bona licet aliqui ex ea ſumant occaſionem laſciuiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pax reipublicæ eſt ſecundùm ſe bona, nec redditur mala ex hoc quòd aliqui malè ea vtuntur. Nam & multi alii ſunt qui benè ea vtuntur, & multò peiora mala per eam prohibentur, ſcilicet homicidia, ſacrilegia; quàm ex ea occaſionentur, quæ præcipuè pertinent ad vitia carnis. 2. 2. q. 123. *a. 5. ad 3.*

Qu. 11. quare non eſt vera pax niſi in bonis, & in appetitu eorum, quæ bona ſunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pax conſiſtit in quietatione & vnione appetitûs: ſicut autem appetitus poteſt eſſe vel boni ſimpliciter, vel boni apparentis, ita & pax poteſt eſſe & vera & apparens. Vera quidem pax non poteſt eſſe niſi circa appetitum veri boni: quia omne malum etſi ſecundùm aliquid appareat bonum, vnde ex aliqua parte appetitum quietet; habet tamen multos defectus, ex quibus appetitus remanet inquietus & perturbatus; vnde pax vera non poteſt eſſe niſi in bonis & bonorum. Pax autem quæ malorum eſt, eſt pax apparens & non vera: vnde dicitur ſap. 14. *in magno viuentes inſcientia bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* 2. 2. q. 29. a. 2. ad 3.

Qu. 12. quomodo pax obtineri poſſit ab illis qui ſunt minoris, vel æqualis, vel etiam maioris potentiæ, & cur de Deo dicitur Iob 9. quis reſtitit ei, & pacem habuit.

Reſp. D. Thomas, ſciendum eſt quòd aliter homo obtinet pacem à potentiori, & aliter à minùs potente, vel ab æquè potente: manifeſtum eſt enim quòd potentior à minùs potente pacem acquirit contra eum pugnando, ſicut cùm Rex potens contra aliquem rebellem in ſuo regno bellum

Rr ij

Digitized by Google

mouet, & victoriam obtinens pacem regni reformat. Similiter etiam ab æquipollente aliquis pacem obtinet pugnando: licèt enim eum ſuperare non poſſit, tamen aſſiduitate pugnæ eum fatigat, vt ad pacem reducatur. Sed à magis potente nunquam aliquis pacem obtinet reſiſtendo, vel pugnando, ſed humiliter ei ſe ſubdendo.

Hoc eſt ergo euidens ſignum, quòd fortitudo Dei omnem humanam fortitudinem excedit, quia nullus cum eo pacem habere poteſt reſiſtendo, ſed ſolùm humiliter ei obediendo: vnde dicitur Iſa. 26. *Seruabis pacem, quia in te ſperauimus*: ſed impij qui Deo reſiſtunt, pacem habere non poſſunt, ſecundùm quòd dicit Iſa. *Non eſt pax impiis dicit Dominus*, & hoc eſt quod hîc dicitur: *quis reſiſtet ei, & pacem habuit. In expoſ. eiuſdem cap. 9.*

Qu. 13. vtrum ad amicitiam pertineat concordia in opinionibus, & in rebus etiam parui momenti: & vtrum in his poſſit eſſe diſſenſio abſque detrimento pacis: ſicut act. 15. leguntur Paulus, & Barnabas diſſenſiſſe, & ſimiliter Hieronymus, & Auguſtinus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſ. dicit in 9. Ethic. ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, ſed concordia in bonis conferentibus ad vitam, & præcipuè in magnis. quia diſſentire in aliquibus paruis, quaſi videtur non eſſe diſſenſus. Et propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus diſſentire. Nec hoc repugnat paci, quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur. Similiter etiam exiſtente concordia in principalibus bonis, diſſenſio in aliquibus paruis, non eſt contra charitatem. Procedit enim talis diſſenſio ex diuerſitate opinionum, dum vnus exiſtimat hoc, de quo eſt diſſenſio, pertinere ad illud bonum in quo conueniunt: & alius æſtimat non pertinere. Et ſecundùm hoc talis diſſenſio de minimis & de opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua plenè veritas cognoſcetur, & omnis appetitus complebitur: non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via. 2. 2. *qu.* 29. *a.* 3. *ad.* 2.

Qu. 14. an contemptus opulentiæ, ſubiugatio concupiſcentiæ, & contemplatio ſapientiæ cauſent pacem.

Reſp. D. Thomas, tria ſunt quæ faciunt pacem in præſenti. Primò, contemptus temporalis opulentiæ Iſa. 57. *cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Secundò, ſubiugatio carnalis concupiſcentiæ, eccl. 44. *pacificantes in domibus ſuis.* Tertiò, contemplatio diuinæ ſapientiæ: *Pſ. 75. in pace factus eſt locus eius, & habitatio eius in Syon. ſuper cap. 26. Iſa.*

Qu. 15. quomodo pax eſt effectus tam iuſtitiæ quàm charitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pax eſt opus iuſtitiæ indirectè, inquantum ſcilicet remouet prohibens: ſed eſt opus charitatis directè; quia ſecundùm propriam rationem, charitas pacem cauſat:

Digitized by Google

eſt enim amor vis vnitiua, vt Dion. dicit 4. c. de diu. nom. Pax autem eſt vnio appetitiuarum inclinationum. 2. 2. *q.* 29. *a.* 3. *ad* 3.

Qu. 16. quomodo virtutes morales diſponunt ad vitam contemplatiuam cauſando pacem & puritatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſanctimonia, ideſt munditia, cauſatur ex virtutibus quæ ſunt circa paſſiones impedientes puritatem rationis. Pax autem cauſatur ex iuſtitia, quæ eſt circa operationes ſecundùm illud Iſa. 32. *opus iuſtitiæ pax*, in quantùm ſcilicet ille, qui ab iniuriis aliorũ abſtinet, ſubtrahit litigiorum, & tumultuum occaſiones: & ſic virtutes morales diſponunt ad vitam contemplatiuam, inquantùm cauſant pacem & munditiam. 2. 2. *q.* 180. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 17. cur Chriſtus Dominus dicitur Deus pacis 2. ad Cor. 13. pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.

Reſp. D. Thomas, ideo Chriſtus dicitur Deus pacis; quia eſt dator pacis & amator. Ioan. 14. *pacem meam do vobis*, &c. 1. Cor. 14. *Non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis.* Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, &c. Ipſe etiam eſt author pacis: Ioan. 16. *In me pacem habebitis*, &c. Ipſe in pace habitat: pſal. 65. *In pace factus eſt locus eius*, &c. Item non ſolùm eſt Deus pacis, ſed erit vobiſcum: Et hoc ideo eſt, quia qui eſt in vera pace cordis & corporis, eſt in charitate: *Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, vt dicitur. 1. Ioan. 4 Et quia homo non meretur niſi per pacem & dilectionem: Ioan. 14. *Si quis diligit me*, *&c. in expoſ. eiuſdem cap. lect.* 3.

PECCATVM.

Si colligerentur omnia, quæ Doctor ſanctus dixit de peccatis tam in particulari quàm in communi, vix integrum volumen ſufficeret: ſed in hoc opere non traduntur ea quæ ad Theologiam ſcholaſticam ſpectant, vel etiam ad moralem in communi & ſpeculatiuè, ſed ea tantùm quæ concernunt moralem practicè & in particulari: & quamuis multa de peccatis ad praxim immediatè pertineant, pauca tamen hic ſubiiciuntur; quia cætera per totum librum ſunt diſperſa, ſub variis titulis vitiorum & peccatorum: ſicut ſupra, v. (ius & iuſtitia) notauimus, quòd totus tractatus de iuſtitia & iure in hoc opere continetur, ſed ſub diuerſis vocabulis, prout ordo alphabeticus exigit.

Quær. 1. quid ſit peccatum: & vtrum benè diffiniatur ab Auguſtino, dictum factum vel concupitum contra legem æternam.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum nihil aliud eſt quàm actus humanus malus: quòd autem aliquis actus ſit humanus habet ex hoc quòd eſt voluntarius; ſiue ſit voluntarius quaſi à voluntate elicitus, vt ipſum velle vel eligere; ſiue quaſi à voluntate imperatus, vt exteriores actus, vel locutionis vel operationis: habet autem actus humanus quòd ſit malus ex eo quòd caret debitâ commenſuratione: Omnis autem commenſuratio cuiuſcunque rei

attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua ſi diuertat, incommenſurata erit: regula autem voluntatis humanæ eſt duplex, vna propinqua & homogenea, ſcilicet ipſa humana ratio; alia verò eſt prima regula, ſcilicet lex æterna quæ eſt quaſi ratio Dei: Et ideo Auguſtinus in diffinitione peccati poſuit duo: vnum, quod pertinet ad ſubſtantiam actûs humani, quod eſt quaſi materiale in peccatò, cùm dixit, *dictum vel factum vel concupitum*: aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato cùm dixit: *contra legem æternam. 1.2. q 71. a. 6. in corp. qu. 76. a. 2. ad 1. 2. ſ. d. 35. a. 2. qu. 2. de malo a. 1.*

Qu. 2. an peccatum diuidatur in peccatum cordis, oris, & operis ſicut in diuerſos gradus, & diuerſas ſpecies.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliqua inueniuntur differre ſpecie dupliciter. Vno modo ex eo quòd vtrumque habet ſpeciem completam, ſicut equus & bos differunt ſpecie. Alio modo ſicut ſecundùm diuerſos gradus in aliqua generatione, vel motu accipiuntur diuerſæ ſpecies: ſicut ædificatio eſt completa generatio domûs, collocatio autem fundamenti & erectio parietis ſunt ſpecies incompletæ; vt patet per Philoſ. in 10. ethic. & idem etiam poteſt dici in generationibus animalium. Sic igitur peccatum diuiditur per hæc tria, ſcilicet peccatum oris, cordis, & operis, non ſicut per diuerſas ſpecies completas; nam conſummatio peccati eſt in opere: vnde peccatum operis habet ſpeciem completam: ſed prima inchoatio eius eſt quaſi fundatio in corde: ſecundus autem gradus eius eſt in ore, ſecundùm quòd homo prorumpit facilè ad manifeſtandum conceptum cordis: tertius autem gradus iam eſt in conſummatione operis. Et ſic hæc tria differunt ſecundùm diuerſos gradus peccat. Patet tamen quòd hæc tria pertinent ad vnam perfectam peccati ſpeciem, cùm ab eodem motiuo procedant: iracundus enim ex hoc quòd appetit vindictam, primò quidem perturbatur in corde; ſecundò in verba contumelioſa prorumpit; tertiò verò procedit vſque ad facta iniurioſa. Et idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato. 1. 2. q. 72. a. 7. *in corp. qu. 100. a. 5. & 6.*

Qu. 3. an prædicta peccati diuiſio in tres illos gradus ſit quaſi diuiſio totius poteſtatiui.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iſta diuiſio aſſignatur ſecundùm gradus quibus fit progreſſus ad complementum peccati: gradus autem iſti attenduntur ſecundùm quòd vnus actus alteri actui additur ad complementum peccati: vnde oportet quòd ſecundùm gradus includat in ſe peccatum; & ita eſt quaſi diuiſio totius poteſtatiui. Additio autem actûs ad actum poteſt eſſe multipliciter: & ſecundùm hoc ſunt diuerſi gradus in peccato: vnde primus gradus peccati eſt in primo actu peccati, ſecundùm quem alii adduntur: hic autem, eſt actus interior, ſcilicet voluntatis; & hoc eſt primum membrum diuiſionis, ſcilicet *peccatũ cogitationis*: huic autẽ actui ſuperadditur alius actus exprimẽs &

deſignans hunc actum, ſcilicet *actus locutionis*; & ideo hoc eſt ſecundum membrum diuiſionis: iterum ſuper actum locutionis additur actus exterior, quo membra corporis mouentur ad conſequendum finem voluntatis; & hic erit tertius gradus, & tertium membrum quod eſt *peccatum operis. 2. ſ. d. 42. a. 2. in corp.*

Qu. 4. an peccata cordis, oris, & operis ſint diuerſa ſpecies: & vtrum reſpectu peccati operis ſint quaſi partes integrales.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum, quia rationem mali habet, poteſt in vno tantùm perfici: & ideo peccatum quod in ſolo corde perficitur eſt vna ſpecies peccati: alia verò ſpecies eſt peccatũ quod perficitur in corde & in ore: tertia verò ſpecies eſt peccatum quod perficitur in corde, ore, & opere. Et huiuſmodi peccati partes quaſi integrales ſunt, quod eſt in corde, & quod eſt in ore, & quod eſt in opere. *3. p. q. 91. a. 3. ad 1.*

Qu. 5. vtrum hæc peccata ſpecie differant etiam coniunctim ſumpta, vel ſolummodo ſeorſim.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum cordis & oris non diſtinguuntur à peccato operis, quando ſimul cum eo coniunguntur; ſed prout quodlibet horum per ſe inuenitur: ſicut etiam pars motûs non diſtinguitur à toto motu, quando motus eſt continuus; ſed ſolùm quando motus ſiſtit in medio. *1. 2. q. 72. a. 7. ad 3.*

Si benè perpendatur doctrina ſancti Doctoris in præcedentibus reſponſionibus tradita, conſtabit quòd iuxta ipſam actus exterior peccati mortalis eſt neceſſariò in confeſſione exprimendus, ideoque iure optimo damnata fuit propoſitio 25. quam retulimus ſupra v. confeſſio ſub finem.

Qu. 6. an & quomodo maior, vel minor grauitas peccatorum ſumatur ex parte perſonæ in quam peccatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perſona in quam peccatur eſt quodammodo obiectum peccati: prima autem grauitas peccati attenditur ex parte obiecti, ex quo quidem tantò attenditur maior grauitas in peccato, quantò obiectum eius eſt principalior finis: fines autem principales humanorum actuum ſunt Deus, & ipſe homo, & proximus: quidquid enim facimus, propter aliquod horum facimus, quamuis etiam horum trium vnum ſub altero ordinetur.

Poteſt igitur ex parte horum trium conſiderari maior, vel minor grauitas in peccato ſecundùm conditionem perſonæ, in quam peccatur. Primò quidem ex parte Dei, cui tantò magis aliquis homo coniungitur, quantò eſt virtuoſior, vel Deo ſacratior: & ideo iniuria tali perſonæ illata magis redundat in Deum, ſecundùm illud Zachariæ 2. *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*: vnde peccatum fit grauius ex hoc quòd peccatur in perſonam magis Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij.

Ex parte etiam ſui ipſius manifeſtum eſt quòd tantò aliquis grauiùs peccat, quantò aliquis magis

in coniunctam perſonam, ſeu naturali neceſſitudine, ſeu beneficij, ſeu quacunque coniunctione, peccauerit; quia videtur in ſeipſum magis peccare, & pro tanto grauiùs peccat ſecundùm illud Eccl. 14. *qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit.*

Ex parte verò proximi tantò grauiùs peccatur, quantò peccatum plures tangit: & ideo peccatum quod fit in perſonam publicam (puta Regem, vel Principem, qui gerit perſonam totius multitudinis) eſt grauius quàm peccatum, quod committitur contra vnam perſonam priuatam: vnde ſpecialiter dicitur Exodi. 22. *Principi populi tui non maledices.* Et ſimiliter iniuria quæ fit alicui famoſæ perſonæ, videtur eſſe grauior ex hoc, quòd in ſcandalum, & in turbationem plurimorum redundat. *p.* 2. *q.* 73. *a.* 9. *in corp.* 2. 2. *q.* 61. *a.* 1. 2. *ad* 3. 1. *ſent. d.* 20. *a.* 2. *ad Rom.* 2.

Qu. 7. *an & quomodo peccatū ex parte perſonæ peccantis augeatur, iuxta illud D. Iſidori in* 2. *de ſummo bono, tantò maius cognoſcitur peccatum eſſe, quantò maior qui peccat habetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt peccatum: quoddam enim eſt ex ſurreptione proueniens propter infirmitatem humanæ naturæ, & tale peccatum minùs imputatur ei, qui eſt maior in virtute: Eo quòd minùs negligit huiuſmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino ſubterfugere infirmitas humana non ſinit: Alia vero peccata ſunt ex deliberatione procedentia, & iſta peccata magis alicui imputantur; quantò maior eſt.

Et hoc poteſt eſſe propter quatuor. Primò quidem quia faciliùs poſſunt reſiſtere peccato maiores, puta qui excedunt in ſcientia, & virtute: vnde & Dominus dicit Lucæ 12. quòd *ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Secundò, propter ingratitudinem: quia omne bonum quo aliquis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando; & quantùm ad hoc quælibet maioritas etiam in temporalibus bonis peccatum aggrauat, ſecundùm illud Sapientiæ 6. *potentes potenter tormenta patientur.* Tertiò, propter ſpecialem repugnātiam actûs peccati ad magnitudinem perſonæ; ſicut ſi Princeps iuſtitiam violet, qui ponitur iuſtitiæ cuſtos; & ſi Sacerdos fornicetur, qui caſtitatem vouit. Quartò, propter exemplum ſiue ſcandalum: quia vt Gregorius dicit in Paſtorali, *in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradûs peccator honoratur.* Ad plurium etiam notitiam perueniūt peccata magnorum, & magis homines ea indignè ferunt. *p.* 2. *q.* 73. *a.* 10. *in corp.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 7. *q.* 7. *de malo a.* 10. *ad* 5.

Qu. 8. *quare ſicut dicit D. Gregorius, peccata carnalia ſunt minoris culpæ, & maioris infamiæ quàm ſpiritualia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccata ſpiritualia ſunt maioris culpæ, quàm peccata carnalia. Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi quodlibet peccatum ſpirituale

ſpirituale ſit maioris culpæ quolibet peccato carnali, ſed quia cōſideratâ hac ſolâ differentiâ ſpiritualitatis, & carnalitatis grauiora ſunt quàm cætera peccata, cæteris paribus. Cuius ratio triplex poteſt aſſignari.

Prima quidem ex parte ſubiecti: nam peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, cuius eſt conuerti ad Deum, & ab eo auerti; peccata verò carnalia conſummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet ad bonum corporale conuerti: & ideo peccatum carnale inquantum huiuſmodi plus habet de conuerſione, propter quod etiam eſt maioris adhæſionis: ſed peccatum ſpirituale habet plus de auerſione, ex qua procedit ratio culpæ; & ideo peccatum ſpirituale inquantum huiuſmodi, eſt maioris culpæ.

Secunda ratio poteſt ſumi ex parte eius, in quem peccatur. Nam peccatum carnale inquantum huiuſmodi eſt in corpus proprium, quod eſt minùs diligendum ſecundùm ordinem charitatis quàm Deus & proximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia: & ideo peccata ſpiritualia inquantum huiuſmodi, ſunt maioris culpæ.

Tertia ratio poteſt ſumi ex parte motiui: quia quantò eſt grauius impulſiuum ad peccandum, tantò homo minùs peccat: peccata autem carnalia habent vehementius impulſiuum, ideſt ipſam concupiſcentiam carnis nobis innatam: & ideo peccata ſpiritualia inquantum huiuſmodi, ſunt maioris culpæ. *p. 2. q. 73. art. 5. in corp. 2. 2. qu. 154. a. 3. 4. ſ. d. 9. q. 1. a. 3. qu. 5. qu. 25. de veri. art. 6. ad 2.*

Qu. 9. an & quare grauiſſima ſunt peccata, quæ committuntur contra Deum, deinde quæ committuntur cõtra humanitatẽ Christi, poſtea contra Sacramenta, tandem contra puras creaturas.

Reſp. ſupra, v. communio *qu. 66.*

Qu. 10. vtrum homicidium ſit peius fornicatione, & omnibus aliis luxuriæ ſpeciebus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum fornicationis eſt contra bonum ſpeciei humanæ, inquantum impedit generationem ſingularem vnius hominis naſcituri: magis autem pertingit ad rationem ſpeciei qui actu iam participat ſpeciem, quàm qui eſt potentiâ homo: & ſecundùm hoc, etiam homicidium eſt grauius quàm fornicatio, & omnes luxuriæ ſpecies. 2. 2. q. 154. a. 3. *ad* 3.

Qu. 11. vtrum homicidium ſit peius quàm peccatum blaſphemiæ: & vtrum primum locum teneat inter peccata in proximum commiſſa.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd homicidium & blaſphemia, ſi comparentur ſecundùm obiecta in quæ peccatur, manifeſtum eſt quòd blaſphemia, quæ eſt directè peccatum in Deum, præponderat homicidio, quod eſt peccatum in proximum: ſi autem comparentur ſecundùm effectum nocendi, ſic homicidium præponderat: plus enim homicidium nocet proximo quàm blaſphemia Deo. Sed quia in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis peruerſæ quàm effectus operis; ideo cùm blaſphemus intendat nocumen-

tentia quæ poteſt ordinare in finem & auertere à fine actum aliquem qui etiam de ſe non contrariatur fini; poteſt ordinare in contrarium finis: putà ſi quis verbum otioſum dicat in contemptum Dei, quod contrariatur charitati, hoc erit peccatum mortale, ſed non ex genere operis, ſed ex peruerſa voluntate facientis. Alio modo contingit quòd aliquod peccatum contrarietur charitati, vel non contrarietur ex ipſo genere operis, quod eſt ex parte obiecti vel materiæ, quæ eſt contraria charitati, vel non contraria: ſicut enim aliquis cibus eſt ex ſe contrarius vitæ, putà cibus venenoſus; aliquis autem cibus non eſt contrarius vitæ, licèt impedimentum aliquod afferat ad rectam habitudinem vitæ; putà cibus durus, & non bonæ digeſtionis, vel etiam ſi ſit bonæ digeſtionis, quia non ſumitur ſecundùm menſuram debitam: Ita etiam in actibus humanis aliquid inuenitur, quod de ſe contrariatur charitati Dei & proximi; Illa ſcilicet per quæ tollitur ſubiectio & reuerentia hominis ad Deum, vt blaſphemia, idololatria, & huiuſmodi, & etiam ea quæ tollunt conuictum ſocietatis humanæ, ſicut furtum, homicidium, & huiuſmodi. Non enim poſſent homines conuiuere ad inuicem, vbi paſſim & indifferenter iſta perpetrarentur. Et iſta ſunt peccata mortalia ex ſuo genere, quacunque intentione vel voluntate fiant. Quædam autem ſunt quæ licèt inordinationem aliquam contineant, non tamen directè excludunt alterum prædictorum; ſicut quòd homo dicat mendacium non in fide, neque ad nocendum proximo, ſed ad delectandum vel etiam ad iuuandum, vel ſi quis excedat in cibo vel potu, & alia huiuſmodi: vnde iſta ſunt venialia peccata ex ſuo genere. *q. 7. de malo a. 1. in c. 1. 2. q. 72. a. 5. q. 87. a. 1. 2. & 5. & q. 89. a. 1. in 2. ſ. d. 42. q. 1. a 4.*

Qu. 14. an & quomodo peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale, iuxta illud Eccleſ. 18. qui ſpernit minima, paulatim defluit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſponens eſt quodammodo cauſa, vnde ſecundùm duplicem modum cauſæ eſt duplex diſpoſitionis modus: eſt enim cauſa quædam mouens directè ad effectum, ſicut calidum calefacit: eſt etiam cauſa indirectè mouens remouendo prohibens, ſicut remouens columnam dicitur remouere lapidem ſuperpoſitum: & ſecundùm hoc actus peccati dupliciter ad aliquid diſponit: vno quidem modo directè, & ſic diſponit ad actum ſimilem ſecundùm ſpeciem; & hoc modo primò & per ſe, peccatum veniale ex genere non diſponit ad mortale ex genere, cùm differant ſpecie.

Sed per hunc modum peccatum veniale poteſt diſponere per quandam conſequentiam ad peccatum, quod eſt mortale, ex parte agentis: Augmentatâ enim diſpoſitione vel habitu per actus peccatorum venialium, intantum poteſt libido peccandi creſcere, quòd ille qui peccat, finem ſuum conſtituet in peccato veniali; nam *vnicuique habenti habitum, inquantum huiuſmodi, finis eſt operatio ſecundùm habitum*; & ſic multoties peccando venialiter diſponetur ad peccatum mortale.

Alio modo actus humanus diſponit ad aliquid, remouendo prohibens: & hoc modo peccatum veniale ex genere, poteſt diſponere ad mortale peccatum ex genere: qui enim peccat venialiter ex genere; prætermittit aliquem ordinem, & ex hoc quòd conſueuit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubijcere, diſponitur ad hoc quòd etiam voluntatem ſuam non ſubijciat ordini vltimi finis, eligendo id quod eſt peccatum mortale ex genere. *p 2. q. 88. a. 3. in corp. 2.2.q. 24.a. 10. q. 186.a.9. 1.ſ.d.17. q. 2. a. 5. 2. d. 42. q. 1. a. 3. q.26. de verit. a.6. ad 16. q.7. de malo a. 1. ad 7. a. 3. in corp.& ad 1. & 3.qu.14.a. 2.*

Quær. 15. an & quomodo peccatum veniale poſſit fieri mortale: & quænam ſit differentia inter pœnas ipſis debitas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatũ veniale fieri mortale poteſt tripliciter intelligi. Vno modo ſic, quòd idem actus numero primò ſit peccatum veniale, & poſtea mortale: & hoc eſſe non poteſt, quia peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut & quilibet actus moralis, vnde non dicitur vnus actus moraliter, ſi volũtas mutetur, quamuis etiam actio ſecundùm naturam ſit continua; ſi autem voluntas non mutetur, non poteſt eſſe, quòd de veniali fiat mortale. Alio modo poteſt intelligi, vt id quod eſt veniale ex genere, fiat mortale: & hoc quidem poſſibile eſt, inquantum conſtituitur in eo finis, vel inquantum refertur ad mortale peccatum ſicut ad finem. Tertio modo poteſt intelligi, ita quòd multa peccala venialia conſtituant vnum peccatum mortale; quod ſi ſic intelligatur, quòd ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur vnum peccatum mortale, falſum eſt; non enim omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantùm de reatu, quantùm vnum peccatum mortale.

Quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ; peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis. Patet etiam ex parte pœnæ damni: quia peccatum mortale meretur carentiam viſionis Diuinæ, cui nulla alia pœna comparari poteſt, vt Chryſoſt. dicit. Patet etiam ex parte pœnæ ſenſus quantùm ad vermem conſcientiæ: licèt fortè quantùm ad pœnam ignis non ſint improportionabiles pœnæ Si verò intelligatur quòd multa peccata venialia faciunt vnũ mortale diſpoſitiuè, ſic verum eſt, ſicut dictum eſt, ſecundùm duos modos diſpoſitionis, quibus peccatum veniale diſponit ad mortale. *p. 2. q. 88. a. 4. in corp. 2. ſ. d. 24. q. 3. a.7. q. 42. a. 15. q. 7. de malo a.3.p.ſ. 19.*

Qu. 16. an aliquis poſſit peccare venialiter ne alius peccet mortaliter.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, non tenetur, nec benè facit committendo: Quia ad vitandum peccatum non inclinamur principaliter ex damno proprio (quia hoc eſſet deſiſtere à peccato timore pœnæ) ſed inclinamur ne Deum offendamus, cuius offenſa

eſt etiam veniale peccatum, quamuis non ita magna, ſicut mortale: nullus autem debet Deum offendere parum, ne alius offendat multùm: quia homo debet in infinitum plus diligere Deum quàm proximum: Et ideo nullus debet facere peccatum veniale ad vitandum ſcandalum, dummodo actus ſuus ex tali cauſa factus peccatum veniale remaneat: eſt enim oppoſitio in adiecto, ſi dicatur quòd aliquis debet peccare, aut benè facit peccando.

Contingit tamen aliquem actum ex tali cauſa factum non eſſe peccatum veniale, quod alias veniale eſſet, ſicut dicere verbum otioſum: iam enim non eſſet otioſum, cùm non careret causâ piæ vtilitatis. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 2. *a.* 4. *quaſt.* 2. *ad* 2.

Qu. 17. *quare non ſit bonum, nec licitũ quòd aliquis venialiter peccet, vt alium impediat à peccato mortali.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dicunt quòd homo debet peccare venialiter, vt alium à peccato mortali impediat: ſed dictum contradictionem implicat, quia ex hoc ipſo quod dicitur peccatum, ponitur indebitum fieri: vnde ſi aliquid fit, quod nullo modo poſſit non eſſe peccatum, non debet fieri (nec etiam bonum eſt fieri, nec licitum) vt alius à peccato mortali liberetur; quamuis ad hoc ex quadam pietate animi etiam multi boni inclinentur: ſed poteſt hoc contingere, vt aliquid quod aliàs eſt peccatum veniale, ex tali cauſa factum deſineret eſſe peccatum; ſicut dicere aliquod verbum iocoſum, quod non eſſet otioſum, ſi diceretur cauſa piæ vtilitatis. 4. *ſ. d.* 9. *ſ.* 1. *a.* 4. *qu.* 2. *ad* 3. 2. 2. *qu.* 43. *a.* 7. *ad* 5.

Qu. 18. *an & quomodo ſit contra charitatem quòd aliquis peccet vt alium à peccato liberet.*

Reſp. v. charitas *qu.* 13. *& ſequ.*

Qu. 19. *an & quomodo peccatum mortale cauſet maculam in anima, iuxta illud quod dicitur Eccl.* 47. *Salomoniȷ, dediſti maculam in anima tua.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd macula propriè dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, ſicut veſtis, & aurum, & argentum, aut aliud huiuſmodi: In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem huius oportet maculam dici: habet autem anima hominis duplicem nitorem: vnum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus: alium verò ex refulgentia diuini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad benè & decenter agendum: Eſt autem quaſi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem: cùm autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis & diuinæ legis: vnde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proueniens, macula animæ metaphoricè vocatur. 1. 2. *q.* 86. *a.* 1. 2. 2. *q.* 87. *a.* 6. 4. *ſ. d.* 18. *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 1.

Qu.20.cur peccatum veniale non cauſat maculam, vnde Gloſſa ſuper illud ad Epheſ. 5. (vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam) dicit, ideſt aliquid peccatum criminale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu; ſicut in corporalibus patet, ex quibus per ſimilitudinem nomen maculæ ad animam transfertur: ſicut autem in corpore eſt duplex nitor, vnus quidem ex intrinſeca diſpoſitione membrorum & coloris, alius autem ex exteriori claritate ſuperueniente: Ita etiam in anima eſt duplex nitor; vnus quidem habitualis, quaſi intrinſecus; alius autem actualis quaſi exterior fulgor: peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit, neque diminuit habitum charitatis, & aliarum virtutum, ſed ſolùm impedit earum actum: macula autem importat aliquid manens in re maculata: vnde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris quàm actualis: vnde propriè loquendo peccatum veniale non cauſat maculam in anima: & ſi alicubi dicatur maculam inducere, hoc eſt ſecundùm quid, inquantum impedit nitorem, qui eſt ex actibus virtutum. *1. 2.q. 89. a. 1. in corp. 4. ſ. d. 16. q. 2. art. 1. qu. 7. de malo art. 11.*

Quærit. 21. an homo poſſit eſſe abſque omni peccato veniali.

Reſp. D. Thomas non eſt inconueniens, quòd aliquâ horâ homo ſit abſque omni peccato veniali; quamuis hoc diu durare non poſſit, propter difficultatem vitandi peccata venialia. *4. ſent. d. 12.q.2.a.2.q.1.ad 1.*

Qu.21. quomodo intelligi debeat illud 1. Ioan. 1. ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeduximus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud verbum non eſt intelligendum, quin aliquâ horâ poſſit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis; ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſine peccatis venialibus. *3.p. qu.89.a.4.ad 2.*

Qu. 22. an peccatum mortale vel veniale eſſe poſſit nedum in parte ſuperiori ſeu voluntate, ſed etiam in inferiori ſeu ſenſualitate.

Reſp. v. Senſualitas.

Qu. 23. quid ſit peccare in Spiritum-Sanctum.

Reſp. D. Thomas, dicuntur in Spiritum-Sanctum peccare, qui contra appropriata Spiritui ſancto peccant. Patri appropriatur potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas: ille ergo in Patrem dicitur peccare, qui ex infirmitate peccat; ille in Filium, qui ex ignorantia; ille in Spiritum-Sanctũ, qui ex malitia. *Super cap.12. Matt. 2.ſ.d.43.qu.1.a.1.*

Quærit. 24. vtrum omne peccatum ex malitia ſit peccatum in Spiritum-Sanctum.

Reſp. v. Malitia *qu.2.*

Qu. 26. an conuenienter aſſignentur à Magiſtro ſentent. ſeptem ſpecies peccati in Spiritum-Sanctum, ſcilicet deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia fraternæ gratiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum in Spiritum-Sanctum eſt cùm quis à ſe abiicit ea per quæ à peccato retrahi poſſet: retrahitur autem homo à peccato, vel commiſſo, vel committendo: à commiſſo, per pœnitentiam, ad quam duo requiruntur, ſcilicet propoſitum de cætero non peccandi, quod repellit *obſtinatio*; & dolor de peccato præterito, quod repellit *impœnitentia*: à peccato verò committendo retrahit timor Dei, & amor: timorem repellit *præſumptio*: amor verò præſupponit ſpem & fidem: fidem repellit *impugnatio veritatis agnitæ*; ſpem *deſperatio*; amorem charitatis *inuidentia fraternæ gratiæ.* Et ſic ſunt ſeptem ſpecies peccati in Spiritum Sanctum quæ in littera ponuntur. *2. ad hannib. d. 44. art. 2. in corp.*

Qu. 27. quare peccatum in Spiritum-Sanctum dicitur irremiſſibile.

Reſp. D. Thomas, peccatum quod eſt in Patrem, vel in Filium, dicitur remiſſibile; quia ex hoc ipſo peccatum videtur aliquam excuſationem habere, quia ex ignorantia, vel infirmitate committitur: quod autem ex certa malitia committitur, nullam in ſe habet excuſationis cauſam: & ideo dicitur irremiſſibile, quia non habet in ſe vnde remittatur; licèt quandoque Deus illud ex ſua bonitate remittat; ſicut quandoque ex ſua virtute curat morbum qui eſt de ſe incurabilis *ad Rom. 2. lect. 1. q. 3. de malo art. 14. & 15. quodl. 2. a. 16.*

Qu. 28. vtrum homo ſtatim à principio poſſit peccare in Spiritum-Sanctum.

Reſp. D. Thomas, poteſt aliquis peccare ex certa malitia abijciendo per contemptum ea per quæ homo retrahitur à peccato, quod propriè eſt peccare in Spiritum-Sanctum, ſicut dictum eſt, & hoc plerumque præſupponit alia peccata: quia dicitur Prouerb. 18. *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Poteſt tamen cōtingere, quòd aliquis in primo actu peccati in Spiritum Sanctum peccet per contemptum, tum propter libertatem arbitrij, tum etiam propter multas diſpoſitiones præcedentes, vel etiam propter aliquod vehemens motiuum ad malum, & debilem affectum hominis ad bonum: & ideo in viris perfectis hoc vix aut nunquam accidere poteſt, quòd ſtatim à principio peccent in Spiritum-Sanctum: vnde dicit Origenes in 1. Periarchon. *Non arbitror, quòd aliquis ex his qui in ſummo perfectionis gradu conſtiterint, ad ſubitum euacuetur, aut decidat; ſed paulatim, ac per partes eum decidere neceſſe eſt. 2. 2. q. 14. a. 4. in corp. 2. ſent. d. 43. a. 5.*

Quærit. 29. quare omnis quæſtio in qua agitur de mortali peccato, periculosè determinatur, ſi veritas non ſit clara ſed ambigua.

Digitized by Google

debetur. Secundò, propter peccandi conſuetudinem: quia à peccatis conſuetis non facilè homines abſtrahuntur, niſi per graues pœnas. Tertiò, propter multam concupiſcentiam vel delectationem in peccato: ab his enim non de facili homines abſtrahuntur, niſi propter facilitatem committendi peccatum, & iacendi in ipſo: huiuſmodi enim peccata quando manifeſtantur, ſunt magis punienda ad aliorum terrorem. 1.2.q.105.a.2. ad 9.

Qu.2. vtrum in humano iudicio debeat aliquis puniri aliquâ pœnâ, ſine culpa, vel etiam ſine cauſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit, iudicium humanum debet imitari diuinum iudicium in manifeſtis Dei iudiciis, quibus homines ſpiritualiter damnat pro proprio peccato: occulta verò Dei iudicia quibus temporaliter aliquos punit abſque culpa non poteſt humanũ iudicium imitari; quia homo non poteſt comprehendere horum iudiciorum rationes, vt ſciat quid expediat vnicuique.

Et ideo nunquam ſecundùm humanum iudicium aliquis debet puniri ſine culpa, pœnâ flagelli, vt occidatur, vel mutiletur, vel verberetur: pœnâ autem damni punitur aliquis etiam ſecundùm humanum iudicium, etiam ſine culpa, ſed non ſine cauſa: & hoc tripliciter. Vno modo ex hoc quòd aliquis ineptus redditur ſine ſua culpa ad aliquod bonum habendum vel conſequendum: ſicut propter vitium lepræ aliquis remouetur ab adminiſtratione Eccleſiæ, & propter bigamiam vel iudicium ſanguinis aliquis impeditur à ſacris ordinibus. Secundò, quia bonum in quo damnificatur, non eſt proprium bonum, ſed cõmune: ſicut quòd aliqua Eccleſia habeat Epiſcopatum, pertinet ad bonum totius Ciuitatis, non autem ad bonum Clericorum tantùm. Tertiò, quia bonum vnius dependet ex bono alterius: ſicut in crimine læſæ Maieſtatis filius amittit hæreditatem pro peccato parentis. 2.2.q.108.a.4.ad 2.4.ſent. d.46.q.2.a.2.q.2.ad 3.2.ſent.d.33. q.1.a.2.ad 4.

Qu.3. an & quomodo puniri aliquis poſſit pro peccato ſiue proprio ſiue alieno etiam inuoluntariò.

Reſp. infra v. *Vindicatio.*

POENITENTIA.

Quæritur 1. an Pœnitentia ſit Sacramentum.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Gregorius dicit, & habetur in Decret. 1. q. 1. *Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cùm res geſta ita ſit, vt aliquid ſignificare intelligatur quod ſanctè accipiendum eſt*: manifeſtum eſt autem quòd in pœnitentia ita res geſta ſit, quòd aliquid ſanctum ſignificatur, tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis abſoluentis: Nam peccator pœnitens per ea quæ facit & dicit, oſtendit cor ſuum à peccato receſſiſſe: ſimiliter etiam Sacerdos per ea quæ agit, & dicit circa pœnitentem, ſignificat opus Dei remittentis peccata: vnde manifeſtum eſt quòd

Qu.6. an contritio & confeſſio ſicut & abſolutio ſint de eſſentia ſacramenti pœnitentiæ : & vtrum ſi pœnitens faciat quod in ſe eſt etiam confitendo laico, Chriſtus ſuppleat quod deeſt ex parte ſacerdotis.

Reſp. ſupra v. confeſſio *q. 49. & ſequ.*

Qu. 7. an Sacramentum pœnitentiæ ſit de neceſſitate ſalutis, iuxta illud Luc. 8. ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid eſt neceſſarium ad ſalutē dupliciter: vno modo abſolutè, alio modo ex ſuppoſitione: abſolutè quidem neceſſarium eſt ad ſalutem illud ſine quo nullus ſalutem conſequi poteſt; ſicut gratia Chriſti, & ſacramentum baptiſmi, per quod aliquis in Chriſto renaſcitur: Ex ſuppoſitione autem eſt neceſſarium ſacramentum pœnitentiæ, quod quidem eſt neceſſarium, non omnibus ſed peccato ſubiacentibus: dicitur enim 2. Paral. vlt. *Tu Domine Deus iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abraham, Iſaac, & Iacob, & iis qui tibi non peccauerunt.* Peccatum autem *cùm conſummatum fuerit, generat mortem*; vt dicitur Iacobi. 1. Et ideo neceſſarium eſt ad ſalutem peccatoris, quòd peccatum remoueatur ab eo: quod quidem non poteſt fieri ſine pœnitentiæ ſacramento, in quo operatur virtus paſſionis Chriſti, per abſolutionem ſacerdotis ſimul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad deſtructionem peccati: ſicut enim dicit Aug. ſuper Ioan tract. 72. & ſerm. 15. de verbis Apoſtoli c. 11. *qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te*: vnde patet quòd ſacramentum pœnitentiæ eſt neceſſarium ad ſalutem poſt peccatum: ſicut medicatio corporalis, poſtquam homo in morbum periculoſum inciderit. *3. p. q. 84. a. 5. in corp. 4. ſ. d. 14. q. 2. a. 5. lib. 4. con. gen. ca. 71.*

Quær. 8. an pœnitentia ſit ſecunda poſt naufragium tabula ſicut ait D. Hieron. ſuper cap. 3. Iſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd id quod eſt per ſe, naturaliter prius eſt eo quod eſt per accidens: ſicut & ſubſtantia prior eſt accidente: ſacramenta autem quædam per ſe ordinantur ad ſalutem hominis; ſicut baptiſmus, qui eſt ſpiritualis generatio: & confirmatio, quæ eſt ſpirituale augmentum: & Euchariſtia, quæ eſt ſpirituale nutrimentum: Pœnitentia autem ordinatur ad ſalutem hominis quaſi per accidens, & ſuppoſito quodam, ſcilicet ex ſuppoſitione peccati: niſi enim homo peccaret actualiter, pœnitentiā non indigeret: indigeret tamen baptiſmo, & confirmatione, & Euchariſtia: ſicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur: indigeret autem homo per ſe ad vitam generatione, augmento, & nutrimento. Et ideo pœnitentia tenet ſecundum locum reſpectu ſtatus integritatis, qui confertur & conſeruatur per ſacramenta prædicta; vnde & metaphoricè dicitur *ſecunda tabula poſt naufragium*: nam ſicut primum remedium mare tranſeuntibus eſt, vt conſeruentur in naui integra: ſecundum autem remedium eſt

Digitized by Google

poſt nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari huius vitæ eſt quòd homo integritatem ſeruet; ſecundum autem remedium eſt, ſi per peccatum integritatem perdiderit, quòd per pœnitentiam redeat. *3.p.q.* 84.*a.* 6. *in corp.* 4.*ſ. d.* 14. *q.* 1.*a.*2. *q.*4.

Quar. 9. vtrum conuenienter in noua lege hoc ſacramentum fuerit inſtitutum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœnitentia in diuerſis locis eſt à Deo inſtituta quantùm ad diuerſa: quantùm enim ad vtilitatem eſt inſtituta Matth.3. vbi dicit, *pœnitentiam agite*: vnde ſequitur, *appropinquauit enim regnum cælorum*, &c. ſed quantùm ad neceſſitatem, vbi dicit Luc. 13. *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: ſed quantùm ad poteſtatem clauium Matth.16. vbi dixit Petro, *quodcunque ligaueris* &c. & Ioan. 20. vbi dixit omnibus, *quorum remiſeritis peccata* &c. ſed poſtea Iacobus expreſſit aliquid de pœnitentiæ modo Iacobi 5. vbi dicit, *confitemini alterutrum* 4.*ſ. d.* 22. *q.* 2. *a.*4. *q.* 3. *in corp.* 3. *p. quaſt.* 84. *a.* 7.

Quar. 10. an poenitentia debeat durare vſque ad finem vitæ, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de poen. quid reſtat nobis niſi ſemper dolere in vita? vbi enim dolor finitur, deficit poenitentia: ſi verò poenitentia finitur, quid relinquitur de venia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt poenitentia, ſcilicet interior, & exterior: interior quidem poenitentia eſt qua quis dolet de peccato commiſſo, & talis poenitentia debet durare vſque ad finem vitæ; ſemper enim debet homini diſplicere, quòd peccauit: ſi enim ei placeret peccaſſe, iam ex hoc ipſo peccatum incurreret, & fructum perderet: diſplicentia autem dolorem cauſat in eo, qui eſt ſuſceptiuus doloris, qualis eſt homo in hac vita. Poſt hanc vitam autem Sancti non ſunt ſuſceptiui doloris: vnde diſplicebant eis peccata præterita ſine omni triſtitia, ſecundùm illud Iſaiæ 65. *obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores.*

Poenitentia verò exterior eſt, qua quis exteriora ſigna doloris oſtendit, & verbotenus peccata ſua confitetur Sacerdoti abſoluenti, & iuxta eius arbitrium ſatisfacit: & talis poenitentia non oportet quòd duret vſque ad finem vitæ, ſed vſque ad determinatum tempus ſecundùm menſuram peccati. *3.p.q.* 84. *a.* 8. *in corp.*

Qu. 11. quomodo poenitentia pertineat ad ſtatum nedum incipientium, ſed etiam proficientium, & perfectorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd agere poenitentiam interiorem ſimul & exteriorem pertinet ad ſtatum incipientium, qui ſcilicet de nouo redeunt à peccato: ſed poenitentia interior habet locum etiam in proficientibus & perfectis, ſecundùm illud pſ. 83. *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum*: vnde & ipſe Paulus dicebat 1. ad Cor. 15. *non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. ibidem ad* 2.

Digitized by Google

Qu. 12. an pœnitentia poſſit eſſe continua, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de pœn. dolor in pœnitentia continuè cuſtodiatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœnitere dicitur dupliciter, ſecundùm actum, & ſecundùm habitum: actu quidem impoſſibile eſt, quòd homo continuè pœniteat; quia neceſſe eſt quòd actus pœnitentis ſiue interior, ſiue exterior interpoletur ad minus ſomno, & aliis, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent. Alio modo dicitur pœnitere ſecundùm habitum, & ſic oportet quòd homo continuè pœniteat; & quantùm ad hoc quòd homo nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis diſpoſitio pœnitentis tollatur; & quantùm ad hoc quòd debet homo in propoſito gerere quòd ſemper ſibi præterita peccata diſpliceant. 3. *parte, quæſtione* 84. *art.* 9. *in corp.* 4. *ſ. d.* 14. *q.* 1. *a.* 4. *qu.* 2.

Qu. 13. quomodo intelligi debeat illud Hier. 13. quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ploratus, & lachrymæ ad actum exterioris pœnitentiæ pertinent, qui non ſolùm non debet eſſe continuus, ſed nec etiam oportet quòd duret vſque ad finem vitæ, vt dictum eſt: vnde & ſignanter ibi ſubditur, *quia eſt merces operi tuo:* eſt autem merces operi pœnitentis, plena remiſſio peccati, poſt cuius conſecutionem non eſt neceſſe quòd homo vlteriùs pœnitentiam agat: per hoc tamen non excluditur continuitas pœnitentiæ, qualis dicta eſt. 3. *p. q.* 84. *a.* 9. *ad* 1.

Quær. 14. quomodo pœnitens poſſit exequi illud Pſ. 99. ſeruite Domino in lætitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de dolore & gaudio dupliciter loqui poſſumus: vno modo ſecundùm quòd ſunt paſſiones appetitus ſenſitiui; & ſic nullo modo poſſunt eſſe ſimul; eoquòd ſunt omnino contrariæ: vel ex parte obiecti (putà cùm ſunt de eodem) vel ſaltem ex parte motûs cordis: nam gaudium eſt cum dilatione cordis, triſtitia verò cum conſtrictione, & hoc modo loquitur Philoſ. in 9. Ethic. Alio modo poſſumus loqui de gaudio & triſtitia ſecundùm quòd conſiſtunt in ſimplici actu voluntatis, cui aliquid placet vel diſplicet: & ſecundùm hoc non poſſunt habere contrarietatem niſi ex parte obiecti, putà cùm ſunt de eodem & ſecundùm idem: & ſic non poſſunt ſimul eſſe gaudium & triſtitia; quia non poteſt ſimul idem ſecundùm idem placere & diſplicere: ſi verò gaudium & triſtitia ſic accepta non ſint de eodem ſecundùm idem, ſed vel de diuerſis, vel de eodem ſecundùm diuerſa, ſic non eſt contrarietas gaudij & triſtitiæ: vnde nihil prohibet hominem ſimul gaudere & triſtari: putà ſi videamus iuſtum affligi, ſimul placet nobis eius iuſtitia, & diſplicet afflictio: & hoc modo ſimul poteſt alicui diſplicere quòd peccauit, & placere quòd hoc ei diſplicet cum ſpe veniæ: vnde & Auguſt. dicit in lib. de pœnit. *ſemper doleat pœnitens, & de dolore*

Digitized by Google

gaudeat. Si tamen triſtitia nullo modo comparetur ſibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas pœnitentiæ, ſed actualis. *ibidem ad* 2. 4. *ſ. d.* 14. *qu.* 1. *a.* 4. *qu.*2.

Quær. 15. *quomodo obſeruandum ſit illud Apoſtoli* 2. *ad Cor.* 2. *conſolamini (ſcilicet pœnitentem) ne forte abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui eiuſmodi eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſ. in 2. Ethic. ad virtutem pertinet tenere medium in paſſionibus: triſtitia autem quæ in appetitu ſenſitiuo pœnitentis conſequitur ex diſplicentia voluntatis, paſſio quædam eſt: vnde moderanda eſt ſecundùm virtutem; & eius ſuperfluitas eſt vitioſa, quia inducit in deſperationem: quod ſignificat Apoſtolus ibi dicens: ne maiori triſtitiâ abſorbeatur qui eiuſmodi eſt: & ſic conſolatio de qua ibi Apoſtolus loquitur, eſt moderatiua triſtitiæ, non autem totaliter ablatiua. 3. *p.* *q.* 84. *a.* 9. *ad* 3.

Qu. 16. *an Sacramentum pœnitentiæ debeat iterari ſicut dicitur Matth.* 18. *quòd Petro quærenti, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties? Reſpondit Ieſus (non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuageſies ſepties.)*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa poenitentiam quidam errauerunt, dicentes non poſſe per poenitentiam ſecundò conſequi veniam peccatorum.

Quorum quidem (ſcilicet Nouatiani) hoc intantum extenderunt, vt dicerent poſt primam poenitentiam quæ agitur in baptiſmo, peccantem non poſſe per poenitentiam iteratò reſtitui: alij verò hæretici (vt Aug. dicit in lib. de poenitent.) poſt baptiſmum dicebant quidem eſſe vtilem poenitentiam, non tamen pluries, ſed ſemel tantùm. Videntur autem huiuſmodi errores ex duobus proceſſiſſe. Primò quidem ex eo quòd errabant circa rationem veræ poenitentiæ: cùm enim ad veram poenitentiam charitas requiratur (ſine qua non delentur peccata) credebant quòd charitas ſemel habita non poſſit amitti, & per conſequens poenitentia ſi ſit vera, nunquam per peccatum tollatur, vt ſic ſit neceſſe eam iterari. Sed hoc improbatum eſt in 2. parte, vbi oſtenſum eſt quòd charitas ſemel habita (propter libertatem arbitrij) poteſt amitti; & per conſequens poſt veram poenitentiam poteſt aliquis peccare mortaliter. Secundò ex eo quòd errabant circa æſtimationem grauitatis peccati: Putabant enim adeo graue eſſe peccatum quòd aliquis committit poſt veniam impetratam, quòd non ſit poſſibile ipſum remitti: in quo quidem errabant, ex parte peccati (quod etiam poſt remiſſionem conſecutam poteſt eſſe & grauius & leuius quàm fuerit primum peccatum remiſſum.)

Et multò magis contra infinitatem diuinæ miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum & magnitudinem peccatorum, ſecundùm illud Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*: vnde reprobatur ver-

bum Cain dicentis Gen. 4. Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear: & ideo miſericordia Dei peccãtibus, per pœnitentiã veniam præbet abſque vllo termino: vnde dicitur 2. paral. vlt. (in orati. Manaſſe) immenſa & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ, ſuper malitiam hominum: vnde manifeſtum eſt quòd poenitentia pluries eſt iterabilis. *3. p. qu. 84. a. 10. in corp. 4. ſ. d. 14. q. 1. a. 4. qu. 3. & art. 5. queſtiunc. 2. & ad Hebr. 6. lect. 1.*

Quær. 17. quomodo intelligi debeat illud Apoſtoli ad Hebreos 6. impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, & guſtauerunt cæleſte donum, & participes ſunt facti Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, renouari rurſus ad pœnitentiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia apud Iudæos erant ſecundùm legem quædam lauacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Iudæorum quòd etiam per lauacrum Baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet: ad quod excludendum, Apoſtolus ſcribit Hebræis, quòd *impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati* (ſcilicet per Baptiſmum) *rurſum renouari ad pœnitentiam* (ſcilicet per Baptiſmum, qui eſt *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus-Sancti*, vt dicitur ad Titum 3.) & rationem aſſignat ex hoc quòd per Baptiſmum homo Chriſto commoritur: vnde ſubdit: rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei. *3. p. q. 84. a. 10. ad 1. ad Heb. 6. lect. 1.*

Qu. 18. cur non legitur quòd Dominus aliquem cæcum bis illuminauerit, vel quòd aliquem leproſum bis mundauerit, aut aliquem mortuum bis ſuſcitauerit; & tamen pluries peccatoribus per poenitentiam veniam largiatur; cùm miracula quibus Dominus infirmitates corporales ſanauit, ſignificent ſanationem ſpiritualium infirmitatum ſiue liberationem à peccatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de poenit. multos cæcos, & diuerſo tempore Dominus illuminauit, & multos debiles confortauit, oſtendens in diuerſis illis eadem ſæpe peccata dimitti; vt quem priùs ſanauit leproſum, alio tempore illuminauerit cæcum: *ideo enim tot ſaluauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos ne deſperet de ſe peccator: ideo non ſcribitur aliquis niſi ſemel ſanatus, vt quilibet timeat iungi peccato, medicum ſe vocat, non ſanis ſed malè habentibus opportunum: ſed qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? Medicorũ enim eſt centies infirmum, centies curare; qui cæteris minor eſſet, ſi aliis poſſibilia ignoraret. ibidem ad 3.*

Qu. 19. in quo ſenſu D. Gregorius dicit in hom. quadr. poenitentia eſt anteacta peccata deflere, & deflenda iterum non cõmittere: & D. Iſidorus in lib. de ſummo bono: irriſor eſt & non poenitens, qui adhuc agit quod poenitet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poenitere eſt anteacta peccata deflere, & deflenda non committere; ſcilicet ſimul dum flet, vel actu vel propoſito: ille enim

eſt irriſor & non poenitens, qui ſimul dum poenitet, agit quod poenitet; vel proponit iterum ſe facturum quod geſſit; vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quòd auté aliquis poſtea peccat, vel actu vel propoſito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium ſubſequentem: ſicut enim verè cucurrit, qui poſtea ſedet; ita verè poenituit qui poſtea peccat. *ibid. ad* 4.

Quart. 20. vtrum ex hoc quòd Deus ſemper eſt paratus dimittere peccata conſtet quòd ea ſummè deteſtatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Auguſtinum in lib. de poenit. *conſtat Deo multùm diſplicere peccata, qui ſemper praſtò ea eſt deſtruere: ne ſoluatur quod creauit: nec corrumpatur quod amauit:* ſcilicet per deſperationem. *ibidem ad* 6.

Qu. 21. an Deus debeat ſemper eſſe paratus parcere peccatoribus poenitentibus, quandoquidem ſicut D. Gregorius dicit: facilitas veniæ incentiuum prabet delinquendi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut iuſtus Dominus ſummè iuſtitiam diligit, ita ſummè peccatum odit: & ita quantùm ex ipſo eſt, paratus eſt ipſum deſtruere ſemper: dummodo ex parte hominis non remaneat, vel per hominem non ſtet, qui poenitentiam negligit, uel contemnit. Nec obſtat quòd quidam ex hoc ſumunt occaſionem delinquendi; quia ex contrario ſumerent occaſionem deſperandi, quod eſt grauius. 4. *ſ. d.14.q.1.a.4.qu.3. ad* 2.

Qu. 22. an ex hoc quòd poenitens iterum peccata committit, argui poſſit ipſius poenitentiam non fuiſſe veram.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de neceſſitate poenitentiæ eſt vt poenitens habeat propoſitum peccata iterum non committendi: poteſt tamen hoc eius propoſitum immutari. Nec tamen ſequitur quòd prima poenitentia non fuit vera. Nec eſt inconueniens quòd voluntas quæ præterita defleт, iterum in peccata conſentiat propter libertatem eius. 4. *ad Hann.d.14.a.4.ad* 5.

Qu. 23. an poenitentia ſit virtus, de qua præceptum datur Matth. 4. poenitentiam agite &c.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poenitere eſt de aliquo prius à ſe facto dolere: dolor autem vel triſtitia dicitur: vno modo ſecundùm quòd eſt paſſio quædam appetitus ſenſitiui, & quantùm ad hoc poenitentia non eſt virtus, ſed paſſio: alio modo ſecundùm quòd conſiſtit in voluntate, & hoc modo eſt cum quadam electione: quæ quidem ſi ſit recta, neceſſe eſt, quòd ſit actus virtutis, dicitur enim 2. eth. quòd *virtus eſt habitus electiuus ſecundùm rationem rectam.* Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat de quo dolendum eſt, & eo modo & fine quo dolendum eſt: quod quidem obſeruatur in poenitentia: nam poenitens aſſumit modera-

tum

Digitized by Google

rum dolorem de peccatis præteritis cum intentione remouendi ea: vnde manifeſtum eſt quòd pœnitentia, vel eſt virtus, vel actus virtutis. 3.*p.q.*85. *art.*1.*in corp.* 4. *ſ. d.*14.*q.*1.*a.*1.*q.* 2.

Quær. 24. *an pœnitentia bene diffiniatur à D. Gregorio, & Ambroſio: pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, cùm corporalis immutatio non ſit de eſſentia virtutis, vt ait Philo.* 4. *ethic.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod pertinet ad corporalem immutationem, non pertinet ad virtutem quaſi eſſentialis actus eius; ſed poteſt pertinere ad virtutē ſicut materiale circa quod operatur virtus; quia etiam paſſiones corporales ſunt materia virtutum: & ſecundùm hoc dicendum quòd ipſius virtutis pœnitentiæ ſenſibilis dolor vel corporalis fletus poteſt eſſe quoddam materiale, inquantum hæc Deo reddit pœnitens quaſi debitum pro offenſa commiſſa: & ideo ſi per planctum ſignificatur actus pœnitentiæ, tunc nihil aliud dicit quàm *deteſtationem*; ſi autē dicat materiale, ſic poteſt etiam ſenſibilem vel corporalem fletum dicere. 4. *ſ. d.* 14.*q.*1.1.*q.*6.*ad* 2.

Qu. 25. *vtrum aliæ etiam diffinitiones pœnitentiæ ſint bonæ, & in quo ſenſu pœnitentia ſit res optima.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non eſt inconueniens de eodem dari diuerſas diffinitiones ſecundùm diuerſa quæ in rebus inueniuntur. Diffinitio igitur præmiſſa Gregorij & Ambroſij quam Magiſter ad formam diffinitionis reducit, completiſſima eſt; quia tangit & genus & actum & obiectum: & vtrumque illorum quæ ad emendationem Deo exhibendam requiruntur.

Et in idem redit diffinitio Auguſtini in lib. de pœn. dicentis: *pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* Niſi quòd magis exprimit proximum genus ipſius: quia ponit ipſam non ſolùm in genere virtutis, ſed in genere iuſtitiæ, in hoc quod dicit eam *vindictam*: & differentias etiam magis proximas ad propriam ſpeciem ponit in hoc quod addit rationem punitionis ad dolorem. Et in idem redit diffinitio Ambroſij alia, per quam ponit quòd *pœnitentia eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis quæ quiſque commiſit*: niſi quòd non ponit vnum eorum quæ continent prædictæ diffinitiones, ſcilicet deteſtationem peccati commiſſi.

Alia autem notificatio, qua dicitur quòd *pœnitentia eſt res optima, quę omnes defectus reuocat ad perfectum*, datur per effectus pœnitentiæ: & dicitur eſſe optima res non ſimpliciter, ſed in genere declinationis à malo poſt peccatum commiſſum. Et ſimiliter etiam illa Damaſceni diffinitio pœnitentia eſt *remotio ab eo quod eſt contra naturam in id quod eſt ſecundùm naturam*, datur per effectum, & quaſi in idem redeunt: quia peccatum quod in prima deſcriptione dicitur defectus in ſecunda dicitur contra naturam eſſe; ſtatus autem gratiæ vel virtutis quæ in prima diffinitione dicitur perfectio, in ſecunda dicitur ſecundùm naturam eſſe.

quia ad hoc natura eſt ordinata. *ibid. in reſp. ad 6.*

Qu. 26. quomodo poenitens redit ad Deum ſicut ſeruus ad Dominum, Filius ad Patrem, vxor ad virum.

Reſp. D. Thomas, pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis propoſito, ſicut ſeruus ad Dominum, ſecundùm illud Pſal. 122. *ſicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri*: & ſicut Filius ad Patrem, ſecundùm illud Lucæ 5. *Pater peccaui in cælum & coram te*: & ſicut vxor ad virum, ſecundùm illud Hier. *fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus 3. p. qu. 85. a. 3. in corp.*

Qu. 27. an & quomodo pœnitentia ex timore procedat, iuxta illud Iſaiæ 21. ſicut quæ concepit, cùm appropinquauit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis; ſic facti ſumus (ſcilicet per poenitentiam) & poſteà ſubditur ſecundùm aliam litteram: à timore tuo Domine, concepimus, & quaſi parturiuimus; & peperimus ſpiritum ſalutis, ideſt poenitentia ſalutaris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de poenitentia loqui poſſumus dupliciter: vno modo quantùm ad habitum: & ſic immediatè à Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus: non tamen ſine nobis diſpoſitiuè cooperantibus per aliquos actus: alio modo poſſumus loqui de poenitentia quantùm ad actus, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur: quorum actuum primum principium eſt Dei operatio conuertentis cor; ſecundùm illud threno. vlt. *conuerte nos Domine ad te & conuertemur.*

Secundus actus eſt motus fidei: tertius eſt motus timoris ſeruilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur: quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi: quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum, & non iam propter ſupplicia: ſextus eſt motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic ergo patet quòd actus poenitentiæ à timore ſeruili procedit ſicut primo motu affectûs ad hoc ordinato; à timore autem filiali ſicut ab immediato, & proximo principio. *3. p. qu. 85. a. 5. in corp. 4. ſ. d. 14. in expoſ. textûs, & qu. 1. a. 2.*

Qu. 28. quare vt plurimùm poenitentia ex timore initium ſumit; quamuis etiam quandoque inchoëtur ex amore.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtutem poenitentiæ Deus nobis infundit; ſed diſpoſitio aliqua ex parte naturæ procedit, & ſecundùm hoc habet aliquam originem in nobis: ſed quia humani actus non procedunt ex neceſſitate, ſed ex libero arbitrio, ideo non poteſt aſſignari cauſa ex parte noſtra alicuius actûs noſtri, ex quo ſemper procedat, ſed ex quo vt in pluribus contingit propter diſpoſitionem exiſtentem in nobis ad hoc, quæ tamen non neceſſariò

inclinat: vnde omnes ſermones morales ſunt tales, vt Philoſ. in 1. ethic. dicit, quòd vt in pluribus oportet eos intelligere.

Cùm autem poenitentia ſit reuocatio à peccato, vt Damaſcenus dicit, oportet originem eius in nobis accipi ſecundùm diſpoſitionem exiſtentis in peccato: ille autem qui in peccato eſt, non habet guſtum ſanum, vt ex dulcedine diuinæ bonitatis à peccato reuocetur; ſed habet affectum infectum amore ſui inordinato: & ideo per poenas quæ naturæ ſuæ contrariantur & voluntati, à peccato reuocatur, vt Philoſ. in 10. ethic. dicit de talibus, quòd *proprias deliberationes proſequuntur, & fugiunt oppoſitas triſtitias: boni autem & verè delectabilis neque intellectum habent, neque guſtatiui ex ſtunt:* & ideo in eis vt in pluribus ex timore poenitentia initium ſumit; quamuis etiam in aliquibus ex amore poenitentia inchoetur. 4. *ſ. d.* 14. *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 1. *in corp.*

Qu. 29. vtrum illa poenitentia, quæ ex timore prouenit, ſit donum Dei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ipſe etiam motus timoris procedit ex actu Dei conuertentis cor: vnde dicitur Deuter. 5. *quis det eos talem habere mentem, vt timeant me?* & ideo per hoc quòd poenitentia à timore procedit, non excluditur quin procedat ex actu Dei conuertentis cor. 3. *p. qu.* 85. *a.* 5. *ad* 3.

Quæritur 30. an & quare aliqua poenitentia debeat publicari, & ſolemnizari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliqua pœnitentia debet eſſe publica, & ſolemnis propter quatuor. Primò, vt peccatum publicum publicam habeat medicinam. Secundò, quia maximâ confuſione in hoc mundo etiam eſt dignus, qui grauiſſimum ſcelus commiſit. Tertiò, vt ſit aliis ad terrorem. Quartò, vt ſit ad exemplum pœnitendi, ne deſperent qui in grauibus peccatis detinentur. 4. *ſent. d.* 14. *q.* 1. *a.* 5. *quæſt.* 1. *in corp.*

Qu. 31. an ſacerdos reuelet confeſſionem, ſi poenitentiam ſolemnem iniungat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſacerdos non reuelat confeſſionem, talem pœnitentiam iniungendo, quamuis ſuſpicio oriatur illum aliquod enorme peccatum commiſiſſe: non enim culpa pro certo ſcitur ex poena; quia quandoque aliquis poenitentiam pro alio facit, ſicut legitur in vitis Patrum de quodam, qui vt ſuum ſocium ad poenitentiam prouocaret, ipſe cum eo poenitentiam egit. Si autem ſit peccatum publicum, ipſe poenitens exequendo poenitentiam, confeſſionem à ſe factam manifeſtat. *ibidem ad* 1.

Qu. 32. an ſacerdos poenam inferens publicam pro peccato occulto, ſit reuelator confeſſionis, & proditor criminis.

Reſp. v. confeſſio. qu. 61.

Qu. 33. an poenitentia ſolemnis excedat limites fori conſcientiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poenitentia ſolemnis quantùm ad iniunctionem non exit forum occultum: quia ſicut occultè quis confitetur, ita occulta ei poenitentia iniungitur: ſed executio exit forum occultum; & hoc non eſt inconueniens. 4. *ſ. d.* 14. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 1. *ad* 2.

Qu. 34. *an poſt poenitentiam publicam mulier debeat velari, & laicus debeat ad Clericatum aſſumi, vel clericus promoueri ad ordines ſuperiores.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poenitentia quamuis reuocet omnes deffectus reſtituendo in priſtinam gratiam, non tamen reſtituit in priſtinam dignitatem: & ideo mulieres poſt peractam poenitentiam de fornicatione non velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant.

Et ſimiliter poſt publicam poenitentiam peccator non redit ad hanc dignitatem vt poſſit ad Clericatum aſſumi: & Epiſcopus talem ordinans poteſtate ordinandi priuari debet. Niſi fortè neceſſitas Eccleſiæ expoſcat, aut conſuetudo: tunc enim diſpenſatiuè recipitur ad minores ordines non autem ad ſacros ordines. Primò, propter dignitatem ordinum iſtorum: ſecundò, propter timorem recidiui: tertiò, propter ſcandalum vitandum, quod poſſet in populo oriri ex memoria præcedentium peccatorum: quartò, quia non haberet frontem alios corrigendi, cùm peccatum eius fuerit publicum. *ibidem ad* 3.

Quær. 35. *an ſolemnis pœnitentia poſſit iterari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſolemnis poenitentia iterari non debet propter tria: primò, ne ex iteratione vileſcat: ſecundò, propter ſignificationem, quia eſt figura expulſionis de Paradiſo, quæ eſt ſemel tantùm facta: tertiò, quia ſolemnizatio eſt quaſi quædam profeſſio perpetuò poenitentiam conſeruandi: & ideo iteratio ſolemnitati reſiſtit. Si tamen poſtmodum peccauerit, non clauditur ei locus poenitentiæ: ſed poenitentia ſolemnis iterum ei iniungenda non eſt. 4. *ſent. d.* 14. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 2. *in corp.*

Quær. 36. *an ſolemnis & publica pœnitentia ſit eadem: & à quibus iniungi poſſit, quibus perſonis, & pro quibus peccatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnis ſolemnis poenitentia eſt publica, ſed non conuertitur: Poenitentia enim ſolemnis hoc modo fit. *In capite Quadrageſimæ tales pœnitentes præſentant ſe cum Presbyteris ſuis Epiſcopo Ciuitatis ante fores Eccleſiæ, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus demiſſis, comâ depoſitâ; & eis in Eccleſiam introductis Epiſcopus cum omni Clero ſeptem pſalmos pœnitentiales dicit; & poſtmodum eis manum imponit, aquam benedictã aſpergit, & cinerem capitibus imponit, cilicio colla eorum operit, & denunciat eis lacrymabiliter, quòd ſicut Adam eiectus eſt à Paradiſo, ita ipſi de Eccleſia eiiciuntur, & iubet miniſtris, vt eos ab Eccleſia pellant, Clero eos proſequente cum hoc*

reſpo ſorio in ſudore vultus tui,&c. *vt videntes ſanctam Eccleſiam pro ſuis facinoribus tremefactam atque commotam, non paruipendant poenitentiam quam peragunt. In coena autem Domini quolibet anno à ſuis Presbyteris in Eccleſiam reducuntur; & erunt ibi vſque ad octauas Paſchæ; ita tamen quòd non communicabunt, nec pacem accipient: & ſic fiat quolibet anno, quouſque aditus Eccleſiæ eſt eis interdictus. Vltima autem reconciliatio Epiſcopo reſeruatur, ad quem ſolum ſpectat ſolemnis poenitentiæ impoſitio.*

Poteſt autem imponi viris, & mulieribus, ſed non Clericis propter ſcandalum. Non autem talis poenitentia debet imponi, niſi pro peccato quod totam commouerit vrbem. Publica autem, & non ſolẽnis eſt, quæ in facie Eccleſiæ fit, ſed non cum ſolẽnitate prædicta; ſicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali: & hæc poteſt iterari, & à ſimplici Sacerdote iniungi, & poteſt etiam Clerico imponi. Quandoque tamen ſolemnis ponitur pro publica, & ſecundùm hoc authoritates quædam variè loquuntur de ſolemni. 14. *ſent. d.* 14. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 3. *in corp.*

Quær. 37. quibuſnam ludis vti poſſint ipſi etiam poenitentes: & vtrum eis liceat intereſſe ſpectaculis.

Reſp. ſupra v. ludus *qu.* 6. & infra v. ſpectacula.

Qu. 38. an liceat poenitentibus exercere officia militiæ, negotiationis, & publicanorum; cùm Gregorius 7. in Synodo Romana dicat, & habetur diſt. 5. de poenit. cap. falſas: Miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis grauioribus irretitus ad poenitentiam venerit, recognoſcat ſe veram poenitentiam non poſſe peragere, niſi negotium relinquat, vel officium deſerat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd officium militiæ, negotiationis, & publicanorũ qui vectigalia publica exigunt, ex propinquo habent peccatum annexum; quamuis ſine peccato quandoque exerceri poſſint: & quia poenitens debet occaſionem peccati vitare ſatisfaciendo, etiam talia officia laudabile eſt ſi euitet. Non eſt tamen de neceſſitate poenitentiæ: quia poenitens non poteſt omnes peccati occaſiones vitare, dum in mundo iſto viuit: & ideo ſufficit ſi peccatum in iſtis officiis vitet: vt quòd miles ſecundùm conſilium Ioannis neminem concutiat, & ſtipendiis iuſtis contentus ſit, & non vtatur officio militari ad oſtentationem, ſed ad vtilitatem Eccleſiæ, & reipublicæ, & ad exercitium virium; & quòd negotiator non habeat conditionem in ſe, quæ ipſum ab ipſo hoc prohibeat; ſicut Clericis & Monachis non licet negotiari quamuis liceat propria vendere. Et quòd tẽpore debito mercationes faciat, non diebus feſtiuis: & tempore quo cariſtiam inducere poſſit, tale officium exerceatur; & modus debitus vt ſine fraude fiat, & ſecundùm licitum contractum. In publicanis autem, vt de authoritate principis, & causâ communis vtilitatis, ſcilicet ad defenſionem terræ; & non immoderata recipiantur telonia.

Digitized by Google

Quòd autem Gregorius dicit in littera, intelligendum eſt non quia non poſſit ſine peccato fieri, ſed quia frequenter ad peccatum implicat. 4. ſ. d. 16. q. 4. a. 2. q. 3.

Quær. 39. cur dicitur in decretis de poenit. diſt. 5. contrarium omnino eſt Eccleſiaſticis regulis poſt poenitentiæ actionem redire ad militiam Sæcularem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd militia ſæcularis interdicitur poenitentibus; ſed militia quæ eſt propter diuinum obſequium, imponitur alicui in poenitentiam; ſicut patet de his quibus iniungitur, vt militent in ſubſidium terræ ſanctæ. 2. 2. *qu.* 188. *a.* 3. *ad* 3.

Quær. 40. cur incontinentes, & illi qui ex paſſione vel infirmitate peccant ſtatim, & de facili pœnitent non autem intemperati, nec illi qui peccant ex malitia.

Reſp. v. incontinentia *qu.* 6. & v. paſſio. *qu.* 4.

Quær. 41. an ſit credendum poenitenti tam pro ſe quàm contra ſe dicenti, vel etiam contra alium.

Reſp. ſupra v. circunſtantia *qu.* 15. & infra v. priuilegium *qu.*

Quær. 42. an per poenitentiam deleantur peccata nedum formaliter, ſed etiam efficienter.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poenitentia poteſt conſiderari inquantum Sacramentum, & inquantum eſt virtus: & vtroque modo ad remiſſionem peccatorum aliquo modo operatur. Secundùm enim quòd eſt nouæ legis Sacramentum, gratia in ea datur ad defectum illum ſanandum, contra quem inducta eſt, ſcilicet ad dimiſſionem culpæ actualis. Operatur etiam ad dimiſſionem peccati, inquantum eſt virtus ſpeciali modo præ aliis virtutibus: quia ſecundùm omnem virtutem formatam ex parte habitûs peccata dimittuntur ratione gratiæ quæ cum ea infunditur, ſed hoc eſt formaliter remittere: ſed poenitentia ex ratione ſui actûs habet, quòd per eam peccata dimittantur, ſecundùm quòd peccata commiſſa ſunt materia actûs: cùm enim peccatum ex hoc remitti dicatur, vel retineri, quòd habet rationem offenſæ, illud quod offenſam aufert, peccatum tollit: cùm autem offenſa inquantum huiuſmodi, ſit inæqualitas quædam, qua vnus alij ſubtraxit quod debitum erat, actu illius virtutis peccatum remittitur, quæ inæqualitatem prædictam ad æqualitatem reducit: hoc autem facit poenitentia, quæ in recompenſationem diuinæ offenſæ ſpiritum Deo contribulatum offert: & ideo poenitentiæ etiam ex parte actûs ſui competit peccatum tollere: & hoc eſt efficienter & non ſolùm formaliter per poenitentiam peccata dimitti. 4. ſ. d. 14. *qu.* 2. *a.* 1. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

Quær. 43. an culpâ per poenitentiam remiſsâ adhuc remaneat reatus poenæ, ſicut 2. Regum 12 dicitur, quòd cùm Dauid poenitens dixiſſet ad Nathan, peccaui Domino, dixit Nathan ad illum: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris: verumtamen filius qui natus eſt tibi, morte morietur.

Reſp. dicendum quòd in peccato mortali ſunt duo, ſcilicet auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum inordinata: ex parte ergo auerſionis ab incommutabili bono conſequitur peccatum mortale reatus poenæ æternæ, vt qui contra bonum æternum peccauit in æternum puniatur: ex parte etiam conuerſionis ad bonum commutabile, inquantum eſt inordinata, conſequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iuſtitiæ niſi per poenam: iuſtum eſt enim vt qui voluntati ſuæ plus indulſit quàm debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, ſic enim erit æqualitas: vnde Apocal. 18. dicitur: *quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.*

Quia tamen conuerſio ad bonum commutabile eſt finita, non habet ex hac parte peccatum quòd debeatur ei poena æterna: vnde ſi ſit inordinata conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo, ſicut eſt in peccatis venialibus, non debetur peccato pœna æterna, ſed tẽporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur auerſio animæ à Deo, inquantum per gratiam anima Deo coniungitur: vnde & per conſequens ſimul tollitur reatus poenæ æternæ: poteſt tamen remanere reatus alicuius poenæ tempotalis. *3. p. qu. 83. a. 4. in corp.*

Qu. 44. an & quomodo poenitentia perfecta tollit peccata, & omnes peccatorum reliquias.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut poenitentia non tollit totaliter reatum per quemlibet actum primum, ſed tunc tollit quando ad perfectum perducitur ſecundùm omnes poenitentiæ partes: ita etiam non oportet quòd per primum poenitentiæ actum omnes defectus ex peccato actuali conſecuti, qui dicuntur reliquiæ, reparentur; ſed poenitentiâ iam perfectâ quantùm ad omnes ſui partes, & reliquiæ etiam tolluntur peccati actualis. *4. ſ. d. 14. q. 2. a. 1. q. 3. 3. p. q. 86. a. 4. ad 3. & a. 5. o.*

Qu. 45. quomodo verificetur id quod D. Auguſtinus dicit in lib. de poenit. nunquam Dominus aliquem ſanauit, quem omnino non liberauerit: totum enim hominem ſanauit in ſabbatho, quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deus totum hominem perfectè curat; ſed quandoque ſubitò, ſicut ſocrum Petri ſtatim reſtituit perfectæ ſanitati, *itaut ſurgens miniſtraret illis*, vt legitur Lucæ 4. quandoque autem ſucceſſiuè, ſicut dicitur de coeco illuminato Marci 8. & ita etiam ſpiritualiter, quandoque tantâ commotione conuertit cor hominis; vt ſubitò perfectè conſequatur ſanitatem ſpiritualem non ſolùm remiſſâ culpâ, ſed ſublatis omnibus peccati reliquiis, vt patet de Magdalena Lucæ 7. quandoque autem priùs remittit culpam per gratiam operantem, & poſtea per gratiam cooperantem ſucceſſiuè tollit peccati reliquias. *3. p. quaſt. 86. a. 5. ad 1.*

Quærit. 46. an poenitentia Martyryrationem habeat, ſicut dicit D. Gregorius ſuper euangelia: quamuis occaſio perſecutoris deſit, habet tamen & pax noſtra martyrium ſuum; quia etſi carnis colla ferro non ſubijcimus ſpirituali tamen gladio carnalia deſideria in mente trucidamus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd afflictio poenitentiæ non eſt propriè loquendo martyrium: quia non conſiſtit in his quæ ad mortem inferendam ordinantur: cùm ordinetur ſolùm ad carnem domandam, quam menſuram ſi exceſſerit erit afflictio culpanda: dicitur ergo propter ſimilitudinem afflictionis martyrium: quæ quidem afflictio excedit martyrii afflictionem diuturnitate, ſed exceditur intenſione. *4. ſ. d. 49 q. 5. a. 3. q. 2. ad 5.*

Qu. 47. an quandoque talis tantaque ſit poenitentia, vt martyrii & baptiſmi efficaciam habeat.

Reſp. ſupra v. contritio. *qu. 13. & 14.*

Qu. 48. cur non poſſit vnũ mortale peccatum remitti ſine alio, iuxta illud D. Auguſt. ſunt plures quos poenitet peccaſſe, ſed non omnino, reſeruantes ſibi quædam in quibus delectentur: non animaduertentes Dominum ſimul mutum & ſurdum à dæmone liberaſſe: per hoc docens nos nunquam niſi de omnibus ſanari.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd impoſſibile eſt per poenitentiam vnum peccatum ſine alio remitti. Primo quidem, quia peccatum remittitur inquantùm tollitur Dei offenſa per gratiam: vnde habitum eſt ſupra quòd nullum peccatum poteſt remitti ſine gratia: omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam: vnde impoſſibile eſt quòd vnum peccatum ſine alio remittatur. Secundò, quia peccatum mortale non poteſt ſine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deſerere peccatum, inquantum eſt contra Deum: quod quidem eſt commune omnibus peccatis mortalibus: vbi autem eſt eadem ratio, & idem effectus: vnde non poteſt eſſe verè poenitens, qui de vno peccato poenitet, & non de alio: ſi enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ poenitentiæ) ſequeretur quod de omnibus peccatis poeniteret: vnde ſequeretur quòd impoſſibile ſit vnum peccatum per poenitentiam remitti ſine alio. Tertiò, quia hoc eſſet contra perfectionem miſericordiæ Dei, cuius perfecta ſunt opera; vt dicitur Deuteron 32. vnde cuius miſeretur, totaliter miſeretur: Et hoc eſt quod Auguſt. dicit in lib. de poenit. *quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam. 3. p. q. 86. a. 3. in corp.*

Qu. 49. an & quomodo requiratur poenitentia ad delenda peccata, nedum mortalia ſed etiam venialia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd remiſſio culpæ fit per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter ſeparat culpa: ſed

ſed hæc ſeparatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omninò à Deo auertitur, vtpote contra charitatem agens, per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur: & ideo vtrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur, quia per vtrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conuerſionẽ ad bonum creatum: ſicut enim peccatum mortale remitti non poteſt, quamdiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale, quia manente cauſá manet effectus.

Exigitur autem ad remiſſionem peccati mortalis perfectior poenitentia, vt ſcilicet homo actualiter peccatum mortale commiſſum deteſtetur quantùm in ipſo eſt, vt ſcilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata mortalia, vt ſingula deteſtetur.

Sed hoc non requiritur ad remiſſionem venialium peccatorum: non tamen ſufficit habitualis diſplicentia, quæ habetur per poenitentiæ virtutis, quia ſic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet eſſe falſum: vnde ſequitur quòd requiratur quædam virtualis diſplicentia, puta cùm aliquis hoc modo fertur ſecundùm affectum in Deum, & res Diuinas, vt quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſiſſe, etiam ſi actu de illo non cogitaret.

Quod tamen non ſufficit ad remiſſionem peccati mortalis, niſi quantum ad peccata oblita poſt diligentem inquiſitionem. 3. *p. q.* 87. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 50. *vtrum ad remiſſionem peccatorum venialium requiratur gratiæ infuſio: & vtrum quoties gratia infunditur, toties peccata venialia remittantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vnumquodque tollitur per ſuum oppoſitum: Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiæ vel charitati; ſed retardat actum eius, inquantum nimis inhæret homo bono creato, licèt non contra Deum: & ideo ad hoc quòd peccatum veniale tollatur, non requiritur quòd infundatur aliqua habitualis gratia, ſed ſufficit aliquis motus gratiæ vel charitatis ad eius remiſſionem. Quia tamen in habentibus vſum liberi arbitrij, in quibus ſolis poſſunt eſſe venialia peccata, non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum, ideo quandocunque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. 3. *p. q.* 87. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 51. *an venialia remitti poſſint ſine pænitentia vel vt Sacramento, vel vt virtute.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum veniale nunquam remittitur ſine aliquali actu pœnitentiæ virtutis, explicito ſcilicet vel implicito: poteſt tamen remitti peccatum veniale ſine pœnitentiæ Sacramento, quod in abſolutione Sacerdotis formaliter perficitur. Et ideo non ſequitur quòd ad remiſſionem venialis peccati

requiratur gratiæ infuſio ; quæ licèt ſit in quolibet Sacramento, non tamen eſt in quolibet actu virtutis. *Ibid. ad* 2. 4. *ad Hann. d.* 16. *a.* 5. *in corp. & ad* 1.

Qu. 52. *cur exiſtenti in ſtatu peccati mortalis nullum remittatur veniale peccatum , ſecundùm quod dicitur Matth.* 5. *Amen dico tibi, non exies inde (ſcilicet ex carcere, in quem intruditur homo pro peccato mortali) donec reddas nouiſſimum quadrantem , per quem ſignificatur veniale peccatum.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd ſicut dictum eſt , remiſſio culpæ cuiuſcunque nunquam fit niſi per virtutem gratiæ : quia vt Apoſtolus dicit Rom. 4. ad gratiam Dei pertinet , quòd Deus alicui non imputet peccatum , quod gloſſa ibi exponit de veniali: ille autem qui eſt in peccato mortali, caret gratiâ Dei : vnde nullum ei veniale remittitur. 3. *p. q.* 87. *a.* 4. *in corp.*

Qu. 53. *an & quomodo peccata per pœnitentiam dimiſſa , redeant per ſubſequens peccatum ratione ingratitudinis.*

Reſp. v. ingratitudo *qu.* 7. *& ſequ.*

Quar. 54. *an & quomodo merita per præcedens peccatum mortificata , reuiuiſcant per ſubſequentem pœnitentiam.*

Reſp. v. meritum *qu.* 27. *& ſeq.*

Qu. 55. *an per pœnitentiam ſubſequentem ipſa etiam opera mortua viuificentur.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd opus aliquod dicitur mortuum dupliciter : vno modo effectiuè , quia ſcilicet eſt cauſa mortis; & ſecundùm hoc opera peccati dicuntur opera mortua, ſecundùm illud Hebr. 9. *Sanguis Chriſti emundauit conſcientias noſtras ab operibus mortuis* , hæc igitur opera mortua non viuificantur per pœnitentiam , ſed magis abolentur, ſecundùm illud Heb. 6. *non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Alio modo dicuntur mortua opera priuatiuè , ſcilicet quia carent vitâ ſpirituali, quæ eſt ex charitate , per quam anima Deo coniũgitur, ex quo viuit, ſicut corpus per animam : & per hunc modum etiam fides , quæ eſt ſine charitate , dicitur mortua , ſecundùm illud Iacobi 2. *Fides ſine operibus mortua eſt* ; & per hunc etiam modum omnia opera , quæ ſunt bona ex genere , ſi ſine charitate fiant , dicuntur mortua, inquantum ſcilicet non procedunt ex principio vitæ , ſicut ſi dicamus ſonum cytaræ vocem mortuam.

Sic igitur differentia mortis, & vitæ in operibus eſt ſecundùm comparationem ad principium , à quo procedunt : opera autem non poſſunt iterum à principio procedere , quia tranſeunt , & iterum eadem numero reſumi non poſſunt : vnde impoſſibile eſt quòd opera mortua iterum fiant viua per pœnitentiam. 3. *p. quæſt.* 89. *Art.* 6. *in corp.*

Quar. 56. *quomodo de pœnitentibus verificatur illud Apoſt. Rom.* 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: vbi dicit gloſſa D. Auguſtini : hoc adeo verum eſt, vt ſi*

qui horum deuient & exhibent, etiam hoc ipſum eis Deus faciat in bonum proficere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipſum quòd per peccatum à Dei amore cadunt; quod patet in his qui cadunt, & nunquam reſurgunt; vel qui reſurgunt, iterum caſuri: ſed his tantùm qui *ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti*, ideſt prædeſtinatis, qui quotieſcunque cadunt, finaliter tamen reſurgunt. Cedit ergo eis in bonum hoc quòd cadunt; non quia ſemper in maiori gratia reſurgant; ſed quia reſurgant in permanentiori gratia: non quidem ex parte ipſius gratiæ (quia quantò gratia eſt maior, tantò de ſe eſt permanentior) ſed ex parte hominis, qui tantò ſtabiliùs in gratia permanet, quantò eſt cautior, & humilior: vnde & gloſſa ibid. ſubdit quòd *ideo proficit eis in bonum quòd cadunt, quia humiliores redeunt atque doctiores. 3. p. q. 89. a. 2. ad 3. 3. ſ. d. 31. qu. 1. a. 4. qu. 3. ad 1. in expoſit. illius cap. 8. epiſt. ad Rom.*

Quæritur 57. vtrum per pœnitentiam homo reſtituatur in priſtinam dignitatem, ſicut in d. 50. cap. quia ſanctitas. Greg. ſcribens Secundino dicit: poſt dignam ſatisfactionem credimus hominem poſſe redire ad ſuum honorem: Et in concilio Agathenſe legitur: contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiſerit ab Epiſcopis corrigantur; Ita vt cùm eos pœnitentia correxerit, gradum ſuum, dignitatemque recipiant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo per peccatum duplicem dignitatem amittit: vnam quantùm ad Deum: aliam verò quantùm ad Eccleſiam: quantùm autem ad Deum amittit duplicem dignitatem: vnam principalem qua ſcilicet computatus erat inter filios Dei per gratiam: & hanc dignitatem recuperat per pœnitentiam: quod ſignificatur Luc. 15. in filio prodigo, cui pœnitenti Pater iuſſit reſtitui *ſtolam primam, & annulum, & calceamenta*: aliam verò dignitatem amittit ſecundariam; ſcilicet innocentiam; de qua gloriabatur filius ſenior dicens: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi*: Et hanc dignitatem pœnitens recuperare non poteſt: recuperat tamen quandoque aliquid maius; quia vt Greg. dicit in homil. de centum ouibus; *qui erraſſe à Deo ſe conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant: maius ergo gaudium de eis fit in cœlo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit.*

Dignitatem autem Eccleſiaſticam homo per peccatum perdit, quia indignum ſe reddit ad ea quæ competunt dignitati Eccleſiaſticæ exercenda: quam quidem recuperare prohibetur: vno modo quia non pœnitet: vnde Iſidor. ad Maſſanum Epiſcopum ſcribit, *illos ad priſtinos gradus redire Canones præcipiunt, quos pœnitentiæ præceſſit ſatisfactio, vel condigna peccatorum confeſſio: at contra hi qui neque à vitio corruptionis emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis.* Secundò, quia pœni-

Digitized by Google

tentiam negligenter facit: vnde in eadem diſt. cap. *Si quis Diaconus,* dicitur: *Cùm in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec inſtantia orandi appareat, nec ieiuniis vel lectionibus eos vacare videamus, poſſumus agnoſcere ſi ad priſtinos honores redirent, cum quanta negligentia permanerent.* Tertiò ſi committit aliquod peccatum quod habet irregularitatem annexam: vnde in eadem diſt. cap. *Si quis viduam* ex concilio Martini Papæ cap. 26. dicitur: *Si quis viduam aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad Clerum: quòd ſi irrepſerit, deiiciatur: ſimiliter ſi homicidii, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut defenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit:* Sed hoc non eſt ratione peccati, ſed ratione irregularitatis. Quartò propter ſcandalum: vnde & in eadem diſtinct. cap. *De his verò* Rabanus dicit: *Hi qui deprehenſi vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiuſmodi criminibus, ſecundùm Canonum ſacrorum inſtituta à proprio gradu decidant; quia ſcandalum eſt populo Dei tales perſonas ſupra ſe poſitas habere: qui autem de prædictis peccatis abſconsè à ſe commiſſis, occultè Sacerdoti confitentur, ſi ſe per ieiunia & eleemoſynas, vigiliaſque & ſacras operationes purgare curauerint; his etiam gradu proprio ſeruato ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt.* Et hoc eſt quod dicitur extra de qualitate ordinandorum, cap. *Quæſitum, ſi propoſita crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in iam ſuſceptis vel ſuſcipiendis ordinibus impediri non poſſunt.* 3. *p. q.* 89. *a.* 3. *in corp.*

Quær. 58. *quomodo intelligi debeat illud D. Hieron. quicunque dignitatem diuini gradûs non cuſtodiunt, contenti fiant animam ſaluare; reuerti enim in priſtinum gradum difficile eſt. Et Innoc. Papa dicit, quòd apud Nicæam conſtituti Canones, pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Hieron. in verbis illis non dicit eſſe impoſſibile, ſed eſſe difficile hominem poſt peccatum recuperare priſtinum gradum; quia non conceditur niſi perfectè pœnitenti. Ad ſtatuta autem Canonum, quæ hoc prohibere videntur, Reſp. Auguſt. Bonifacio ſcribens. *Vt conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claues Eccleſiæ dates diſputabitur; de quibus dictum eſt: quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlo:* Et poſtea ſubdit. *Nam & ſanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo perſtitit; & beatum Petrum quando amariſſimas lachrymas fudit, vtique Dominum negaſſe pœnituit, & tamen Apoſtolus permanſit: ſed non ideo putanda eſt ſuperuacua poſteriorum diligentia, qui vbi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt; experti, vt credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Ibid. ad* 2.

Quær. 59. quare dicitur Ezech. 44. Leuitæ qui receſſerunt à me, nunquam appropinquabunt mihi, vt Sacerdotio fungantur. Et in decretis diſt. 50. in Ilerdenſi concilio legitur: hi qui ſanctè altari deſeruiunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente dignè pœnituerint, officiorum ſuorum ſic loca recipiant, ne poſſint ad altiora officia vlteriùs promoueri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud ſtatutum intelligitur de illis qui publicam pœnitentiam agunt, qui poſtmodum non poſſunt ad maiorem prouehi gradum: nam & Petrus poſt negationem, Paſtor ouium Chriſti conſtitutus eſt; vt patet Ioan. vlt. vbi etiam Chryſoſt. dicit quòd *Petrus poſt negationem & pœnitentiam oſtendit ſe habere maiorem fiduciam ad Chriſtum: qui enim in Cœna non audebat interrogare, ſed Ioanni interrogationem commiſit, huic poſtea & prapoſitura fratrum credita eſt; & non ſolùm non committit alteri interrogare quæ ad ipſum pertinent, ſed de reliquo ipſe pro Ioanne magiſtrum interrogat. 3. p. qu. 89. a. 5. ad 3.*

Quærit. 60. vtrum ille qui conſecutus eſt effectum pœnitentiæ per ipſius propoſitum, pleniorem adhuc gratiam & remiſſionem obtineat per actualem ipſius ſuſceptionem.

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quòd ſicut Baptiſmus efficaciam aliquam habet ad remiſſionem peccati etiam antequam actu ſuſcipiatur, dum eſt in propoſito ipſum ſuſcipiendi; licèt poſtmodum pleniorem effectum conferat in adeptione gratiæ, & in remiſſione culpæ cùm actu ſuſcipitur, & quandoque in ipſa ſuſceptione baptiſmi confertur gratia, & remittitur culpa ei cui priùs remiſſa non fuit: ſic & claues Eccleſiæ efficaciam habent in aliquo antequam eis ſe actu ſubijciat, ſi tamen habeat propoſitum vt ſe eis ſubiiciat: pleniorem tamen gratiam & remiſſionem conſequitur, dum ſe eis ſubiicit confitendo, & abſolutionem percipiendo. Et nihil prohibet quin aliquando virtute clauium alicui confeſſo in ipſa abſolutione gratia conferatur per quam ei culpa dimittitur. 4. *contra gentes cap. 72.*

Quær. 61. an ſit erroneum dicere quòd aliquod peccatum deleri non poſſit per pœnitentiam: vel quod aliquis non poſſit pœnitere quamdiu viuit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquod peccatum per pœnitentiam tolli non poſſit, poteſt contingere dupliciter. Vno modo quia aliquis de peccato pœnitere non poſſet: alio modo, quia pœnitentia non poſſet delere peccatum.

Primo quidem modo non poſſunt per pœnitentiam deleri peccata Dæmonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum ſunt confirmati in malo, ita quòd non poteſt eis diſplicere peccatum, inquantùm eſt culpa, ſed ſolùm diſplicet eis pœna quam patiuntur; ratione cuius aliquam pœnitentiam, ſed infructuoſam habent ſecundùm illud Sap. 5. *pœnitentiam agentes. & præ angu-*

ſtia ſpiritus gementes: vnde talis pœnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Tale autem non poteſt eſſe aliquod peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile eſt ad bonum & ad malum: vnde dicere quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt: Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij: ſecundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moueri poreſt cor cuiuſcunque peccatoris ad pœnitendum, ſecundùm illud prouer. 21. *cor Regis in manu Dei, & quocunque voluerit, vertet illud.*

Quòd autem ſecundo modo non poſſit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum: primò quidem, quia repugnat diuinæ miſericordiæ, de qua dicitur Ioël. 2. quòd *benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multa miſericordia, & præſtabilis ſuper malitia*; Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet: Secundò, quia hoc derogaret virtuti Paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur ſicut & cætera Sacramenta: cùm ſcriptum ſit primæ Ioannis 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi:* vnde ſimpliciter dicendum eſt, quòd omne peccatum in hac vita per poenitentiam veram deleri poteſt. 3. *p.* q. 86. *a.* *in corp. opuſc.* 3. *cap.* 145.

Quær. 62. quomodo intelligatur illud D. Auguſtini in lib. de ſermone Domini in monte, quòd tanta labes eſt illius peccati (ſcilicet cùm poſt agnitionem Dei per gratiam Chriſti, oppugnat aliquis fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam inuidiæ facibus agitatur) vt deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia agnoſcere & annuntiare cogatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud verbum Auguſt. ſic intelligendum eſt: *tanta eſt labes illius peccati, vt deprecandi humilitatem ſubire non poſſit*; ſcilicet de facili ſanari: poteſt tamen hoc fieri per diuinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum in profundum maris conuertit; vt dicitur in pſalmo 76. 3. *p.* *qu.* 86. *a.* 1. *ad* 2.

Quær. 63. quomodo debeat intelligi Gloſſa ſuper illud Mich. 3. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, dicens: clamabunt ſerâ poenitentiâ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd *poenitentiam ſeram* vocat Gloſſa eam quæ fit poſt mortem, non quæ in morte; vel fit ſolo timore pœnæ, non amore iuſtitiæ: nunquam enim eſt ſera vera pœnitentia, vt dicit Auguſt. 4. *ad Hann. d.* 20. *a.* 1. *ad* 3.

Quær. 64. cur 2. Machab. 9. dicitur de Antiocho: orabat ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd veniam conſecutus fuiſſet ſi verè pœnituiſſet: ſed non habuit veram pœnitentiam, quia non ex amore iuſtitiæ de peccatis commiſſis dolebat, ſed timore pœnæ quam expectabat, vel dolore pœnæ quam ſuſtinebat. Et hoc etiam

Digitized by Google

multis in fine pœnitentibus contingit: quia non eſt facile vt affectus, quem homo toto tempore vitæ ſuæ inclinauit in aliquid, ſubitò ad contrarium retrahatur. Nec tamen eſt impoſſibile, quia liberum arbitrium non cogitur ex habitu acquiſito: nec prouidentiæ Dei poteſt terminus præfigi, per quam etiam in extremo vitæ veræ pœnitentiæ motus inſpiratur quãdoque. 4. *ſ. d.* 20. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 1.

Qu. 65. in quo ſenſu D. Auguſtinus lib. 50. homil. loquens de illis qui differunt poenitentiam ait: ſi quis poſitus in vltima neceſſitate, voluerit accipere poenitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia benè hinc exit. Si ſecurus hinc exierit, ego neſcio: Poenitentiam dare poſſumus, ſecuritatem verò nõ. Nunquid dico damnabitur? non dico: ſed dico etiam liberabitur? non: & quid dicis mihi? neſcio, non præſumo, non promitto: neſcio: vis te de dubio liberare? vis quod incertum eſt euadere? age poenitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi quia ſecurus es: quia poenitentiam egiſti eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si vis agere poenitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa (& ibidem ſubdit) duæ res ſunt: aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur: quid horum tibi futurum ſit, neſcio: ergo tene certum, & dimitte incertum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Auguſt. in verbis illis oſtendit quòd pœnitentia quam aliquis in fine vitæ agit, non eſt ſignum certum ſalutis; & non quòd non poſſit eſſe etiam tunc efficax ad ſalutem: quia incertum eſt, quando aliquis de peccato quod facere iam non poteſt, pœnitet, vtrum voluntatem peccandi amiſerit: ſed magis manifeſtum eſt de illo qui peccare adhuc poteſt, ſi pœniteat, quòd voluntatem mutauit. Tamen etiam quando aliquis non poteſt vltra peccare, poteſt voluntatem mutare; vt nolit quod priùs voluit, etiam ſi poſſet. 4. *ſ. d.* 20. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2.

Quærit. 66. cur vt ait Magiſter ſent. ex poenitentiali Theodori Cantuarienſis Epiſcopi, non eſt imponenda in articulo mortis poenitentia, ſed innoteſcenda; & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum largitionibus pondus poenitentiæ ſublenandum.

Reſp. D. Thomas, quia per hoc quòd imponitur aliqua pœnitentia alicui, obligatur ad illam faciendam: nullus autem debet ad aliquid obligari, quod non poteſt facere. Sed eſt innoteſcenda, vt procuret per amicos & eleemoſynas expiari: & vt eius complendæ propoſitum habeat ſi euadat. Tamen eſt confortandus ex diuina miſericordia ne in deſperationem cadat. 4. *ſ. d.* 10. *in exp. textus.*

Cùm poenitentia vt Sacramentum vel etiam vt virtus importet ex parte poenitentis contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, & ex parte Sacerdotis abſolutionem ſicut explicuimus: & ad hoc ſacramẽtum non minus quàm ad alia diſponantur fideles per ſacra-

Digitized by Google

q. 184. a. 5. in corp. quodlib. 3. a. 17. in corp. opuſ. 18. cap. 16.

Qu. 3. vtrum omnes curam animarum habentes ſint in ſtatu perfectionis, vel ſoli Epiſcopi iuxta illud D. Dionyſ. in 5. c. Eccleſ. Hierarc. Pontificum quidem ordo conſummatiuus eſt & perfectiuus; Sacerdotum autem illuminatiuus & lucidatiuus; miniſtrantium verò purgatiuus & diſcretiuus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in Presbyteris, & Diaconis curam habentibus animarum; duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ordo & cura.

Ordo autem ipſe ordinatur ad quendam actum in diuinis officiis, vnde per hoc quòd aliqui ſuſcipiunt ſacrum ordinem, accipiunt poteſtatem quoſdam ſacros actus perficiendi: non autem obligantur ex hoc ipſo ad ea, quæ ſunt perfectionis, niſi quatenus apud occidentalem Eccleſiam in ſuſceptione ſacri ordinis emittitur continentiæ votum, quod eſt vnum eorum, quæ ad perfectionem pertinent: vnde patet, quòd ex hoc quòd aliquis accipit ſacrum ordinem, non ponitur ſimpliciter in ſtatu perfectionis; quamuis interior perfectio ad hoc requiratur, quòd aliquis dignè huiuſmodi actus exerceat.

Similiter etiam nec ex parte curæ, quam ſuſcipiunt, ponuntur in ſtatu perfectionis: non enim obligantur ex hoc ipſo vinculo perpetui voti ad hoc, quòd curam animarum retineant, ſed poſſunt eam deſerere, vel tranſeundo ad Religionem etiam abſque licentia Epiſcopi, vt habetur in Decr. 19, cauſâ q. 2. vel etiam cum licentia Epiſcopi poteſt aliquis Archidiaconus Archidiaconatum, vel Parochiam dimittere, & ſimplicem præbendam accipere ſine cura: quod nullo modo liceret, ſi eſſet in ſtatu perfectionis: *Nemo enim mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, vt dicitur Lucæ 9. *Epiſcopi autem quia ſunt in ſtatu perfectionis, nonniſi authoritate ſummi Pontificis (ad quem etiam ſolum pertinet in votis perpetuis diſpenſare) poſſunt Epiſcopalem curam deſerere, & ex certis cauſis (vt ſupra dictum, v. Epiſcopatus qu. 36) vnde manifeſtum eſt quòd non omnes Prælati ſunt in ſtatu perfectionis ſed ſoli Epiſcopi. 2. 2. qu. 184. art. 6. in corp. opuſc. 8. cap. 22. 23. 25. 26.*

Qu. 4. an ſtatus Prælatorum ſit perfectior ſtatu Religioſorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit 12. ſuper Geneſim ad litteram, *ſemper agens præſtantius eſt patiente*; in genere autem perfectionis ſecundùm Dionyſium Epiſcopi ſe habent vt perfectores, Religioſi autem vt perfecti; quorum vnum pertinet ad actionem, alterum autem ad paſſionem; vnde manifeſtum eſt, quòd ſtatus perfectionis potior eſt in Epiſcopis quàm in Religioſis 2. 2. *q. 184. a. 7. in corp. quodlibeto 3. a. 17. in corp. opuſc. 18. cap. 17. 18. & 19.*

Qu. 5. an Presbyteri, Curati, & Archidiaconi ſint maioris perfectionis, quàm Religioſi.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd comparatio ſupereminentiæ non habet locum inter aliquos ex parte in qua conueniunt, ſed ex parte in qua differunt; in Presbyteris autem Curatis, & Archidiaconis tria eſt conſiderare, ſcilicet ſtatum, ordinem, & officium; ad ſtatum pertinet, quòd ſæculares ſint, ad ordinem, quòd ſint Sacerdotes vel Diaconi; ad officium, quòd curam animarum habeant ſibi commiſſam. Si ergo ex alia parte ponamus ſtatum Religioſum, ordine Diaconum vel Sacerdotem, officio curam animarum habentem, ſicut plerique Monachi, & Canonici regulares habent; in primo quidem excellit, in aliis autem par erit; ſi autem differat ſecundus à primo, ſtatu & officio, conueniat autem ordine, ſicut ſunt Religioſi Sacerdotes, & Diaconi, curam animarum non habentes, manifeſtum eſt, quòd ſecundus primo erit ſtatu quidem excellentior, officio autem minor, ordine verò æqualis.

Eſt ergo conſiderandum, quæ præeminentia potior ſit, vtrum ſtatus, vel officij; circa quod duo attendenda videntur, ſcilicet bonitas, & difficultas. Si ergo fiat comparatio ſecundùm bonitatem, ſic præfertur ſtatus Religionis officio Presbyteri Curati, vel Archidiaconi: quia Religioſus totam vitam ſuam obligat ad perfectionis ſtudium, Presbyter autem Curatus, vel Archidiaconus non obligat totam vitam ſuam ad curam animarum, ſicut Epiſcopus; nec etiam ei competit principalem curam ſubditorum habere, ſicut Epiſcopo, ſed quædam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur: & ideo comparatio ſtatus Religionis ad eorum officium eſt ſicut vniuerſalis ad particulare, & ſicut holocauſti ad ſacrificium, quod eſt minus holocauſto vt patet per Gregorium ſuper Ezech. vnde & 19. cauſa q. 1. dicitur, *Clericis, qui Monachorum propoſitum appetunt; quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopo in Monaſteriis oportet largiri ingreſſus*. Sed hæc comparatio intelligenda eſt ſecundùm genus operis, nam ſecundùm charitatem operantis contingit quandoque, quòd opus ex genere ſuo minus exiſtens, magis ſit meritorium; ſcilicet ſi ex maiori charitate fiat.

Si verò attendatur difficultas benè conuerſandi in Religione, & in officio habentis curam animarum; ſic difficilius eſt conuerſari benè cum cura animarum propter exteriora pericula, quamuis conuerſatio Religionis ſit difficilior quantùm ad ipſum genus operis propter arctitudinem obſeruantiæ regularis.

Si verò Religioſus etiã ordine careat (ſicut patet de conuerſis Religionũ) ſic manifeſtum eſt excellere præeminentiam ordinis quantùm ad dignitatem: quia per ſacrum ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſeruitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur maior ſanctitas interior, quàm requirat etiam Religionis ſtatus: quia ſicut Dionyſius dicit 6. cap. Eccl. Hierarch. *Monaſticus ordo debet ſequi Sacerdotales ordines, & ad eorum imitationem in Diuina aſcendere*: vnde grauiùs peccat, cæteris paribus, clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, ſi

aliquid contrarium ſanctitati agat, quam aliquis Religioſus, qui non habet ordinem ſacrum: quamuis laicus Religioſus teneatur ad obſeruantias regulares, ad quas illi, qui ſunt in ſacris ordinibus, non tenentur. 2.2.q. 184. a. 8. *in corp. quodl.* 3. a. 17. *in corp. opuſc.* 18. c. 20. & 21.

Quær. 6. an & quomodo ſecundùm perfectionem verificetur id quod D. Gregorius dicit in epiſtola ad Auguſtinum, Anglorum Epiſcopum, bonarum mentium eſt ſuas ibi culpas agnoſcere, vbi culpa non eſt: & quomodo non ſit ironia mendacium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad bonitatem mentis pertinet vt homo ad iuſtitiæ perfectionem tendat: & ideo culpam reputat non ſolùm ſi deficiat à communi iuſtitia (quod verè culpa eſt) ſed etiam ſi deficiat à iuſtitiæ perfectione, quod quandoque culpa non eſt: non autem culpam dicit quod pro culpa non recognoſcit; quod ad ironiæ mendacium pertineret. 2.2.q.113.a.1.*ad* 2.

Quær. 7. an iuxta eandem D. Gregorij ſententiam debeat aliquis ſecundùm perfectionem confiteri peccata quæ non fecit.

Reſp. ſupra v. Confeſſio. *qu.* 19.

PERICVLVM.

Quæ. 1. quandonam propter periculum aliquid non eſt expediens.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd quando periculum naſcitur ex ipſo facto, tunc factum illud non eſt expediens; puta quòd aliquis per pontem ruinoſum tranſeat fluuium: ſed ſi periculum immineat ex hoc quòd homo deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc eſſe expediens, ſicut expediens eſt aſcendere equum, quamuis periculum immineat cadenti de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis ceſſare, quæ etiam per accidens ex aliquo euentu poſſunt eſſe periculoſa: vnde dicitur Eccleſiaſt. 11. *qui obſeruat ventum non ſeminat; & qui obſeruat nubes, nunquam metet.* 2. 2. q. 88. a.4.*ad* 2.

Qu. 2. quandonam ſit laudabile aut vituperabile, quòd aliquis exponat ſe periculis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quicunque non cauet pericula, videtur contemnere id cuius detrimentum pericula inducere poſſunt: & quia laudabile eſt quòd homo contemnat bona corporalia propter bona ſpiritualia, laudabile eſt quòd aliquis periculis corporalibus ſe exponat propter ſpiritualia bona: ſed contemnere ſpiritualia bona eſt valde vitioſum: & ideo quòd aliquis periculis ſpiritualibus ſe exponat, eſt valde vituperandum. *quodlib.* 3. a.9. *ad* 3.

Qu. 3. cur ſapiens licèt exoptet virtutem, qua poſſit inter pericula ſubſiſtere, attamen ſe extra pericula ponit.

Reſp. D. Thomas, quilibet ſapiens vellet habere tantam virtutem, per quam poſſet etiam inter pericula ſecurus exiſtere: ſed quia præſumptuoſum eſt vt aliquis talem virtutem ſe habere præſumat,

per quam poſſit etiam inter pericula eſſe tutus, virtuoſius eſt quòd ſe extra pericula ponat. *quodl. 3. a. 17. ad 2.*

Qu. 4. an licet ſit maioris virtutis indicium, quòd aliquis virtutem inter pericula conſeruet, nihilominus huiuſmodi pericula non debet eligere.

Reſp. D. Thomas, maioris virtutis iudicium eſt, vt puritatem perfectam aliquis conſeruet etiam inter pericula puritatis, quàm ſi eam extra pericula conſeruaret: ſed tamen parum amare puritatem ſuam conuincitur qui puritatis pericula non euitat; inter quæ difficillimum eſt & rariſſimum omnimodam puritatem ſeruare: ſicut maxima puritas fuit beatæ Agnetis, quæ etiam in lupanari poſita virginalem puritatem ſeruauit: & tamen quia puritatis amatrix erat, nunquam in Lupanari hanc ſuam virtutem oſtendere elegiſſet, ſed quantò magis puram mentem habebat, tantò minùs lupanar propriâ voluntate elegiſſet. Et ſimile eſt in omnibus talibus. *quodl. 3. a. 17. ad 3.*

Qu. 5. an ſit periculoſum magna aggredi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quaſcunque res magnas aggredi videtur periculoſum eſſe: quia in his deficere eſt valdè nociuum. *2. 2. quæſt. 128. a. 1. ad 3.*

PERIVRIVM

Qu. 1. an falſitas ſit de ratione periurij, quod diffinitur mendacium iuramento firmatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd morales actus ex ſpecie finem ſortiuntur: finis autem iuramenti eſt confirmatio dicti humani, cui quidem confirmationi falſitas opponitur: per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quòd oſtenditur firmiter eſſe verum: quod quidem non poteſt contingere de eo quod falſum eſt: vnde falſitas directè euacuat finem iuramenti: & propter hoc à falſitate præcipuè ſpecificatur peruerſitas iuramenti, quæ periurium dicitur, & ideo falſitas eſt de ratione periurij. *2. 2. q. 98. a. 1. in corp. 3 ſent. d. 39. a 4. in corp.*

Quæſt. 2. quomodo periurium incurratur ex defectu veritatis, vel iuſtitiæ, vel iudicii.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Hieron. dicit Hier. 4. quodcunque illorum trium defuerit, periurium eſt; non tamen eodem ordine: ſed primò quidem & principaliter periurium eſt quādo deeſt veritas: ſecundariò autem quando deeſt iuſtitia; quocunque enim modo quis iurat illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit, quia obligatus eſt ad hoc quòd contrarium faciat: tertiò verò quando deeſt iudicium: quia cùm indiſcretè iurat, ex hoc ipſo, periculo ſe committit falſitatem incurrendi. *2. 2. q. 98. a. 1. ad 1.*

Qu. 3. quomodo ſicut ait D. Auguſtinus in ſerm. de verbis Apoſtoli Iacobi, homines falſum iurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd actus morales procedunt à voluntate, cuius obiectum eſt bonum apprehenſum: & ideo ſi falſum apprehendatur vt verum, erit quidem (relatum ad voluntatem) materialiter falſum, formaliter autem verum: ſi autem id quod eſt falſum, accipiatur vt falſum, erit falſum & materialiter & formaliter; ſi autem id quod eſt verum, apprehendatur vt falſum, erit verum materialiter, & falſum formaliter.

Et ideo in quolibet iſtorum caſuum ſaluatur aliquo modo ratio periurij propter aliquem falſitatis modum: ſed quia in vnoquoque potius eſt id quod eſt formale, quàm id quod eſt materiale, non ita eſt periurus ille qui falſum iurat quod putat eſſe verum, ſicut ille qui verum iurat, quod putat eſſe falſum: dicit enim Auguſtinus, *intereſt quemadmodum verbum procedat ex animo; quia ream linguam non facit, niſi rea mens. 2.2.q.98.a. 1. ad 3.3.ſent.d.39.ar.4.ad 1.& 3.*

Quærit. 4. vtrum omne periurium ſit peccatum, iuxta illud D. Auguſtini in ſermone de verbis Apoſtoli Iacobi, vbi de periurio loquens ait: videtis quàm iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iurare eſt Deum teſtem inuocare: pertinet autem ad Dei irreuerentiam quòd aliquis eum teſtem inuocet falſitatis; quia per hoc dat intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoſcat, vel quòd falſitatem teſtificari velit: & ideo periurium manifeſtè eſt peccatum Religioni contrarium, cuius eſt Deo reuerentiam exhibere. 2.2.q. 89.a.2. *in corp.*

Qu. 5. an non implens aliquid illicitum, quod iurauit ſe facturum, ſit periurus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui iurat ſe facturum aliquid illicitum, iurando incurrit periurium propter defectum iuſtitiæ: ſed ſi non impleat quod iurauit, in hoc periurium non incurrit; quia hoc non erat tale quid quod ſub iuramento cadere poſſet. 2.2.q.78.a.2.*ad* 1.

Qu. 6. an ſeruans aliquod bonum, quod ſe non facturum iurauit, ſit periurus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui iurat ſe non intraturum Religionem, vel non daturum eleemoſynam, vel aliquid huiuſmodi, iurando periurium incurrit propter defectum iudicij: & ideo quando facit id quod melius eſt, non eſt periurium, ſed periurio contrarium: contrarium enim eius quod facit, ſub iuramento cadere non poterat. 2.2. *q.*98. *a.*2. *ad* 2.

Qu. cur non eſt periurus ille qui iurauit ſe facturum voluntatem alterius & non facit, ſi ſit aliquid nimis durum & importabile

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm aliquis iurat vel promittit ſe facturum voluntatem alterius, intelligenda eſt debita conditio; ſi ſcilicet id quod ei mandatur, licitum ſit, & honeſtum, & portabile ſiue moderatum. *ibidem ad* 3.

Qu. 8. an & quomodo ad vitandum periurium ciues, vel Canonici ſe neantur ſeruare iuramenta ciuitatis vel collegij

Reſp. ſupra v. iuramentum qu. 24.

Quar. 9. vtrum omne periurium ſit mortale peccatum, quod prohibetur Leuit. 19. non periurabis in nomine meo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm doctrinam Philoſ. propter quod vnumquodque tale, illud magis: videmus autem quòd ea quæ ex ſe ſunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere ſi in contemptum Dei fiant, ſunt peccata mortalia: vnde multò magis quidquid eſt quod de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale: periurium autem de ſui ratione importat contemptum Dei; ex hoc enim habet rationem culpæ quia ad irreuerentiam Dei pertinet: vnde manifeſtum eſt, quòd periurium ex ſui ratione eſt peccatum mortale. *2. 2. q. 98. a. 3. in corp. 3. ſent. d. 39. a. 5. q. 1. in corp.*

Quar. 10. an iurare ſine cauſa ſit ſemper mortale peccatum, ſicut iurare falſum: & an vtrumque ſit periurium, oppoſitum huic præcepto decalogi, non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iurare ſine cauſa non directè opponitur illi præcepto, ſed indirectè: directè autem opponitur ei iurare falſum; quia hoc eſt quod confirmari non poteſt: vnde vana eſt iuratio: vnde non oportet quòd iurare ſine cauſa ſemper ſit mortale peccatum, ſicut iurare falſum. *3. ſ. d. 39. q. 1. a. 5. qu. 1. ad 3.*

Quar. 11. quomodo intelligatur id quod dicitur extra de iureiurando: In ea quæſtione quæ ponitur, an à Sacramenti vinculo abſoluantur, qui illud inuiti pro vita & rebus ſeruandis fecerunt, nihil aliud arbitramur quàm quod anteceſſores noſtri Romani Pontifices arbitrati fuiſſe noſcuntur; qui tales à iuramenti nexibus abſoluerunt: Ceterum vt agatur conſultiùs & auferatur materia peierandi, non eis ita expreſſè dicatur vt iuramenta non ſeruent; ſed ſi ea non attenderint, non ob hoc ſunt tanquam pro mortali crimine puniendi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd coactio non aufert iuramento promiſſorio vim obligandi, reſpectu eius quod licitè fieri poteſt: Et ideo ſi aliquis non impleat quod coactus iurauit, nihilominus periurium incurrit, & mortaliter peccat. Poteſt tamen per authoritatem ſummi Pontificis ab obligatione etiam iuramenti abſolui; præſertim ſi coactus fuerit tali metu qui cadere poſſet in conſtantem virum: quod autem dicitur quòd tales non ſunt puniendi tanquam pro mortali crimine, non hoc ideo dicitur quia non peccent mortaliter, ſed quia pœna eis minor infligitur. *2. 2. 98. a. 3. ad 1.*

Qu. 12. quomodo intelligatur illud D. Chryſ. maius eſt iurare per Deum quàm per Euangelium: &

vtrum ſemper ille mortaliter peccet qui per Deum iurat aliquid falſum, puta ſi ex ioco, vel lapſu linguæ iuramento vtatur in communi ſermone.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui iocosè periurat, non euitat diuinam irreuerentiam, ſed quantùm ad aliquid magis auget; & ideo non excuſatur à peccato mortali: ille autem qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſi quidem aduertat ſe iurare & falſum eſſe quod iurat, non excuſatur à peccato mortali, ſicut nec à Dei contemptu: Si autem hoc non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi; & ideo à crimine periutij excuſatur. Eſt ergo grauius peccatum, ſi quis ſolemniter iuret per Euangelium, quàm ſi per Deum in communi ſermone inret; tum propter ſcandalum; tum propter maiorem deliberationem: quibus æqualiter hinc inde penſatis, grauius eſt ſi quis per Deum iurans periuret, quàm ſi periuret iurans per Euangelium. *Ibid. ad* 2.

Qu. 13. *an periurium ſit ſemper mortale peccatum ſiue ſit ſolemne ſiue non, aut ſi fiat cum aduertentia, vel ſine ipſa.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuramentum eſt duplex: quoddam in quo aliquis percipit ſe iurare; & tunc ſi falſum iurat, credo quòd ſemper peccet mortaliter; ſiue ſit iuramentum ſolemne, ſiue non ſolemne: & precipuè quando percipit eſſe falſum quod iurat. Quoddam verò iuramentum eſt, in quo homo non attendit ad iuramentum, & quaſi non percipit ſe iurare, ſed ex lapſu linguæ in iuramentum prolabitur: & quia tunc quaſi neſciens iurat, & neſciens non reputatur voluntarius, ideo in tali caſu videtur quis non voluntariè iurare: vnde ſi ſit falſum hoc de quo iurat (ſiue percipiat eſſe falſum ſiue non) dummodo non ſit mendacium pernicioſum, non dico quòd ſit peccatum mortale, ſed veniale; valde tamen cauendum propter vicinitatem ad mortale. 3. *ſ. d.* 39. *q.* 1. *a.* 5. *qu.* 1. *in corp.*

Qu. 14. *quandonam periurium dicatur pernicioſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd falſa iuratio non dicitur pernicioſa, niſi quando eſt cum plena deliberatione iurantis. 3. *ad Hannib. d.* 39. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 15. *an periurium tam aſſertorium, quam promiſſorium ſit mortale peccatum; licèt aliquis non reddatur infamis niſi ex periurio promiſſorio, vt habetur* 6. *quæſt.* 1. *cap. infames.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non propter quodlibet peccatum mortale aliquis infamis efficitur ipſo iure: vnde non ſequitur, ſi ille qui iurat falſum iuramento aſſertorio, non eſt infamis ipſo iure, ſed ſolùm per ſententiam diffinitiuam latam contra eum in accuſatione, quòd propter hoc non peccet mortaliter. Ideo autem magis reputatur infamis ipſo iure, qui frangit iuramentum promiſſorium ſolemniter factum; quia in eius poteſtate remanet,

poſtquam iurauit, vt det ſuo iuramento veritatem, quod non contingit in iuramento aſſertorio. *2. 2. qu. 98. a 3. ad 3.*

Qu. 16. an peccet ille, qui iuramentum exigit ab alio ſiue ſciat, ſiue neſciat illum fore periurum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm doctrinam Philoſophi *propter quod vnumquodque tale, illud magis*: videmus autem quòd ea quæ ex ſe ſunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, ſi in contéptum Dei fiant, ſunt peccata mortalia: vnde multò magis quidquid eſt, quod de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale: periurium autem de ſui ratione importat contemptum Dei: Ex hoc enim habet rationem culpæ, quia ad irreuerentiam Dei pertinet: vnde manifeſtum eſt quòd periurium, ex ſui ratione, eſt peccatum mortale. *2, 2. q. 98. a. 3. in corp.*

Qu. 17. vtrum in iudicio iuramentum exigi debeat ab eo, qui creditur fore periurus: & vtrum extra iudicium exigi poſſit, ſi de hoc dubitetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando aliquis ſcit, vel probabiliter credit quòd aliquis deierabit, non licet ei iuramentum exigere, niſi fortè ſit in loco iudicii, quia iuramentum in iudiciis non tantùm exhibetur propter iudicem, ſed propter alios: vnde non eſt in poteſtate eius iuramentum remittere, quod ſecundùm ordinem iuris exhibendum eſſet. Similiter ſi ſciat eum iuraturum verum, poteſt licitè iuramentum exigere, non pro ſe, ſed pro aliis qui hoc neſciunt: ſi autem dubitet, dubitatio ex tanta ſuſpicione procedere poteſt, quòd cum peccato erit: Et ideo Aug. non audet dicere quòd ſit ſine peccato: non tamen dicit quòd ſemper ſit peccatum. *3. d. 39. q. 1. a. 5. q. 2. ad 2.*

Quærit. 18. an liceat vti iuramento illius qui iurat verum per falſos Deos, vel etiam illius qui falſum iurat per verum Deum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licet malo vti propter bonum: ſicut & Deus vtitur: non tamen licet aliquem ad malum inducere: vnde licet eius qui per falſos Deos iurare paratus eſt, iuramentum recipere: non tamen licet eum inducere ad hoc quòd per falſos Deos iuret. Alia tamen ratio videtur eſſe in eo qui per verum Deum falſum iurat: quia in tali iuramento deeſt bonum fidei, qua vtitur aliquis in iuramento illius qui verum per falſos Deos iurat, vt Aug. dicit ad Publicolam: vnde in iuramento eius qui falſum per verum Deum iurat, non videtur eſſe aliquod bonum quo vti liceat. *2. 2. q. 98. a. 4. ad 4.*

Quær. 19. in quo liceat conſentire illi qui iurat per idola.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui iurat per idola, peccat quidem quantùm ad formam iuramenti, ſed non quantùm ad aſſertionem veri, vel promiſſionem alicuius quod redundat in bonum commune: & quantùm ad hoc poteſt ei conſentiri ſine peccato.

Digitized by Google

cato:ſed non quantùm ad primum: & ideo iuramento eius vti poſſumus quandoque ſine peccato. 3. *ſ. d. 39. q. 1. a. v. t. ad 3.*

Quær. 20. vtrum ille qui ſcit alterum eſſe periurum teneatur accuſare illum, cùm dicatur leuit. 5. ſi peccauerit anima, & audierit vocem iurantis falſum, teſtiſque fuerit quòd aut ipſe vidit aut conſcius eſt: niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd, ſicut Aug. dicit, Moyſes non expreſſit in prædicta authoritate, cui ſit indicandum periurium alterius: Et ideo intelligitur quòd debeat indicari talibus qui magis poſſunt prodeſſe quàm obeſſe periuro. Similiter etiam non expreſſit quo ordine debeat manifeſtari: & ideo videtur ſeruandus ordo Euangelicus, ſi ſit peccatum periurii occultum: Et præcipuè quando non vergit in detrimentum alterius: quia in tali caſu non habet locum ordo Euangelicus, vt dictum eſt ſupra (*v. correctio fraterna*) 2. 2. q. 98. a. 4. ad 3.

Qu. 21. an periurium ſit maximum peccatum, & ſecundum locum tenens poſt idololatriam.

Reſp. D. Thomas, ex hoc quòd in cauſa cuiuſlibet peccati defertur iuramentũ, manifeſtè oſtenditur quòd periurium pro maximo peccato debet haberi; nec immeritò: quia periurare nomen Dei, videtur quædam diuini nominis denegatio: vnde ſecundum locum poſt idololatriam peccatum periurii tenet, vt ex ordine præceptorum apparet. *quodl. 1. a. 17.*

Q. 22. quomodo grauitas idololatriæ & periurii oſtenditur ex pœna qua vtrumque peccatum punitur.

Reſp. D. Thomas, vt oſtendatur grauitas idololatriæ & periurii, poſtquam in primo præcepto dixerat Deus, *non adorabis ea neque coles*, ſubditur Exodi 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem Patrum in filios*: & poſtquam dixerat, non aſſumes Dei tui in vanum, ſubditur, *nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini fruſtra. ibidem ad 1.*

Qu. 23. cur homines maximè abhorrent periurium, ideoque ad maiorem certitudinem teſtimonii exigitur ab eis iuramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homines maximè abhorrent peccata quæ ſunt contra Deum, quaſi grauiſſima: inter quæ eſt periurium: non autem ita abhorrent peccata quæ ſunt contra proximum: & ideo ad maiorem certitudinem teſtimonii requiritur teſtis iuramentum. 2. 2. q. 72. a. 4. ad 2.

PERMVTATIO.

Qu. 1. quandonam permutatio dignitatum, vel beneficiorum Eccleſiaſticorum fieri poſſit abſque ſimonia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in tali permutatione eſt ſimonia, ſi pro aliquo terreno commodo vtriuſque, vel alterius, talis commutatio fiat: ſi autem

Digitized by Google

pro aliquo ſpirituali, vtpote quia hic in illo loco meliùs poſſit Deo ſeruire, non eſt ſimonia: vnde tunc poteſt fieri commutatio ex authoritate Epiſcopi Diœceſani. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 8.

Quær. 2. *an talis permutatio fieri poſſit nedum authoritate Prælati: ſed etiam ipſarum partium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus: vnde nec mutatio Præbendarum, vel Eccleſiaſticorum beneficiorum fieri poteſt authoritate partium abſque periculo ſimoniæ: ſicut nec tranſactio, vt iura determinant. Poteſt tamen Prælatus ex officio ſuo permutationes huiuſmodi facere, pro cauſa vtili, vel neceſſaria. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 5.

PERTINACIA.

Quær. 1. *quid ſit pertinacia.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Iſidorus dicit in lib. etymologiarum: *pertinax dicitur aliquis, qui eſt imprudenter tenax, & quaſi omninò tenens, & hic idem dicitur etiam Peruicax, eo quòd in propoſito ſuo ad victoriam perſeueret: antiqui enim dicebant Vciam, quam nos victoriam*, & Philoſophus vocat in 7. eth. *Iſchyrognomones*, ideſt fortis ſententiæ, vel *Idiognomones*, ideſt propriæ ſententiæ; quia ſcilicet perſeuerant in propria ſententia pluſquam oportet. 2. 2 *q.* 138. *a.* 2. *in corp.* 29. *a.* 2. *in corp.*

Quær. 2. *in quo differat pertinax à viro conſtanti.*

Reſp. ſupra v. metus. *qu.* 3.

Quærit. 3. *quomodo ſicut ait D. Gregor.* 31. *moral. pertinacia oritur ex vana gloria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ideo aliquis nimis perſiſtit in propria ſententia, quia per hoc vult ſuam excellentiam manifeſtare: & ideo oritur ex inani gloria, ſicut ex cauſa. 2. 2. *quæſt.* 138. *a.* 2. *ad* 1.

Qu. 4. *quomodo pertinax cedit alicui delectationi vel triſtitiæ, iuxta illud Philoſ.* 9. *eth. gaudent vincentes, & triſtantur ſi ſententiæ eorum infirma appareant: & cur aſſimilatur incontinenti vel molli.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pertinax excedit quidem in hoc quòd inordinatè perſiſtit in aliquo contra multas difficultates; habet tamen aliquam delectationem in fine; ſicut & fortis, & etiam perſeuerans: quia tamen illa delectatio eſt vitioſa, ex eo quòd nimis eam appetit, & contrariam triſtitiam fugit, aſſimilatur incontinenti, vel molli. *ibidem ad* 2.

PERTVRBATIO.

Quæ. 1. *quid ſit perturbatio: & vtrum in homine ſapiente reperiatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pertubari dicitur ex toto turbari; & hoc eſt quando turbatio inferioris partis ad ſuperiorem peruenit, vt eius ordo turbetur: & hoc non eſt in aliquo ſapiente. 3. *ſ. d.* 15. *q.* 2. *a.* 2. *qu.* 1. *ad* 2.

Digitized by Google

Quær. 2. an perturbetur homo, ſi paſſio vel etiam ipſius experientia vſque ad rationem perueniat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo dicitur perturbari, quando peruenit paſſio vſque ad rationem, immutans ipſam à ſui æquabilitate; non autem quando peruenit experientia doloris vel paſſionis ad rationem. *3. ſ. d. 15. q. 2. a. 3. q. 2. ad 4.*

Quær. 3. cur in hominem ſapientem non cadit perturbatio.

Reſp. D. Thomas, hoc probat Seneca tripliciter. Primò ſic: fortius non perturbatur à debiliori: ſed virtus eſt fortior malitiâ: ergo non perturbatur ab ea; nec à virtute; quia virtus non eſt virtuti contraria: ergo nullo modo. Secundò ſic: nullus perturbatur niſi de eo quòd bonum ſuum perditur, vel diminuitur: ſed ſapiens non perdit bona ſua, nec ei poſſunt auferri, quæ ſunt bona animæ; quia bona corporis non reputat ſua: ergo non perturbatur. Tertiò ſic: quia fortuna nihil eripit, niſi quod dedit: ſed non dedit virtutẽ: ergo ipſam auferre non poteſt: & ſic idem quod prius. *3. ſ. d. 13. qu. 2. a. 2. in 2. arg.*

PIETAS.

Quær. 1. an pietas poſt ipſum Deum reſpiciat parentes & patriam, iuxta illud Tullii in ſua Rethorica: pietas eſt per quam ſanguine iunctis patriaque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo efficitur diuerſimodè aliis debitor ſecundùm eorum diuerſam excellentiam; & diuerſa beneficia ab eis ſuſcepta. In vtroque autem Deus ſummum obtinet locum, qui & excellentiſſimus eſt, & eſt nobis eſſendi & gubernationis primum principium: ſecundaria verò noſtri eſſe & gubernationis principia ſunt parentes & gratia, à quibus & in qua nati & nutriti ſumus: & ideo poſt Deum eſt homo maximè debitor parentibus & patriæ. In cultu autem Parentum includitur cultus omnium conſanguineorum; quia etiam conſanguinei ex hoc dicuntur quòd ex eiſdem parentibus proceſſerunt, vt patet per Philoſ. 8. ethic. in cultu autem patriæ intelligitur cultus omnium conciuium, & omnium patriæ amicorum: & ideo ad hoc pietas principaliter ſe extendit. *2. 2. q. 101. a. 1. in corp. 3. ſ. d. 33. q. 3. a. 4. quæſt. 1. 1. ad Timoth. 4. lect. 2.*

Qu. 2. cur D. Gregorius dicat in 1. Moral. pietas in die ſuo conuiuium exhibet, quia cordis viſcera miſericordiæ operibus replet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſt. dicit in 10. de ciuit. Dei: *more vulgi nomen pietatis etiam in operibus miſericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror eueniſſe, quia hæc fieri præcipuè mandat Deus, quæ ſibi præ ſacrificiis placere teſtatur: ex qua conſuetudine factum eſt vt Deus ipſe pius dicatur. ibidem ad 2.*

Digitized by Google

Quar. 3. an Pietas exhibeat Parentibus ſuſtentationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Parentibus & conciuibus aliquid debetur dupliciter: vno modo per ſe; alio modo per accidens: per ſe quidem debetur eis id quod decet patrem inquantum Pater eſt, qui cùm ſit ſuperior, quaſi principium filij exiſtens, debetur ei à filio reuerentia, & obſequium: per accidens autem aliquid debetur Patri, quod decet eum accipere ſecundùm aliquid quod ei accidit, puta ſi ſit infirmus quòd viſitetur, & eius curationi intendatur & ſi ſit pauper, quòd ſuſtentetur, & ſic de alijs huiuſmodi, quæ omnia ſub debito obſequio continentur: & ideo Tullius dicit, quòd *pietas exhibet & officium, & cultum*, vt officium referatur ad obſequium, cultus verò ad reuerentiam, ſiue honorem: quia vt dicit Auguſtinus in 10. de Ciuit. Dei cap. pri. *dicimur colere homines, quos honorificatione, vel recordatione, vel præſentia frequentamus. 2.2. qu.101.ar.2.in corp.*

Qu. 4. quare ſicut Apoſt. dicit 2. ad Cor. 12. filij non debent theſaurizare parentibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pater habet rationem principij, filius autem habet rationem à principio exiſtentis: ideo per ſe Patri conuenit vt ſubueniat filio, & propter hoc non ſolùm ad horam debet ei ſubuenire, ſed ad totam ſuam vitam, quod eſt theſaurizare: ſed quòd filius aliquid conferat Patri, hoc eſt per accidens ratione alicuius neceſſitatis inſtantis, in qua tenetur ei ſubuenire, non autem theſaurizare quaſi in longinquum, quia naturaliter non parentes filiorum, ſed filij parentum ſunt ſucceſſores. *ibid. ad 2.*

Quar. 5. an Pietas requirat, vt aliquis ſuſtentet etiam omnes conſanguineos, & conciues.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cultus, & officium, vt Tullius dicit lib. 2. *de inuentione*, debetur omnibus ſanguine iunctis, & Patriæ beneuolis, non tamen æqualiter omnibus; ſed præcipuè parentibus; alijs autem ſecundùm propriam facultatem, & decentiam perſonarum. *ibidem ad 3.*

Qu. 6. vtrum occaſione Religionis ſint prætermittenda pietatis officia in Parentes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Religio & pietas ſunt duæ virtutes: nulla autem virtus alij virtuti contrariatur, aut repugnat, quia ſecundùm Philoſophum in prædicamentis, *bonum non eſt bono contrarium*: vnde non poteſt eſſe, quòd pietas & Religio ſe mutuò impediant, vt propter actum vnius, actus alterius excludatur: cuiuſlibet enim virtutis actus debitis circumſtantijs limitatur, quas ſi prætereat, iam non erit virtutis actus, ſed vitij: vnde ad pietatem pertinet officium, & cultum parentibus exhibere ſecundùm debitum modum.

Non eſt autem debitus modus, vt plus homo tendat ad colendum patrem, quàm ad colendum Deum: ſed ſicut Ambroſius dicit ſuper Lucam *neceſſitudini generis Diuinæ*

Digitized by Google

Religionis pietas antefertur. Si ergo cultus parentum abſtrahat nos à cultu Dei, iam non eſſet pietatis parentum inſiſtere cultui contra Deum: vnde Hier. dicit in Epiſtola ad Heliodorum, *Per calcatum perge Patrem, per calcatam perge Matrem, ad vexillum Crucis euola. Summum genus pietatis eſt in hac re fuiſſe crudelem:* & ideo in tali caſu dimittenda ſunt officia pietatis in Parentes propter diuinum Religionis cultum. Si verò exhibendo debita obſequia parentibus non abſtrahamur à Diuino cultu, hoc iam pertinebit ad pietatem: & ſic non oporrebit propter Religionem Pietatem deſerere. 2.2.q.101. *a.4.in corp.*

Qu. 7. in quo ſenſu Chriſtus Luc. 14. dicit ſi quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: & in laudem Iacobi, & Ioãnis Matth. 4. dicitur quòd relictis retibus ſecuti ſunt Chriſtum: & in laudem Leuitarum Deut. 33. qui dixerit patri ſuo & matri ſuæ, (neſcio vos) & fratribus ſuis (ignoro vos) & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Greg. exponens illud verbum Domini dicit, quòd *Parentes quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſcire debemus:* ſi enim parentes noſtri nos prouocent ad peccandum, & abſtrahant nos à cultu diuino, debemus quantùm ad hoc eos deſerere & odire: & hoc modo dicuntur leuitæ ſuos conſanguineos ignoraſſe, quia idololatris, ſecundùm mandatum Domini, non pepercerunt, vt habetur Exod. 32. Iacobus autem & Ioannes laudantur ex hoc quòd ſunt ſecuti Dominum, dimiſſo parente, non quia eorum pater eos prouocaret ad malum, ſed quia aliter æſtimabant ipſum poſſe vitam tranſigere eis Chriſtum ſequentibus. *Ibid. ad 1.*

Qu. 8. cur Chriſtus Luca 9. dicenti ſibi: permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum, reſpondit: ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade & annuntia regnum Dei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus ideo prohibuit diſcipulum à ſepultura patris, quia ſicut Chryſoſt. dicit, *per hoc eum Dominus à multis malis eripuit; putà luctibus & mæroribus, & aliis quæ hinc expectantur: Poſt ſepulturam enim erat neceſſe & teſtamenta ſcrutari & hæreditatis diuiſionem, & alia huiuſmodi: & præcipuè quia erant qui complere poterant huius funeris ſepulturam.* Vel ſicut Cyrillus exponit ſuper Luc. *diſcipulus ille non petiit quòd Patrem iam defunctum ſepeliret, ſed adhuc viuentem in ſenectute ſuſtentaret, vſquequo ſepeliretur: quod Dominus non conceſſit, quia erant alii qui eius curam habere poterant, lineâ parentelæ adſtricti. Ibid. ad 2.*

Qu. 9. an propter religionem prætermitti debeant pietatis officia ergà parentes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliud eſt dicendum de eo qui eſt adhuc in ſæculo conſtitutus, & aliud de eo qui iam eſt in Religione profeſſus.

Ille enim, qui eſt in ſæculo conſtitutus, ſi habet parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis Religionem intrare: quia tranſgrederetur præceptum de honoratione parentum, quamuis quidam dicant, quòd etiã in hoc caſu licitè poſſet eos deſerere eorum curam Deo committens. Sed ſi quis rectè conſideret, hoc eſſet tentare Deum: cùm habẽs ex humano conſilio quid ageret, periculo Parentes exponeret ſub ſpe diuini auxilij. Si verò ſine eo parentes vitam tranſigere poſſent, licitum eſſet ei deſertis Parentibus Religionem intrare; quia filij non tenentur ad ſuſtentationem Parentum, niſi causâ neceſſitatis.

Ille verò, qui iam eſt in Religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo: vnde non debet occaſione ſuſtẽtationis Parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſæcularibus negotijs implicare. Tenetur tamen, ſaluâ ſui Prælati obedientiâ & ſuæ Religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere qualiter eius parentibus ſubueniatur, 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4.

Qu. 10. vtrum aliquis teneatur matrimonium contrahere, vt ex dote ſuſtentet Patrem, ſi aliter non poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd caſus propoſitus non videtur de facili poſſibilis, vix enim contingere poteſt, quòd aliquis parentes ſuſtentare non poſſit abſque matrimonij contractu, ſaltem manibus operando, vel mendicando: ſi tamen hoc contingeret, eſſet idem iudicium de virginitate ſeruanda in illo articulo, & de aliis perfectionis operibus; ſicut eſt introitus in Religionem.

De quo quidam variè opinantur. Dicunt enim aliqui quòd ſi aliquis habet patrem indigentem, debet ei dimittere ſi quid habet ad eius ſuſtentationem, & ſic poteſt licitè religionem intrare parentum curam Patri Cœleſti committens, qui etiam aues paſcit. Sed quia hæc opinio nimis videtur aſpera, ideo meliùs videtur dicendum quòd aut iſte qui habet propoſitum intrandi Religionem, videt ſe in ſæculo non poſſe viuere ſine peccato mortali, vel non de facili: ſi timet ſibi periculum peccati mortalis, cùm magis teneatur ſaluti animæ ſuæ prouidere, quàm corporali neceſſitati parentum, non tenetur in ſæculo remanere: ſi autem videt ſe poſſe in ſæculo conuerſari abſque peccato, diſtinguendum videtur: quia ſi ſine eius obſequio parentes nullo modo viuere poſſunt, ſic tenetur eis ſeruire, & alia opera perfectionis prætermittere, & peccaret eos dimittens: ſi verò ſine eius obſequio poſſunt aliqualiter ſuſtentari, non autem honorificè, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere. Secus autem eſt de illo, qui iam Religionem intrauit; quia cùm iam ſit mortuus mundo per profeſſionem, ſolutus eſt à lege, qua in mundanis obſequiis parentibus tenebatur, ſecundùm doctrinam Apoſtoli ad Rom. 7. in aliis autem ſpiritualibus (putà orationibus, & huiuſmodi) eis tenetur ſeruire. Et hoc quod dictum eſt de introitu Religionis, poteſt etiam de obſeruantia virginitatis, & de aliis operibus per-

fectionis dici. *quodlibet* 10. *a.* 9. *in corp.*

POLLVTIO.

Quær. 1. an pollutio, quæ accidit in ſomno, ſit peccatum: & cur ſtudioſi & pii habent bona ſomnia.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd omne peccatum ſecundùm Auguſtinum eſt in voluntate; motus autem voluntatis præſupponit iudicium rationis, eo quòd eſt apparentis boni vel verè, vel falsè: vnde vbi non poteſt eſſe iudicium rationis, non poteſt eſſe volũtatis motus: in ſomniis autem iudicium rationis impeditur, iudicium enim perfectum haberi non poteſt de aliqua cognitione, niſi per reſolutionem ad principium, vnde cognitio ortum habet: cùm ergo omnis cognitio intellectûs noſtri à ſenſu oriatur, non poteſt eſſe iudicium rectum, niſi reducatur ad ſenſum & ideo Philoſ. dicit in 6. ethic. quòd ſicut principia indemonſtrabilia, quorum eſt intellectus, ſunt extrema (ſcilicet reſolutionis) ita & ſingularia, quorum eſt ſenſus: in ſomno autem ſenſus ligati ſunt: & ideo nullum iudicium animæ eſt liberum, neque rationis, neque ſenſûs communis: & ideo neque motus appetitiuæ partis eſt liber: & propter hoc non poteſt aliquis peccare in ſomno, neque mereri.

Sed tamen poteſt in ſomno accidere ſignum peccati, vel meriti, inquantum ſomnia habent cauſas imaginationis vigilantium, vnde dicit Philoſophus in 1. Eth. quòd *inquantum paulatim pertranſeunt aliqui motus* (ſcilicet à vigilantibus ad dormientes) *meliora ſunt phantaſmata ſtudioſorum, quàm quorumlibet aliorum:* & Auguſtinus 12. ſuper Geneſim, quòd *propter affectionem animæ bonam etiam in ſomniis quadam eius merita clarent.* 4. *ſ. d.* 9. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 1. *in c. d.* 33. *q.* 3. *a.* 1. *in corp.*

Quær. 2. an in ſomno poſſit accidere pollutio ſine peccato ſicut ſine peccato de ipſa poteſt haberi ſermo in vigilia.

Reſp. D. Thomas, quòd Aug. dicit ſuper gen. 12. ad litteram: *ipſa phantaſia, quæ fit in cogitatione ſermocinantis, cùm ita expreſſa fuerit in viſione ſomniantis, vt inter illam & veram commixtionem corporum non diſcernatur, continuò mouetur caro & ſequitur quod eum motum ſequi ſolet; cùm hoc tam ſine peccato fiat quàm ſine peccato à vigilantibus dicitur, quod vt diceretur ſine dubio cogitatum eſt.* 2. 2. *q.* 154. *a.* 5. *in arg. ſed contra.*

Qu. 3. an pollutio quæ incipit in ſomno, & terminatur in vigilia ſit peccatum; & vtrum ſi pollutio nocturna placeat propter delectationem carnalem ſit peccatum, non autem ſi placeat tantùm vt naturæ exoneratio vel alleuiatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd corporales motus non pertinent ad meritum, vel demeritum, niſi ſecundùm quòd à voluntate quaſi à principio cauſantur: & ideo nocturna pollutio magis iudicatur quantùm ad rationem meriti, vel demeriti ſecundùm principium, quod eſt in dormiendo quàm ſecundùm terminum, qu

eſt in vigilando; quia in quo in dormiendo excitatus eſt motus carnis, non ſubiacet voluntati vigilantis vlterius motus ille, nec reputatur euigilaſſe, quouſque perfectum vſuum liberi arbitrij recuperauit.

Poteſt tamen contingere, quòd in ipſa euigilatione peccatum oriatur, ſi quidem pollutio propter delectationem placeat: quod quidem erit veniale peccatum, ſi ſit ex ſurreptione talis placentia; mortale autem ſi ſit cum deliberante conſenſu, & præcipuè cum appetitu futuri. Iſta autem placentia non facit præteritam pollutionem peccatum, quia ipſius cauſa non eſt, ſed ipſa in ſe peccatum eſt. Si autem placeat, vt naturæ exoneratio, vel alleuiatio, peccatum non creditur. 4. *ſent. d.* 9. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 1. *ad* 5.

Qu. 4. *quænam requirantur ad hoc vt homo dignè ad Euchariſtiæ Sacramentum accedat: & quomodo hæc impediantur per nocturnam pollutionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad hoc quòd homo dignè ad Sacramentum Euchariſtiæ accedat, tria requiruntur. Primò, munditia conſcientiæ, quæ non niſi per peccatum tollitur: Secundò, erectio mentis ad Deum per actualem deuotionem; & hæc per mentis hebetudinem, vel occupationem, aut euagationem interdum ſine peccato amittitur: Tertiò, munditia corporalis; vnde & celebrantes, vel tractaturi aliquod Sacramentum propter reuerentiam manus lauant. Vnde primò & principaliter, peccatum impedit; Secundò, indeuotio, ſiue hebetudo mentis; Tertiò, corporalis immunditia. Et hæc tria quandoque concurrunt in aliqua pollutione nocturna, quandoque duo ex his, quandoque vnum tantùm. Et ſecundùm hoc homo magis vel minus impeditur. Et ideo diſtinguendæ ſunt pollutionum differentiæ.

Diſtinguitur autem dupliciter pollutio nocturna: primò, quantùm ad cauſam: eorum enim quæ in ſomnis apparent, eſt triplex cauſa: vna extrinſeca ſpiritualis, ſicut in his quæ per ſpirituales ſubſtantias nobis reuelantur: alia intrinſeca ſpiritualis, quando phantaſmata quæ apparent dormientibus, ſunt reliquiæ præcedentium cogitationum: tertiò eſt corporalis intrinſeca, ſicut quando phlegma dulce ad linguam decurrit, ſomniat homo comedere dulcia; vnde Medici ex ſomnis, corporis diſpoſitioné coniiciunt. Pollutio ergo quandoque ex illuſione accidit, quando phantaſmata per cauſam extrinſecam ſpiritualem (ſcilicet dæmones) commouentur: quandoque ex reliquiis præteritarum cogitationum, quod eſt cauſa ſpiritualis intrinſeca: quandoque ex cauſa intrinſeca naturali; quæ quidem cauſa vel fuit voluntati ſubiecta, ſicut eſt quando ex ſuperfluitate cibi aut potus præcedente pollutio accidit: vel non fuit voluntati ſubiecta, ſiue accidat ex debilitate naturæ impotentis retinere ſemen: ſiue ex eius virtute ſuperflua expellentis: ſiue quocunque alio modo, in idem redit. Secundò diſtinguitur pollutio quantùm ad modum: quia quandoque accidit ſine imaginatione:

Digitized by Google

ginatione, quandoque cum imaginatione: & hoc dupliciter; quia quandoque in ipſa ſomni imaginatione homo turpitudini conſentit, quandoque diſſentit, & tamen pollutio accidit. Quando ergo ſine imaginatione pollutio accidit, ſignum eſt quòd pollutio ſit ex cauſa corporali intrinſeca: ſed quando cum imaginatione, poteſt ſic vel ſic eſſe. In omnibus igitur prædictis pollutionibus corporalis immunditia eſt communis: ſed quædam mentis hebetatio non eſt niſi in illis pollutionibus, quæ cum imaginatione accidunt; quia in illis quæ ſine imaginatione accidunt, anima nihil participare videtur: Nulla autem dictarum eſt peccatũ, vt ex dictis patet; ſed poteſt eſſe effectus peccati ſignificans præcedens peccatum, veniale vel mortale. Peccatum autem mortale ex neceſſitate præcepti à perceptione Euchariſtiæ impedit; quia mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis accedit: Hebetudo autem mentis, & immunditia corporalis ex quadam decentia honeſtatis; quia indeuotio quædam videtur ſic accedere, niſi neceſſitas vrgeat. Et ideo conſiderandum eſt, vtrum in cauſa pollutionis poſſit inueniri peccatum præcedens: Quia cogitatio turpium quandoque eſt ſine peccato; ſicut cùm in cogitatione tantùm manet; vt cùm quis diſputans de talibus, oportet quòd loquens cogitet: Aliquando etiam cum peccato veniale; quando ad affectionem cogitatio pertingens in ſola delectatione finitur: quandoque etiam cum mortali, quando conſenſus adiungitur: Et quia cogitationi tali de propinquo eſt delectatio, & delectationi conſenſus, inde etiam in dubium poteſt verti, vtrum ſequens pollutio ex peccato acciderit, vel non; & aut veniali, aut mortali: ſatis tamen probabiliter poteſt coniici non præceſſiſſe conſenſum, quando in ipſa ſomni imaginatione anima diſſentit: Non tamen oportet quòd ſi conſentiat, conſenſus in vigilando præceſſerit; quia hoc poteſt accidere propter ligamen iudicij rationis, quod quandoque magis, quandoque minùs eſt liberum in ſomno: Vnde in tali pollutione ſi ad cauſam recurrens dubitet de conſenſu, omnino abſtinere debet: Si autem expreſsè inueniat conſenſum non præceſſiſſe, & neceſſitas vrgeat, aut aliqua cauſa potior reformet pactum, poteſt accedere, aut etiam celebrare, non obſtante corporis immunditia, aut hebetatione mentis: Aliàs ſi neceſſitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reuerentiam Sacramento; non tamen ſi celebrat, mortaliter peccat, ſed venialiter; ſicut cùm quis quandoque mentis euagationem patitur.

Quando autem ex illuſione accidit, ſi illuſionis cauſa in nobis præceſſit; puta cùm quis indeuotus ad dormiendum acceſſerit, idem eſt iudicium ac de pollutione, quæ ex cogitatione præcedenti cauſatur: Si autem in nobis cauſa non præceſſerit, imò magis cauſa contraria, & hoc frequenter accidat, & præcipuè in diebus, quibus quis cõmunicare debet, ſignum eſt quòd diabolus homini fructum Euchariſtiæ percipiendæ auferre conatur: vnde in tali caſu conſul-

tum fuit cuidam monacho, vt in collationibus Patrum legitur, quòd communicaret: & ſic diabolus videns ſe non poſſe conſequi intentum, ab illuſione ceſſauit. Si autem ex cibo præcedenti aut potu acciderit, idem eſt iudicium ac de pollutione quæ ex turpi cogitatione proceſſit; niſi intantum quòd non ita de facili accidit peccare mortaliter in ſumptione cibi, ſicut in cogitatione turpi. Et quia aliquando hæc pollutio ſine imaginatione accidit, illa verò nunquam; illa autem quæ ex naturæ diſpoſitione accidit, non eſt ſignum alicuius peccati, ſed poteſt hebetationem mentis inducere ſi cum imaginatione contingat, immunditiam autem corporalem habet; ideo ſi neceſſitas immineat, vel deuotio expoſcat, talis non impeditur; & præcipuè quando non cum imaginatione accidit: Tamen ſi propter reuerentiam abſtineat, laudandus eſt, quando infirmitas non eſt perpetua. Et quia non ita de facili poteſt percipi ex qua cauſa contingat, ideo tutius eſt ſemper abſtinere, niſi neceſſitas incumbat. Debet autem abſtinere, vt dicunt, vſque ad vigintiquatuor horas; quia in tali ſpatio natura deordinata per corporalem immunditiam, & mentis hebetationem, reordinatur. 4. *ſ.d.* 9. *q.* 1.*a.*5.*q.*2.

Qu. 5. *an & quando nocturna pollutio impediat ſumptionem Euchariſtiæ: & quænam ſint ipſius cauſæ: & quare aliqui etiam vigilando patiuntur fluxum ſeminis abſque peccato.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa pollutionem nocturnam duo poſſunt conſiderari: vnum quidem ratione cuius ex neceſſitate impedit hominem à ſumptione Euchariſtiæ: aliud autem ratione cuius non ex neceſſitate impedit hominem, ſed ex quadam congruentia. Ex neceſſitate quidem impedit hominem ab Euchariſtiæ perceptione ſolum peccatum mortale; & quamuis nocturna ipſa pollutio ſecundùm ſe conſiderata peccatum mortale eſſe non poſſit, nihilominus tamen ratione ſuæ cauſæ quandoque habet peccatum mortale annexum.

Et ideo conſideranda eſt cauſa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim prouenit ex cauſa extrinſeca ſpirituali, ſcilicet ex dæmonum illuſione, qui phantaſmata commouere poſſunt, ex quorum apparitione pollutio interdum ſubſequitur: quandoque verò prouenit pollutio ex cauſa intrinſeca ſpirituali, ſcilicet ex præcedentibus cogitationibus: aliquando autem ex cauſa intrinſeca corporali, vel ex ſuperfluitate ſiue debilitate naturæ, ſiue etiam ex ſuperfluitate cibi vel potus. Quælibet autem harum trium cauſarum poteſt, & ſine peccato, & cum peccato veniali, vel mortali exiſtere: & ſi quidem ſit ſine peccato, vel cum peccato veniali, non ex neceſſitate impedit ſumptionem Euchariſtiæ, ita ſcilicet quòd homo ſumendo ſit reus Corporis, & Sanguinis Domini: ſi verò ſit cum peccato mortali, impedit ex neceſſitate.

Illuſio etiam dæmonum quandoque prouenit ex præcedenti negligentia præparationis ad deuotionem, quæ poteſt eſſe, & morta-

le, & veniale peccatum: quandoque verò prouenit ex ſola nequitia dæmonum volentium impedire hominem à ſumptione Euchariſtiæ: vnde legitur in collationibus Patrum, quod cùm quidam frater pateretur pollutionem ſemper in feſtis, in quibus erat communicandum, ſeniores comperto quòd nulla cauſa ab ipſo præceſſerat, decreuernnt quòd propter hoc à communione non ceſſaret, & ita ceſſauit illuſio dæmonum.

Similiter etiam præcedentes cogitationes laſciuæ quandoque poſſunt omninò eſſe ſine peccato, puta cùm aliquis causâ lectionis, vel diſputationis cogitur de talibus cogitare; & ſi hoc fit ſine concupiſcentia & delectatione, non erũt cogitationes immundæ, ſed honeſtæ, ex quibus tamen pollutio ſequi poteſt; quandoque verò præcedentes cogitationes ſunt cum concupiſcentia, & delectatione, & ſi adſit conſenſus, erit peccatum mortale, ſi autem deſit, erit veniale.

Similiter etiam & cauſa corporalis quandoque eſt ſine peccato, puta cùm eſt ex infirmitate naturæ: vnde & quidam etiam in vigilando abſque peccato fluxum ſeminis patiuntur; vel etiam ſi ſit ex ſuperfluitate naturæ: ſicut enim contingit ſanguinem fluere abſque peccato, ita & ſemen quod eſt ſuperfluitas ſanguinis, ſecundùm Philoſophum lib. 1. de generatione animalium cap. 18. quandoque verò eſt cum peccato, puta cùm prouenit ex ſuperfluitate cibi, vel potus: & hoc etiam poteſt eſſe veniale, vel mortale; licèt frequentiùs peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem conſenſus, quàm circa ſumptionem cibi, & potus: vnde & Gregorius ſcribens Auguſtino Anglorum Epiſcopo dicit, ceſſandum eſſe à communione, quando ex turpibus cogitationibus prouenit, non autem quando prouenit ex ſuperfluitate cibi, vel potus, præſertim ſi neceſſitas adſit.

Sic igitur ex cauſa pollutionis conſiderari poteſt, vtrum nocturna pollutio impediat ex neceſſitate ſumptionem Euchariſtiæ. Ex quadam vero congruentia impedit quantùm ad duo; quorum vnum ſemper accidit, ſcilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reuerentiam Sacramenti non decet ad Altare accedere, vnde & volentes tangere aliquid ſacrum manus lauant; niſi fortè talis immunditia ſit perpetua, vel diuturna, ſicut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis, vel aliquid huiuſmodi. Aliud autem eſt euagatio mentis, quæ ſequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit.

Hoc autem impedimentum quod ex congruitate prouenit, poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem, puta vt Gregorius dicit, *cùm fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſterium, pro eo quòd Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas compellit*. 3. p. q. 80. a. 7.

Quær. 6. cur Euchariſtia ſumptio impediatur potius per nocturnam pollutionem quàm per alias corporales immunditias.

Reſp. ſupra v. communio. *qu.* 38. *& ſequentibus.*

Quæ. 7. vtrum humoris effuſio, quæ quibuſdam perſonis etiam vigilantibus abſque vlla commotione carnis, & cogitatione immunda contingit, ſit pollutio.

Reſp. D. Thomas, vel ſaltem author opuſculi 66. ſciendum quòd illius humoris effuſio non eſt pollutio: quia vt dicunt medici, ſine libidinoſa delectatione & carnis motione nullus poteſt pollui vigilando. *in eodem opuſc. 66. cap. vel art.* 17.

PRÆCEPTVM.

Quær. 1. quid ſit præceptum; & quomodo dari poteſt etiam de actibus particularibus.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd præceptum importat applicationem legis ad ea, quæ ex lege regulantur: ordo autem ad bonum commune, qui pertinet ad legem, eſt applicabilis ad ſingulares fines: & ſecundùm hoc etiam de particularibus quibuſdam præcepta dantur. 1. 2. q. 90. *a.* 2. *ad* 1.

Qu. 2. an & quomodo modus virtutis cadat ſub præcepto: & vtrum legiſlator humanus iudicet de internis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd præceptum legis habet vim coactiuam; illud ergo directè cadit ſub præcepto legis, ad quod lex cogit: coactio autem legis eſt per metum pœnæ; vt dicitur 10. Ethic. nam illud propriè cadit ſub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur: ad inſtituendam autem pœnam aliter ſe habet lex diuina, & aliter lex humana: nō enim pœna legis infligitur niſi pro illis de quibus legiſlator habet iudicare; quia ex iudicio lex punit: homo autem, qui eſt legiſlator humanæ, non habet iudicare, niſi de exterioribus actibus; quia *homines vident ea quæ parent*; vt dicitur 1. Reg. 16. ſed ſolius Dei qui eſt lator legis diuinæ, eſt iudicare de interioribus motibus voluntatum, ſecundùm illud Pſal. 7. *ſcrutans corda & renes Deus*; & rurſus 1. Reg. 16. *Deus autem intuetur Cor.* ſecundùm hoc igitur dicendum eſt quòd modus virtutis quantùm ad aliquid reſpicitur à lege humana & diuina; quantùm ad aliquid autem à lege diuina, ſed non à lege humana; quantùm ad aliquid verò, nec à lege humana nec à lege diuina. Modus autem virtutis in tribus conſiſtit, ſecundùm Philoſophum in 2. Eth. Quorum primum eſt, *ſi aliquis operetur ſciens*: hoc autem iudicatur, & à lege Diuina, & à lege humana: quod enim aliquis facit ignorans, per accidens facit; vnde ſecundùm ignorantiam aliqua dijudicantur ad pœnam, vel ad veniam, tam ſecundùm legem humanam, quàm ſecundùm legem Diuinam. Secundum autem eſt, vt aliquis operetur volens vel eligens, & propter hoc eligens: in quo importatur duplex motus interior, ſcilicet voluntatis, & intentionis: & iſta duo non diiudicat lex humana, ſed ſolùm Diuina: lex enim humana non punit eum qui vult occidere, & non occidit: punit autem eum lex Diuina, ſecundùm illud Math. 5. *qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Tertium autem, vt firmiter & immobiliter ſe habeat & opere-

tur: & iſta firmitas propriè pertinet ad habitum, vt ſcilicet aliquis ex habitu radicato operetur: & quantùm ad hoc modus virtutis non cadit ſub præcepto neque legis Diuinæ, neque legis humanæ: neque enim ab homine neque à Deo punitur tanquam præcepti tranſgreſſor, qui debitum parentibus honorem impendit, quamuis non habeat habitum pietatis. *p.* 2. *q.* 100. *a.* 9. *in corp.* 2. *ſ. d.* 28. *a.* 3. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 3. *a.* 4.

Qu. 3. *vtrum actus interni ſubijciantur præceptis ſuperiorum.*

Reſp. v. obedientia. *q.* 5.

Quær. 4. *cur in præceptis quæ ſunt in noua lege, ſeruanda eſt moderatio.*

Reſp. D. Thomas, lex noua præter præcepta legis naturæ, pauciſſima ſuperaddidit in doctrina Chriſti & Apoſtolorum; licèt aliqua ſint poſtmodum ſuperaddita ex inſtitutione ſanctorum Patrum: in quibus etiam Auguſtinus dicit eſſe moderationem attendendam, ne conuerſatio fidelium onerosa reddatur: dicit enim ad inquiſitiones Ianuarij de quibuſdam, quòd *ipſam Religionem noſtram, quam manifeſtiſſimis, & pauciſſimis celebrationum Sacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſeruilibus premunt oneribus; adeo vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui legalibus ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur. p.* 2. *q.* 107. *art.* 4. *in corp.*

Qu. 5. *vtrum inferiores teneantur implere ſuperiorum præcepta quando ita multiplicantur vt vix aut nunquam omnia obſeruari poſſint.*

Reſp. ſupra v. inobedientia *qu.* 3.

Quær. 6. *an Deus per ſua præcepta obliget ad aliquid impoſſibile.*

Reſp. D. Thomas, Deus non eſt magis crudelis quàm homo: ſed homini imputatur in crudelitatem, ſi obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non poſſit: ergo hoc de Deo, nullo modo eſt æſtimandum. 2. *ſ. d.* 28. *qu.* 1. *art.* 3. *in ſecundo argum. ſed contra.*

Qu. 7. *vtrum homo rectè corripiatur ex eo quòd præcepta non implet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd rectè homo corripitur qui præcepta non implet; quia ex eius negligentia eſt quòd gratiam non habet, per quam poteſt ſeruare mandata, quantùm ad modum, cùm poſſit nihilominus per liberum arbitrium ea ſeruare quantùm ad ſubſtantiam. *qu.* 24. *de verit. a.* 14. *ad* 2.

Qu. 8. *quænam conſideranda ſint in præceptis: & vtrum impoſſibilia præcipi poſſint.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in quolibet præcepto duo ſunt conſideranda; ſcilicet finis præcepti, & poſſibilitas obſeruandi: quia omnia præcepta cuiuſlibet legis ſunt ordinata ad aliquod bonum inducendum, vel malum

quòd præcipitatio in actibus animæ metaphoricè dicitur, ſecundùm ſimilitudinem à corporali motu acceptam: dicitur autem præcipitari ſecundùm corporalem motum, quod à ſuperiori in ima peruenit ſecundùm impetum quẽdam proprij motûs, vel alicuius impellentis, non ordinatè deſcendendo per gradus: Summum autem animæ eſt ipſa ratio; imum autem eſt operatio per corpus exercita; gradus autem medij, per quos oporter ordinatè deſcendere, memoria præteritorum, intelligentia præſentium, ſolertia in conſiderandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens vnum alteri, docilitas per quam aliquis acquieſcit ſententiis maiorum; per quos quidem gradus aliquis ordinatè deſcendit, rectè conſiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis vel paſſionis, impertranſitis huiuſmodi gradibus, erit præcipitatio. Cùm ergo inordinatio conſilij ad imprudentiam pertineat, manifeſtum eſt quòd vitium præcipitationis ſub imprudentia continetur. 2.2. *q.* 53. *a.* 3.

Qu. 2. *an præcipitatio opponatur dono conſilij ſicut ait D. Gregorius in* 2. *Mor. quòd donum conſilii datur contra præcipitationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conſilij rectitudo pertinet ad donum conſilij, & ad virtutem prudentiæ; licèt diuerſimodè: Et ideo præcipitatio vtrique contrariatur. *ibid. ad* 1.

Qu. 3. *cur dono conſilii magis opponitur præcipitatio quàm nimia tarditas, quæ ſinit præterire opportunitatem operis*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in inquiſitione conſilij multa particularia ſunt conſideranda: Et ideo philoſ. dicit in 6. Ethic. *oportet conſiliari tardè*: vnde præcipitatio directiùs opponitur rectitudini conſilij, quàm tarditas ſuperflua, quæ habet quandam ſimilitudinem recti conſilij. *ibid. ad* 3.

Qu. 4. *cur præcipitatio ponitur inter luxuriæ filias.*

Reſp. ſupra v. luxuria. *qu.* 6. & 16.

PRÆDICARE.

Qu. 1. *ad quem ſpectet munus prædicandi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad Diaconum pertinet recitare Euangelium in Eccleſia, & prædicare ipſum per modum Catechizantis, vnde & Dionyſius dicit, quòd *Diaconi habent officium ſuper immundos*, inter quos ponit catechumenos: *ſed dicere*, ideſt exponere Euangelium, *pertinet propriè ad Epiſcopum, cuius actus eſt perficere*, ſecundùm Dionyſium, *cap. Eccl. Hierarchia*, perficere autem idem eſt, quod docere. 3. *p. q.* 67. *a.* 1. *ad pri.*

Quær. 2. *quomodo fidelium inſtructio ſpectet ad Prædicatores, & etiam ad alios.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd multiplex eſt inſtuctio: vna conuerſiua ad fidem, quam Dionyſ. tribuit Epiſcopo in 2. Eccl. Hier. & poteſt competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fideli: ſecunda eſt inſtructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis & qualiter ſe debeat habere in ſuſceptione ſacramentorum: Et hæc pertinet ſecundariò quidem ad miniſtros; principaliter autem ad Sacerdotes: Tertia eſt inſtructio de conuerſatione chriſtianæ vitæ: Et hæc pertinet ad patrinos: quarta eſt inſtructio de profundis myſteriis fidei, & perfectione Chriſtianæ vitæ: Et hæc ex officio pertinet ad Epiſcopos. *3.p.q.71.a.4. ad 3.*

Qu. 3. vtrum aliquis prædicare poſſit abſque facultate Prælati.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus quãtumcunque ſcientiæ magnæ, vel quantumcunque ſanctitatis, niſi miſſus à Deo, vel à Prælato, prædicare poteſt: quia nullum agens natum eſt agere, niſi ſupra debitam materiam: prædicatio autem & exhortatio, & doctrina, ſi ſit publica reſpiciens totam Eccleſiam, & curam publicam Eccleſiæ, commiſſã eſt Prælatis: & ideo nullus debet aliquid exercere, quod requirat authoritatem publicam, niſi authoritate Prælati. *quodl. 12. a. 27. in corp. 4. ſ. d. 19. q. 2. a. 2. q. 2. ad 4.*

Qu. 4. an & quando periculum quod ſequitur ex omiſſione prædicationis imputatur ei qui non prædicat, ſicut habetur Ezech. 3. & 33. de eo qui videt gladium venientem, & non inſonuerit tubâ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd periculum quod ſequitur de prædicatione omiſſa, non imminet niſi eis quibus commiſſum eſt officium prædicandi: vnde apud Ezech. præmittitur, *ſpeculatorem dedi te filiis Iſraël. 2. 2. q. 10. a. 12. ad 5.*

Qu. 5. cur in prædicatione præſertim indulgentiarum euitari debet omnis falſitas.

Reſp. v. Indulgentiæ. *qu.* 5.

Qu. 6. an prædicator exiſtens in peccato mortali debeat abſtinere à prædicatione iuxta illud Pſ. 49. peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum &c.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd eius peccatum aut eſt publicum, vel occultum: & ſi occultum, vel ex contemptu & ſine pœnitentia, aut cum pœnitentia. Dicendum eſt ergo, quòd ſi aliquis eſt in peccato publico, non debet publicè prædicare, vel docere. Et dico publico; quia ſi peccatum non eſt publicum, poſſet cum charitate occultè fratrem ſuum de peccato etiam minori, quàm ſit ſuum peccatum occultum, reprehendere, reprehendendo tamen ſeipſum: ſi verò eſt in peccato occulto, & ſine pœnitentia, tunc prouocat Deum, quia ſimulat Prou. 11. *ſimulator ore decipit amicum ſuum.* Et his loquitur hic. Sic dicit gloſſ. Auguſt. *lingua laudare non præſumat: cui contradicit conſcientia.*

Si verò peccatum eſt occultum & dolet, non peccat prædicando vel docendo,

Digitized by Google

docendo, etiam ſi publicè loquatur contra peccatum; quia ſic deteſtatur etiam ſuum. *Et aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* Iuſtitia refertur ad inſtructionem: teſtamentum refertur ad laudem fidei Eccl. 15. *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, quia nomen Dei eſt ſanctiſſimum: ideo inconueniens eſt, quòd à peccatoribus aſſumatur, quaſi vſurpatum. Prou. 26. *quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola in expoſ. eiuſd. Pſal.* 49.

Quær. 7. an liceat prædicatori habere oculum ad temporalia, ſicut ſuper illud 1. ad Cor. 9. debet qui arat in ſpe arare, dicit gloſſa: ſtipendiorum temporalium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd habere oculum ad terrena contingit dupliciter: vno modo ſicut ad mercedem, vel præmium: & ſic prædicatori non licet habere oculum ad terrena, quia ſic faceret Euangelium vænale: alio modo ſicut ad ſtipendia pro neceſſitate ſuſtentationis vitæ, & ſic licet habere prædicatori oculum ad terrena: vnde primæ ad Timoth. 5. ſuper illud, *qui bene præſunt Presbyteri, &c.* dicit gloſſ. Auguſtini, *neceſſitatis eſt accipere vnde viuitur: charitatis eſt præbere.* Non tamen vænale eſt Euangelium pro his; ſi enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt. *Accipiant ergo ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino, quodlib. 2. a. 12. in corp. lect. 1. cap. 9. primæ ad Corinth.*

Qu. 8. quomodo abſque ſimonia poſſit prædicator accipere pecuniam non tanquam pretium, ſed ſtipendiū.

Reſp. v. Simonia.

Quær. 9. quinam debeant miniſtrare ſumptus prædicatoribus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd plebs fidelis non tenetur ex debito iuris ad ſumptus miniſtrandos, niſi ordinariis Prælatis, qui propter hoc decimas & oblationes fidelium recipiunt, & alios Eccleſiaſticos redditus: ſed ſi aliqui in huiuſmodi actibus gratis velint fidelibus miniſtrare, non poteſtatiuè ab eis ſumptus exigentes, non propter hoc grauantur fideles; quia etiam ipſi poſſunt liberaliter recompenſare temporalem ſubuentionem, ad quam etſi non teneantur ex debito iuris, tenentur tamen ex debito charitatis: non autem ita quòd *eis ſit tribulatio: aliis autem remiſſio*, vt dicitur ſecundæ ad Corinth. 8. ſi tamen non inuenirentur, qui gratis ſe ab huiuſmodi obſequiis mãciparent, tenerentur ordinarij Prælati ſi ipſi non ſufficerent, alios ad hoc idoneos quærere, quibus ſumptus ipſi miniſtrarent. 2. 2. q. 188. 4. ad 4.

Qu. 10. vtrum aliquis debeat dimittere prædicationem ex prohibitione Principis, vel populi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hic eſt opus duplici diſtinctione: quia quando aliquis prohibetur prædicare, vel prohibetur ſolùm à tyranno, aut ſimul à tyranno & populo: ſi primo modo, ſic, cùm de multitudine ſint aliqui, qui audire volunt, non eſt

dimittenda prædicatio, quamuis ſit ſic moderanda quoad tempora & loca, vt ex timore ad tyrannum non impediatur; & quandoque etiam tunc licet prædicare occultè per domos, ſicut ab Apoſtolis legitur factum: ſi ſecundo modo, tunc debet cedere Prædicator, & fugere ad alia loca ſecundùm mandatum Domini: & hoc etiam Gregorius dicit in gloſſa quòd quando omnes ſunt mali, & indurati, debet eis dicere illud Apoſtoli, *quia repuliſtis à vobis verbum Dei* &c.

Alia diſtinctio eſt hîc habenda: quia Prædicator aut habet curam animarum, aut non; ideſt prædicat ex neceſſitate officij, aut propria ſponte: ſi primo modo, ſic non debet dimittere gregem etiam propter periculum mortis, dummodo poſſit aliquod bonum facere remanendo cum grege: ſi ſecundo modo, ſic etiam ſi poſſet ibi inter tales fructificare, non tenetur ibi ſtare, nec ad ponendum animam ſuam, niſi in caſu, puta ſi aliquis vellet corrumpere fidem: & tunc vbi fides periclitaretur, teneretur animam pro fratribus ponere; quia hoc eſt in præcepto in tali caſu: ſi autem non imminet talis caſus, ſic eſt in conſilio; quia omnia conſilia in caſu ſunt in præcepto. *quodlibeto 12. art. 28. in corp.*

Quær. 11. an Prædicatores, & alij poſſint recipere eleemoſynas ab vſurariis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de rapina, vſura, & huiuſmodi (in generali loquendo) non poteſt fieri eleemoſyna Iſaiæ 61. *Odio habens rapinam in holocauſtum.* Tamen in ſpeciali caſu Prædicatoribus, qui prædicant vſurariis, & monent eos reſtituere, licitum eſt accipere: & hæc eſt vna ratio. Alia eſt, quando non habent alias vnde viuant: & in extrema neceſſitate omnia ſunt communia; & ab omnibus licitè accipere ad ſuſtentationem & neceſſitatem poſſunt. *quodlib. 12. a. 29. in corp.*

Qu. 12. quomodo Chriſtus vt Prædicatoribus exemplum daret quandoque ſolitaria loca quærebat: vnde D. Remigius dicit ſuper Matthæum: tria refugia legitur Dominus habuiſſe; nauim, montem, & deſertum: ad quorum alterum quotieſcunque à turbis comprimebatur, conſcendebat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd actio Chriſti fuit noſtra inſtructio: & ideo vt daret exemplũ prædicatoribus, quòd non ſemper ſe darent in publicum, quandoque Dominus ſe à turbis retraxit: quod quidem legitur feciſſe propter tria. Quandoque quidẽ propter corporalẽ quietem: vnde Marci 6. dicitur quòd Dominus dixit diſcipulis, *venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum: erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant.* Quandoque verò cauſâ orationis: vnde dicitur Luc. 6 *factum eſt in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: vbi ait Amb. quòd *ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo.* Quandoque verò, vt doceret fauorem humanum vitare: vnde ſuper illud Math. 5. *videns Ieſus turbas, aſcendit in montem.* dicit Chryſoſt. *Per hoc*

Digitized by Google

quòd non in ciuitate & foro, ſed in monte & ſolitudine fecit, erudiuit nos nihil ad oſtentationem facere, & à tumultibus abſcedere, & maximè cùm de neceſſariis diſputare oportet. 3. p. q.40.a.1. ad 3.

Qu. 13. quomodo Chriſtus elegit pauperem vitam vt conformem prædicationis officio.

Reſp. ſupra v. Paupertas *qu.5.*

Qu. 14. cur licèt Chriſtus non debuerit eſſe auſterioris vitæ, nihilominus poſt baptiſmum ad Prædicatorum inſtructionem, vitæ auſteritatem elegit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Chriſtum non decuit conuerſatio auſterioris vitæ, vt ſe communem exhiberet illis quibus prædicauit: nullus autem debet aſſumere prædicationis officium, niſi priùs fuerit purgatus & in virtute perfectus: ſicut de Chriſto dicitur Actuum 1. quòd *cœpit Ieſus facere & docere*: & ideo Chriſtus ſtatim poſt baptiſmum auſteritatem vitæ aſſumpſit: vt doceret poſt carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium tranſire, ſecundùm illud Apoſtoli, *caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. 3.p. qu. 41. art.3. ad 1.*

Qu. 15. quare gratia gratis data prædicatoribus ſunt neceſſaria.

Reſp. ſupra v. gratia *qu.7.*

Qu. 16. an gratia ſermonis ſapientia & ſcientia conueniat etiam mulieribus: & cur ipſis non permittitur publicè docere, aut prædicare, iuxta illud 1. ad Cor.14. mulieres in Eccleſiis taceant: & 1. ad Timoth. 2. docere mulieri non permitto.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſermone poteſt aliquis vti dupliciter: vno modo priuatim ad vnum, vel paucos, familiariter colloquendo: & quantùm ad hoc gratia ſermonis poteſt competere mulieribus: alio modo, publicè alloquendo totam Eccleſiam; & hoc mulieri non conceditur: primò quidem, & principaliter propter conditionem fœminei ſexus, qui debet eſſe ſubditus viro, vt patet Geneſis 3. docere autem, & perſuadere publicè in Eccleſia non pertinet ad ſubditos, ſed ad Prælatos: magis tamen viri ſubditi, ex commiſſione poſſunt exequi, quia non habent huiuſmodi ſubiectionem ex naturali ſexu, ſicut mulieres, ſed ex aliquo accidentaliter ſuperueniente: ſecundò ne animi hominum alliciantur ad libidinem, dicitur enim Eccl. 9. *colloquium illius quaſi ignis exardeſcit*: tertiò, quia communiter mulieres non ſunt in ſapientia perfectæ, vt eis poſſit conuedienter publica doctrina committi. *2.2. q.177.a.2. in corp.*

Qu. 17. quare ſpecialiter gratia ſermonis prædicatoribus eſt neceſſaria, iuxta illud Eccleſiaſtic. 6. lingua Eucharis (ideſt gratioſa) in bono homine abundat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd gratiæ gratis datæ dantur ad vtilitatem aliorum; cognitio autem, quam aliquis à Deo accipit,

Digitized by Google

in vtilitatem alterius conuerti non poſſet, niſi mediante locutione: & quia Spiritus Sanctus non deficit in aliquo, quod pertineat ad Eccleſiæ vtilitatem, etiam prouidet membris Eccleſiæ in locutione, non ſolùm vt aliquis ſic loquatur, vt à diuerſis poſſit intelligi, quod pertinet ad donum linguarum; ſed etiam quòd efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam ſermonis.

Et hoc tripliciter: Primò quidem ad inſtruendum intellectum, quod fit dum aliquis ſic loquitur quòd doceat: Secundò, ad mouendum affectum, vt ſcilicet libenter audiatur verbum Dei, quod fit dum aliquis ſic loquitur quòd auditores delectet, quod non debet aliquis quærere propter fauorem ſuum, ſed vt homines alliciantur ad audiendum verbum Dei: Tertiò, ad hoc quòd aliquis amet ea, quæ verbis ſignificantur, & velit ea implere, quod fit dum aliquis ſic loquitur quòd auditorem flectat. Ad quod quidem efficiendum Spiritus-Sanctus vtitur linguâ hominis quaſi inſtrumento, ipſe autem eſt qui perficit operationem interiùs: vnde Gregorius dicit in homilia Pentecoſtes: *niſi corda auditorum Spiritus Sanctus repleat, ad aures corporis vox docentium incaſſum ſonat.* 2. 2. q. 177. a. 1. in corp.

Quærit. 18. an liceat Religioſis ſuas ornare prædicationes, & prædicandi cauſâ per varias mundi partes diſcurrere.

Reſp. v. Religio.

Qur. 19. an ſit tutius declinare Prædicationis officium, quàm ſe ad illud offerre, ſicut ſe obtulit Iſaias.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Gregorius dicit in paſtorali *Iſaias, qui mitti voluit, ante per altaris calculum ſe purgatum vidit; ne non purgatus adire quiſque ſacra miniſteria audeat: quia ergo valde difficile eſt purgatum ſe quēmlibet poſſe cognoſcere, Prædicationis officium tutius declinatur.* 2. 2. q. 185. a. 1. ad 4.

Cathedra o. *Cantus quæſt. vlt. Doctor.* o.

PRÆDICATORVM ORDO.

Qu. quomodo forma profitendi, quæ in ordine Prædicatorum obſeruatur, eſt cautiſſima & ſecuriſſima.

Reſp. infra v. Religio.

PRÆLATIO.

Quær. 1. vtrum omnis Prælatio nedum bona ſed etiam mala ſit à Deo, iuxta illud Iob 34. qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd cùm Deus dicatur author omnium bonorum, & non ſit author mali, oportet vt ſi in Prælationibus aliquid boni & aliquid mali inueniatur, quòd prælatio illa à Deo ſit quantùm ad id quod eſt bonum in ea; quantùm verò ad id mali quod ei adiungitur, à Deo non ſit.

Eſt autem in prælatione conſiderare tria, ſcilicet prælationis principium, modum, & vſum: in quibuſdã igitur quodlibet horum bo-

Digitized by Google

nũ eſt, qui ſcilicet debitè ad prælationem perueniunt, & debitè prælationis actum exercent: In quibuſdam verò principium eſt malum, ſed vſus bonus: ſicut qui non dignè ad prælationem perueniunt, vel propter eorum inſufficientiam, vel propter modum perueniendi ad ipſum: & tamen actum prælationis quam indebitè conſecuti ſunt, debito modo exercent: In quibuſdam verò eſt è conuerſo: in quibuſdam autem vtrumque eſt malum.

Modus autem ſeu forma prælationis in omnibus bonus eſt: conſiſtit enim in quodam ordine alterius tanquam regentis, & alterius tanquam ſubiacentis: & quia iudicium de re ſimpliciter ducendum eſt ex conſideratione eius quod eſt formale in ipſa, ideo ſimpliciter dicendum eſt: omnem prælationem à Deo eſſe: ſed ſecundùm quid aliquas prælationes non eſſe à Deo: quia ſcilicet abuſus earum non eſt à Deo: vel quia etiam iniuſta actio per quam ad prælationem peruenitur, à Deo non eſt. *2. ſ. d. 44. a. 2. in corp.*

Quær. 2. vtrum in ſtatu innocentiæ fuiſſet prælatio: & quomodo ordinari debet ad ſubditorum vtilitatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt Prælationis modus: vnus quidem ad regimen ordinatus: alius autem ad dominandum: Domini autem ad ſeruum, vt in 8. Ethic. Philoſophus dicit, eſt prælatio ſicut tyranni ad ſubditum: differt autem Tyrannus à Rege, vt ibidem Philoſ. dicit, quia Rex ordinat prælationem ſuam in bonum gentis cui præeſt, propter earum vtilitatem, ſtatuta & leges faciens: Tyrannus autem prælationem ſuam ordinat ad vtilitatem propriam.

Et ideo duplex modus prælationis ſupradictus in hoc differt, quia in primo intenditur bonum ſubditorum, in ſecundo proprium bonum Præſidentis: & ideo ſecundus modus Prælationis in natura integra eſſe non potuiſſet, niſi reſpectu eorum quæ ad hominem tanquam ad finem ordinantur: hæc autem ſunt creaturæ irrationabiles, quibus omnibus ad ſuum commodum præfuiſſet, multò amplius quàm nunc: ſed creatura rationalis, quantùm eſt de ſe, non ordinatur vt ad finem ad aliam, vt homo ad hominem: ſed ſi hoc fiat, non erit niſi inquantum homo propter peccatum irrationalibus creaturis comparatur: vnde etiam Philoſ. ibid. ſeruum comparat organo, dicens quòd *ſeruus eſt organum animatum, & organum eſt ſeruus inanimatus*: & ideo talis prælatio hominis ad hominem ante peccatum non fuiſſet.

Sed prima prælatio, quæ ordinatur ad vtilitatem ſubditorum, fuiſſet ibi quantùm ad aliquem vſum, non quantùm ad omnes. Eſt enim Prælatio ad dirigendum ſubditos in his quæ agenda ſunt; & ad ſupplendum defectus, vt quòd populi à Regibus defendantur: & iterum ad corrigendum mores, dum mali puniuntur, & coactè ad actus virtutis inducuntur: ſed quia ante peccatum nihil fuiſſet quod homini nocere poſſet: nec etiam voluntas alicuius bono contradiceret, ideo quantùm ad duos

vltimos vſus prælatio in ſtatu innocentiæ non fuiſſet: ſed quantùm ad primum vſum ſolum, qui ſcilicet eſt dirigere in agendis vel in ſciendis ſecundum quòd vnus alio maiori munere ſapientiæ, & maiori lumine intellectûs præditus fuiſſet. *in eodem 2. lib. ſent. eademque d. & q. a. 3. & 1. p. q. 96. a. 1. & 2.*

Quær. 3. an liceat appetere Prælationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hanc quæſtionem ſoluit Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei, vbi dicit, quòd *locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, etſi adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.* Cuius ratio eſt, quia qui appetit Prælationem aut eſt ſuperbus, aut iniuſtus: iniuſtitia enim eſt quòd aliquis velit ſibi plus de honore accipere, aut de aliis bonis, niſi ſit maioribus dignus, vt dicitur in 5. eth. quòd autem aliquis æſtimet ſe eſſe magis dignum prælatione omnibus illis, ſuper quos Prælationem accipit, ſuperbiæ & præſumptionis eſt.

Vnde patet, quòd quicunque Prælationem appetit, aut eſt iniuſtus, aut ſuperbus: & ideo nullus ſuo appetitu debet ad Prælationem peruenire, ſed ſolùm Dei iudicio, ſecundùm illud Apoſtoli ad Hæb. 5. *Nemo ſibi aſſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Poteſt tamen aliquis licitè appetere ſe eſſe dignum prælatione, vel opera boni prælati, pro quibus debetur honor. *quodlib. 2. a. 11. in corp.*

Quær. 4 cur potius liceat appetere cathedram magiſtralem quàm Prælationem Epiſcopalem.

Reſp. v. cathedra & v. Epiſcopatus.

Qu. 5. an liceat alicui iurare quòd non acceptabit Prælationem, cùm iuramentum ſit pro charitate inſtitutum, & vt dicit D. Bernardus quod pro charitate inſtitutum eſt contra charitatem non militat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis prælationem fugere, poſſit quandoque ex bono procedere, tamen pertinaciter reſiſtere, ſemper malum eſt; ſicut patet in gloſſa Gregorij Hierem. 1. qui hoc probat exemplo Hieremiæ & Moyſis, qui cùm primò recuſaſſent Prælationis officium, ad vltimum humiliter obedierunt: vnde huiuſmodi iuramentum incautum reputatur; quia quantùm in ſe eſt, prouidentiæ diuinæ præiudicat, & obedientiam ad ſuperiores excludit, quibus in hoc obedire tenetur. *3. ſent d. 39. art. 3. qu. 1. ad 3.*

Qu. 6. an ſit melius Prælationes acceptare quàm recuſare.

Reſp. v. electio. *qu. 7.* & v. Epiſcopatus *à qu. 1. vſque ad 10.*

Qu. 7. an teneatur Prælatus ſubditos ſuos inducere ad illud omne quod eſt melius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licet Prælatus teneatur ſubditum ſuum reuocare ab omni

Digitized by Google

malo, non tamen tenetur eum inducere ad omne melius. *quodl. 1. a. 14. ad 3.*

Qu. 8. cur Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. ait imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt quòd non ſimpliciter dicit, imitatores mei eſtote, ſed addit ſicut & ego Chriſti, quia ſcilicet ſubditi Prælatos ſuos imitari non debent in omnibus, ſed in quibus illi Chriſtum imitantur, qui eſt indeficiens ſanctitatis exemplar. *in exp. eiu. cap. lict. 1.*

Qu. 9. an quando Prælati peccant, puniri debeant manifeſtè vel occultè.

Reſp. D. Thomas, Aaron punitus fuit, quamuis non pœnâ manifeſtâ, ſicut & populus, in ſignum quòd Prælati non debent puniri manifeſte, ſed occultè, propter ſcandalum vitandum. 4. *ſ. d. 46. q. 1. a. 2. qu. 2. ad 5.*

Qu. 10. vtrum ex hoc ipſo quòd Prælati diſſimulant, annuere videantur.

Reſp. ſupra v. ieiunium *qu. 11.*

Qu. 11. an Prælati poſſint ſibi eligere proprium confeſſarium.

Reſp. v. confeſſio *qu. 32.*

Qu. 12. an liceat Prælatis fugere in ſuis perſecutionibus.

Reſp. v. Epiſcopatus *qu. 32. & ſequentibus.*

Qu. 13. an & quomodo Prælatis obediendum ſit quando præcipiunt reuelationem criminum ad correctionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Prælato non eſt obediendum contra præceptum Chriſti, ſecundùm illud Act. 4. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Sed & ille Prælatus, qui præcipit contra mandatum Chriſti, à peccato non excuſatur. Et ideo ſi Prælatus præcipiat, quòd aliquis dicat quod ſciuerit corrigendum, vel quod ſciuerit de peccatis alterius, intelligendum eſt præceptum eius, ſanè in caſu quo ipſe hoc poteſt præcipere, ſecundùm ordinem inſtitutum à Chriſto: Quòd ſi expreſsè contra hunc ordinem præceperit, non eſt ei obediendum. In quibuſcunque tamen caſibus ſæcularis vel Eccleſiaſticus iudex poteſt iuramentum exigere ſiue in via denunciationis, ſiue in via inquiſitionis, ſiue in via accuſationis: In iſtis etiam caſibus poteſt Prælatus in religionibus per præceptum obedientiæ ſuos ſubditos obligare *qu. 3. de virt. a. 2. ad 13.*

Qu. 14. vtrum illi, qui transferuntur ad ſtatum Prælationis, abſtrahi debeant totaliter à vita contemplatiua, & occupari circa vitam actiuam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad opera vitæ actiuæ interdum aliquis à contemplatione euocatur propter aliquam neceſſitatem præſentis vitæ; non tamen hoc modo quòd cogatur aliquis

totaliter contemplationem deſerere: vnde Auguſt. dicit in lib. de Ciu. Dei *Otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: quam Sarcinam ſi nullus imponit, percipienda, atque intuenda vacandum eſt veritati: Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem: ſed nec ſic omnino veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimat iſta neceſſitas.* Et ſic patet quòd cùm aliquis à contemplatiua vita ad actiuam transfertur, hoc non fit per modum ſubtractionis, ſed additionis. 2. 2. *q.* 182. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 15. cur præ omnibus aliis excellere debent Prælati tam in contemplatione quam in actione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Gregorius dicit in paſtorali, *ſit præſul actione præcipuus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus:* quia ad ipſos pertinet, non ſolùm propter ſeipſos ſed propter inſtructionem aliorum contemplari: vnde Gregor. dicit ſuper Ezech. quòd de perfectis viris poſt contẽplationem ſuam redeuntibus dicitur pſ. 44. *memoriam ſuauitatis tuæ eructabunt.* 2. 2. *q.* 184. *a.* 7. *ad* 3.

Plura circa Prælatos videri poſſunt ſupra v. capitulum Religioſorum qu. 1. correctio fraterna qu. 17. 18. 19. 24. 25. 28. 31. denunciatio qu. 5. & v. obedientia præſertim qu 33. & ſequ. & infra v. Religio. Et v. Votum.

PRAESCRIPTIO.

Qu. 1. vtrum illa quæ ſine peccato fieri nequeunt, aliqua præſcriptione confirmentur.

Reſp. D. Thomas, dicendũ quòd illa quæ ſine peccato eſſe non poſſunt, nulla præſcriptione firmantur: quia vt Innocentius dicit (extra de conſang. & affin. cap. *non debet*) *diuturnitas temporis non minuit peccatum ſed auget.* 4. *ſ. d.* 41. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 2. *a.* 5. *ad* 2.

Qu. 2. vtrum ille qui præſcribit bonâ fide, ſit exemptus à reſtitutione, non autem ille qui malâ fide præſcribit, iuxta Decretalem quæ dicit, quòd talis reſtituere tenetur, nec acquirit dominium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc eſt contrarietas iuris ciuilis & canonici: quia ſecundùm ius ciuile talis præſcriptio tenet; ſecundùm ius canonicum talis præſcribere non poteſt. Et ratio huius contrarietatis eſt, quia alius eſt finis, quem intendit ciuilis legiſlator, ſcilicet pacem ſeruari & ſtare inter ciues, quæ impediretur, ſi præſcriptio nõ curreret: quicunque enim vellet, poſſet venire & dicere, iſtud fuit meum quocunque tempore. Finis autem iuris canonici tendit ad quietem Eccleſiæ, & ſalutem animarum: nullus autem in peccato ſaluari poteſt, nec pœnitere de damno, vel de alieno, niſi recompenſet.

Et ideo dicendum eſt, quòd ſi quis præſcribat bonâ fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem; quia lex poteſt aliquem pro peccato & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere; ſed qui malâ

Digitized by Google

malâ fide præſcribit, tenetur emendare & ſatisfacere, reddendo damnum quod intulit. *quodlib.* 12. *a.* 24. *in corp.*

Qu. 3. an Principes poſſint aliena bona dare illis qui malâ fide praeſcribunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verum eſt quòd omnia ſunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum ſibi, vel ad dandum aliis: & ſi quæ leges tales ſunt, tyrannicæ ſunt, & non abſoluunt à conſcientia, ſed à foro iudiciali, & violentia. *ibidem ad* 1.

PRÆSVMPTIO.

Qu. 1. an præſumptio innitatur Deo, vel propriæ virtuti: & vtrum ſit peccatum in Spiritum Sanctum.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd præſumptio videtur importare quandam inmoderantiam ſpei: ſpei autem obiectum eſt bonum arduum, poſſibile: poſſibile autem eſt homini dupliciter: vno modo per propriam virtutem; alio modo non niſi per virtutem diuinam. Circa autem vtramque ſpem per immoderantiam poteſt eſſe præſumptio: nam circa ſpem, per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præſumptio ex hoc quòd aliquis tendit in aliquod bonum vt ſibi poſſibile, quod ſuam facultatem excedit; ſecundùm quòd dicitur Iudith. 16. *præſumentes de ſe humiliat.* Et talis præſumptio opponitur virtuti magnanimitatis, quæ medium tenet in huiuſmodi ſpe: Circa ſpem autem per quam aliquis inhæret diuinæ potentiæ, poteſt per immoderantiam eſſe præſumptio in hoc quòd, aliquis tendit in aliquod bonum, vt poſſibile per virtutem & miſericordiam diuinam, quod poſſibile non eſt: ſicut cùm aliquis ſperat ſe veniam obtinere ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis. Hæc autem præſumptio eſt propriè ſpecies peccati in Spiritum Sanctum, quia ſcilicet per huiuſmodi præſumptionem tollitur vel contemnitur adiutorium Spiritus Sancti per quod homo reuocatur à peccato. 2. 2. *q.* 21. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. an præſumptio, quæ innititur Diuinæ Virtuti ſit grauius peccatum præſumptione, quæ innititur virtuti propriæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum quod eſt contra Deum ſecundùm ſuum genus, eſt grauius cæteris peccatis; vnde præſumptio, qua quis inordinatè innititur Deo, grauius peccatum eſt, quàm præſumptio, qua quis innititur propriæ Virtuti. Quod enim aliquis innitatur diuinæ Virtuti ad conſequendum id quod Deo non conuenit, hoc eſt diminuere diuinam Virtutem. Patet autem quòd grauiùs peccat, qui diminuit diuinam Virtutem, quàm qui propriam Virtutem ſuperextollit. 2. 2. *q.* 21. *a.* 1. *ad* 1.

Qu. 3. an præſumptio ſit peccatum ſed minus quàm deſperatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnis motus appetitiuus qui conformiter ſe habet ad intelle-

ctum falſum, ſecundùm ſe malus eſt & peccatum: præſumptio autem eſt motus appetitiuus, quia importat quandam ſpem inordinatam: habet autem ſe conformiter intellectui falſo, ſicut & deſperatio: ſicut enim falſum eſt quòd Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quòd peccantes ad pœnitentiam non conuertat; ita falſum eſt quòd in peccato perſeuerantibus veniam concedat, & à bono opere ceſſantibus gloriam largiatur, cui exiſtimationi conformiter ſe habet præſumptionis motus.

Et ideo præſumptio eſt peccatum, minus tamen quàm deſperatio; quoniam magis proprium eſt Deo miſereri & parcere, quàm punire, propter eius infinitam bonitatem; illud enim ſecundùm ſe Deo conuenit, hoc autem ſecundùm noſtra peccata 2. 2. *q.* 21. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 4. *an peccare ſub ſpe veniæ ſit præſumptio. Et quare vt Magiſter* 2. *ſ. d.* 22. *dixit: Adam minùs peccauit, quia ſub ſpe veniæ peccauit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccare cum propoſito perſeuerandi in peccato ſpe veniæ, ad præſumptionem pertinet, & hoc non diminuit, ſed auget peccatum: peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi à peccato, & pœnitendi de ipſo, hoc non eſt præſumptionis; ſed hoc, peccatum diminuit: quia per hoc videtur habere voluntatem minùs firmatam ad peccandum. *Ibidem ad* 3.

Qu. 5. *an præſumptio proueniat ex vana gloria, iuxta illud D. Gregorij* 31. *Moral. præſumptio nouitatum eſt filia inanis gloriæ: vel etiam ex ſuperbia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, duplex eſt præſumptio: vna quidem quæ innititur propriæ virtuti, attentans ſcilicet vt ſibi poſſibile, quod propriam virtutem excedit: & talis præſumptio manifeſtè ex inani gloria procedit: ex hoc enim quòd aliquis multùm deſiderat gloriam, ſequitur quòd attentet ad gloriam quandam ſuper vires ſuas: & huiuſmodi præcipuè ſunt noua, quæ maiorem admirationem habent, & ideo ſignanter Greg. præſumptionem nouitatum poſuit filiam inanis gloriæ: alia verò eſt præſumptio, quæ innititur inordinatè diuinæ miſericordiæ, vel potentiæ, per quam ſperat ſe obtinere gloriam ſine meritis, vel veniam ſine pœnitentia: & talis præſumptio videtur oriri directè ex ſuperbia, ac ſi ipſe tanti ſe æſtimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel à gloria excludat. 2. 2. *qu.* 21. *art.* 4. *in corp.*

Qu. 6. *quomodo præſumptio prouenit ex inordinato amore ſui.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ipſa præſumptio, qua quis inordinatè præſumit de Deo, amorem includit, quo quis proprium bonum inordinatè deſiderat: quod enim multùm deſideramus, æſtimamus nobis de facili per alios poſſe prouenire, etiamſi non poſ-

ſit.2. 2. *qu.* 21. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 7. *quomodo ſicut Philoſ. dicit in 2. & 4. Ethic. magnanimo opponitur per exceſſum chaunos, ideſt fumoſus vel ventoſus, quem nos dicimus præſumptuoſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd magnanimitas conſiſtit in medio; non quidem ſecundùm quantitatem eius in quod tendit, quia tendit in maximum; ſed conſtituitur in medio ſecundùm proportionem ad propriam facultatem, non enim ad maiora tendit quàm ſibi conueniant. Præſumptuoſus autem quantùm ad id in quod tendit, non excedit magnanimum, ſed multùm quandoque ab eo deficit: excedit autem ſecundùm proportionem ſuæ facultatis, quam magnanimus non tranſcendit: & hoc modo præſumptio opponitur magnanimitati per exceſſum. 2. 2. *qu.* 130. *art.* 2. *in corp.*

Qu. 8. *an præſumptio ſit nequiſſima: & vnde ſit creata.*

Reſp. D. Thomas, quòd dicitur Eccle. 37. *O præſumptio nequiſſima, vnde creata es?* vbi reſpondet Gloſſa, *de mala ſcilicet voluntate creaturæ.* 2. 2. *qu.* 130. *a.* 2. *in arg. ſed contra.*

Qu. 9. *an ſit præſumendum bonum de quolibet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd *de quolibet præſumendum eſt bonum niſi appareat contrarium*, dummodo non vergat in periculum alterius; quia tunc eſt adhibenda cautela, vt non de facili vnicuique credatur, ſecundum illud primæ Ioannis. *Nolite credere omni ſpiritui.* 2.2.*q.*70.*a.*3.*ad* 2.

PRIMITIÆ.

Qu. 1. *an & quare homines tenebantur ad primitias offerendas: & vtrum hoc præceptum obliget in lege noua, ſicut dicitur* 16. *qu.* 7. *oportet decimas, & primitias, quas de iure Sacerdotum eſſe ſentimus, ab omni populo accipere.*

RESp.D.Thomas, dicendũ quòd primitiæ ad quoddam genus oblationum pertinent; quia Deo exhibentur cum quadam profeſſione, vt habetur Deut. 25. vnde & ibidem ſubditur, *ſuſcipiens Sacerdos Cartallum* (ſcilicet primitiarum) *de manu eius qui defert primitias, ponat ante Altare Domini Dei tui:* & poſtea mandatur ei quòd dicat, *idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quas Dominus dedit mihi.*

Offerebantur autem primitiæ ex ſpeciali cauſa, ſcilicet in recognitionem Diuini beneficij; quaſi aliquis profiteatur ſe à Deo fructus terræ percipere, & ideo ſe teneri ad aliquid de huiuſmodi Deo exhibendum, ſecundùm illud primi Paralip. vltimo *quę de manu tua accepimus, dedimus tibi:* & quia Deo debemus exhibere id quod præcipuum eſt, ideo primitias quaſi præcipuum aliquid de fructibus terræ, præceptum fuit Deo offerre: & quia Sacerdos *conſtituitur pro populo in his quæ ſunt ad Deum*, ideo primitiæ oblatæ Deo in vſum Sacerdotium cedebant: vnde dicitur num. 18. *locutus eſt Dominus ad Aaron: ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum.*

Pertinet autem ad ius naturale

Digitized by Google

vt homo ex rebus ſibi datis à Deo aliquid exhibeat ad eius honorem: ſed quòd talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege iure diuino determinatum: in noua autem lege definitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur, vt primitias ſoluant, ſecundùm conſuetudinem Patriæ, & indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ. *2. 2. q. 86. a. 4. in corp.*

Qu. 2. quare in noua lege non ſit determinata quantitas primitiarum, quæ offerri debent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quod ſicut Hieronymus dicit, *ex maiorum traditione introductum eſt quòd qui plurimum, quadrageſimam partem dabant Sacerdotibus loco primitiarum; qui minimum, ſexageſimam:* vnde dicitur quòd inter hos terminos ſint primitiæ offerendæ, ſecundùm conſuetudinem patriæ. Rationabiliter tamen primitiarum quantitas fuit determinata in lege, quia ſicut dictum eſt, primitiæ dantur per modum oblationis, de cuius ratione eſt quòd ſit voluntaria. *2. 2. q. 86. a. 4. ad 3.*

PRINCEPS.

Qu. 1. an & quare principibus debetur tributum & vectigal, timor & honor, iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 13. reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem:

Reſp. D. Thomas, monet ad reddendum ſubiectionis ſignum. Et primò quidem in generali, dicens, ex quo tributum debetur principibus, tanquam Dei miniſtris: reddite ergo omnibus debita. Ex quo patet quòd ex neceſſitate iuſtitiæ tenentur ſubditi ſua iura principibus exhibere. Matth. 18. *oblatus eſt regi vnus qui debebat decem millia talenta:* & Math. 23. *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari &c.* Secundò ſpecificat: & primò ea quæ ſunt exteriora dicens, cui tributum ſcilicet, debetis, reddere tributum, quia, ſcilicet, principi tribuitur pro generali regimine, quo patriam in pace & quiete gubernat. Geneſ. 49. *vidit requiem quòd eſſet bona factuſque eſt tributis ſeruiens.* Cui vectigal, ſcilicet, debetis, reddite, vectigal, quod ſcilicet, redditur principi in aliquibus certis locis de Mercimoniis, quæ deferuntur pro reparatione viarum & cuſtodia. Vel vectigal dicitur, quod datur principi, quando per patriam deuehitur, ſicut ſunt procurationes, & alia huiuſmodi.

Secundò ponit ea quæ ſunt interius exhibenda. Eſt autem, conſiderandum quòd principi debetur & timor, & honor: timor quidem, inquantum eſt Dominus ſuâ poteſtate malos coërcens à malis. Malac. 1. *Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?* Et ideò dicit, cui timorem, ſcilicet, debetis, reddite timorem prouerb. 24. *Deum time fili mi.* Inquantum autem quaſi pater prouidet bonis quæ ſunt in laudem eorum, debetur illi honor. Malac. 1. *Si ego Pater, vbi honor meus?* & ideo ſubdit, cui honorem, debetis, reddite, honorem. 1. Petri 2. *Regem honorificate.* Sed contra eſt quod dicitur Leuit. 29. *Non honores vultum potentis.* Sed

Digitized by Google

hoc eſt intelligendum quantùm ad hoc vt pro eo à iuſtitia non declines. Vnde ſubditur, *iuſtè iudica proximo tuo. In expoſ. eiuſdem cap. 13. lect. 1.*

Quær. 2. cur impoſſibile eſt quòd bonum commune ciuitatis benè ſe habeat, niſi Principes ſint virtuoſi.

Reſp. ſupra v. ciuitas *qu. 1.*

Qu. 3. an ſit vtile quòd aliqui fideles maneant in domo Principis infidelis.

Reſp. D. Thomas, quòd vtile eſt quòd aliqui fideles locum in familia Imperatoris infidelis habeant ad defendendum alios fideles, ſicut Beatus Sebaſtianus Chriſtianorum animos, quos in tormentis videbat deficere, confortabat, & adhuc latebat ſub militari chlamyde in domo Diocletiani. *2. 2. q. 10. a. 10. ad 2.*

Qu. 4. quare Eccleſia tolerauit fideles ſeruire Iuliano apoſtatæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illo tempore Eccleſia in ſui nouitate nondum habebat poteſtatem terrenos Principes compeſcendi: & ideo tolerauit fideles Iuliano apoſtatæ obedire in his, quæ nondum erant contra fidem, vt maius periculum fidei vitaretur. *2. 2. q. 12. a. 2. ad 1.*

Plura de Principibus videantur ſupra v. Dominium, & infra v. Rex.

PRIVILEGIVM.

Qu. 1. quid ſit priuilegium.

Reſp. D. Thomas, dicuntur priuilegia quaſi leges priuatæ: quia reſpiciunt ſingulares perſonas: & tamen poteſtas eorum extenditur ad multa negotia. *p. 2. q. 96. a. 1. ad 1.*

Qu. 2. vtrum aliquis poſſit confeſſiones audire ex priuilegio Papæ, vel alterius Prælati ſuperioris contra voluntatem inferioris Prælati: & vtrum oppoſita ſententia ſit erronea.

Reſp. D. Thomas, aliqui dicunt, quòd nullus poteſt etiam authoritate ſuperioris Prælati abſoluere ſubditum inferioris prælati contra voluntatem ipſius, puta non poteſt authoritate Epiſcopi contra voluntatem parochialis aliquem abſoluere. Hoc eſt erroneum. Quia ad abſoluendum requiritur poteſtas Sacerdotalis, & iuriſdictio: Epiſcopus autem habet immediatam iuriſdictionem in omnes ſui Epiſcopatus: vnde Epiſcopus poteſt omnium confeſſiones audire etiam contra voluntatem presbyteri parochialis: & ſimiliter etiam ille, cui Epiſcopus committit, & multò magis ſi papa committit. Tamen Archiepiſcopus, quia non habet immediatam iuriſdictionem in omnes ſui Archiepiſcopatus, niſi ex appellatione, non poſſet alicui dare licentiam, vel authoritatem audiendi confeſſiones contra voluntatem Epiſcopi, & Diœceſani ſuffraganei. *quodlib. 12. a. 30.*

Qu. 3. an Parochus teneatur fidem adhibere ſuis Parochianis dicentibus ſe eſſe confeſſos alteri ex priuilegio poteſtatem habenti: & vtrum poſſit eis Euchariſtiam denegare.

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd ſi in foro iudiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro ſe & contra ſe. eſt ergo diſtinguendum quòd dupliciter ſit impedimentum quo aliquis à perceptione Euchariſtiæ impediatur: ſi enim ſit impedimentum ad forum iudiciale pertinens (puta excommunicatio) non tenetur ſacerdos ſuo ſubdito credere, quem excommunicatum nouit, niſi ei de abſolutione conſtet. Si autem ſit impedimentum quod ad forum conſcientiæ pertineat (ſcilicet peccatum) tenetur ei credere. Et iniuſtè agit, ſi deneget Euchariſtiam ei qui perhibet ſe confeſſum & abſolutum ab eo qui abſoluere potuit, vel authoritate Apoſtolicâ vel authoritate Epiſcopi. *quodlib. 1. a. 12. in corp.*

Qu. 4. vtrū ille qui confeſſus eſt alicui prædictam poteſtatem habenti cogi poſſit vt iterum Parocho ſuo, vel alteri confiteatur.

Reſp. D. Thomas, non poteſt aliquis alicuius hominis authoritate compelli ad confitendum peccatum quod alteri confeſſus eſt qui abſoluere potuit: quia confeſſio peccatorum quoddam ſacramentale eſt diuino imperio ſubiacens, non humano. *ibidem ad 1.*

Qu. 5. quomodo intelligi debeat Decretalis Innocentij 3. de confeſſione ſemel in anno facienda proprio Sacerdoti: & quomodo omnis approbatus ab Epiſcopo eſt proprius Sacerdos in illa Diœceſi.

Reſp. ſupra v. confeſſio à q. 25. vſque ad 31.

Qu. 6. quare priuilegium quod aliis conceditur ad confeſſiones audiendas non impedit quin Eccleſiæ Rectores adimpleant id quod eis præcipitur prou. 27. diligenter cognoſce vultum pecoris tui.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd rector Eccleſiæ debet vultum pecoris ſui agnoſcere dupliciter. Vno modo per ſollicitam exterioris conuerſationis conſiderationem, qua inuigilare debet ſuper gregem ſibi commiſſum: & in hac cognitione non oportet quòd credat ſubdito, ſed certitudinem facti inquantum poteſt inquirat. Alio modo per confeſſionis manifeſtationem: & quantùm ad hanc cognitionem non poteſt maiorem certitudinem accipere quàm vt ſubdito credat: quia hoc eſt ad ſubueniendum conſcientiæ ipſius, vnde in foro confeſſionis creditur homini, & pro ſe, & contra ſe; non autem in foro exterioris iudicij: & ideo ad hanc cognitionem ſufficit quòd credat ſubdito dicenti ſe alteri abſoluere volenti confeſſum fuiſſe.

Et ſic patet, quòd talis cognitio pecoris per priuilegium alicui indultum de confeſſione audienda non impeditur. 4. *ſent. diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 4. *q.* 5. *ad* 2. *quodlib.* 1. *a.* 3.

Quar. 7. quare ex priuilegio, quod Superiores Prælati concedunt aliis quoad iuriſdictionem, nullum ſit præiudicium Prælatis inferioribus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd præiudicium non fit alicui, niſi ſubtrahatur quod eſt in fauo-

rem ipſius indultum: iuriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in fauorem ſuum, ſed in vtilitatem plebis, & ad honorem Dei: & ideo ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis, & ad honorem Dei promouendum, quòd aliis quæ ſunt iuriſdictionis committantur, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis, niſi illis qui *quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſt.*: & qui gregi ouium præſunt, non vt eas paſcant, ſed vt ab eis paſcantur. 4. *ſ. d.* 17. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 5. *ad* 1.

Quær. 8. *cur Papa concedendo Religioſis hæc priuilegia, nedum non facit præiudicium Epiſcopis, ſed potius præſtat eis magnum beneficium.*

Reſp. ſupra v. *Abbas q.6.*

S. Pontifex Clemens 10. *in Bulla lata anno* 1670. *vndecimo kalendas Iulii declarat Priuilegia Regularium quoad prædicationem verbi Dei, & ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem: & definit dubitationes & controuerſias, quæ circa hæc priuilegia occaſione conſtitutionum aliorum SS. Pontificum, & decretorum* S. *Concilii Tridentini excitatæ fuerunt, vt ipſe S. Pontifex dicit in prologo eiuſdem bullæ, vnde ſufficit illius ſummarium hic apponere, quod ſic habet.*

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; prædicare tamen poſſe, quamuis illam non obtinuerint. Quòd ſi Epiſcopus benedictionem nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare; Eoſque contrauenientes ab illo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, cenſuris aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim cõſtitutionis fel. rec. Gregorij XV. prædeceſſoris noſtri incipientis, inſcrutabili Dei prouidentia, coërceri, & punire poſſe. Epiſcopum tamen abſque iuſta & rationabili cauſa contradicere non debere; Et huiuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcunque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonialium, eorum juriſdictioni ſubjectarum, licèt clauſis janus & nullus Sæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum, licentiam conceſſurum, Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamuis ab Vniuerſitatibus, aut à Magiſtratibus laïcis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueuerint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit, & licentiam prædicandi, ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licèt occultas, prædicationem tamen concernantes, ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

Ad hæc, Religioſos, ab Epiſcopo Confeſſores ſæcularium in ſua diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia diœceſi eas abſ-

Digitized by Google

que Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamuis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium vnius Monaſterij, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterij. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialiũ cõfeſſiones pro vna vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire; ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, vbi iuxta Regula inſtituta viuitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum, audire confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantùm ipſis deſeruiunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Epiſcopis, generaliter quoque & indiſtinctè abſque alia limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum, in Diœceſi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei repe-rientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere. Semel autem ſimpliciter approbatos, poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quouis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire, abſque vlla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipi. Sufficere tamen, vt certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam, apud ipſum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis, ſimpliciter approbatis, Paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni quæ incipit, Omnis vtriuſque ſexus, quoad Confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad eiuſmodi confeſſiones audiendas, præuio examine, ſimpliciter & abſque vlla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecùs autem ſi ab eius Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis, approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbauit, iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas reuocari, niſi noua ſuperueniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, vt in actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, vbi eam ſibi aperiri poſtulauerit. Porrò ſi

Regulares

regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè viuant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi iudicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cùm præcipua Miniſtri Sacramenti pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas; vtique eam cauſam ad Confeſſionis Miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quò minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus verò per Mare Magnum, aliaue priuilegia Regularibus cuiuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis etiam Ieſu conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſoluendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſeruatis. Et per Confirmationes dictorum priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia, priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Et habentes facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſeruatis poſſe abſoluere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſeruatis, non autem in illa, vbi idem Confeſſor eſt approbatus, abſoluere, niſi eoſdem pœnitentes nouerit in fraudem reſeruationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore ſupradictorum priuilegiorum nequaquam licere regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſoluere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & iudiciale forum; & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, vtique non cenſeri abſolutos in exteriori iudicio, & contentioſo. Quinimmò Cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos, ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiam ſi à regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium Apoſtolicis priuilegijs coram Epiſcopo, ab eo judicetur, ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur; ſi dictorum Priuilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua; non eſſe ad Metrapolitanum prouocandum; ſed cùm eius ſit interpretari, cuius eſt condere, dictorum Priuilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio, prout aliàs Conſtitutione prædeceſſoris Noſtri fel. rec. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendum.

PROBABILITAS.

Quær. 1. quid requiratur vt procedamus rationabiliter ſiue probabiliter.

RESp. D. Thomas, cùm aliqua volumus ſumere rationabiliter, ideſt probabiliter abſque demonſtratione, talia oportet ponere, quæ videmus eſſe vera in omnibus, aut in multis: hoc enim

eſt de ratione probabilis. *lib.* 1. *de cœlo & mundo lect.* 22.

Qu. 2. *quomodo probabilitas exigat certitudinem: & quomodo formidinem compatiatur.*

Reſp. D. Thomas, in proceſſu rationis qui non eſt cum omnimoda certitudine, gradus aliquis inuenitur, ſecundùm quod magis & minus ad perfectam certitudinem acceditur: per huiuſmodi enim proceſſum quandoque quidem etſi non fit ſcientia, fit tamen fides, vel opinio, vel probabilitas, propter probabilitatem propoſitionum ex quibus proceditur: quia ratio totaliter declinat in vnam partem contradictionis licèt cum formidine alterius. *lib.* 1. *poſteriorum analyticorum lect.* 1.

Quæritur 2. *quænam dicantur probabilia.*

Reſp. D. Thomas, probabilia dicuntur quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus; aut omnibus, vel præcipuis, & maximè notis. *opuſc.* 39. *de fallaciis cap.* 2.

Plura quæ probabilitatem concernunt, videantur ſupra v. opinio præſertim qu. 5. 6. 7. *&* 8.

PROCLAMATIONES.

Vide ſupra v. Capitulum Religioſorum, præſertim *qu.* 3. *&* 4.

PRODIGALITAS

Qu. 1. *an & quare prodigalitas eſt minus peccatum quàm auaritia: vnde Philoſophus* 4. *ethic. dicit quòd prodigus multò videtur melior liberali.*

Reſp. D. Thomas, quòd prodigalitas ſecundùm ſe conſiderata minus peccatum eſt quàm auaritia: & hoc triplici ratione.

Primò quidem, quia auaritia magis differt à virtute oppoſita: magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo ſuperabundat prodigus; quàm accipere, vel retinere, in quo ſuperabundat auarus. Secundò, quia prodigus eſt multis vtilis, quibus dat: auarus autem nulli, ſed nec ſibiipſi, vt dicitur in 4. ethic. Tertiò, quia prodigalitas eſt facilè ſanabilis; & per hoc quòd declinat ad ætatem ſenectutis, quæ eſt contraria prodigalitati; & per hoc quòd peruenit ad egeſtatem de facili, dum multa inutiliter conſumit, & ſic pauper factus non poteſt in dando ſuperabundare; & etiam quia de facili perducitur ad virtutem, propter ſimilitudinem quam habet ad ipſam: ſed auarus non de facili ſanatur (*ſicut dictum eſt v. auaritia qu.* 3.) 2. 2. *q.* 119. *a.* 3. *in corp.* 1 2. 4. 32. *a.* 6. *ad* 2.

Qu. 2. *quomodo prodigus peccet in ſeipſum iuxta illud Philoſ.* 4. *ethic. corruptio diuitiarum per quas homo viuit, eſt quadam ipſius eſſe perditio: peccet etiam in alios, & præſertim in pauperes ſi ſit clericus, & ſimiliter peccet auarus; minus tamen ille quàm iſte.*

Reſp. D. Thomas, Prodigus peccat in ſeipſum, dum bona ſua conſumit vnde viuere deberet: peccat etiam in alterum, conſumendo bona ex quibus aliis deberet prouidere. Et præcipuè hoc

Digitized by Google

apparet in Clericis, qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, quæ ſunt pauperum, quos defraudant, prodigè expendendo. Similiter etiam auarus peccat in alios, inquantum deficit in dationibus: peccat etiam in ſeipſum, inquantum deficit in ſumptibus: vnde dicitur Eccl. 6. *vir cui Deus dedit diuitias, nec tribuit ei poteſtatem vt comedat ex eis.* Sed tamen in hoc ſuperabundat prodigus, quia ſic ſibi & quibuſdam aliis nocet, quòd tamen aliquibus prodeſt: auarus autem nec aliis nec ſibi prodeſt; quia non audet vti, etiam ad ſuam vtilitatem, bonis ſuis. *ibidem ad 1. qu. 13. de malo a. 2. ad 10.*

Qu. 3. quare prodigus quandoque ſit auarus.

Reſp. D. Thomas, contingit quòd aliquis excedat in dando, & ex hoc eſt prodigus, & ſimul cum hoc excedat in accipiendo: vel ex quadam neceſſitate, quia dum ſuperabundat in dando, deficiunt ei bona propria: vnde cogitur indebitè acquirere quod pertinet ad auaritiam: vel etiam propter animi inordinationem: dum enim non dat propter bonum, quaſi contemptâ virtute non curat vndecunque & qualitercunque accipiat. 2.2.q.119.a.1.ad 1.

Qu. 4. cur plures prodigi fiunt intemperati.

Reſp. D. Thomas, frequentiùs ad intemperantias declinant, tum quia ex quo ſuperfluè expendunt in aliis, etiam in rebus voluptuoſis expendere non verentur, ad quas magis inclinat concupiſcentia carnis: tum etiam quia ex quo non delectantur in bonis virtutum, quærunt ſibi corporales delectationes: & inde eſt quòd Philoſ. in 4. ethic. dicit quòd *multi prodigi fiunt intemperati. ibidem ad 3.*

Quær. 5. quomodo impleri debet id quod Apoſtolus 1. ad Timoth. vlt. dicit: diuitibus huius ſæculi præcipe facilè tribuere, communicare: & quos defectus committant prodigi dando bona ſua.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Apoſtolus monet diuites vt facilè tribuant & communicent ſua ſecundùm quòd oportet: quod non faciunt prodigi: quia vt Philoſ. dicit in 4. Ethic. *dationes eorum non ſunt bona, neque boni gratiâ, neque ſecundùm quod oportet; ſed quandoque dant multa illis quos oporteret pauperes eſſe (ſcilicet hiſtrionibus & adulatoribus) bonis autem nihil dant.* 2.2. q.119.a.2. ad 2.

PROFESSIO.

Vide infra v. Religio.

PROHIBITIO.

Qu. an & quare dum alicui prohibetur id quod concupiſcit, vehementiùs in illius concupiſcentiam exardeſcit, iuxta illud Apoſt. ad Rom. 5. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum.

Reſp. D. Thomas, cùm alicui prohibetur id quod concupiſcit, vehementiùs in concupiſcentiam illius exardeſcit, & ſicut fluuius oppoſito obice fortiùs fluit, & obicem frangit. Cuius ratio poteſt eſſe triplex.

Vna quidem, quia illud quod ſubiacet hominis poteſtati, non reputat aliquis pro magno, ſed illud quod eſt extra hominis poteſtatem, apprehenditur ad homine quaſi magnum: prohibitio autem eius quod concupiſcitur, ponit illud quod prohibetur quaſi extra hominis poteſtatem: & ideo concupiſcentia magis exardeſcit in rem concupitam dum prohibetur.

Secunda ratio eſt, quia interiores affectiones quando interiùs retinentur, ita quòd exteriùs non deriuentur, ex hoc ipſo magis interiùs incenduntur; ſicut patet in dolore, & ita, quæ dum interiùs clauſa tenentur, magis augentur: ſi autem exteriùs quodammodo procedant, eorum virtus diminuitur: prohibitio autem propter timorem pœnæ cogit hominem, vt concupiſcentiam ſuam ad exteriora non perducat: & ideo ipſa concupiſcentia interiùs retenta magis inflammatur.

Tertia ratio eſt, quia illud quod non eſt nobis prohibitum, apprehendimus quaſi poſſibile fieri quandocunque nobis placuerit; & ideo multoties opportunitate exiſtente illud vitamus: ſed quando aliquid eſt prohibitum apprehenditur à nobis, vt non ſemper à nobis haberi poſſit, & ideo quando opportunitas datur ſine timore pœnæ illud conſequendi, promptiores ad hoc ſumus. Et inde eſt, quòd datâ lege, quæ concupiſcentiæ vſum prohibebat, & tamen ipſam concupiſcentiam non mitigabat, concupiſcẽtia ipſa magis feruenter homines ad peccata ducebat: vnde dicitur Ezech. 5. *Iſta eſt Ieruſalem; in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras; & contempſit iudicia mea, vt plus eſſet impia, quàm gentes. Ad Romanos 5. lect. 6.*

PROMISSIO.

Qu. 1. an Promiſſio ſit de aliqua re facienda pro altero, quæ ſit ei grata.

RESp. D. Thomas, promiſſio alicuius eſt quod quis pro aliquo voluntariè facit: non enim eſſet promiſſio, ſed comminatio, ſi quis diceret ſe contra aliquem facturum: ſimiliter vana eſſet promiſſio, ſi quis alicui promitteret id quod ei non eſſet acceptum. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 2. quomodo promiſſio importetur in voto: & quomodo vim obligandi habeat reſpectu Dei & hominum.

Reſp. infra v. votum *q.* 1. *& ſequ.*

Qu. 3. vtrum aliquis alteri obligetur ex qualibet promiſſione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm honeſtatem, ex qualibet promiſſione homo homini obligatur, & hæc eſt obligatio iuris naturalis: ſed ad hoc quòd aliquis obligetur ex aliqua obligatione ciuili, quædam alia requiruntur. 2.2.*q.* 88.*a.*3. *ad* 1.

Quær.4. an ille qui ex iuſta cauſa prætermittit facere quod promiſit ſit exemptus à leuitate & falſitate.

Reſp. D. Thomas, Apoſtolus ſe excuſat 2. Corinth. 1. de hoc,

Digitized by Google

quòd ad eos non iuerat ſicut promiſerat, dicens, *cùm ergo voluiſſem nunquid leuitate vſus ſum, aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me eſt, & non?* Et ſic ex hoc quòd ex iuſta cauſa prætermiſit facere quod promiſerat, ſe immunem dicit à leuitate, carnalitate, & falſitate. *ad Rom. 15. lect. 3.*

Qu. 5. quibus de cauſis excuſemur à ſeruandis promiſſis etiam iuramento firmatis, præſertim quantùm ad mala, ſecundùm illud D. Iſidori lib. 2. ſynonym. & in decretis causâ 22. q. 4. in malis promiſſis reſcinde fidem.

Reſp. ſupra v. iuramentum *q.* 6. 15. 16. 17. mendacium *qu.* 7. periurium *qu.* 3. & 5.

PRVDENTIA.

Qu. 1. quid ſit prudentia: & quinam ſit præcipuus ipſius actus.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd prudentia *eſt recta ratio agibilium:* vnde oportet quòd ille ſit præcipuus actus prvdentiæ, qui eſt præcipuus actus rationis agibilium. Cuius quidem ſunt tres actus quorum primus eſt conſiliari: quod pertinet ad inuentionem: nam conſiliari eſt quærere: ſecundus actus eſt iudicare de inuentis: & hoc facit ſpeculatiua ratio: ſed practica ratio, quæ ordinatur ad opus, procedit vlteriùs: & eſt tertius actus eius *præcipere:* qui quidem actus conſiſtit in applicatione conſiliatorum, & iudicatorum ad operandum. Et quia iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ, inde eſt quòd iſte eſt principalis actus rationis practicæ, & per conſequens prudentiæ. Et huius ſignum eſt quòd perfectio actis conſiſtit in iudicando, non autem in præcipiendo: ideo reputatur melior artifex, qui volens peccat in arte, quaſi habens rectum iudicium; quàm qui peccat nolens, quod videtur eſſe ex defectu iudicij: ſed in prudentia eſt è conuerſo, vt dicitur in 7. Ethic. imprudentior enim eſt qui volens peccat, quaſi deficiens in principali actu prudentiæ, qui eſt præcipere, quàm qui peccat nolens. 2. 2. *q.* 47. *a.* 8. *in corp.*

Qu. 2. an prudentia reperiatur in peccatoribus, cùm Philoſophus dicat in 6. ethic. impoſſibile eſt prudentem eſſe non exiſtentem bonum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prudentia dicitur tripliciter. Eſt enim quædam prudentia falſa, vel per ſimilitudinem dicta: cùm enim prudens ſit, qui benè diſponit ea, quæ ſunt agenda propter aliquem bonum finem; ille qui propter malum finem aliqua diſponit congruentia illi fini, habet falſam prudentiam, inquantum illud quod accipit pro fine non eſt verè bonum, ſed ſecundùm ſimilitudinem: ſicut dicitur aliquis bonus latro: Hoc enim modo poteſt ſecundùm ſimilitudinem dici prudens latro, qui conuenientes vias adinuenit ad latrocinandum: Et huiuſmodi eſt prudentia, de qua Apoſtolus dicit ad Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt*: quæ ſcilicet finem vltimum conſtituit in delectatione carnis.

Secunda autem prudentia eſt quidem vera, quia adinuenit vias

Digitized by Google

accommodatas ad finem verè bonum; ſed eſt imperfecta duplici ratione: Vno modo, quia illud bonum, quod accipit pro fine, non eſt communis finis totius humanæ vitæ, ſed alicuius ſpecialis negotij; putà cùm aliquis adinuenit vias accommodatas ad negotiandum, vel ad nauigandum, dicitur prudens negotiator, vel nauta: Alio modo, quia deficit in principali actu prudentiæ; putà cùm aliquis rectè conſiliatur, & benè iudicat etiam de his, quæ pertinent ad totam vitam, ſed non efficaciter præcipit.

Tertia autem prudentia eſt & vera, & perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè conſiliatur, iudicat, & præcipit: Et hæc ſola dicitur prudentia ſimpliciter, quæ in peccatoribus eſſe non poteſt: Prima autem prudentia eſt in ſolis peccatoribus: Prudentia autem imperfecta eſt communis bonis & malis, maximè illa quæ eſt imperfecta propter finem particularem: nam illa, quæ eſt imperfecta propter defectum principalis actûs, etiam non eſt niſi in malis. 2. 2. *q. 47. a. 13. in corp. q. 50. a. 3. ad 3. q. 5. de virt. a. 2.*

Qu. 3. vtrum in omnibus iuſtis reperiatur prudentia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus habet gratiam niſi ſit virtuoſus: ſed nullus poteſt eſſe virtuoſus niſi habeat prudentiam: Dicit enim Gregorius in 2. Mor. quòd *cætera virtutes, niſi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes eſſe nequaquam poſſunt.* Ergo omnes habentes gratiam, habent prudentiam. 2. 2. *q. 47. a. 14. in argumento, ſed contra.*

Qu. 4. an & quomodo omnes iuſti per prudentiam reddantur induſtrij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt induſtria. Vna quidem, quæ eſt ſufficiens ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis: & talis induſtria datur omnibus habentibus gratiam; quos *vnctio docet de omnibus*, vt dicitur 1. Ioan. 2. Eſt autem alia induſtria plenior, per quam aliquis ſibi & alijs poteſt prouidere, non ſolùm de his, quę ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſed etiam de quibuſcunque pertinentibus ad humanam vitam: Et talis induſtria non eſt in omnibus habentibus gratiam. 2. 2. *q. 47. a. 14. ad 1.*

Quæritur. 5. an & quomodo iuſti ex prudentia requirant aliorum conſilia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi, qui indigent regi conſilio alieno, ſaltem in hoc ſibi ipſis conſulere ſciunt (ſi gratiam habent) vt aliorum conſilia requirant, & diſcernant conſilia bona à malis. *in eodem a. 14. ad 2.*

Qu. 6. an verum ſit quod Philoſophus 3. Topic. dicit, iuuenes conſtat non eſſe prudentes: & quænam in eis prudentia reperiri poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prudentia acquiſita cauſatur ex exercitio actuum: vnde indiget ad ſui generationem experimento, & tempore, vt dicitur in 2. ethic. vnde non poteſt eſſe in iuuenibus, nec ſecundùm habitum, nec ſecundùm actum. Sed prudentia gra-

tuita cauſatur ex infuſione diuina: vnde in pueris baptizatis nondum habentibus vſum rationis, eſt prudentia ſecundùm habitum, ſed non ſecundùm actum, ſicut etiam in amentibus. In his autem, qui iam habent vſum rationis, eſt etiam ſecundùm actum, quantùm ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Sed per exercitium meretur augmentum quouſque perficiatur, ſicut & cæteræ virtutes: Vnde Apoſtolus dicit ad Hebr. 5. quòd *perfectorum eſt ſolidus cibus i eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. ibidem ad 3.*

Qu. 7. an & quomodo prudentia corrumpatur per obliuionem, & paſſiones.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obliuio reſpicit cognitionem tantùm: & ideo per obliuionem poteſt aliquis artem totaliter perdere, & ſimiliter ſcientiam, quæ in ratione conſiſtunt: ſed prudentia non conſiſtit in ſola cognitione, ſed etiam in appetitu, quia principalis eius actus eſt præcipere, quod eſt applicare cognitionem habitam ad appetendum, & operandum: Et ideo prudentia non directè tollitur per obliuionem, ſed magis corrumpitur per paſſiones: Dicit enim Philoſophus in 6. Ethic. quòd *delectabile & triſte peruertit æſtimationem prudentiæ:* Vnde Dan. 13. dicitur: *ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum:* Et Exodi 23. dicitur: *Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes.* Obliuio tamen poteſt impedire prudentiam, inquantum procedit ad præcipiendum ex aliqua cognitione, quæ per obliuionem tolli poteſt. *2.2.q.47. a.16. in corp. 1.2. q. 53.a. 1. in corp. & q. 18. de ver. a. 7. ad 6.*

Qu. 8. an & quare memoria ſit pars prudentiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prudentia eſt circa contingentia operabilia: In his autem non poteſt homo dirigi per ea, quæ ſunt ſimpliciter & ex neceſſitate vera, ſed ex his quæ vt in pluribus accidunt: Oportet enim principia concluſionibus eſſe proportionata, & ex talibus talia concludere, vt dicitur in 6. Ethic. Quid autem ſit in pluribus verum, oportet per experimentum conſiderare: vnde & in 2. ethic. Philoſ. dicit, quòd *virtus intellectualis habet generationem, & augmentum ex experimento & tempore:* Experimentum autem eſt ex pluribus memorijs, vt patet in 1. metaph. Vnde conſequens eſt quòd ad prudentiam requiritur plurium memoriam habere: Vnde conuenienter memoria ponitur pars prudentiæ. *2.2.q. 49. a. 1. in corp. 3. ſ. d. 33. q. 3. a. 1. q. 1.*

Qu. 9. an & quomodo docilitas ſit pars prudentiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prudentia conſiſtit circa particularia operabilia, in quibus cùm ſint quaſi infinitæ diuerſitates, non poſſunt ab vno homine ſufficienter omnia conſiderari; nec per modicum tempus, ſed per temporis diuturnitatem: Vnde in his quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo ab alio erudi-

Digitized by Google

ri, & præcipuè ex ſenibus, qui ſanum intellectum adepti ſunt circa fines operabilium: Vnde Philoſophus dicit in 6. Ethic. *oportet attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentium indemonſtrabilibus enuntiationibus & opinionibus, non minùs quàm demonſtrationibus*: Propter experientiam enim vident principia: vnde & Prou. 3. dicitur, *ne innitaris prudentia tua*: Et Eccleſ. 6. dicitur, *in multitudine præsbyterorum* (ideſt ſeniorum) *prudentium ſta, & ſapientia illorum ex corde coniungere.* Hoc autem pertinet ad docilitatem, vt aliquis ſit benè diſciplinæ ſuſceptiuus: Et ideo conuenienter docilitas ponitur pars prudentiæ. 2. 2. *q.* 49. *a.* 3. *in corp.* 3. *ſ. d.* 33. *q.* 3. *a.* 1.

Qu. 10. an & quomodo circumſpectio ſit pars prudentia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad prudentiam præcipuè pertinet rectè ordinare aliquid in finem: quod quidem rectè non fit niſi & finis bonus ſit, & id quod ordinatur in finem, ſit etiam bonum, & conueniens fini. Sed quia prudentia eſt circa ſingularia operabilia, in quibus multa concurrunt: contingit aliquid ſecundùm ſe conſideratum eſſe bonum & conueniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur malum, vel non opportunum ad finem: ſicut oſtendere ſigna amoris alicui, ſecundùm ſe conſideratum, videtur eſſe conueniens ad alliciendum eius animum ad amorem: ſed ſi contingat in animo illius ſuperbia, vel ſuſpicio adulationis, non erit hoc conueniens ad finem: Et ideo neceſſaria eſt circumſpectio ad prudentiam, vt ſcilicet homo id, quod ordinatur in finem, comparet etiam cum his, quæ circunſtant. 2. 2. *q.* 49. *a.* 7. *in corp.* 3. *ſ. d.* 32. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 2.

Qu. 11. an & quomodo cautio ſit pars prudentia, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. videte quomodo cautè ambuletis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ea circa quæ eſt prudentia, ſunt contingentia operabilia; in quibus ſicut verum poteſt admiſceri falſo, ita & malum bono, propter multiformitatem huiuſmodi operabilium, in quibus bona plerumque impediuntur à malis, & mala habent ſpeciem boni: Et ideo neceſſaria eſt cautio ad prudentiam, vt ſic accipiantur bona, quòd vitentur mala.

Qu. 12. quomodo poſſit vir prudens præcauere omnia mala, quæ poſſunt contingere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd malorum, quæ homini vitanda occurrunt, quædam ſunt, quæ vt in pluribus accidere ſolent: & talia comprehendi ratione poſſunt: Et contra hæc ordinatur cautio, vt totaliter vitentur, vel vt minùs noceant: Quædam verò ſunt, quæ vt in paucioribus, & caſualiter accidunt: Et hæc cùm ſint infinita, ratione comprehendi non poſſunt: nec homo ſufficit ea præcauere, quamuis per officium prudentiæ homo contra omnes fortunæ inſultus ſe diſponere poſſit, vt minùs lædatur 2. 2. *qu.* 49. *art.* 8. *ad* 4.

Quær.

Qu. 13. an & quomodo ſolertia, & ſolicitudo ſunt partes prudentiæ.

Reſp. infra v. ſolertia, & v. ſolicitudo.

Quær. 14. an & quando prudentia carnis ſit peccatum mortale, aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prudens dicitur aliquis dupliciter: vno modo ſimpliciter, ſcilicet in ordine ad finem totius vitæ; alio modo ſecundùm quid, ſcilicet in ordine ad finem aliquem particularem, putà ſi dicitur aliquis prudens in negotiatione, vel in aliquo huiuſmodi.

Si ergo prudentia carnis accipiatur ſecundùm abſolutam prudentiæ rationem, ita ſcilicet quòd in cura carnis conſtituatur vltimus finis totius vitæ, ſic eſt peccatum mortale: quia per hoc homo auertitur à Deo, cùm impoſſibile ſit eſſe plures fines vltimos. Si verò prudentia carnis accipiatur ſecundùm rationem particularis prudentiæ, ſic prudentia carnis eſt peccatum veniale: contingit enim quandoque, quòd aliquis inordinatè afficitur ad aliquod delectabile carnis abſque hoc quòd auertatur à Deo per peccatum mortale: vnde non conſtituit finem totius vitæ in delectatione carnis: & ſic adhibere ſtudium ad hanc delectationem conſequendam eſt peccatum veniale, quod pertinet ad prudentiam carnis.

Si verò aliquis actu curam carnis referat in finem honeſtum, putà cùm aliquis ſtudet comeſtioni propter corporis ſuſtentationem, non vocatur prudentia carnis: quia ſic vtitur homo curâ carnis vt ad finem. 2.2.q.55.a.2. *in corp.*

Qu. 15. an debeat dici prudentia diaboli, vel mundi, ſicut prudentia carnis, de qua Apoſtolus ad Rom. 8. ait: nam prudentia carnis mors eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diabolus nos tentat non per modum appetibilis, ſed per modum ſuggerentis: & ideo cùm prudentia importet ordinem ad aliquem finem appetibilem, non ita dicitur prudentia diaboli, ſicut prudentia reſpectu alicuius mali finis, ſub cuius ratione tentat nos mundus & caro; inquantum ſcilicet proponuntur nobis ad appetendum bona mundi, vel carnis: & ideo dicitur prudentia carnis, & etiam prudentia mundi; ſecundùm illud Luc. 16. *filij huius ſæculi prudentiores ſunt in generatione ſua* &c. Apoſtolus autem totum comprehendit ſub prudentia carnis; quia etiam exteriores res mundi appetimus propter carnem. 2.2.q. 55. *a.* 1. *ad* 3.

PVNITIO.

Vide infra v. vindicatio.

PVRGATORIVM.

Vide v. Miſſa. Oratio. ſuffragia.

PVSILLANIMITAS.

Quær. 1. an puſillanimitas ſit peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omne illud quod contra-

quantùm ad alia ſe in ſublime extollat: vnde Gregor. in Paſtorali de Moyſe dicit, quòd *ſuperbus forsaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumera ſine trepidatione ſuſciperet, & rurſum ſuperbus exiſteret, ſi authoris imperio obedire recuſaret. Ibid. ad 3.*

Qu. 5. an & quomodo puſillanimitas directè opponitur magnanimitati.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd puſillanimitas poteſt tripliciter conſiderari. Vno modo ſecundùm ſeipſam: & ſic manifeſtum eſt quòd ſecundùm propriam rationem opponitur magnanimitati, à qua differt ſecundum differentiam magnitudinis & paruitatis ſecundùm idem: nam ſicut magnanimus ex animi magnitudine tendit ad magna, ita puſillanimus ex animi paruitate ſe retrahit à magnis: alio modo poteſt conſiderari ex parte ſuæ cauſæ, quæ ex parte intellectûs eſt ignorantia propriæ conditionis; ex parte autem appetitûs, timor deficiendi in his quæ falsò æſtimat excedere ſuam facultatem: tertio modo poteſt conſiderari quantùm ad effectus qui eſt retrahere ſe à magnis quibus eſt dignus: ſed oppoſitio vitij ad virtutem attenditur magis ſecundùm propriam ſpeciem, quàm ſecundùm cauſam vel effectum: Et ideo puſillanimitas directè magnanimitati opponitur. 2. 2. *qu. 33. a. 2. in corp.*

Qu. 6. an & quomodo puſillanimitas opponatur nedum magnanimitati, ſed etiam humilitati.

Reſp. infra v. Superbia.

Qu. 7. an ſicut ignorantia ſui opponitur prudentia, ita etiam ipſi opponatur puſillanimitas, quæ ex tali ignorantia prouenit, teſte Philoſ. 4. Ethic. vbi ait puſillanimus ignorat ſeipſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procedit de puſillanimitate ex parte cauſæ quam habet in intellectu: & tamen non propriè poteſt dici quòd opponatur prudentiæ etiam ſecundùm cauſam ſuam; quia talis ignorantia non procedit ex inſipientia, ſed magis ex pigritia conſiderandi ſuam facultatem, vt dicitur in 4. Ethic. vel exequendi quod ſuæ ſubiacet poteſtati. *Ibid. ad 1.*

Qu. 8. vtrum effectus puſillanimitatis ſit pigritia: vnde Matth. 25. ſeruum qui propter puſillanimitatem pecuniâ vti recuſauit, vocat Dominus malum & pigrum: Philoſophus etiam dicit in 4. Ethic. quòd puſillanimi videntur pigri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procedit de puſillanimitate ex parte effectûs. *Ibid. ad 2.*

Qu. 9. an puſillanimitas procedat ex timore ſecundùm illud Iſaiæ 35. dicite puſillanimis: cōfortamini, & nolite timere: procedat etiam ex ira ſecundùm illud ad Coloſ. 3. Patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ratio illa procedit ex parte cauſæ: nec tamen timor cauſans

puſillanimitatem, ſemper eſt timor periculorum mortis; vnde etiam ex hac parte non oportet quòd opponatur fortitudini: ira autem ſecundùm rationem proprij motûs quo quis extollitur in vindictam, non cauſat puſillanimitatem quæ deiicit animum; ſed magis tollit eam: inducit autem ad puſillanimitatem ratione cauſarum iræ, quæ ſunt iniuriæ illatæ; ex quibus deiicitur animus patientis. *Ibid. ad 3.*

Qu. 10. cur Apoſtolus loco citato ad Coloſ. 3. parentes admonet, ne filios ſuos riddant puſillanimes.

Reſp. D. Thomas, huius ratio eſt, quia homines retinent impreſſionẽ, quam à pueritia habuerunt: Naturale autem eſt, quòd qui in ſeruitute nutriuntur, ſemper ſint puſillanimes. Vnde ratio eſt cuiuſdam, quare filij Iſrael non ſtatim in terram promiſſionis ſunt producti: quia fuerunt nutriti in ſeruitute, & non habuiſſent audaciam contra inimicos pugnandi. *Eſa. 35. dicite puſillanimis. In expoſ. eiuſd. cap. lect 4.*

Qu 11. an puſillanimitas ſit grauius peccatum, quàm præſumptio, cùm de iſta dicatur Eccl. 37. O præſumptio nequiſſima.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd puſillanimitas eſt grauius peccatum ſecundùm propriam ſpeciem, quàm præſumptio: quia per ipſam recedit homo à bonis, quod eſt peſſimum, vt dicitur in 4. Eth. 3. ſed præſumptio dicitur eſſe nequiſſima ratione ſuperbiæ, ex qua procedit. *2. 2. qu. 133. art. 2. ad 4.*

QVADRAGESIMA.

Vide ſupra v. Ieiunium, præſertim qu. 18. 27. & 33.

QVÆSTIO.

Qu. cur periculoſum eſt determinare quæſtiones in quibus agitur de mortali peccato.

Reſp. ſupra v. Beneficium Eccleſiaſticum qu. 8.

RAPINA.

Qu. 1. an qui rapinam committunt, peccent, & teneantur ad reſtitutionem.

Reſp. D. Thomas, dicendũ quòd rapina quandam violentiam & coactionem importat, per quam contra iuſtitiam alicui aufertur quod ſuum eſt: in ſocietate autem hominum nullus habet coactionem, niſi per publicam poteſtatem: & ideo quicunque per violentiam aliquid alteri aufert, ſi ſit priuata perſona, non vtens publicâ poteſtate, illicitè agit, & rapinam committit, ſicut patet in latronibus.

Principibus verò poteſtas publica committitur ad hoc quòd ſint iuſtitiæ cuſtodes: & ideo non licet eis violentiâ, & coactione vti, niſi ſecundùm iuſtitiæ tenorem; & hoc vel contra hoſtes pugnando, vel contra ciues, malefactores puniendo: & quòd per talem violentiam aufertur, non habet rationem rapinæ, cùm non ſit contra iuſtitiam.

Si verò contra iuſtitiam aliqui

Digitized by Google

per publicam poteſtatem violenter abſtulerint res aliorum, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur. 2.2. *qu. 66. a. 8. in corp.*

Qu. 2. vtrum illi qui in bello iuſto deprædantur hoſtes rapinam committant, & ad reſtitutionem teneantur.

Reſp. ſupra v. Bellum *q. 6.*

Qu. 3. quandonam Principes rapinam committant, & ad reſtitutionem teneantur, ſi per violentiam bona ſubditorum capiant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi Principes à ſubditis exigant quod eis ſecundùm iuſtitiam debetur propter bonum commune conſeruandum, etiamſi violentiam adhibeant, non eſt rapina: ſi verò aliquid Principes indebitè extorqueant per violentiam, rapina eſt ſicut & latrocinium: Vnde dicit Auguſtinus 4. de Ciuit. Dei: *remotâ iuſtitiâ, quid ſunt regna niſi magna latrocinia; quia & ipſa latrocinia quid ſunt niſi parua regna?* & Ezech. 22. dicitur: *Principes eius in medio eius quaſi lupi rapientes prædam*: Vnde & ad reſtitutionem tenentur, ſicut & latrones: & tantò grauiùs peccant quàm latrones, quantò periculoſiùs & communiùs contra publicam iuſtitiam agunt, cuius cuſtodes ſunt poſiti. 2.2. *q. 66. a. 8. ad 3.*

Quær. 4. quare rapina eſt grauius peccatum quàm furtum, & ſecundùm leges grauiùs punitur.

Reſp. D. Thomas, quia per rapinam non ſolùm infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam vergit in quandam perſonæ ignominiam ſiue iniuriam: & hoc præponderat fraudi vel dolo, quæ pertinent ad furtum 2.2. *q. 66. a. 9.*

RAPTVS.

Vide v. matrimonium *qu.* 178. *& tribus ſequentibus.*

RECIDIVANS.

Qu. 1. an teneatur pœnitens iterum confiteri peccata ſua, vt ipſius ingratitudo cognoſcatur; vel exponere Sacerdoti beneficia ſibi à Deo exhibita, vel ſuas omnes pronitates ad peccandum: & quomodo recidiuās teneatur præterita peccata notificare in generali, & quandoque etiam in ſpeciali, vt debita ſatisfactio imponi poſſit, & occaſiones iterum peccandi poſſint præſcindi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non oportet vt denuo cōfiteatur, vt cognoſcatur ingratitudinis quantitas: ſicut enim quantitas peccati augetur per ingratitudinem de peccatis dimiſſis, ita etiam augetur per ingratitudinem de beneficijs acceptis: vnde pari ratione teneretur confitens omnia beneficia Dei ſibi exhibita exponere ſacerdoti, quod nullus dicit. Similiter etiam non oportet, vt Sacerdoti aliquis confiteatur totum ſtatum ſuum, vt Sacerdos cognoſcat vultum pecoris ſui: ſed ſolùm ea, de quibus debet ab eo iudicari: aliàs oporteret innocentem Sacerdoti, cui venialia confitetur, exponere omnes pronitates ſuas ad peccandum, & tota conditionem

Digitized by Google

ſuam quod nullus, dicit. Vnde aliquorum opinio eſt, quòd poſt recidiuum non tenetur aliquis priora peccata confiteri, nec in generali, nec in ſpeciali: quia ingratitudo, ratione cuius peccata redire dicuntur, eſt quædam peccati circunſtantia, nec trahit in aliud genus peccati: Huiuſmodi autem circunſtantiæ non ſunt neceſſariò cõfitendæ. Sed ex hac opinione videtur relinqui, quòd non poſſit plenariè recidiuantis morbo remedium adhiberi: Multa enim expediunt ad ſpiritualem ſalutem recidiuanti, quæ non ſunt neceſſaria innocenti; vt ſcilicet circa eum maior cautela adhibeatur.

Et ideo videtur diſtinguendum eſſe, quòd in confeſſione eſt aliquid exponendum dupliciter: Vno modo directè: & ſic exponi dicitur, cuius abolitio per confeſſionem quæritur: Et ſic peccata dimiſſa recidiuans nullo modo confiteri tenetur nec in generali, nec in ſpeciali, cuicunque confiteatur: Alio modo indirectè; ſicut illud ſine quo ſciri non poteſt debitus ſatisfaciendi modus: Cùm enim contritio ſecundùm quòd eſt de neceſſitate ſalutis votum confeſſionis, & ſatisfactionis debitæ includat, tenetur ille, qui confitetur, Sacerdoti exponere ea, quibus Sacerdos poſſit ſcire, quæ ſatisfactio ſit congrua iniungenda; ſicut confitens confitetur Sacerdoti interdum ſe eſſe infirmum, vt ei ieiunium non imponat: Et per hunc modum tenetur recidiuans notificare peccata dimiſſa quantùm ſufficit ad hoc quòd ſciatur, quæ ſatisfactio eſt ei iniungenda; vt ſi ipſe frequenter lapſum carnis paſſus eſt ex aliqua occaſione, illa occaſio præſcindatur per ſatisfactionem; & ſic de alijs peccatis: Et ad hoc videtur ſufficere confeſſio dimiſſorum peccatorum in generali. Tamen interdum ad aliqua ſpecialia oportet deſcendere, ſecundùm quòd confitens viderit opportunum: Non enim poteſt in his aliqua certa menſura præfigi. *4. ſ. d. 22. q. 1. a. 3. in corp.*

Quær. 2. an recidiuans teneatur iterum confiteri peccata, à quibus abſolutus fuit; vel ingratitudinem, quam commiſit iterando eadem peccata; vel ad vitandas peccati occaſiones, quando ipſe ſcit quomodo vitare debent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc ſunt tres opiniones, quidam enim ſic diſtingunt: aut enim quis recidiuat ante ſatiſfactionem peractam; & ſic tenetur ſpeciàliter confiteri: aut poſt: & ſic aut confitetur confeſſori eidem, aut alteri: ſi eidem & ille habet memoriam præcedentium peccatorum eius, ſic non tenetur confiteri in ſpeciali: ſed contra hoc eſt, quia non redeunt peccata præcedentia niſi per ingratitudinem: ergo ſecundùm ſe non confitenda ſunt: homo enim non tenetur confiteri peccatum quod non habet: ideo alii dicunt quod non propter ſe, ſed propter cautelam futuri peccati ſunt iterum confitenda in generali, & aliquando aliqua in ſpeciali; prout neceſſarium eſt ad manifeſtationem cauſæ peccati per quod recidiuatur; vt determinata ſatiſfactio ſibi iniungatur, ne iterum recidiuet. Sed contra hoc eſt, quia aliquando nullum peccatum præcedens eſt

Digitized by Google

cauſa peccati per quod recidiuatur. Præterea multò meliùs ſcit quis vitare peccatum futurum per induſtriam propriam, quàm Sacerdos ſatisfactionem ſciat iniungere ad vitandum peccatum. præterea, ſic ſequeretur quòd omnes pronitates ad peccandum quas quis patitur, teneretur confiteri. Et ideo alii veriùs dicunt quòd cùm peccata Præcedentia non redeant niſi quantùm ad ingratitudinem, quia ſecundùm ſe dimiſſa ſunt; ingratitudo autem non trahit in aliud genus ſpecialis peccati; ideo non ſecundùm ſe confitenda ſunt: nec ipſa ingratitudo ſecundùm quam redire dicuntur. *4. ad bann. d. 22. a. 2. in corp.*

RELIGIO.

Qu. 1. quomodo Religio ordinet homines ad Deum, iuxta illud Tullij 2. Rethor. Religio eſt virtus quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ (quam diuinam vocant) cultum ceremoniamque affert.

RESp. D. Thomas, dicendũ quòd ſicut Iſidor. dicit in lib. Etym. *Religioſus* (vt ait Cicero) *à relectione appellatur; quia retractat & tanquam relegit ea quæ ad cultum diuinum pertinent*: & ſic religio videtur dicta à relegendo ea quæ ſunt diuini cultûs; quia huiuſmodi ſunt frequenter in corde reuoluenda; ſecundùm illud prou. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum*: Quamuis etiam poſſit intelligi religio ex hoc dicta quòd *Deum reeligere debemus, quem amiſeramus negligentes*, ſicut Aug. dicit in 10. de ciuit. Dei. Vel poteſt intelligi religio à religando dicta: vnde Aug. dicit in lib. de vera religione, *Religet nos religio vni omnipotenti Deo*: Siue autem religio dicatur à frequenti relectione, ſiue ex iterata electione eius quod negligenter amiſſum eſt, ſiue dicatur à religatione, religio propriè importat ordinem ad Deum: ipſe enim eſt cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio; ad quem etiam noſtra electio aſſiduè dirigi debet ſicut in vltimum finem; quem etiam negligentes, peccando amittimus, & credendo ac fidem proteſtando recuperare debemus. *2. 2. qu. 81. a. 1. in corp.*

Qu. 2. quinam ſpecialiter dicantur Religioſi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis religioſi dici poſſint communiter omnes qui Deum colunt, ſpecialiter tamen religioſi dicuntur, qui totam vitam ſuam diuino cultui dedicant, à mundanis negotiis ſe abſtrahentes: ſicut etiam contemplatiui dicuntur, non qui contemplantur, ſed qui contemplationi totam vitam ſuam deputant. Huiuſmodi autem non ſe ſubiiciunt homini propter hominem, ſed propter Deum; ſecundùm illud Apoſt. Gal. 4. *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Ibid. ad 5.*

Qu. 3. an quilibet Religioſus teneatur ad omnia conſilia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad perfectionem aliquid pertinet tripliciter: vno modo eſſentialiter; & ſic ad perfectionem

Digitized by Google

pertinet perfecta obſeruantia præceptorum charitatis: alio modo ad perfectionem pertinet aliquid conſequenter, ſicut illa quæ conſequuntur ex perfectione charitatis, putà quòd aliquis maledicenti benedicat, & alia huiuſmodi impleat, quæ etſi ſecundùm præparationem animi ſint in præcepto, vt ſcilicet impleantur quando neceſſitas requirit; tamen ex ſuperabundantia charitatis procedit, quòd etiam præter neceſſitatem quandoque talia impleantur: Tertio modo pertinet aliquid ad perfectionem inſtrumentaliter, & diſpoſitiuè, ſicut paupertas, continentia, obedientia, & alia huiuſmodi.

Perfectio autem charitatis eſt finis ſtatus Religionis: Status autem religionis eſt quædam diſciplina, vel exercitium ad perfectionem peruenienda: ad quam quidem aliqui peruenire nituntur exercitiis diuerſis, ſicut & medicus ad ſanandum vti poteſt diuerſis medicamentis: manifeſtum eſt autem quòd ille qui operatur ad finem, non ex neceſſitate conuenit quòd iam aſſecutus ſit finem, ſed requiritur quòd per aliquam viam tendat ad finem: & ideo ille qui ſtatum religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem; ſed tenetur ad hoc tendere & operam dare, vt habeat charitatem perfectam: & eadem ratione non tenetur ad hoc quòd illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis conſequuntur. Tenetur autem, vt ad ea implenda intendat: contra quod facit contemnens: Vnde non peccat ſi ea prætermittat, ſed ſi ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem peruenitur; ſed ad illa quæ determinatè ſunt ei taxata ſecundùm regulam, quam profeſſus eſt. 2. 2. qu. 186. *a. 2. in corp. 4. ſent. d. 1. qu. 2. art. 6. qu. 2. ad 3.*

Qu. 4. an Religioſus ſit tranſgreſſor ſuæ profeſſionis, ſi non ſit perfectus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui tranſit ad Religionem, non profitetur ſe eſſe perfectum, ſed profitetur ſe adhibere ſtudium ad perfectionem conſequendam: ſicut etiam qui intrat ſcholas, non profitetur ſe ſcientem, ſed profitetur ſe ſtudentem ad ſcientiam acquirendam: vnde ſicut Auguſtinus dicit 8. de Ciuit. Dei. *Pythagoras noluit ſe ſapientem profiteri, ſed ſapientiæ amatorem*: & ideo Religioſus non eſt tranſgreſſor profeſſionis, ſi non ſit perfectus; ſed ſolùm ſi contemnat ad perfectionem tendere. *in eodem a. 2. ad 1.*

Quær. 5. an Religioſus teneatur facere omnia bona, quæ poteſt, iuxta illud D. Gregorij ſuper Ezech. ille qui præſens ſæculum deſerit, & agit bona quæ valet, quaſi iam Aegypto derelictâ, ſacrificium præbet in eremo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, eſt tamen aliqua totalitas perfectionis quæ ſine peccato prætermitti non poteſt, aliqua autem quæ ſine peccato prætermittitur, dum tamen deſit contemptus: ita etiam omnes tam Religioſi quam ſæculares tenentur

tenentur aliqualiter facere quidquid boni poſſunt: omnibus enim communiter dicitur Eccl. 9. *quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare.* Eſt tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur; ſcilicet ſi homo faciat quod poteſt, ſecundùm quòd requirit conditio ſui ſtatus, dummodo contemptus non adſit agendi meliora, per quem animus firmatur contra ſpiritualem profectum. 2.2.q. 186. a. 2. ad 2.

Qu. 6. quare Religioſi tenentur ad illa conſilia, quę concernunt eſſentialia Religionis vota, non autem ad omnia alia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quædam conſilia ſunt, quæ ſi prætermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotiis ſæcularibus; putà ſi quis haberet proprium, vel matrimonio vteretur, aut aliquid huiuſmodi faceret, quod pertinet ad eſſentialia vota Religionis: & ideo ad omnia talia conſilia obſeruanda religioſi tenentur: ſunt autem quædam conſilia de quibuſdam melioribus particularibus quæ prætermitti poſſunt abſque hoc quòd vita hominis ſæcularibus actibus implicetur: vnde non oportet quòd ad omnia talia religioſi teneantur. *ibid. ad 3.*

Quer. 7. vtrum ad perfectionem Religionis requiratur, quòd paupertas continentia & obedientia cadant ſub voto, ſicut in veteri lege nazaræi cum voto ſanctificabantur, ſecundùm illud num. 6. vir ſiue mulier cùm fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare &c.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad religioſos pertinet, quòd ſint in ſtatu perfectionis: ad ſtatum autẽ perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis, quæ quidem Deo fit per votum: manifeſtum eſt autem quòd ad perfectionem chriſtianæ vitæ pertinet paupertas, continentia, & obedientia: & ideo religionis ſtatus requirit, vt ad hæc tria aliquis voto obligetur: vnde Gregorius dicit ſuper Ezech. *cùm quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt*: quod quidem pertinere poſtea dicit ad eos qui præſens ſæculum deſerunt. 2. 2. q. 186. a. 6. op. 19. c. 1.

Qu. 8. an & quomodo tota vita Chriſtiana, & religioſa perfectio per hæc tria vota conſummatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd religionis ſtatus poteſt conſiderari tripliciter: vno modo, ſecundùm quòd eſt quoddam exercitium tendendi in perfectionem charitatis: alio modo, ſecundùm quòd quietat animum humanum ab exterioribus ſolicitudinibus; ſecundùm illud 1. ad Cor. 7. *volo vos ſine ſolicitudine eſſe*: tertio modo ſecundùm quòd eſt quoddam holocauſtum, per quod aliquis totaliter ſe & ſua offert Deo: & ſecundum hæc, ex his tribus votis integratur religionis ſtatus.

Primò enim quantùm ad exercitiũ perfectionis requiritur quòd aliquis à ſe remoueat illa per quæ poſſet impediri ne totaliter eius affectus tendat in Deum, in quo conſiſtit perfectio charitatis: huiuſmodi autem ſunt tria: primum quidem, cupiditas exteriorum bo-

norum, quæ tollitur per *votum paupertatis*: ſecundum autem eſt concupiſcentia ſenſibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ quæ excluduntur per *votum continentiæ*: tertium autem eſt inordinatio voluntatis humanæ; quæ excluditur per *votum obedientiæ.*

Similiter autem ſolicitudinis ſæcularis inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria: Primò quidem, circa diſpenſationem exteriorum rerum: & hæc ſolicitudo per votum paupertatis homini aufertur: ſecundò, circa gubernationem vxoris & filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ: tertiò, circa diſpoſitionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis ſe alterius diſpoſitioni committit.

Similiter etiam *holocauſtum eſt cùm aliquis totum quod habet, offert Deo*, vt Greg. dicit ſuper Ezech. habet autem homo triplex bonum, ſecundùm Philoſ. in 1. Ethic. Primò quidem, exteriorum rerum, quas quidem aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis: ſecundò autem, bonum proprij corporis; quod aliquis præcipuè offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis: tertium autem bonum eſt animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiã qua aliquis offert Deo propriam voluntatem; per quam homo vtitur omnibus potentiis & habitibus animæ: Et ideo conuenienter ex tribus votis ſtatus religionis integratur. 2.2.q.186.a.7. in corp. qu.188.a.1. ad 2. & a. 2. ad 2.q.2. de ver.a.11.ad 5.opuſc.18.cap. 15. & opuſc.19.c.1.

Qu. 9. an votum obedientiæ ſit potiſſimum inter tria Religionis vota.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum obedientiæ eſt præcipuum inter tria vota Religionis, & hoc triplici ratione.

Primò quidem, quia per votum obedientiæ aliquid maius homo offert Deo, ſcilicet ipſam voluntatem, quæ eſt potior quàm corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam, & quàm res exteriores quas offert homo Deo per votum paupertatis: vnde illud quod fit ex obedientia, eſt magis Deo acceptum quàm id quod fit per propriam voluntatem ſecundùm illud Hieronymi quod dicit ad ruſticum Monachum, *ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum*, & poſt pauca ſubdit: *non facias quod vis: comedas quod iuberis: habeas quantum acceperis: veſtiaris quod datur:* Vnde & ieiunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate, ſecundùm illud Iſaiæ 58. *ecce, in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.*

Secundò, quia votum obedientiæ continet ſub ſe alia vota, ſed non conuertitur: nam Religioſus etſi teneatur ex voto cõtinentiam ſeruare, & paupertatem, tamen hæc etiam ſub obedientia cadunt: ad quam pertinent multa alia præter continentiam & paupertatem ſeruare.

Tertiò, quia votum obedientiæ propriè ſe extendit ad actus propinquos fini Religionis: quantò autem aliquid propinquius eſt fini, tantò melius eſt: & inde etiam eſt quòd votum obedientiæ eſt Reli-

Digitized by Google

gioni eſſentialius: ſi enim aliquis abſque voto obedientiæ voluntariam paupertatem, & cótinentiam etiam voto ſeruet, non propter hoc pertinet ad ſtatum Religionis, qui præfertur etiam ipſi Virginitati ex voto obſeruatæ: dicit enim Auguſtinus lib. de Virginitate, *nemo quantum puto auſus fuerit Virginitatem præferre Monaſterio.* 2.2. *queſt.* 186. *art.*8. *in corp. queſt.*188. *ar.*7. *ad* 1.

Qu. 10. *qualis quantaque ſit obedientia, & voti eius perfectio.*

Reſp. ſupra v. obedientiæ præſertim *qu.* 26. *& ſequ.* & v. votum.

Qu. 11. *an Religioſus ſemper peccet mortaliter tranſgrediendo ea, quæ ſunt in regula: quandoquidem ſtatus Religionis redderetur periculoſiſſimus propter multitudinem obſeruantiarum, & tamen eſt ſecurior ſtatu vitæ ſæcularis, vnde D. Gregorius* 1. *moral. comparat vitam ſæcularem mari fluctuanti, vitam autem Religionis portui tranquillo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in regula continetur aliquid dupliciter: vno modo ſicut finis regulæ: putà ea quæ pertinent ad actus virtutum: & horum tráſgreſſio, quantùm ad ea quæ cadunt communiter ſub præcepto, obligat ad mortale: quantùm vero ad ea, quæ excedunt communiter neceſſitatem præcepti, non obligat ad mortale, niſi propter contemptum: quia Religioſus non tenetur eſſe perfectus; ſed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus: alio modo continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, ſicut ſunt omnes exteriores obſeruantiæ, inter quas ſunt quædam, ad quas obligatur Religioſus ex voto profeſſionis: votum autem profeſſionis reſpicit principaliter tria prædicta, ſcilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam: alia verò omnia ad hæc ordinantur.

Et ideo tranſgreſſio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale niſi propter contemptum regulæ: quia hoc directè contrariaretur profeſſioni, per quam aliquis vouit regularem vitam: vel propter præceptum ſiue oretenus à Prælato factum, ſiue in regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum. 2. 2. *q.* 186. *a.*9. *in corp.*

Qu. 12. *vtrum illi qui profitentur alicuius Religionis Regulam, voueant ſeruare omnia quæ ſunt in ipſa: & quomodo in ordine* [illegible] *tradicatorum tranſgreſſores Regulæ excuſentur à peccato.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui profitetur regulam, non vouet ſeruare omnia quæ ſunt in regula, ſed vouet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis: vnde & in quibuſdam religionibus cautiùs aliqui profitentur, non quidem regulam, ſed viuere ſecundùm regulam, id eſt, tendere ad hoc vt aliquis mores ſuos informet ſecundùm regulam, ſicut ſecundùm quoddam exemplar: Et hoc tollitur per contemptum: in quibuſdam autem religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam

ſecundùm regulam; ita quòd profeſſioni non contrariatur niſi id quod eſt contra præceptum regulæ: trangreſſio verò vel omiſſio aliorum obligat ſolùm ad peccatum veniale: quia huiuſmodi diſpoſitiones ſunt ad principalia vota: peccatum autem veniale eſt diſpoſitio ad mortale; inquantum impedit ea quibus aliquis diſponitur ad obſeruanda principalia præcepta legis Chriſti, quæ ſunt præcepta charitatis: in aliqua tamen religione (ſcilicet ordinis fratrum Prædicatorum) tranſgreſſio talis vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem neque venialem; ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam; quia per hunc modum ad talia obſeruanda obligantur, qui tamen poſſent venialiter vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1.

Quæritur 13. vtrum omnia quæ continentur in Regulis Religioſorum, habeant rationem præcepti, & obligent ad peccatum.

Reſp. v. lex, qu. 17.

Quær. 14. quid ſit peccare ex contemptu; & vtrum Religioſi cenſeantur Regulam tranſgredi ex contemptu, ſi hoc faciant frequenter.

Reſp. v. contemptus qu. 1.

Qu. 15. an & quando Religioſi peccent mortaliter agendo contra Regulam v. g. frangendo ſilentium, aut comedendo carnes: & quomodo profiteantur in ordine D. Benedicti, & D. Dominici: & quare forma profitendi in ordine Prædicatorum eſt cautiſſima & ſecuriſſima.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil eſt peccatum mortale Monacho, vel Religioſo cuicunque per ſe loquendo, quod non ſit peccatum mortale alteri, niſi ſit contrarium ei ad quod ſe voto profeſſionis obligauit: per accidens tamen, vt ratione ſcandali, vel alicuius huiuſmodi poſſet aliquid ei eſſe peccatum, quod non eſſet alij peccatum.

Eſt ergo conſiderandum, quid ſit illud ad quod Religioſus voto profeſſionis ſe aſtringit: & ſi quidem religioſus profitendo voueret ſe regulam ſeruaturum, videretur ſe obligare voto ad ſingula, quæ continentur in regula, & ſic contra quodlibet eorum agendo, peccaret mortaliter; & ex hoc ſequeretur, quòd Religionis ſtatus eſſet Religioſis in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunquam poſſent declinare. Sancti ergo Patres, qui ordines inſtituerunt nolentes hominibus inijcere damnationis laqueum; ſed magis viam ſalutis., ordinauerunt talem profeſſionis formam, in qua periculum eſſe non poſſet, ſicut in ordine fratrum Prædicatorum eſt cautiſſima, & ſecuriſſima forma profitendi: quia non promittit ſe ſeruare regulam, ſed obedientiam ſecundùm regulam: vnde ex voto obligantur ad ſeruanda ea, quæ ponuntur in regula tanquam præcepta, & quæ Prælatus ſecundùm tenorem regulæ ſibi præcipere voluerit: cætera verò, quæ non continentur in regula ſub præcepto, non cadunt directè ſub voto, vnde ea prætermittens, non

peccat mortaliter.

Beatus verò Benedictus ſtatuit Monachum profiteri, non quidem obſeruare regulam, ſed quòd profitens promittit conuerſionem morum ſuorum ſecundùm regulam, hoc eſt dictum vt ſecundùm regulam dirigat mores ſuos: contra quam facit, ſi vel ea quæ ſunt præcepta in regula, tranſgreditur; vel etiam contemnat regulam, ſecundùm eam dirigere actus ſuos omninò recuſans: non autē omnia, quæ in regula continentur, ſunt præcepta, quædam enim ſunt monitiones ſiue conſilia, quædam verò ordinationes ſiue ſtatuta quædam.

Vt quòd poſt completorium nemo loquatur: huiuſmodi autem ſtatuta, quæ in regula continentur, non habent vim præcepti, ſicut nec Prælatus ſtatuens aliquid intendit ſemper ad peccatum mortale obligare per præceptum: eſt autem Prælatus quaſi quædam regula animata: vnde ſtultum eſſet putare, quòd Monachus frangens ſilentium poſt completorium peccaret mortaliter, niſi fortè faceret hoc contra præceptum Prælati, vel ex contemptu regulæ.

Abſtinere autem à carnibus non ponitur in rehula Beati Benedicti vt præceptum, ſed vt ſtatutum quoddam, vnde Monachus comedens carnes non ex hoc ipſo peccat mortaliter: niſi in caſu propter inobedientiam, vel contemptum. *quodlibeto 1.a. 20. 2.2.q.186. a. 9. in corp.*

Qu. 16. vtrum antequam traderentur Regula ordinum Religioſorum, eſſet in Eccleſia ſimilis viuendi modus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd antequam eſſent iſtæ regulæ quæ modò ſunt, erat aliquis modus viuendi ab Eccleſia approbatus, quo aliqui ad ea quæ ſunt ſupererogationis ſe obligabant: & tunc certi temporis obligatio ad illum modum viuendi, idem faciebat quod nunc obligatio ad certam regulam. *in 4.d. 38. q. 1.a. 2. q. 3. ad 3.*

Qu. 17. an profeſſus in minori Religione teneatur implere votum ſimplex de ingreſſu in maiorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum ſolemne quo quis obligatur minori religioni eſt fortius, quàm votum ſimplex quo quis aſtringitur maiori religion: poſt votum enim ſimplex, ſi contraheret aliquis matrimonium, non dirimeretur, ſicut poſt votum ſolemne: & ideo ille qui iam profeſſus eſt in minori Religione, non tenetur implere votum ſimplex quod emiſit, de intrando Religionem maiorem. *2.2. q. 189. a. 8. ad 3.*

Quær. 18. an debeat dari annus probationis ante profeſſionem: & vtrum ante illum probationis annum admitti poſſint iuuenes ad religionem, & ad eam ſe obligare voto vel iuramento.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Innocentius quartus in quibuſdam litteris ad religioſos directis, quæ incipiunt, *non ſolùm in fauorem*, ſic dicit: *vobis de fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ ſub pœna excōmunicationis authoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus*,

ne ante annum probationis elapſum, qui eſt maximè in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus, quemquam ad profeſſionem veſtri ordinis, ſeu ad renuntiationem ſæculi faciendam, recipere præſumatis quod autem ad probationem non recipiantur iuuenes, vel quòd voto vel iuramento non obligentur ad intrandum, ſine præiudicio temporis probationis, nunquam inuenitur prohibitum. *quodlib.* 3. 11. *ad* 1. 2. 2. *q.* 189 *a.* 2. *ad* 1.

Quær. 19. *an pueri non exercitati in præceptis ſint recipiendi, vel obligandi voto, vel iuramento: vel beneficijs alliciendi, vt fiant Religioſi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa propoſitam quæſtionem, vt ſingula diſcutiamus, conſiderandum eſt quòd pueros etiam infra annos pubertatis in Religionem recipi non eſt ſecundùm ſe malum, imò eſt expediens & fructuoſum: quia illud quod à pueritia aſſueſcimus ſemper perfectiùs & firmiùs tenemus, ſecundùm illud Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea:* & ideo Apoſtoli inſtituerunt, vt pueri etiam infantes ad Chriſtianam Religionem reciperentur, vt in ea nutriti firmiùs & perfectiùs ei inhærerent: & hoc eſt quod Dionyſ. dicit in vlt. cap. Eccleſiaſt. Hierachiæ, *ſecundùm legem ſanctam confirmati infantes ad habitum ſanctum habebunt conſuetudinem ab omni remoti errore & immunda vita expertes: hoc diuinis noſtris ducibus* (id eſt Apoſtolis) *ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes.* Multò autem magis excedit vita Chriſtiana infidelium vitam quàm vita religioſorum vitam ſæcularium; præſertim cùm in primitiua Eccleſia omnium Chriſtianorum eſſet perfectiſſimus Religionis ſtatus; ſecundùm illud act. 4. *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna; nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*: ad cuius vitæ exemplar omnes Religiones ſunt inſtitutæ: & ideo religionum inſtitutores ex eadem cauſa qua Apoſtoli, moti ſunt ad recipiendum infantes in Religione, vt patet de B. Benedicto, qui vt in ſecundo dialogorum legitur, recepit nutriendum in Religion Maurum duodemnem, & Placidum ſeptemnem.

Eſt tamen differentia circa hoc attendenda: nam pueri ante annos pubertatis ex naturali iure ſunt ſub cura parentum, propter hoc quòd patiuntur diſcretionis defectum, ſecundùm quam poſſint benè regere ſeipſos: & ideo in hac ætate poſſunt quidem Religioni tradi, ſi à parentibus offerantur, & erit rata traditio; præcipuè ſi cùm ad annos pubertatis peruenerint, ratam habuerint paternam oblationem: Vnde Gregorius dicit, & habetur 20. q. 1. (*addidiſti*) *ſi pater, vel mater filium filiamue intra ſepta Monaſterij in infantia annis ſub regulari tradiderint diſciplina, vtrum liceat eis poſtquam pubertatis impleuerint annos, egredi, & matrimonio copulari, hoc omnino deuitamus; quia nefas eſt, vt oblatis à parentibus Deo filiis voluntatis frena laxentur.* Si autem in hac ætate propriâ ſponte ſe Religioni tradiderint, poteſt hoc per aſſenſum, vel diſſimulationem parentum ratum eſſe, vnde dicitur 20. qu. 2.

ſi in qualibet minori ætate, vel Religionis tonſuram, vel Religioni veſtem debitam, in vtroque ſexu filiis aut vnus, aut ambo parentes dederint; aut fortè vel nolentibus, vel neſcientibus, ſcilicet parentibus, *à ſe ſuſceptam, non mox viſam in filiis abdicauerint, ſed vel coram ſe vel Epiſcopo palamque in Conuentu eodem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reuerti habitum filiis ipſis quandoque penitus non licebit.* Si verò pueri annos pubertatis tranſcenderint, poſſunt etiam inuitis parentibus ad Religionem tranſire; nec ſunt repellendi, imò magìs aduocandi: vt enim Gregor. dicit in quadam homilia, *ad vitam bonam alius in adoleſcentia, alius in iuuentute, alius in ſenectute, alius in decrepita ætate perducitur*: & cùm in nulla ætate ſint repellendi, minùs tamen ſunt repellendi in pueritia; dicit enim Chryſ. ſuper Matth. *Quis meruit appropinquare Chriſto, ſi repelleretur ab eo ſimplex infantia? Nam ſi ſancti futuri ſunt, quid vetatis filios ad patrem venire? Si autem peccatores futuri ſunt, vt quid ſententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis?* quam quidem damnationis ſententiam proferunt aliqui, cùm dicunt, *non ſunt recipiendi pueri ad Religionem; quia exibunt, & peiores efficientur.*

Sed quod addunt quidam, quòd oportet pueros priùs exercitari in præceptis, & poſtea tranſire ad conſilia obſeruanda in Religione, ex falſo intellectu procedit: arbitrantur enim, quòd præcepta præparent viam ad conſilia: non eſt autem ſic, imò potiùs conſilia parant viam ad præcepta ſeruanda; quia per conſilia remouetur homo à rebus ſæculi, circa quas occupatus difficile eſt quòd innocentiam ſeruet: vnde Hilar. dicit ſuper Matt. *Graue onus innocentia ſubit incrementis opum occupata: rem enim ſæculi famulatus Dei non ſine ſæculi vitiis aſſequetur*: & ideo Dominus dicit Matt. 19. quòd *difficile eſt qui pecunias habent, intrare in regnum cælorum*: quia difficile eſt quòd homo præcepta ſeruet, quibus intratur in regnum, niſi ſequens conſilia diuitias relinquat: & ideo pueri ad hoc quòd innocentiam ſeruare poſſint in obſeruantia mandatorum, ſunt præparandi, & quodammodo præmuniendi in exercitio conſiliorum: nec ſunt repellendi, quamuis ineruditi videantur in præceptis: dicit enim Origines ſuper Matth. *Quidam puerilem ſermonem habentes offerunt Saluatori pueros & infantes: qui autem videntur perfectiores, priuſquam diſcant rationem iuſtitiæ, reprehendunt eos qui pueros & infantes adhuc minùs eruditos offerunt Chriſto: Dominus autem hortatur Diſcipulos ſuos condeſcendere vtilitatibus puerorum. Hoc ergo debemus attendere, ne æſtimatione ſapientiæ excellentioris contemnamus quaſi magni puſillos Eccleſiæ, prohibentes pueros venire ad Ieſum.*

Sed quod vlterius quæritur, an ante Religionis ingreſſum ſint voto, vel iuramento ad Religionem obligandi, manifeſtè patet quòd ſic: ſicut enim in malo, quantò voluntas eſt magis obfirmata ad malum, tantò peior eſt (ſicut in obſtinatis patet, & qui ex malitia peccant) ita etiam in bonis tantò voluntas melior eſt quantò eſt magis firmata, & aſtricta ad bonum: cùm ergo bonum ſit, quòd pueri ad Religionem veniant, multò meliùs eſt, quòd eorum

voluntas ſit ad hoc firmata, quod fit voto, vel iuramento: vnde & Dauid dicebat Pſal. 118. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ:* & Auguſt. dicit in epiſt. ad Paullinam & Armentarium *Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit.*

Vltimò autem conſiderandum reſtat, an ſint beneficiis alliciendi: & ſi quidem conuentione vel pacto pretium alicui datur vel quodcunque terrenum beneficium, vt Religionem intret, hoc eſt illicitum: ſi autem aliquis ei aliqua beneficia temporalia conferat, vt auferat impedimenta, quibus impeditur à Religionis ingreſſu; vel etiam vt eum nutriat, vel doceri faciat ad hoc quòd ſit religioſi aptus, hoc non eſt illicitum, ſed eſt laudabile. Similiter ſi beneficiis temporalibus aliquis aliquem alliciat, vt eum fauorabilem ſibi reddat, non intendens gloriam propriam, ſed gloriam Dei, & proximi ſalutem, laudabile eſt: ſicut & Apoſt. de ſeipſo dicit 1. Corint. 10. *per omnia omnibus placeo:* Deus etiam aliquos temporalibus beneficiis allicit ad benè agendum: in Eccleſiis etiam quibuſdam temporalium diſtributionibus alliciuntur aliqui ad Eccleſiæ deſeruiendum, non quòd præmium accipiant, ſed ſunt quædam ſecundariò illectiva ad ſetuiendum Deo: ſicut & Dominus dicit Matth. 6. *primò quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia* (ſcilicet neceſſaria vitæ) *adiicientur vobis quodl. 4. a. 23. opuſc. 17. contra retrahentes homines ab ingreſſu Religionis. c. 2. 2.2. qu. 189. a. 2. &c.*

Qu. 20. an, pueri nedum in monaſterijs recipi poſſint, ſed etiam facere votum ſolemne Religionis ante annos pubertatis.

Reſp. D. Thomas, eſt votum ſolemne, quod facit monachum vel Religioſum: quod quidem ſubditur ordinationi Eccleſiæ, propter ſolemnitatem quam habet annexam: & quia Eccleſia reſpicit id quod in pluribus eſt, profeſſio ante tempus pubertatis facta, quantumcunque aliquis habeat vſum rationis plenum, vel ſit doli capax, non habet ſuum effectum vt faciat profitentem iam eſſe Religioſum.

Et tamen licet ante pubertatis annos profiteri non poſſint, poſſunt tamen cum voluntate parentum in Religione recipi, vt nutriantur ibidem; ſicut de Ioanne Baptiſta legitur Luc. 1. quòd *puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis*: vnde ſicut D. Gregorius dicit in 2. dial. *B. Benedicto Romani nobiles ſuos filios omnipotenti Deo nutriendos dare cœperunt*, quod eſt valde expediens, ſecundùm illud Tren. 3. *bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Vnde & communi conſuetudine pueri applicantur illis officiis vel artibus in quibus ſunt vitam acturi. *2.2. q. 189. a. 5. in corp.*

Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 15. ſic habet. In quacunque Religione tam virorum quàm mulierum profeſſio non fiat ante decimum annum expletum, nec qui in minore tempore quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel ordinis obſeruationem.

Digitized by Google

uationem, aut ad alios quoſcunque effectus.

Qu. 21. vtrum aliquis debeat alios inducere ad Religionem iuxta illud exodi 26. cortina cortinam trahat: & quænam inordinatio poſſit in hoc contingere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inducentes alios ad Religionem non ſolùm non peccant, ſed magnum præmium merentur: dicitur enim Iacobi vltimo, *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Poſſet tamen contingere circa huiuſmodi inductionem triplex inordinatio. Primò quidem, ſi violenter aliquis alium ad religionem cogeret, quod prohibetur in Decr. 20. q. 3. ſecundò, ſi aliquis ſimoniacè alium ad religionem trahat muneribus datis, vt prohibetur in Decr. ibidem q. 2. cap. *quàm pio*: nec tamen ad hoc pertinet, ſi aliquis alicui pauperi neceſſaria ſubminiſtret in ſæculo nutriens eum ad Religionem, vel ſi ſine pacto aliqua munuſcula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertiò, ſi mendaciis eum alliciat: imminet enim ſic inducto periculum, ne cùm ſe deceptum inuenerit, retrocedat; & ſic *fiant nouiſſima illius hominis peiora prioribus*, vt dicitur Lucæ. 11. 2. 2. q. 189. *a. 2. in corp. quodlib. 3. a. 11. & art.* 14.

Qu. 22. in quo ſenſu ſumi debeat mandatum D. Benedicti in ſua regula dicentis: venientibus ad Religionem non eſt facilis præbendus ingreſſus: ſed probandum eſt an ſpiritus ex Deo ſint: quod etiam docet Caſſianus in 4. lib. de inſtit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illis qui ad Religionem inducuntur, nihilominus reſeruatur probationis tempus, in quo difficultates Religionis experiuntur: & ſic non facilis aditus eis datur ad religionis ingreſſum. *ibidem ad* 1.

Qu. 23. an grauiter peccent, qui alios iuramento aſtringunt, ne religionem ingrediantur, cùm propoſitum amplectendi ſtatum Religioſum ſit à Spiritu-Sancto, vt habetur 19. qu. 2. cap. Duæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in actibus humanis non eſt aliquid ſimpliciter iudicandum licitum, vel illicitum, propter id quod accidit in aliquo particulari caſu, ſed propter id quod eſt vt in pluribus: ſicut etiam in rebus naturalibus conſideratur quod in pluribus eſt. Contingit autem in aliquo caſu quòd abſque peccato aliquis poteſt aſtringere aliquem iuramento ad hoc quòd Religionem non intret; putà ſi eſſet matrimonio ligatus, & vellet abſque conſenſu vxoris religionem intrare, vel in caſibus ſimilibus.

Simpliciter autem loquendo inducere aliquem ad iurandum quòd religionem non intret, graue eſt peccatum, ſi enim aliquis vellet religionem intrare, & immineret opportunitas temporis, & omnes circunſtantiæ conuenirent, grauiter peccaret, qui eum ab ingreſſu Religionis prohiberet: vnde Dominus Matth. 23. comminatur væ Phariſæis, qui *nec ipſi intrabant in*

Digitized by Google

regnum cælorum , nec alios intrare ſinebant. Cùm autem aliquis facit aliquem iurare quòd Religionem non intrabit, impedit eum (quantùm in ſe eſt) ab ingreſſu Religionis ſecundùm quodcunque tempus & ſecundùm quamcunque circunſtantiam opportunam ; quia in vniuerſali includuntur omnia particularia : vnde manifeſtum eſt, quòd grauiter peccat. *quodlibet. 3.a.14. in corp.*

Qu. 24. an peccatores ſint attrahendi ad Religionem: & vtrum Religioſis ſtatus perfecta pœnitentia.

Reſp. D. Thomas., dicendum quòd maximè vtile eſt peccatoribus, vt ad Religionem tranſeant. Peccatoribus enim duo neceſſaria ſunt ad ſalutem : primò quidem, vt de peccatis præteritis pœnitentiã agant: ſecundò, vt de cætero à peccatis abſtineant : ad vtrumque autem horum maximè operatur Religio.

Primò enim ſtatus religionis eſt ſtatus perfectæ pœnitentiæ , & nulla ſatisfactio adæquari poteſt pœnitentiæ religioſorum , qui & ſe & ſua totaliter Deo dant : Vnde pro nullo peccato imponi poteſt homini pro pœnitentia , vt religionem introeat: & in commutationem ſatisfactionis quantumcunque grauis , conſulitur tantùm religionis ingreſſus , vt patet 33. q.2.cap. *admonere :* vbi Stephanus Papa quemdam qui vxorem interfecerat , inducit vt ingrediatur Monaſterium , & humiliatus ſub manu Abbatis cuncta obſeruet , quæ ſibi fuerint imperata : alioquin iniungit ei grauiſſimam pœnitentiam, ſi eligit in ſæculo remanere ; *putà vt vinum & ſiceram non bibat , carnem nunquam comedat (præterquam in Paſcha & in die natalis Domini) in pane & aqua & ſale pœnitentiam agat , in ieiuniis & vigiliis & orationibus & eleemoſynis omni tempore perſeueret , vxorem numquam ducat, in balneo numquam lauetur , in conuiuiis lætantium non miſceatur , in Eccleſia poſt oſtium ſtet , corporiſque dominici communione cunctis diebus vitæ ſuæ ſe indignum indicet &c.*

Similiter etiam, ad vitanda peccata plurimùm valet religionis ſtatus. Difficile enim eſt quòd in ſæculo cõmorantes à rebus mundi non alliciantur : propter quod Matth. 19. ſecundùm expoſ. Chryſoſt. Dominus hoc dicit eſſe impoſſibile, quòd diues (qui ſcilicet diuitiis inhæret per amorem) intret in regnum cœlorum: ſed quòd diues qui habet diuitias, intret, eſt valde difficile : vnde & Eccleſiaſt. 31. dicitur : *beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula.* Et huiuſmodi difficultatem ſubdit dicens, *quis eſt hic, & laudabimus eum.* Propter quod vt Gregorius dicit: *Sancti viri vt ab illicitis abſtineant , etiam licita prætermittunt* : vnde manifeſtum eſt quòd non peccant , ſed laudandi ſunt qui peccatores ad Religionem trahunt: nam & Dominus de ſeipſo dicit, *non ueni vocare iuſtos ſed peccatores. quodl. 3.a.13. 2.2.q. 189. a. 1. & 10.*

Quæſt. 25. an poſſit ſacerdos iniungere ingreſſum Religionis pro pœnitentia ; & vtrum Religio etiam leuiſſima ſit maior ſatisfactio quàm quæcunque pœnitentia etiam grauiſſima.

Reſp. D. Thomas, videtur quòd

ſi ſacerdos iniungat alicui quòd intret religionem, teneatur facere: præcipuè quia quidam canones videntur iſtam pœnitentiam taxare. Et ſimiliter quòd quantamcunque magnam pœnitentiam pro paruo peccato iniungat, pœnitens facere teneatur. Et dicendum, quòd hoc intelligendum eſt de his, quæ ſacerdos inquantum habet clauem ſcientiæ, & authoritatis per diuinum iudicium, & non ſecundùm humanum errorem iniungit: introitus autem in religionem, cùm ſit voluntarius, non poteſt alicui iniungi: & ſi aliqui canones iniungere videantur, magis eſt conſilium quàm præceptũ: quâlibet enim pœnitentiâ taxatâ leuiſſima Religio eſt maior ſatisfactio; inquantum homo abdicat propriam voluntatem, quia nihil eſt homini charius. 4. *ſen. d. 16. in expoſitione textus.*

Qu. 26. an vouens ingredi minorem religionem poſſit induci, vt ingrediatur maiorem, & è conuerſo.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd in maiori includitur minus: & ideo ille qui eſt obligatus voto vel iuramento ad ingreſſum minoris religionis, poteſt licitè induci ad hoc quòd ad maiorem Religionem tranſeat; niſi ſit aliquid ſpeciale quod impediat, putà infirmitas, vel ſpes maioris profectus in minori Religione.

Ille verò qui eſt obligatus voto vel iuramento ad ingreſſum maioris Religionis, non poteſt licitè induci ad minorem Religionem, niſi ex aliqua ſpeciali cauſa euidenti: & hoc cum diſpenſatione ſuperioris. 2. 2. *q.* 189. *a.* 9. *ad* 3.

Qu. 27. an ſit laudabile, quòd aliquis Religionem ingrediatur abſque multorum conſilio & diuturna deliberatione præcedenti: cùm dicatur Matt. 4. quòd ad vocationem Domini Petrus, & Andreas continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum: & D. Chryſoſt. dicit ſuper Matth. talem obedientiam Chriſtus quærit à nobis, vt neque inſtanti temporis moremur.

Reſp. D. Thomas, dicendum: quòd diuturna deliberatio, & multorum conſilia requiruntur in magnis dubiis, vt philoſoph. dicit in 3. ethic. in his autem, quæ ſunt certa, & determinata non requiritur conſilium.

Circa ingreſſum autem Religionis tria poſſunt conſiderari. Primò quidem ipſe Religionis ingreſſus ſecundùm ſe: & ſic, certum eſt quòd ingreſſus religionis eſt melius bonum: & qui de hoc dubitat, quantùm eſt in ſe derogat Chriſto, qui hoc conſilium dedit: vnde Auguſt. dicit in lib. de verbis Domini, *vocat te Oriens* (ideſt Criſtus) *& tu attendis occidentem?* ideſt hominem mortalem & errare potentem. Alio modo poteſt conſiderari Religionis ingreſſus per comparationem ad vires eius, qui eſt religionem ingreſſurus: & ſic etiam non eſt locus dubitationis de ingreſſu religionis; quia illi qui religionem ingrediuntur, non confidunt in ſua virtute ſe poſſe ſubſiſtere, ſed auxilio Virtutis Diuinæ; ſecundùm illud Iſaiæ 40. *qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current & non laborabunt: ambulabunt & non deficient.* Si tamen ſit aliquod ſpeciale impedi-

mentum (putà infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua huiuſmodi) in his requiritur deliberatio, & conſilium cum his, de quibus ſperatur quòd proſint: vnde dicitur Eccl. 37. *cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cũ viro iniuſto de iuſtitia:* quaſi dicat, non: vnde ſequitur *: non attendas his in omni conſilio: ſed cum viro ſancto aſſiduus eſto:* in quibus tamen non eſt diuturna deliberatio habenda: vnde Hieronymus dicit in epiſt. ad Paulinum: *feſtina quaſo te, & harentis in ſalo nauiculæ funem magis præſcinde quàm ſolue.* Tertio autem modo conſiderari poteſt modus Religionem intrandi, & quam Religionem aliquis ingredi debeat: & de talibus poteſt haberi etiam conſilium cum his qui non impediant. 2.2. *q.* 189. *a.* 10. *in corp.*

Quær. 28. *quid agendum ſit quando dubitatur an inſpiratio de ingreſſu religionis ſit à Deo vel à Diabolo.*

Reſp. ſupra v. inſpirationes *qu.* 3. *& duabus ſequentibus.*

Quær. 29. *quid facere debeat ille, qui vouit ſe ingreſſurum Religionem abſolutè, vel talem religionem in particulari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui voto ſe obligauit ad certæ Religionis ingreſſum, tenetur facere quantùm in ſe eſt, vt in illa Religione recipiatur: & ſi quidem intendit ſe ſimpliciter ad Religionem obligare, ſi non recipitur in vna Religione, tenetur ire ad aliam: ſi verò ſe intendit ſpecialiter obligare ad vnam ſolùm, non tenetur niſi ſecundùm modum ſuæ obligationis. 2. 2. *q.* 189. *a.* 5. *ad* 2.

Quær. 30. *quid facere debeat ille, qui vouit Religionem ſe ingreſſurum: & vouit etiam peregrinationem terræ ſanctæ: & vtrum Religioſi conſequantur eandem gratiam, ac illi qui baptizantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum Religionis cùm ſit perpetuum eſt maius quàm votum peregrinationis terræ ſanctæ, quod eſt temporale: & ſicut Alexander Tertius dicit, & habetur extra de voto, & voti redemptione cap. *ſcripturæ. Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſeruantiam commutare.*

Rationabiliter autem dici poteſt quòd etiam per ingreſſum Religionis aliquis conſequatur remiſſionem omnium peccatorum: ſi enim aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis, ſecundùm illud Danielis 4. *peccata tua eleemoſynis redime*, multò magis in ſatisfactionem pro omnibus peccatis ſufficit, quòd aliquis ſe totaliter Diuinis obſequiis mancipet per Religionis ingreſſum, quæ excedit omne genus ſatisfactionis etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in Decretis. 33. q. 2. can. *admonere:* ſicut etiam holocauſtum excedit ſacrificium, vt Gregorius dicit ſuper Ezechielem: vnde legitur in vitis Patrum quòd *eandem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur Baptizati.*

Si tamen non abſoluerentur per

Digitized by Google

hoc ab omni reatu pœnæ : nihilominus ingreſſus Religionis vtilior eſt, quàm peregrinatio terræ ſanctæ, quantùm ad promotionem in bonum, quæ præponderat abſolutioni à pœna. *2.2.q. 189. a. 3. ad 3. quodl. 3. a. 12.*

Qu. 31. quare illi qui Religionis habitum ſuſcipiunt eandem gratiam conſequuntur, ac illi qui baptizantur.

Reſp. D. Thomas, in vitis Patrum dicitur, quòd quidam Patrum vidit eandem gratiam deſcendentem ſuper eum qui habitum religionis aſſumit, & ſuper eum qui baptizatur : ſed hoc non eſt quia talis à ſatisfactione abſoluatur, ſed quia eo ipſo quòd ſuam voluntatem etiam in ſeruiturem redigit propter Deum, plenariè iam pro omni peccato ſatiſfecit; quia eam chariorem habet omnibus rebus mundi, de quibus tantùm poſſet dare, quòd eleemoſynis omnia peccata redimeret, etiam quantùm ad pœnam. *4. ſ. d. 4. q. 3. a. 3. q. 3. ad 3.*

Quæritur 32. an ille, qui vouit Religionem ingredi : teneatur in ea perpetuò manere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio voti ex voluntate procedit, nam *vouere voluntatis eſt.* vt Auguſtinus dicit : intantum ergo fertur obligatio voti, inquantum ſe extendit voluntas & intentio vouentis : ſi ergo vouens intendit ſe obligare non ſolùm ad ingreſſum Religionis : ſed etiam ad perpetuò remanendum, tenetur perpetuò remanere: ſi autem intendit ſe obligare ad ingreſſum religionis causâ experiendi cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifeſtum eſt quòd remanere non tenetur : ſi verò in vouendo ſimpliciter de ingreſſu religionis cogitauit abſque hoc quòd cogitaret de libertate exitus vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingreſſum Religionis ſecundùm formam iuris communis, quæ eſt vt ingredientibus detur annus probationis: vnde non tenetur perpetuò in religione permanere. *2.2. q. 189. a. 4. in corp.*

Quæritur 33. an ille qui egreditur è Religione malè faciat, & ſcandalizet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui religionem ingreditur, ſi exeat, præſertim ex aliqua rationabili cauſa, non generat ſcandalum, nec dat malum exemplum : & ſi alius ſandalizetur, erit ſcandalum paſſiuum ex eius parte, non autem actiuum ex parte exeuntis; quia fecit quod licitum erat ei facere, & quod expediebat ei propter rationabilem cauſam, putà infirmitatem, aut debilitatem, aut aliquid huiuſmodi. *2.2. q. 189. a. 4. ad 2.*

Quær. 34. an Presbyteri Curati poſſint licitè Religionem ingredi, iuxta decret 19. q. 2. cap. (duæ ſunt leges) vbi dicit Vrbanus 2. ſi quis Clericorum in Eccleſia ſua ſub Epiſcopo populum retinet, & ſæculariter viuit, ſi afflatus Spiritu-Sancto in aliquo Monaſterio vel regulari Canonia ſe ſaluare voluerit, etiam Epiſcopo ſuo contradicente, eat liber, noſtrâ authoritate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio voti perpetui præfertur omni alij obligationi: obligari autem voto perpetuo & ſolemni ad vacandum diuinis obſequiis competit propriè Epiſcopis & Religioſis: Presbyteri autem Curati & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo & ſolemni ad curam animarum retinendam; ſicut ad hoc obligantur Epiſcopi: vnde Epiſcopi Præſulatum non poſſunt deſerere, quacunque occaſione, abſque authoritate Romani Pontificis, vt habetur extra *de Regularibus & tranſeuntibus ad Religionem* cap. *licèt*: Archidiaconi autem & Presbyteri Curati poſſunt liberè abrenunciare Epiſcopo curam eis commiſſam abſque ſpeciali licentia Papæ; qui ſolus poteſt in votis perpetuis diſpenſare: vnde manifeſtum eſt, quòd Archidiaconis & Presbyteris Curatis licet ad Religionem tranſire. 2. 2. *q.* 189. *a.* 7. *in c. opuſc.* 18. *cap.* 15.

Qu. 35. *an ſtatus Religioſorum ſit perfectior quam ſtatus Presbyterorum, Curatorum, & Archidiaconorum.*

Reſp. ſupra v. Perfectio *qu.* 5.

Qu. 36. *quibus de cauſis Epiſcopus poſſit fieri Religioſus.*

Reſp. v. Epiſcopatus *qu.* 36.

Qu. 37. *an liceat parentibus Religionem ingredi relictis filiis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd parentes habent rationem principij inquantum huiuſmodi: & ideo per ſe eis conuenit vt filiorum curam habeant: & propter hoc non licet alicui filios habenti Religionem ingredi omnino prætermiſsâ curâ filiorum; idest non ...uiſo qualiter educari poſſint: dicitur enim 1. ad Timoth. 5, quòd *ſi quis ſuorum curam non habet fidem negauit, & eſt infideli deterior.* 2. 2. *q.* 189. *a.* 6. *in c.*

Qu. 38. *an liceat filiis ingredi Religionem relictis parentibus.*

Reſp. ſupra v. pietas *à qu.* 6. *vſque ad* 10.

Qu. 39. *cur ſicut dicit D. Gregorius in Regiſtro, & habetur in decretis diſt.* 35. *hi qui ſunt rationibus publicis obligati, quando petunt monaſterium, nullo modo ſuſcipiendi ſunt, niſi priùs à negotiis publicis fuerint abſoluti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licitè prætermittere facultate exiſtente; & ideo ſi aliquis ſit obligatus vt alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat, non poteſt hoc licitè prætermittere vt Religionem ingrediatur; ſi tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat vnde reddat, tenetur facere quod poteſt; vt ſcilicet cedat bonis ſuis creditori. Propter pecuniam autem perſona liberi hominis ſecundùm iura ciuilia non obligatur, ſed ſolùm res; quia perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ; vnde licitè poteſt exhibitis rebus ſuis Religionem intrare, nec tenetur in ſæculo remanere, vt procuret vnde debitum ſoluat. 2. 2. *q.* 186. *a.* 6. *ad* 3.

Digitized by Google

Qu. 40. an faciliùs ad Religionem conuertantur peccatores, quàm illi qui de ſua innocentia præſumunt.

Reſp. D. Thomas, vt Dominus oſtenderet perfectionem conſiliorum vtilem eſſe & innocentibus & peccatoribus, non ſolùm vocauit adoleſcentem innocentem, ſed etiam Matthæum peccatorem: ſed tamen Matthæus ſecutus eſt vocantem, non autem adoleſcens; quia faciliùs conuertuntur ad religionem peccatores, quàm illi qui de ſua innocentia præſumunt; quibus dicit Dominus Matth. 21. *Publicani & meretrices precedunt vos in regnum Dei. 2.2. q. 189. a. 1. ad 1.*

Qu. 41. an liceat Religioſis & Monachis docere, prædicare, & alia huiuſmodi facere, ſicut Gregorius dicit, & habetur 16. qu. 1. ex authoritate huiuſmodi decreti, quod Apoſtolico moderamine & pietatis officio à nobis eſt conſtitutum, Sacerdotibus Monachis Apoſtolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata ſoluere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid dicitur alicui non licere dupliciter, vno modo quia habet in ſe quod contrariatur ei, quod dicitur non licere; ſicut nulli homini licet peccare, quia habet in ſe quilibet homo rationem, & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum: & hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid huiuſmodi facere, quia habet in ſe aliquid quod his repugnat; vel ratione præcepti, ſicut his qui ſunt irregulares ex ſtatuto Eccleſiæ non licet aſcendere ad ſacros ordines; vel propter peccatum ſecundùm illud pſal. 49. *peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas?* hoc autem modo non eſt illicitum religioſis prædicare, docere, & huiuſmodi facere: tum quia ex voto & præcepto regulæ non obligantur ad hoc quòd ab eis abſtineant: tum etiam quia non redduntur ad hoc minùs idonei ex aliquo peccato commiſſo, ſed magis idonei ex exercitio ſanctitatis quod aſſumpſerunt: ſtultum eſt autem dicere quòd per hoc quòd aliquis in ſanctitate promouetur, efficiatur minùs idoneus ad ſpiritualia officia exercenda.

Et ideò ſtulta eſt quorundam opinio dicentium, quòd ipſe ſtatus religionis impedimentum affert talia exequendi: quorum errorem Bonifacius Papa excludit dicens, vt habetur 16. q. 1. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti audaciſſimè quidem zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, aſſerentes, Monachos quia mundo mortui ſunt & Deo viuunt, Sacerdotalis officii potentiâ indignos neque pœnitentiam neque Chriſtianitatem largiri, neque abſoluere poſſe per Sacerdotalis officii diuinitus iniunctam ſibi poteſtatem: ſed omninò labuntur.* Quod oſtendit primò quidem, quia non contrariatur regulæ: ſubdit enim: *neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huiuſmodi rei aliquo modo fuit interdictor*: & ſimiliter nec in aliis regulis hoc prohibetur. Secundò improbat prædictum errorem ex idoneitate

Digitized by Google

Monachorum, cùm in fine capituli ſubdit: *quantò quiſque eſt excellentior, tantò & in illis* (ſpiritualibus ſcilicet operibus) *eſt potentior.* Alio modo dicitur aliquid non licere alicui non propter contrarium, quod habeat, ſed propter hoc quòd deficit ei, vnde illud poſſit, ſicut Diacono non licet Miſſam celebrare, quia non habet ordinem Sacerdotalem, & Presbytero non licet ſententiam ferre, quia non habet Epiſcopalem authoritatem: in quibus tamen eſt diſtinguendum: quia ea quæ ſunt ordinis, committi non poſſunt niſi ei qui ordinem habet, ſicut Diacono non poteſt committi quòd celebret Miſſam, niſi fiat Sacerdos; ea verò quæ ſunt iuriſdictionis, committi poſſunt eis qui non habent ordinariam iuriſdictionem, ſicut prolatio ſententiæ committitur ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti: & hoc modo dicitur non licere Monachis, & aliis religioſis prædicare, docere, & alia huiuſmodi facere, quia ſtatus religionis non dat eis poteſtatem huiuſmodi faciendi: poſſunt tamen iſta facere, ſi ordinem recipiant, vel ordinariam iuriſdictionem, aut etiam ſi eis committantur ea, quæ ſunt iuriſdictionis. 2. 2. q. 187. a. 1. in corp. opuſc. 18 cap. vlt. & opuſ. 19. cap. 2.

Quær. 42. quænam ſint priuilegia Religioſorum circa prædicta officia.

Reſp. v. Priuilegium, o.

Qu. 43. an liceat Religioſis ſæcularia negotia tractare iuxta illud Apoſt. ad Rom. vlt. commendo vobis Phœbem ſororem noſtram: & poſtea ſubdit: & aſſiſtatis ei in quocunque negotio veſtri indiguerit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſtatus religionis eſt ordinatus ad perfectionem charitatis conſequendam: ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio, ſecundariò autem dilectio proximi: & ideo religioſi præcipuè & propter ſe debent intendere ad hoc quòd Deo vacent: ſi autem neceſſitas proximi immineat, eorum negotia ex charitate agere debent, ſecundùm illud ad Gal. 6. *alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Quia in hoc ipſo quòd proximis, ſeruiunt propter Deum, dilectioni diuinæ obſequuntur: vnde dicitur Iacobi 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum:* Gloſſ. id eſt *ſuccurrere iis qui carent præſidio, in tempore neceſſitatis.*

Eſt ergo dicendum, quòd cauſâ cupiditatis ſæcularia negotia gerere, nec Monachis nec Clericis licet: cauſâ verò charitatis ſe negotiis ſæcularibus cum debita moderatione ingerere poſſunt ſecundùm Superioris licentiam, in miniſtrando & dirigendo: vnde dicitur in Decret. diſt. 88. *decreuit ſancta Synodus nullum deinceps Clericum aut poſſeſſiones cōducere, aut negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, niſi propter curam pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum; aut ſi fortè Epiſcopus ciuitatis Eccleſiaſticarum rerum ſolicitudinem eum habere præcipiat.* Eadem autem ratio eſt de Religioſis ac de Clericis: quia vtriſque ſimiliter negotia ſæcularia interdicuntur. 2. 2. qu. 187. *art.* 2. *in corp. opuſc.*

Digitized by Google

opuſ. 19. cap. 12. ad Rom. 16. lect. 2. ad Timoth. 2. lect. 2.

Qu. 44. an Religioſi manibus operari teneantur cùm præceptum de opere manuali omnibus detur, vt patet 2. ad Theſſal. 2. ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, &c. Fratrem autem nominat quemlibet Chriſtianum, ſicut & 1. ad Corinth. 7. Si quis frater habet vxorem infidelem: & ibidem dicitur, ſi quis non vult operari, non manducet.

Reſp D. Thomas, dicendum quòd labor manualis ad quatuor ordinatur. Primò quidem & principaliter ad victum quærendum: vnde & primo homini dictum eſt: *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo:* & in Pſalm. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Secundò ordinatur ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur: vnde dicitur Eccleſ. 33. *Mitte ſeruum tuum in operationem ne vacet; multam enim malitiam docuit otioſitas.* Tertiò, ordinatur ad concupiſcentiæ refrænationem inquantum per hoc maceratur corpus: vnde 2. ad Cor. 6. dicitur, *in laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in caſtitate.* Quartò autem ordinatur ad eleemoſynas faciendas: vnde dicitur ad Epheſ. 4. *Qui furabatur iam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat patienti.*

Secundùm ergo quòd labor manualis ordinatur ad victum quærendum, cadit ſub neceſſitate præcepti, prout eſt neceſſarium ad talem finem: quod enim ordinatur ad finem, à fine neceſſitatem habet, vt ſcilicet intantum ſit neceſſarium, inquantum finis ſine eo eſſe non poteſt; & ideo qui non habet aliunde vnde viuere poſſit, tenetur manibus operari, cuiuſcunque ſit conditionis; & hoc ſignificant verba Apoſtoli dicentis; *qui non vult operari, nec manducet*, quaſi diceret; eâ neceſſitate aliquis tenetur ad operandum manibus, qua teneretur ad manducandum, vnde ſi quis abſque manducatione poſſet vitam tranſire, non tenetur manibus operari. Et eadem ratio eſt de illis qui habent aliàs vnde licitè viuere poſſint: non enim intelligitur aliquis poſſe facere, quod non licitè facere poteſt: vnde & Apoſtolus non inuenitur opus manuum præcipiſſe niſi ad excludendum peccatum eorum qui illicitè victum acquirebant: nam primò quidem præcipit Apoſtolus opus manuale ad euitandum furtum, vt patet ad Epheſ. 4. *Qui furabatur iam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis*: Secundò ad vitandum cupiditatem alienarum rerum; vnde dicitur 1. ad Theſſal. 4. *Operamini manibus veſtris, ſicut præcipimus vobis, vt & honeſte ambulemus ad eos qui foris ſunt.* Tertiò, ad euitanda turpia negotia, ex quibus aliqui victum acquirunt: vnde 2. ad Theſſalon. 3. dicit: *cùm eſſemus apud vos hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet: audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquietè nihil operantes, ſed curioſè agentes*, Gloſſa, *qui fœdâ curâ neceſſaria ſibi prouident: his autem qui huiuſmodi ſunt denunciamus, & obſecramus, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent*: vnde Hieronymus dicit ſuper Epiſt. ad Galat. quòd Apoſt. *Hoc dixit non tam officio*

docentis, quàm vitio gentis.

Sciendum tamen, quòd ſub opere manuali intelligũtur omnia humana officia, ex quibus homines licitè victum lucrantur ſiue manibus, ſiue pedibus, ſiue lingua fiant: Vigiles enim, & curſores, & alij huiuſmodi de ſuo labore viuentes intelliguntur de operibus manuum viuere: quia enim manus eſt *organum organorum*, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de qua aliquis victum licitè poteſt lucrari.

Secundùm autem quòd opus manuale ordinatur ad otium tollendúm, vel ad corporis macerationem, non cadit ſub neceſſitate præcepti ſecundùm ſe conſideratum: quia multis aliis modis poteſt vel caro macerari, vel otium tolli, quàm per opus manuale: maceratur enim caro per ieiunia & vigilias; & otium tollitur per meditationes ſacrarum Scripturarum, & laudes Diuinas: vnde ſuper illud pſ. 118. *defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, dicit Gloſſa: *non eſt otioſus qui verbo Dei tantùm ſtudet: nec pluris eſt qui extra operatur quàm qui ſtudium cognoſcendæ veritatis exercet.* Et ideo propter has cauſas religioſi non tenentur ad opera manualia, ſicut nec ſæculares; niſi fortè ad hoc per ſtatuta ſui ordinis obligentur, ſicut Hieronymus dicit ad Ruſticum Monachum, *Ægyptiorum Monaſteria hunc tenent morem, vt nullum abſque opere, aut labore ſuſcipiant; non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſanem, ne vagetur pernicioſis cogitationib.* Inquãtum verò opus manuale ordinatur ad eleemoſynas faciendas, non cadit ſub neceſſitate præcepti, niſi fortè in aliquo caſu, in quo ex neceſſitate aliquis eleemoſynas facere teneretur, & non poſſet aliàs habere, vnde pauperibus ſubueniret: in quo caſu obligarentur ſimiliter religioſi & ſæculares ad opera manualia exequenda. 2. 2. *q.* 187. *a.* 3. *in corp. opuſc.* 19. *cap.* 5. 3. *contra gentes c.* 135. *quodl.* 7. *a.* 28. *in corp.*

Qu. 45. an liceat Religioſis mendicare ſicut mendicauit Chriſtus, iuxta illud Pſ. 39. ego autem mendicus ſum & pauper: vbi dicit Gloſſa: Hoc dixit Chriſtus de ſe ex forma ſerui: & infra: mendicus eſt qui ab alio petit, & pauper qui ſibi non ſufficit: & in alio Pſ. 119. Ego egenus & pauper ſum: vbi dicit Gloſſa: Egenus ideſt petens, & pauper ideſt inſufficiens mihi, quia mundanas copias non habeo: & D. Hieróny. dicit in quadam epiſtola, caue ne Domino tuo mendicante (ſcilicet Chriſto) alienas diuitias congeras.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa mendicitatem duo poſſunt conſiderari. Vnum quidem ex parte ipſius actus mendicationis, qui habet ſibi quandam abiectionem coniunctam: illi enim videntur abiectiſſimi inter homines eſſe, qui non ſolùm ſunt pauperes, ſed intantum ſunt egentes, quòd neceſſe habent ab aliis victum accipere: & ſecundùm hoc cauſâ humilitatis aliqui laudabiliter mendicant, ſicut & alia aſſumunt quæ ad abiectionem quandam pertinent; quaſi efficaciſſimam medicinam contra ſuperbiã, quam vel in ſe ipſis, vel etiam in aliis per exemplum extinguere volunt: ſicut enim infirmitas quæ

eſt ex ſuperexceſſu caloris, efficaciſſi.nè ſanatur per ea quæ in frigiditate excedunt; ita etiam promtitas ad ſuperbiam efficaciſſimè curatur per ea quæ multùm abiecta videntur:& ideo dicitur in Decret. de pœnitent. diſt. 2. *Exercitia humilitatis ſunt, ſi quis ſe vilioribus ſubdat, & miniſteriis indignioribus tradat: ita namque arrogantiæ & humanæ gloriæ vitium curare poterit*: vnde Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum,commendat Fabiolam de hoc quòd optabat vt ſuis diuitiis pariter effuſis pro Chriſto ſtipem acciperet: quod etiam B. Alexius perfecit, qui omnibus ſuis propter Chriſtum dimiſſis gaudebat ſe etiam à ſeruis ſuis eleemoſynas accepiſſe: & de B. Arſenio legitur in vitis Patrum, quòd gratias egit de hoc quòd neceſſitate cogente oportuit eum eleemoſynam petere: vnde & in pœnitentiam pro grauibus culpis iniungitur aliquibus, vt peregrinentur mendicantes. Sed quia humilitas (ſicut & cœteræ virtutes) abſque diſcretione eſſe non debet: ideo oportet diſcretè mendicitatem ad humilitatem aſſumere, vt ex hoc homo notam cupiditatis non incurrat, vel cuiuſcunque alterius indecentis.

Alio modo poteſt conſiderari mendicitas ex parte eius quod quis mendicando acquirit: & ſic ad mendicandum poteſt homo ex duobus induci: vno modo ex cupiditate habendi diuitias, vel victum otioſè:& talis mendicitas eſt illicita: alio modo ex neceſſitate, vel vtilitate; ex neceſſitate quidem,ſicut cùm aliquis non poteſt aliunde habere vnde viuat, niſi mendicet; ex vtilitate autem, ſicut cùm aliquis intendit ad aliquod vtile perficiendum,quod ſine eleemoſynis fidelium facere non poteſt: ſicut petuntur eleemoſynæ pro conſtructione Pontis vel Eccleſiæ, vel quibuſcunque aliis operibus, quæ vergunt in vtilitatem cōmunem: ſicut ſcholares vt poſſint vacare ſtudio ſapientiæ:& hoc modo mendicitatis eſt licita, ſicut ſæcularibus, ita Religioſis. 2. 2. q.187.a.5. *in c. quodl.7.a.18. opuſc.* 17. *cap.* 14. 15. & 16. *opuſc.* 19.c.7. 3. *con. Gent. cap.* 135.

Quær. 46. *an liceat Religioſis vti veſtibus vilioribus, iuxta illud ad Heb.* 11. *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis (gloſſa interlinearis) vt Helias & alij: & in decretis* 21. *qu.*4. *dicitur: ſi inuenti fuerint deridentes eos qui vilioribus & Religioſibus veſtibus amicti ſunt, corrigantur: priſcis enim temporibus omnis ſacratus vir cum mediocri ac vili veſte conuerſabatur.*

reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſt. dicit in 3. de doctrina chriſtiana: *in omnibus exterioribus rebus non vſus rerum ſed libido vtentis in culpa eſt*: ad quam diſcernendum eſt attendendum quòd habitus vilis & incultus dupliciter poteſt conſiderari: vno modo prout eſt ſignum quoddam diſpoſitionis, vel ſtatus humanij; quia vt dicitur Eccl.39. *amictus hominis enunciat de illo*. Et ſecundùm hoc vilitas habitus eſt quandoque ſignum triſtitiæ: vnde & homines in triſtitia exiſtentes ſolent vilioribus veſtibus vti; ſicut è conuerſo in tempore ſolemnitatis, & gaudij vtuntur cultioribus veſtimentis: vnde & pœnitentes vi-

Digitized by Google

libus veſtibus induuntur; vt patet Ionæ 3. de Rege, qui *indutus eſt ſacco*: & 3. Regum 21. de Achab, *qui operuit cilicio carnem ſuã*. Quandoque verò eſt ſignum contemptus diuitiarum, & mundani faſtûs: vnde Hieronymus dicit ad Ruſticum Monachum, *ſordes veſtium candidæ mentis indicia ſint; vilis tunica contemptum ſæculi probet; dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus ſermoque diſſentiat*: & ſecundùm vtrumque horum competit Religioſis vilitas veſtium; quia religio eſt ſtatus pœnitentiæ, & contemptûs mundanæ gloriæ.

Sed quòd aliquis velit hoc aliis ſignificare contingit propter tria: vno modo ad ſui humiliationem: ſicut enim ex ſplendore veſtium animus hominis eleuatur, ita ex humilitate veſtium humiliatur: vnde de Achab, qui carnem ſuam cilicio induit, dixit Dominus ad Heliam: *nonne vidiſti Achab humiliatum coram me*, vt habetur 3. Regum 21. Alio modo propter exemplum aliorum: vnde ſuper illud Matth. 3. *Habebat veſtimentum de pilis camelorum*, &c. dicit Gloſſa. *qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit*. Tertio modo propter inanem gloriam, ſicut Auguſtinus dicit lib. 2. de ſermone Domini in monte, quòd *in ipſis ſordibus luctuoſis poteſt eſſe iactantia*. Duobus ergo primis modis laudabile eſt abiectis veſtibus vti: Tertio verò modo vitioſum eſt. Alio modo poteſt conſiderari habitus vilis & incultus ſecundùm quòd procedit ex auaritia, vel negligentia: & ſic etiam ad vitium pertinet. 2.2. q. 187. *art. 6. in corp. opuſc. 19. cap. 8.*

Qu. 47. quandonam Religioſis liceat pretioſioribus vti veſtibus.

Reſp. v. ornatus *q. 2. & 3.*

Qu. 48. an liceat Religioſis frequentare Palatia principum, cùm ſuper illud Matth. 11. ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt, dicat Hieronymus: ex hoc oſtenditur rigidam vitam & auſteram prædicationem vitare debere aulas Regum, & mollium hominum palatia declinare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd frequentare palatia Regum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem, non competit religioſis: ſed ea adire propter pias cauſas eis competit: vnde dicitur 4. Reg. 4. quòd Heliſæus dixit ad mulierem, *nunquid non habes negotium, & vis vt loquar Regi vel Principi militiæ?* ſimiliter etiam conuenit Religioſis adire regum Palatia ad eos arguendos & corrigendos, ſicut Ioannes Baptiſta arguebat Herodem, vt dicitur Matthæi 14. *2.2. q. 187. a. 2. ad 3.*

Qu. 49. an liceat Religioſis diſcurrere per mundum ad ſalutem animarum; & quibus de cauſis diſcurſus eorum poſſit eſſe vituperabilis.

Reſp. D. Thomas, quòd ſuper illud Ezech. 1. *Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium*, dicit Gregorius in 5. Homil. ſuper Eze. *Hi qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minimè permittuntur: Hi autem qui amore Domini in prædicatione diſcurrunt, rota eius ignis ardens ſunt, qui cùm ex eius deſiderio*

Digitized by Google

per varia loca diſcurrant, vnde ipſi ardent, & alios incendunt: Ex hac autem authoritate duo habentur, ſcilicet quòd alij poſſunt prædicare quàm Prælati, & quòd illi prædicatores debent per diuerſa loca diſcurrere, non in vno loco manere. Item ſuper illud; *cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, vt ſonus caſtrorum* Homil. 8. ſuper Ezech. dicit Gregorius: *Alia ſunt caſtra prædicantium, qui huc illucque colligendis animabus in ſancti operis procinctu laborant.* Igitur patet quòd prædicantium diſcurſus ad ſalutem animarum procurandam commendandus eſt.

Sciendum tamen eſt, quòd diſcurſus tripliciter in ſacra ſcriptura vituperatur: Vno modo, quando ex inconſtantia mentis procedit, vel animi leuitate; & hoc præcipuè accidit in illis qui ſine aliquo fructu diſcurrunt: Alio modo quando ex concupiſcentia terrenorum ad lucra quærenda diſcurritur: Tertio modo, quando per hoc incitatur malitia ad aliqua mala procuranda. *Opuſc.* 19. *cap.* 10.

Qu.50. An Religioſis liceat vti ſapientiâ, & eloquentiâ ſæculari: & quandonam hoc commendetur, vel vituperetur.

Reſp. D. Thomas, ſciendum eſt, quòd vti ſapientiâ, & eloquentiâ ſæculari in ſacra ſcriptura quodammodo commendatur, & quodammodo reprehenditur: Reprehenditur quidem, quando aliquis ad iactantiam eis vtitur, & quando eloquentiæ, & ſapientiæ ſæculari principaliter ſtudet. Tunc enim oportet quòd illa vel taceat, vel neget quæ ſæcularis ſcientia non approbat, ſicut articulos fidei, qui ſunt ſupra humanam rationem. Et ſimiliter qui eloquentiæ principaliter ſtudet, homines non intendit inducere in admirationem eorum quæ dicit, ſed dicentis: Et hoc modo humanâ ſapientiâ, & eloquentiâ pſeudoapoſtoli vtebantur, contra quos Apoſtolus loquitur in epiſt. 2. ad cor. Vnde 1. ad Corint. 1. ſuper illud, *Non in humana ſapientia verbis*, dicit Gloſ. *Pſeudoapoſtoli ne ſtulti viderentur prudentibus mundi, in ſapientia humana Chriſtum prædicabant dupliciter; ſcilicet eloquentiæ ſtudentes, & quæ mundus ſtulta iudicat, euitantes.*

Commendatur autem quando ad ſe non oſtentandum, ſed ad vtilitatem audientium, qui ſic quandoque faciliùs, & efficaciùs inſtruuntur vel conuincuntur aduerſarij vtitur aliquis ſapiẽtiâ & eloquentiâ ſæculari. Et iterum, quando aliquis non principaliter eis intendit, ſed eis vtitur in obſequium ſacræ ſcripturæ, cui principaliter inhæret vt ſic omnia alia in obſequium eius aſſumat, ſecundùm id quod habetur 2. Corinth. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*: & ita etiam Apoſtoli eloquentiâ vtebantur: Vnde Auguſtinus in 4. de Doctr. Chriſt. dicit, quòd *in verbis Apoſtoli erat dux ſapientia, & ſequens comes eloquentia, & ſapientia præcedens eloquentiam ſequentem non reſpuebat.* Sed tamen poſteriores Doctores magis adhuc vſi ſunt ſapientiâ, & eloquentiâ ſæculari propter eamdem rationẽ, qua non priùs Philoſophi & Oratores ſunt electi ad prædicandum, ſed plebeij.

Digitized by Google

& piſcatores, qui poſtmodum Philoſophos, & oratores conuerterunt; vt ſcilicet fides non conſiſtat in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, & non glorietur omnis caro coram illo, vt habetur 1. ad Cor. 1. in textu, & gloſ. ſuper illud, *Videte vocationem veſtram fratres, &c.* Opuſ.19. c. 12.

Quær. 51. an ſicut Religiones inſtitutæ ſunt ad vitam contemplatiuam ita conueniens fuerit quòd aliquæ inſtituerentur ad vitam actiuam: ſicut dicitur Iacob. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione earum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd religionis ſtatus ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ ſe extendit ad dilectionem Dei, & proximi: ad dilectionem autem Dei directè pertinet contemplatiua vita, quæ ſoli Deo vacare deſiderat; ad dilectionem autem proximi directè pertinet vita actiua, quæ deſeruit neceſſitatibus proximorum: & ſicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obſequium delatum in proximos, redundat in Deum, ſecundùm illud Matth. *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: vnde & huiuſmodi obſequia proximis facta, inquantum ad Deum referuntur, dicuntur eſſe ſacrificia quædam, ſecundùm illud ad Heb. vlt. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim Hoſtijs promeretur Deus.* Et quia ad religionem propriè pertinet ſacrificium Deo offerre, conſequens eſt quòd conuenienter religiones quædam ad opera vitæ actiuæ ordinentur: vnde & in collationibus Patrũ Abbas Neſteros diſtinguens diuerſa religionum ſtudia dicit, *quidam ſummam intentionis ſuæ erga Eremi ſecreta & cordis conſtituunt puritatem: quidam erga inſtitutionem fratrum, & cœnobiorum curam: quoſdam Xenodochii* (ideſt hoſpitalitatis) *delectat obſequium.* 2. 2. q. 188. a. 2. in corp. Opuſc. 19. cap. 1.

Quæritur 52. an conueniens fuerit quod aliqua Religio inſtitueretur ad militandum, cùm D. Auguſtinus ad Bonifacium dicat: noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe qui in armis bellicis miniſtrat: in his etiam erat ſanctus Dauid, cui Dominus magnum teſtimonium perhibuit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt Religio inſtitui poteſt non ſolùm ad opera vitæ contemplatiuæ, ſed etiam ad opera vitæ actiuæ, inquantum pertinent ad ſubuentionem proximorum, & obſequium Dei, non autem inquantum pertinent ad aliquod mundanum obtinendum: poteſt autem officium militare ordinari ad ſubuentionem proximorum non ſolùm quantùm ad priuatas perſonas, ſed etiam quantùm ad totius reipublicæ defenſionem: vnde de Iuda Machabæo 1. Machab. 3. dicitur, quòd *præliabatur prælium Iſrael cum lætitia, & dilatauit populo ſuo gloriam.* Ordinari etiam poteſt ad conſeruationem Diuini cultus: vnde ibidem ſubditur Iudam dixiſſe: *nos pugnabimus pro animabus noſtris & legibus noſtris*, & infra 13. dicit Simon: *Vos ſcitis quanta ego & fratres mei & domus Patris mei*

Digitized by Google

fecimus pro legibus & pro ſanctis pralia. Vnde conuenenienter poteſt inſtitui aliqua religio ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, ſed propter defenſionem Diuini cultus, & publicæ ſalutis, vel etiam pauperum, & oppreſſorum, ſecundùm illud Pſal. 81. *eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* 2.2.q. 188. a. 3. i corp. a. 4. ad 2. & 5.

Quær. 53. an fuerit maximè conueniens quòd aliqua Religio inſtitueretur ad prædicandum, & confeſſiones audiendum, ſicut in collationibus Patrum Abbas Neſteros de diuerſitate religionum loquens ait: quidam eligentes ægrotantium curam: alij interceſſionem quæ pro miſeris atque oppreſſis impenditur exequentes, aut doctrinæ inſiſtentes, aut eleemoſynas pauperibus largientes inter magnos, atque ſummos viros pro affectu ſuo ac pietate viguerunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, conuenienter Religio inſtitui poteſt ad opera vitæ actiuæ, ſecundùm quòd ordinantur ad vtilitatem proximorum, & ad obſequium Dei, & conſeruationem Diuini cultus: magis atuem procuratur vtilitas proximorum per ea quæ pertinent ad ſpiritualem animæ ſalutem, quàm per ea quæ pertinent ad ſubueniendum corporali neceſſitati, quantò ſpiritualia corporalibus ſunt potiora: vnde etiam eleemoſynæ ſpirituales ſunt corporalibus potiores: hoc etiam pertinet magis ad obſequium Dei, cui nullum ſacrificium eſt magis acceptum, quàm zelus animarum, vt Gregor. dicit ſuper Ezechielem: malus etiam eſt ſpiritualibus armis contra errores hæreticorum & tentationes Dæmonum, fideles deffendere, quàm corporalibus armis populum fidelem tueri: & ideo conuenientiſſimum eſt, ad prædicandum & ad alia huiuſmodi quæ pertinent ad ſalutem animarum, aliquam Religionem inſtitui. 2.2.q. 188.a. 4. in corp. Op. 19. cap. 4.

Qu. 54 an & quare ſtudium litterarum ſit conueniens Religioſis, iuxta illud D. Hieronymi in epiſt. ad Paulinum, diſcamus in terris, quorum nobis ſcientia perſeueret in cælis (& infra) quidquid quæſieris, tecum ſcire conabor.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, Religio poteſt ordinari ad vitam actiuam, & ad vitam contemplatiuam: inter opera autem vitæ actiuæ principaliora ſunt illa quæ ordinantur directè ad ſalutem & alia huiuſmodi. Cōpetit ergo ſtudium litterarum religioſis tripliciter.

Primò quidem quantùm ad id, quod eſt proprium contemplatiuæ vitæ, ad quam ſtudium litterarum dupliciter adiuuat: vno modo directè coadiuuando ad contemplandum, illuminando ſcilicet intellectum: vita enim contemplatiua de qua nunc loquimur, principaliter ordinatur ad conſiderationem Diuinorum, in qua dirigitur homo per ſtudium ad conſiderandum Diuina: vnde in laudem viri iuſti dicitur in Pſalm. 1. quòd *in lege Domini meditatur die ac nocte*: & Eccleſ. 39. dicitur, *ſapientiam antiquorum exquiret ſa-*

Digitized by Google

piens, & in Prophetis vacabit: Alio modo ſtudium litterarum iuuat ad contemplatiuam vitam indirectè, remouendo contemplationis pericula, ſcilicet errores qui in cōtemplatione Diuinorum frequenter accidunt his qui ſcripturas ignorant: ſicut in collationibus Patrum legitur quòd Abbas Serapion propter ſimplicitatem incidit in errorem Anthopomorphitarum, ideſt eorum qui Deum habere humanam formam arbitrantur: vnde dicit Gregorius in 6. Moralium, quòd *nonnulli dum plus exquirunt contemplando quàm capiunt, vſque ad peruerſa dogmata erumpunt; & dum veritatis eſſe diſcipuli humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt*. Et propter hoc dicitur Eccleſ. 2. *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam, deuitaremque ſtultitiam*.

Secundò, neceſſarium eſt ſtudium litterarum Religioſis inſtitutis ad prædicandum, & alia huiuſmodi exercendum: vnde Apoſt. dicit ad Titum 1. de Epiſcopo (ad cuius officium huiuſmodi actus pertinent) *amplectentem eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Nec obſtat quòd Apoſtoli abſque ſtudio litterarum ad prædicandum ſunt miſſi: quia vt Hieronymus dicit in Epiſt. ad Paulinum, *quicquid alüs exercitatio, & quotidiana in lege Dei meditatio tribuere ſolet, hoc illis Spiritus Sanctus ſuggerebat*.

Tertiò, ſtudium litterarum Religioni congruit quantùm ad id quod eſt omni Religioni commune. Valet enim ad euitandam carnis laſciuiam, vnde Hieronymus dicit ad Ruſticum Monachum; *ama ſcripturarum ſtudia, & carnis vitia non amabis*: auertit enim animum à cogitatione laſciuiæ, & carnem macerat propter ſtudij laborem, ſecundùm illud Eccleſ. 31. *vigilia honeſtatis tabefaciet carnes*: valet etiam ad auferendum cupiditatem diuitiarum; vnde Sapient. 7. dicitur, *diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*: & 1. Machab. 12. dicitur: *nos autem nullo horum indiguimus* (ſcilicet exteriorum ſubſidiorum) *habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris*. Valet etiam ad obedientiæ documentum: vnde Auguſt. dicit in lib. de operibus Monach. *quæ eſt iſta peruerſitas, lectioni nolle obtemperare dum vult ei vacare?* & ideo manifeſtum eſt, quòd congruè poteſt inſtitui Religio ad ſtudium litterarum. 2. 2. 188. *art.* 5. *in corp. opuſc.* 19. *c.* 11.

Quær. 55. *eu nam ſtudio intendere debeant Religioſi.*

Reſp. v. Studioſitas.

Qu. 56. *an Religio qua vacat vita contemplatiua, ſit potior eâ, qua vacat operibus vitæ actiuæ: & vtrum in Religionibus ſummum gradum illa obtineant, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd differentia vnius Religionis ad aliam principaliter quidem attenditur ex parte finis, ſecundariò autem ex parte exercitij: & quia non poteſt aliquid dici altero potius niſi ſecundùm id in quo ab eo differt, ideo excellentia vnius Religionis

Religionis ſuper aliam principaliter quidem attenditur ſecundùm Religionis finem, ſecundariò autem ſecundùm exercitium. Diuerſimode tamen vtraque comparatio attenditur: nam comparatio, quæ eſt ſecundùm finem, eſt abſoluta, eo quòd finis propter ſe quæritur: comparatio autem, quæ eſt ſecundùm exercitium, eſt reſpectiua, quia exercitium non quæritur propter ſe, ſed propter finem: & ideo illa Religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem abſolutè potiorem; vel quia eſt maius bonum; vel quia ad plura bona ordinatur: ſi verò ſit finis idem, ſecundariò attenditur præeminentia Religionis non ſecundùm quantitatem exercitij, ſed ſecundùm proportionem eius ad finem intentum: vnde & in collationibus Patrum inducitur ſententia beati Antonij, qui prætulit diſcretionem per quam aliquis omnia moderatur, & ieiuniis, & vigiliis, & omnibus huiuſmodi obſeruantiis.

Sic ergo dicendum eſt, quòd opus vitæ actiuæ eſt duplex: vnum quidem, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, ſicut doctrina & prædicatio: vnde Greg. dicit in 5. Homil. ſuper Ezech. quòd *de perfectis viris poſt contemplationem ſuam redeuntibus dicitur Pſal 44. Memoriam ſuauitatis tuæ eructabant.* Et hoc præfertur ſimplici contemplationi: ſicut enim maius eſt illuminare quàm lucere ſolùm, ita maius eſt contemplata aliis tradere quàm ſolùm contemplari. Aliud autem opus eſt actiuæ vitæ quæ totaliter conſiſtit in occupatione exteriori, ſicut eleemoſynas dare, hoſpites recipere, & alia huiuſmodi, quæ ſunt minora operibus contemplationis, niſi fortè in caſu neceſſitatis.

Sic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ propinquiſſimæ ſunt perfectioni Epiſcoporũ: ſicut & in aliis rebus *fines primorum coniunguntur principiis ſecundorum*, vt Dionyſius dicit in 7. cap. de Diuinis nominibus. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem: tertius eſt earum, quæ occupantur circa exteriores actiones.

In ſingulis autem horum graduum poteſt attendi præeminentia ſecundùm quòd vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: ſicut inter opera actiuæ vitæ potius eſt redimere captiuos quàm recipere hoſpites; & in operibus vitæ contemplatiuæ potior eſt oratio quàm lectio. Poteſt etiam attendi præeminentia, ſi vna earum ad plura horum ordinetur quàm alia: vel ſi conuenientiora ſtatuta habeat ad finem propoſitum conſequendum. 2. 2. q. 188 a.6. in corp. opuſc. 19. cap. 1.

Qu. 57. vtrum illa Religio ſit perfectior quæ habet arctiores obſeruantias.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd arctitudo obſeruantiarum non eſt illud quod præcipuè in Religione commendatur, vt beatus Antonius dicit: & Iſaiæ 58. dicitur: *Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?* Aſſumitur tamen in Religione vt neceſſaria ad

Digitized by Google

carnis macerationem, quæ ſi ſine diſcretione fit, periculum deficiendi habet annexum vt beatus Antonius dicit: & ideo non eſt potior Religio ex hoc quòd habet arctiores obſeruantias; ſed ex hoc quòd ex maiori diſcretione ſunt eius obſeruantiæ ordinatæ ad finem Religionis: ſicut ad continentiam efficaciùs ordinatur maceratio carnis per abſtinentiam cibi & potûs (quæ pertinent ad famem & ſitim) quàm per ſubtractionem veſtium (quæ pertinent ad frigus & ad nuditatem) & quàm per corporalem laborem. *in eodem art. 6. ad 3.*

Qu. 58. an Religioſi poſſint aliquid poſſidere in communi ſine detrimento perfectionis, iuxta illud D. Proſperi in libro de vita contemplatiua, & habetur 12. quaſt. 1. ſatis oſtenditur & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſia facultates (quæ ſunt profectò communes) poſſideri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perfectio non conſiſtit eſſentialiter in paupertate, ſed in ſequela, ſecundùm illud Hieronymi ſuper Matthæum, *quia non ſufficit tantùm relinquere, iungit Petrus quod perfectum eſt, ſcilicet ſecuti ſumus te*: paupertas autem eſt ſicut inſtrumentum vel exercitium perueniendi ad perfectionem: vnde in collationibus Patrum Abbas Moyſes dicit: *Ieiunia, vigiliæ, meditatio ſcripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio ſed perfectionis inſtrumenta ſunt*: eſt autem priuatio omnium facultatum, ſiue paupertas perfectionis inſtrumentum, inquantum per remotionem diuitiarum tolluntur quædam charitatis impedimenta, quæ ſunt præcipuè tria: quorum primum eſt ſollicitudo quam ſecum diuitiæ afferunt: vnde Dominus dicit Matth. 13. *Quod autem ſeminatum eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum Dei audit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum*: Secundum autem eſt diuitiarum amor, qui ex diuinis poſſeſſis augetur: vnde & Hieron. dicit ſuper Matth. quòd *quia diuitiæ habitæ difficulter contemnuntur, non dixit Dominus, impoſſibile eſt diuitem intrare in regnum cælorum, ſed difficile*: Tertium autem eſt inanis gloria vel eleuatio, quæ ex diuitiis naſcitur ſecundùm illud Pſal. 48. *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.*

Horum ergo trium primum à diuitiis ſeparari non poteſt totaliter, ſiue ſint magnæ, ſiue paruæ; neceſſe eſt enim hominem aliqualiter ſollicitari de acquirendis, vel conſeruandis exterioribus rebus; ſed ſi res exteriores non quærantur vel habeantur, niſi in modica quantitate, quantùm ſufficiunt ad ſimplicem victum, talis ſollicitudo non multùm impedit hominem; vnde nec perfectioni repugnat Chriſtianæ vitæ; non enim omnis ſollicitudo à Domino interdicitur, ſed ſuperflua & nociua: vnde ſuper illud Matth. 6. *ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis*, dicit Auguſt. in lib. de ſerm. Domini in monte: *non hoc dicit, vt iſta non procurentur quantùm neceſſitatis eſt; ſed vt non iſta intueantur & propter iſta faciant, quidquid in Euangelij prædicatione facere iubentur.*

Sed abundans diuitiarum poſſeſſio abundantiorem ſollicitudinem ingerit: per quam animus hominis multùm diſtrahitur, & impeditur ne totaliter feratur in Dei obſequium. Alia verò duo; Scilicet amor Diuitiarum, & elatio, ſeu gloriatio de diuitijs non conſequuntur niſi abundantes diuitias.

Differt tamen circa hoc, vtrum diuitiæ abundantes vel moderatæ in proprio vel in communi habeantur: nam ſollicitudo quæ circa proprias diuitias adhibetur, pertinet ad amorem priuatum quo quis ſe temporaliter amat: ſed ſollicitudo quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed communibus intendit: & quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei vſque ad contemptum ſui, habere aliquid proprium perfectioni repugnat Religionis: ſed ſollicitudo quæ adhibetur circa bona communia, pertinere poteſt ad charitatem, licèt etiam per hoc impediri poſſit aliquis altior charitatis actus, putà contemplationis Diuinæ, aut inſtructionis proximorum.

Ex quo patet, quòd habere ſuperabundantes diuitias in communi (ſiue in rebus mobilibus, ſiue in immobilibus) eſt impedimentum perfectionis, licèt non totaliter excludat eam: habere autem de rebus exterioribus in communi (ſiue mobilibus, ſiue immobilibus) quantùm ſufficit ad ſimplicem victum, perfectionem Religionis non impedit, ſi conſideretur paupertas per comparationem ad communem finem Religionum, qui eſt vacare Diuinis obſequiis: ſi autem conſideretur per comparationem ad ſpeciales fines Religionum, ſic præſuppoſito tali fine paupertas maior, vel minor eſt Religioni accommoda: & tantò erit vnaquæque Religio ſecundùm paupertatem perfectior, quantò habet paupertatem magis proportionatam ſuo fini.

Manifeſtum eſt enim quòd ad exteriora & corporalia opera vitæ actiuæ indiget homo copiâ exteriorum rerum: ad contemplationem autem pauca requiruntur: vnde Phil. dicit in 10. ethic. quòd *ad actiones multis opus eſt, & quàtò vtique maiores ſunt ac meliores, pluribus; ſpeculanti autem nulla talium eſt neceſſitas, ſed ſolis neceſſariis indiget; alia verò impedimenta ſunt ad ſpeculationem*: ſic ergo patet quòd Religio quæ ordinatur ad actiones corporales actiuæ vitæ (putà ad militandum, vel ad hoſpitalitatem ſectandam) imperfecta eſſet, ſi communibus careret diuitiis: Religiones autem quæ ad contemplatiuam vitam ordinantur, tantò perfectiores ſunt, quantò eorum paupertas minorem eis ſollicitudinem temporalium ingerit: tantò autem ſollicitudo temporalium rerum magis impedit Religionem, quantò ſollicitudo ſpiritualium maior ad Religionem requiritur.

Manifeſtum eſt autem quòd maiorem ſollicitudinem ſpiritualium requirit religio quæ eſt inſtituta ad contemplandum & contemplata aliis tradendum per doctrinam & prædicationem, quàm illa quæ eſt inſtituta ad contemplandum tantùm: vnde talem religionem decet paupertas talis, quæ minimam ſollicitudinem ingerit; Manifeſtum eſt autem quòd

minimam ſollicitudinem ingerit ſeruate res vſui hominum neceſſarias tempore congruo procuratas.

Et ideo tribus gradibus religionum ſuprapoſitis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones actiuæ vitæ, competit habere abundantiam diuitiarum communium: illis autem religionibus quæ ſunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere poſſeſſiones moderatas; niſi ſimul oporteat tales religioſos per ſe vel per alios hoſpitalitatem tenere, & pauperibus ſubuenire: illis autem quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus ſollicitudinibus expeditam: quod quidem fit dum modica quæ ſunt neceſſaria vitæ, congruo tempore procurata conſeruantur; & hoc Dominus paupertatis inſtitutor docuit ſuo exemplo: habebat enim loculos, Iudæ commiſſos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Ioannis 12. nec obſtat quòd Hieron. ſuper Matth. 17. ait, quòd *ſi quis obiicere voluerit quomodo Iudas pecuniam portabat; reſpondebimus quòd rem pauperum in vſus ſuos conuertere nefas putauit* [ſcilicet ſoluendo tributum] quia inter illos pauperes præcipuè erant eius diſcipuli, in quorum neceſſitates pecunia loculorum Chriſti expendebatur: dicitur enim Ioan. 4. quòd *Diſcipuli abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent*: & Ioan 13. dicitur quòd Diſcipuli putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet Ieſus: *eme ea quæ [illegible] ſunt nobis ad diem feſtum: aut vt egenis aliquid daret.*

Ex quo patet quòd conſeruare pecuniam aut quaſcunque alias res communes ad ſuſtentationem Religioſorum congregationis eiuſdem, vel quorumcunque aliorum pauperum, eſt perfectioni conforme, quam Chriſtus docuit ſuo exemplo: ſed & Diſcipuli poſt reſurrectionem, à quibus omnis religio ſumpſit originem, pretia prædiorum conſeruabant, & diſtribuebant prout cuique opus erat. 2. 2. q. 188. *art.* 7. *in corp. opuſc.* 17. *c.* 15. *& opuſc.* 19. *cap.* 6.

Qu. 59. *quanta ſit perfectio Religioſorum ordinum ratione voluntariæ paupertatis.*

Reſp. ſupra v. Paupertas o. & præſertim *qu. vlt.*

Qu. 60. *vtrum Religioſorum ordinum perfectio attendi debeat magis ex caſtitate & obedientia, quam ex paupertate; cùm Dominus dicat Matth.* 19. *Si vis perfectus eſſe vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt ex illo verbo Domini non intelligitur quòd ipſa paupertas ſit perfectio ſed perfectionis inſtrumentum: & ſicut oſtenſum eſt, minimum eſt inter tria principalia inſtrumenta perfectionis: nam votum continentiæ præeminet voto paupertatis, & votum obedientiæ præfertur vtrique: quia verò *inſtrumentum non propter ſe quæritur, ſed propter finem*, non tantò aliquid fit melius, quantò maius eſt inſtrumentum, ſed quantò eſt magis fini proportionatum: ſicut Medicus non

tantò magis ſanat, quantò maiorem dat medicinam, ſed quantò medicina eſt magis proportionata morbo.

Sic ergo non oportet quòd Religio tantò ſit perfectior, quantò maiorem habet paupertatem, ſed quantò eius paupertas eſt magis proportionata fini communi & ſpeciali. Et ſi daretur quòd exceſſus paupertatis faceret Religionem perfectiorem ſecundùm hoc quòd eſt pauperior, non tamen faceret eam perfectiorem ſimpliciter: poſſet enim eſſe quòd alia Religio excederet in his quæ pertinent ad continentiam & obedientiam; & ſic eſſet ſimpliciter perfectior; quia *quod in melioribus excedit, eſt ſimpliciter melius*. 2. 2. *qu*. 188. *art*. 7. *ad* 1.

Quær. 61. an perfectior ſit Religio in ſocietate viuentium, quàm agentium ſolitariam vitam; cùm D. Auguſt. in libro de operibus monachorum illos ſanctiores eſſe dicat, qui à conſpectu hominum ſeparati nulli ad ſe prabent acceſſum, viuentes in magna intentione orationum: & quandonam vita ſolitaria ſit periculoſiſſima.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſolitudo ſicut & ipſa paupertas, non eſt ipſa eſſentia perfectionis, ſed perfectionis inſtrumentum: vnde & in collationibus Patrum dicit Abbas Moyſes, quòd *pro puritate cordis ſolitudo ſectanda eſt, ſicut & ieiunia & alia huiuſmodi*: manifeſtum eſt autem quòd ſolitudo non eſt inſtrumentum congruum actioni, ſed contẽplationi, ſecundùm illud Oſeæ 2. *ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*: vnde non congruit Religionibus quæ ſunt ordinatæ ad opera vitæ actiuæ (ſiue corporalia ſiue ſpiritualia) niſi fortè ad tempus: exemplo Chriſti, qui vt dicitur Lucæ 6. *exiit in montem ſolus orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: Competit autem Religionibus quæ ſunt ad contemplationem ordinatæ.

Coſiderandum eſt tamen quòd id quod eſt ſolitarium, debet eſſe ſibi per ſe ſufficiens: hoc autem eſt cui nihil deeſt: quod pertinet ad rationem perfecti: & ideo ſolitudo competit contemplanti qui iam ad perfectum peruenit. Quod quidem contingit dupliciter: vno modo ex ſolo Diuino munere, ſicut patet de Ioanne Baptiſta, qui fuit *repletus Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris ſuæ*: vnde cùm adhuc eſſet puer, *erat in deſertis*, vt dicitur Lucæ 1. alio modo per exercitium virtuoſi actûs, ſecundùm illud ad Hebr. 5. *perfectorum eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali*. Ad exercitium autem huiuſmodi iuuatur homo ex aliorum ſocietate dupliciter: vno modo quantùm ad intellectum, vt inſtruatur in his quæ ſunt contemplanda: vnde Hieronymus dicit ad Ruſticum Monachum: *mihi placet vt habeas ſacrum contubernium, nec ipſe te doceas*: ſecundò quantùm ad effectum, vt ſcilicet noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo & correctione aliorum; quia dicit Greg. 3. Mor. ſuper illud, *cui dedi in ſolitudine domum*, *quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis*? & ideo vita ſocialis neceſſaria eſt ad exercitium perfectionis, ſolitudo autem

Digitized by Google

competit iam perfectis; vnde Hieron. dicit ad ruſticum Monachum, *ſolitariam vitam reprehendimus? minimè? quippe quam ſæpè laudauimus: ſed de ludo monaſteriorum huiuſcemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen conuerſationis ſua multo tempore dederint.*

Sicut ergo id quod iam perfectum eſt, præeminet ei quod ad perfectionem exercetur; ita vita ſolitariorum ſi debitè aſſumatur, præeminet vitæ ſociali. Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima; niſi per Diuinam gratiam ſuppleatur quod in alijs per exercitium acquiritur, ſicut patet de Beatis Antonio & Benedicto. 2.2.q. 188. a.8. *in corp.*

Quæritur 62. quanta ſit perfectio Religioſorum ordinum ratione vita contemplatiua.

Reſp. infra v. vita.

Qu. 63. an liceat de vna religione tranſire ad aliam, ſicut dicitur in decretis 20. quaſt. 4. virgines ſacra ſi pro lucro animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam, ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerunt, ibique commanere decreuerunt, ſancta ſynodus concedit, & quibus de cauſis talis tranſitus poſſit eſſe laudabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tranſire de religione ad Religionem niſi propter magnam vtilitatem, vel neceſſitatem non eſt laudabile: tum quia ex hoc plerumque ſcandalizantur illi qui relinquuntur: tum etiam quia faciliùs proficit aliquis in Religione quam conſueuit, quàm in illa quam non conſueuit, cœteris paribus: vnde in collationibus Patrum Abbas Neſteros dicit: *vnicuique vtile eſt vt ſecundùm propoſitum quod elegit, ſummo ſtudio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem peruenire feſtinet, & nequaquam à ſua quam elegit ſemel, profeſſione diſcedat*: & poſtea ſubdit, rationem aſſignans: *impoſſibile namque eſt vnum & eundem hominem ſimul vniuerſis fulgere virtutibus: quas ſi quis voluerit pariter affectare, in id incidere eum neceſſe eſt, vt dum omnes ſequitur, nullam integrè conſequatur.* Diuerſæ enim Religiones præeminent ſecundùm diuerſa virtutum opera.

Poteſt tamen aliquis laudabiliter de vna Religione tranſire ad aliam triplici ex cauſa. Primò quidem zelo perfectioris Religionis: quæ quidem excellentia, vt ſupra dictum eſt, non attenditur ſecundùm ſolam arctitudinem, ſed principaliter ſecundùm id ad quod Religio ordinatur; ſecundariò verò ſecundùm diſcretionem obſeruantiarum debito fini proportionatarum. Secundò propter declinationem Religionis à debita perfectione; putà ſi in aliqua Religione arctiori incipiant religioſi remiſſiùs viuere, laudabiliter tranſit aliquis ad religionem etiam minorem, ſi meliùs obſeruetur: vnde in collationibus Patrum Abbas Ioannes de ſeipſo dicit, quòd à vita ſolitaria in qua profeſſus fuerat, tranſiit ad minorem (ſcilicet eorum qui viuunt in ſocietate) propter hoc quòd vita eremitica cœperat declinare, & laxius obſeruari. Tertiò propter infirmitatem,

Digitized by Google

vel debilitatem, ex qua interdum prouenit, quòd non poteſt aliquis arctioris Religionis ſtatuta ſeruare, poſſet autem ſeruare ſtatuta Religionis laxioris.

Sed in his tribus caſibus poteſt eſſe differentia: nam in primo caſu debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ tamen ei negari non poteſt, dummodo conſter illam religionem eſſe arctiorem: ſi verò de hoc probabiliter dubitetur, eſt in hoc ſuperioris iudicium inquirendum, vt habetur extra de regularibus, & tranſeuntibus ad religionem, cap. *licèt*. Similiter requiritur ſuperioris Iudicium in ſecundo caſu. In tertio verò caſu eſt etiam neceſſaria diſpenſatio. 2.2.*q*. 189.*a*. 8. *in corp*. 4. *ſ. d*. 27.*q*.2. *a*. 3.*q*.1.*ad* 3. *& d*:38.*q*.*a*.4. *q*.3.*ad* 2.

Qu. 64. *an Religioſi ſiue expreſsè ſiue tacitè profeſſi teneantur neaum ad vota Religionis, ſed etiam ad omnia ſtatuta, licet in tali monaſterio non obſeruentur; cùm non intendant niſi viuere ſicut alii viuunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum interpretatum obligat, ſicut & votum ore tenus emiſſum: vnde ſi aliquis poſt tempus probationis in monaſterio remanſerit, obligatur ex voto interpretatiuo, niſi fortè propter aliquam cauſam fuerit ei annus protelatus, vel conſueuerit; quia tunc non facit votum interpretatum vltra annum ſtans: & talis qui interpretatum votum fecit ad tria vota Religionis principalia in omni caſu tenetur: ſed ad alias obſeruantias, quarum tranſgreſſio ex diſſimulatione Prælatorum inducitur, qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur, non videntur obligari; & præcipuè ſi ſit ſimplex qui talia diſcernere ſufficienter neſciat.4:*d*.38.*q*.1.*a*.3. *q*.1. *ad* 5.

Qu.65. *an peccata Religioſorum ſint grauiora peccatis ſæcularium; cùm de ipſis ſit maximè dolendum: dicitur enim Hier*.23.*contritum eſt cor meum in medio mei: & poſtea ſubdit: Propheta namque & Sacerdos polluti ſunt, & in domo mea inueni malum eorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum quod à religioſis committitur, poteſt eſſe grauius peccato ſæcularium eiuſdem ſpeciei tripliciter.

Vno modo, ſi ſit contra votum Religionis; putà ſi religioſus fornicetur vel furetur: quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando facit contra votum paupertatis, & non ſolùm contra præceptum Diuinæ legis. ſecundò, ſi ex contemptu peccet: quia ex hoc videtur eſſe magis ingratus Diuinis beneficiis, quibus eſt ſublimatus ad ſtatum perfectionis: ſicut Apoſtolus dicit ad Heb. 10. quòd fidelis *grauiora meretur ſupplicia ex hoc quòd peccando filium Dei conculcat* per contemptum: vnde & Dominus conqueritur Hier. 11. *quid eſt quòd dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa?* Tertio modo peccatum religioſi poteſt eſſe maius, propter ſcandalum: quia ad vitam eius plures reſpiciunt: vnde dicitur Hierem. 23. *in Prophetis Hieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium & iter mendacii, & confortauerunt manus*

Digitized by Google

peſſimorum, vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua.

Si verò Religioſus non ex contemptu, ſed ex infirmitate vel ignorantia aliquod peccatum, quod non eſt contra votum ſuæ profeſſionis, committat abſque ſcandalo (putà in occulto) leuiùs peccat eodem genere peccati, quàm ſæcularis: quia peccatum eius ſi ſit leue, quaſi abſorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit: & ſi ſit mortale, faciliùs ab eo reſurgit: primò quidem propter intentionem quam habet rectam ad Deum, quæ etſi ad horam intercipiatur, de facili ad priſtina reparatur: vnde ſuper illud Pſ. 36. *cum ceciderit non collidetur*, dicit origenes: *iniuſtus ſi peccauerit, non pœnitet, & peccatum ſuum emendare neſcit: iuſtus autem ſcit emendare, ſcit corrigere: ſicut ille qui dixerat (neſcio hominem) Paulò poſt cùm reſpectus fuiſſet à Domino, ſcit flere amariſſimè & ille qui de tecto mulierem viderat, & concupierat eam, ſcit dicere, peccaui & malum coram te feci.* Iuuatur etiam à ſociis ad reſurgendum, ſecundùm illud Eccleſ. 4. *ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ ſoli, quia cùm ceciderit non habet ſubleuantem ſe. 2. 2. qu. 186. a. 10. 4. ſen. d. 14. qu. 1. a. 5. quæſt. 23. ad 3.*

Qu. 66. vtrum aliquis à Religione expelli debeat propter peccatum, ſi paratus ſit corrigi, & pœnam ſubire.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Apoſtolus dicit, *auferte malum ex vobis ipſis, modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit &c.* aufertur autem aliquis aut per pœnam corporalem: & per hoc manifeſtum eſt quòd aufertur etiã ille qui vellet pœnitere quantumcunque: ſicut homicida ſuſpenditur, quantumcunque pœniteat: vel per pœnam ſpiritualem: & hoc Eccleſia non facit, niſi quis eſſet contumax. Et ratio huius eſt: quia per pœnam corporalem aufertur aliquid temporale, quod poteſt recompenſari per aliquod maius bonum: ſed bonum ſpirituale quod amittitur, non poteſt recompenſari: & ideo non debet Religio infligere talem pœnam quandiu vult corrigi, quoniam ſicut eſt excommunicatio in Eccleſia, ita eſt expulſio à religione. Et ideo dicendum, quòd nullus eſt niſi propter contumaciam expellendus, ſed eſt ſequeſtrandus in carcere, vel alio modo. *quodlibeto vltimo artic. etiam vlt.*

Quæſt. 67. an ſi Religioſi ad hoc deueniant vt ex contemptu peccent, fiant peſſimi, & maximè incorrigibiles: & vtrum ſicut non ſunt meliores quàm illi qui in monaſteriis ſunt boni, ita non ſint peiores quàm qui in eis ſunt mali.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuſti non de facili peccant ex contemptu, ſed quandoque labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia vel ex infirmitate, à qua de facili releuantur: ſi autem perueniant ad hoc quòd ex contemptu peccent, efficiuntur peſſimi, & maximè incorrigibiles; ſecundùm illud Hierem. 2. *confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti (non ſeruiam) in omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix*: vnde Auguſtinus dicit in epiſt. ad plebẽ Hipponenſem

Digitized by Google

ſem: *ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus peiores quàm qui in monaſteriis ceciderunt.* 2.2.q.186. a. 10.ad 3.

Qu. 68. *an & quando Religioſi poſſint & debeant reſiſtere detractoribus ſuis.*

Reſp. ſupra v. detractio *qu.* 8. *& qu.* 11.

Quomodo ſuperiores ordinum Religioſorum ſe gerere debeant circa nouitios videatur ſupra v. nouitii. An S. Pōtifex diſpenſare poſſit in voto ſolemni Religionis ad matrimonium contrahendum: & vtrum Religioſi per ſuam Profeſſionem ſint ab ſque vlla diſpenſatione exempti ab omnibus votis in ſæculo factis v. votum. Quænam denique ſit perfectio ſtatus Religioſi ratione continentiæ videatur in opuſculo de caſtitate ſub finem huius operis.

RELIQVIÆ.

Qu. 1. *an debeamus venerari ſanctorum reliquias.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Ciuit. Dei & in libro de cura pro mortuis: *ſi paterna veſtis, & annullus, ac ſi quid eſt huiuſmodi, tantò charius eſt poſteris, quantò erga parentes maior eſt affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiariùs, atque coniunctiùs, quàm qualibet indumenta geſtamus: hæc enim ad ipſam naturam hominis pertinent,* ex quo patet, quòd qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quæ de ipſo poſt mortem relinquuntur, veneratur; non ſolùm corpus, aut partes corporis eius, ſed etiam aliqua exteriora; putà veſtes, & ſimilia.

Manifeſtum eſt autem, quòd ſanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Chriſti, Dei filios, & amicos, & noſtros interceſſores: & ideo eorum reliquias qualeſcunque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt corpori Chriſti configuranda per glorioſam reſurrectionem: vnde & ipſe Deus huiuſmodi reliquias conuenienter honorat in earum præſentia miracula faciendo. 3. *p.* q. 25. a. 6. *in corp.*

Quær. 2. *an & quomodo poſſit eſſe ſuperſtitio in geſtandis reliquiis.*

Reſp. infra v. *ſuperſtitio.*

RESTITVTIO.

Quær. 1. *quid ſit reſtitutio: & vtrum ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd reſtituere nihil aliud eſſe videtur quàm iteratò aliquem ſtatuere in poſſeſſionem vel dominium rei ſuæ: & ita in reſtitutione attenditur æqualitas iuſtitiæ ſecundùm recompenſationem rei ad rem, quod pertinet ad iuſtitiam commutatiuam: & ideo reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ; quando ſcilicet res vnius ab alio habetur, vel per voluntatem eius, ſicut in mutuo, vel depoſito, vel

Digitized by Google

contra voluntatem eius, ſicut in rapina, vel furto. 2. 2. q. 62. a. 1. *in corp.*

Qu. 2. an reſtitutio ſit de neceſſitate ſalutis: ſicut dicit D. Auguſtinus in Epiſtola ad Macedonium, & refertur 14. q. 6. ſi res aliena propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur; pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur: ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi (vt dixi) reſtitui poteſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd reſtitutio (ſicut dictum eſt) eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit: & ideo *reſtituere* importat redditionem illius rei, quæ iniuſtè ablata eſt; ſic enim per iteratam eius exhibitionem æqualitas reparatur: ſi verò iuſtè ablatum ſit, æqualitas erit: & ideo non neceſſarium erit vt ei reſtituatur; quia iuſtitia in æqualitate conſiſtit. Cùm ergo conſeruare iuſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt quòd reſtituere id quod iniuſtè ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis. 2. 2. q. 62. a. 2. *in corp.* 4. *ſ. d.* 15. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 2. *in corp. quodl.* 12. *a.* 6.

Qu. 3. quid agendum ſit quando res ablata non eſt reſtituibilis, putà cùm aliquis abſtulit alicui membrum, virginitatem, aut vitam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in quibus non poteſt recompenſari æquiualens, ſufficit quòd ibi recompenſetur quod poſſibile eſt; ſicut patet de honoribus, qui ſunt ad Deum, & ad parentes, vt Philoſophus dicit in 8. ethic. Et ideò quandò id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio qualis poſſibilis eſt; putà cùm aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore; conſideratâ conditione vtriuſque perſonæ, ſecundùm arbitrium boni viri. 2. 2. q. 62. a. 2. *ad* 1. 4. *ſent. d.* 15. *q.* 1. *a.* 5. *qu.* 2. *ad* 2.

Qu. 4. an & quomodo ille qui famam aufert alteri, teneatur ad reſtitutionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis poteſt alicui famam tripliciter auferre: vno modo verum dicendo, & iuſtè, putà cùm aliquis crimen alicuius prodit ordine debito ſeruato: & tunc non tenetur ad reſtitutionem famæ: alio modo falſum dicendo & iniuſtè: & tunc tenetur reſtituere famam, confitendo ſe falſum dixiſſe: tertio modo, verum dicendo, ſed iniuſtè; putà cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: Et tunc tenetur ad reſtitutionem famæ quantum poteſt, ſine mendacio tamen; vtpote quòd dicat ſe malè dixiſſe, vel quòd iniuſtè eum diffamauerit: vel ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare. 2. 2. q. 62. a. 2. *ad* 2.

Qu. 5. quandonam & quomodo ad reſtitutionem teneatur ille qui impedit ne alter beneficium conſequatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis poteſt impedire ali-

quem, ne habeat præbendam multipliciter: vno modo iuſtè, putà ſi intendens honorem Dei vel vtilitatem Eccleſiæ procuret quòd detur alicui perſonæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam: alio modo, iniuſtè, putà ſi intendat eius nocumentum quem impedit propter odium vel vindictam aut aliquid huiuſmodi: & tunc ſi impedit ne præbenda detur digno, conſulens quòd non detur antequam ſit firmatum quòd ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationé penſatis conditionibus perſonarũ & negotii ſecundùm arbitrium Sapientis: non tamen tenetur ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò iam firmatum ſit quòd alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret quòd reuocetur, idem eſt ac ſi iam habitam auferret: & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundùm ſuam facultatem. 2.2. *qu.* 62. *a.* 2. *ad* 4.4. *ſent. d.* 15.*q.*1.*a.*5.*q.*2. *ad* 3.

Quær. 6. an ſufficiat reſtituere id quod iniuſtè ablatum eſt: & quandonam teneatur aliquis reſtituere plus quam accipit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm aliquis iniuſtè accipit rem alienam, duo ſunt ibi conſideranda: quorum vnum eſt inæqualitas ex parte rei, quæ quandoque eſt ſine iniuſtitia, vt patet in mutuis; aliud autem eſt iniuſtitiæ culpa, quæ poteſt eſſe etiam cum æqualitate rei; putà cùm aliquis intendit inferre violentiam, ſed non præualet. Quantùm ergo ad primum, adhibetur remedium per reſtitutionem: inquantum per eam æqualitas reparatur, ad quod ſufficit quòd reſtituat tantum quantum habuerit de alieno: ſed quantùm ad culpam, adhibetur remediũ per pœnam, cuius inflictio pertinet ad iudicem; & ideo antequam ſit condemnatus per Iudicem, non tenetur reſtituere plus quàm accepit: ſed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſoluere. 2.2.*q.* 62.*ar.*3.*in corp.*

Quæ. 7. quomodo teneatur aliquis per reſtitutionem reparare damnum quod fecit proximo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quicunque damnificat aliquem videtur ei auferre id in quo ipſum damnificat: damnum enim dicitur ex eo quòd aliquis minùs habet quàm debet habere, ſecundùm Philoſophum 5.ethic.& ideo homo tenetur ad reſtitutionem eius in quo aliquem damnificauit. Sed aliquis damnificatur dupliciter: vno modo, quia aufertur ei id quod actu habebat: & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundùm recompenſationem æqualis: putà ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum eius, tenetur ad tantum quantum valet domus: alio modo, ſi damnificet aliquem, impediendo ne adipiſcatur quod erat in via habendi: & tale damnum non oportet recompenſare ex æquo: quia minus eſt habere aliquid in virtute, quàm habere actu: qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolùm ſecundùm virtutem, vel poteſtatem: & ideò ſi redderetur

Digitized by Google

ei vt haberet hoc in actu, reſtitueretur ei, quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum: quod non eſt de neceſſitate reſtitutionis vt dictum eſt: tenetur tamen aliquam recompenſationem facere ſecundùm conditionem perſonarum & negotiorum. 2. 2. q. 62. a. 4. *in corp.*

Qu. 8. quomodo reſtitutionem facere debeat ille qui ſuffodit ſemina, vel qui pecuniam creditoris retinet vltra præfixum terminum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui ſuffodit ſemina, non tenetur ad tantum quantum agri fructus valituri erant, ſed quantùm ager ſic ſeminatus valere conſueuit: quia multis de cauſis poteſt impediri agrorum fructus.

Et ſimiliter dicendum eſt de eo cui debitum non reſtituitur ſuo tempore: quia non tenetur reſtituere tantum quantum lucrari potuiſſet, ſed ſecundùm æſtimationẽ lucri quod accidere conſueuit penſato labore, & infortuniis etiam, quæ in lucro accidere aliàs poſſent: quia lucrum non cauſatur tantùm ex pecunia, ſed ex induſtria, & labore. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 1. *a.* 5. *qu.* 2. *ad* 4.

Qu. 9. vtrum oporteat ſemper reſtitutionem facere ei, à quo acceptum eſt aliquid.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutatiuæ Iuſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione: huiuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei qui minus habet quàm quod ſuum eſt, ſuppleretur quod deeſt; & ad hanc ſuppletionem faciendam neceſſe eſt, vt ei fiat reſtitutio à quo acceptum eſt. 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *in corp.* 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 1. *a.* 5 *q* 4. *in corp.*

Qu. 10. quid agendum ſit, quando conſtat, quòd ſi reſtitutio fieret alicui, foret ei nociua.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando res reſtituenda apparet eſſe grauiter nociua ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet tunc reſtitui: quia reſtitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui reſtituitur: omnia enim, quæ poſſidentur, ſub ratione vtilis cadunt: nec tamen debet ille qui detinet rem alienam, ſibi appropriare; ſed vel reſeruare, vt congruo tempore reſtituat; vel etiam alij tradere tutiùs conſeruandam. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 1.

Qu. 11. quomodo debeat fieri reſtitutio eorum quæ illicitè dantur & accipiuntur: v. g. per ſimoniam, vel propter fornicationem.

Reſp. ſupra v. Meretrix. *qu.* 5.

Qu. 12. quid agendum ſit, quando ille cui debet reſtitutio fieri eſt ignotus, vel mortuus, vel multùm diſtans.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ille cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundùm quòd poteſt; ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius (ſiue ſit mortuus, ſiue ſit viuus) præmiſsâ tamen diligenti Inquiſitione de

perſona eius, cui eſt reſtitutio facienda. Si verò ſit mortuus ille cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui hæredi eius qui computatur quaſi vna perſona cum ipſo. Si verò ille ſit multùm diſtans, debet tranſmitti quod ei debetur; & præcipuè ſi ſit res magni valoris, & poſſit commodè tranſmitti: alioqui debet in aliquo loco tuto deponi, vt pro eo conſeruetur, & Domino ſignificari. 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad* 3. 4. *ſent.d.*15.*q.* 1.*a.*5.*q.*4. *ad* 1. & 2.

Quær. 13. *cur quando incertus eſt Dominus rerum ablatarum, reſtitutio debet fieri pauperibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando incertus eſt Dominus rerum ablatarum, pauperes ſunt hæredes: & ideo non deobligatur à debito reſtitutionis, niſi det pauperibus pro anima illius cui reſtitutio debebatur; adhibitâ tamen priùs diligentiâ debitâ. 4. *ſ. d.*15.*q.*1.*a.*5. *q.*4. *ad* 1.

*Qu.*14. *quid agendum ſit quando reſtitutio non poteſt peruenire ad illum cui fieri debet, niſi cum magno damno, & forte etiam maiori quàm ſit pretium rei reſtituendæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi res ſit magni valoris, debet ei tranſmittere ſi poteſt commodè: nec obſtat ſi damnum de remiſſione patitur; quia ipſe ſibi fuit cauſa iniuſtè auferendi. Si autem tranſmittere non poteſt, vel res non ſit magni valoris, poteſt eam dare propinquis illius ſi habet; vel alicui cænobio, ſi non habet propinquos; cum proteſtatione tali quòd ei reddere teneantur, ſi requiſierit vel vnquam comparuerit. *ibidem ad* 2.

Qu. 15. *quomodo fieri debeat reſtitutio, quando aliquis iniuſtè aliquid accepit in depradatione ciuitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui illo modo accipit, debet pauperibus illius villæ reſtituere; vel in alios vſus communitatis illius ciuitatis expendere ſecundùm arbitrium Epiſcopi, vel illorum ad quos pertinet cura illius ciuitatis. *ibidem ad* 3.

Qu. 16. *cui debeat Prælatus reſtituere rem Eccleſiæ quam ſurripuit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Prælatus poteſt rem Eccleſiæ ſurripere tripliciter. Vno modo ſi rem Eccleſiæ non ſibi deputatam, ſed alteri, ſibi vſurparet; putà ſi Epiſcopus vſurparet ſibi rem Capituli: & tunc planum eſt, quòd debet reſtituere ponendo in manus eorum ad quos de iure pertinet. Alio modo ſi rem Eccleſiæ ſuæ cuſtodiæ deputatam in alterius dominium transferat: putà conſanguinei, vel amici: & tunc debet reſtituere Eccleſiæ, & ſub ſua cura habere, vt ad ſucceſſorem perueniat. Tertio modo poteſt Prælatus ſurripere rem Eccleſiæ ſolo animo, dum ſcilicet incœpit habere animum poſſidendi eam vt ſuam, & non nomine Eccleſiæ: & tunc debet reſtituere talem animum deponendo. 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad* 5. 4. *ſent. d.* 15. *quæſt.*1. *a.*5.*q.* 4. *ad* 4.

Qu. 17. an & quomodo ille, qui rem alienam accepit, vel cum iniuria proximi, vt in furto & rapina, vel ſine ipſius iniuria, vt in mutuo & depoſito, teneatur ad reſtitutionem, etiam ſi res perdita fuerit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa illum qui rem alienam accepit, duo ſunt conſideranda: ſcilicet ipſa res accepta, & ipſa acceptio: Ratione autem rei tenetur eam reſtituere, quamdiu eam apud ſe habet: quia quod habet vltra id quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari ei cui deeſt, ſecundùm formam commutatiuæ iuſtitiæ. Sed ipſa acceptio rei alienæ poteſt tripliciter ſe habere: quandoque enim eſt iniurioſa: ſcilicet contra voluntatem exiſtens eius qui eſt rei Dominus, vt patet in furto, & rapina: Et tunc tenetur ad reſtitutionem, non ſolùm ratione rei, ſed etiam ratione iniurioſæ actionis, etiamſi res apud ipſum non remaneat: Sicut enim qui percutit aliquem, tenetur recompenſare iniuriam paſſo, quamuis apud ipſum nihil maneat: ita etiam qui furatur vel rapit, tenetur ad recompenſationem damni illati, etiamſi nihil inde habeat: & vlteriùs pro iniuria illata debet puniri.

Alio modo, aliquis accipit rem alterius in vtilitatem ſuam abſque iniuria: cum voluntate ſcilicèt eius, cuius eſt res, ſicut patet in mutuis: Et tunc ille qui accepit, tenetur ad reſtitutionem eius quod accepit, non ſolùm ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiamſi rem amiſerit: tenetur enim recompenſare ei qui gratiam fecit: quod non fiet, ſi (per hoc) damnum incurrat.

Tertio modo aliquis accipit rem alterius abſque iniuria, non pro ſua vtilitate: ſicut patet in depoſitis: Et ideo ille qui ſic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis; quinimò accipiendo impendit obſequium: Tenetur autem ratione rei: Et propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem: ſecus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret. *2. 2. q. 62. a. 6. in corp.*

Qu. 18. quis teneatur ad reſtitutionem, quando id quod aliquis iniuſtè abſtulit, deuenit in manus alterius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd reſtitutio non ordinatur principaliter ad hoc quòd ille qui plus habet quàm debet, habere deſinat: ſed ad hoc, quòd illi qui minùs habet, ſuppleatur: vnde, in his quæ vnus poteſt ab alio accipere ſine eius detrimento, non habet locum reſtitutio, putà cùm aliquis accipit lumen à candela alterius: & ideo quamuis ille qui abſtulit, non habeat id quod accepit, ſed in alium ſit tranſlatum; quia tamen alter priuatur re ſuâ, tenetur ei ad reſtitutionem, & ille qui rem abſtulit, ratione iniurioſæ actionis, & ille qui rem habet, ratione ipſius rei. *2. 2. q. 62. a. 6. ad 1.*

Quær. 19. per quem poſſit fieri reſtitutio ne fur infametur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo etſi non teneatur crimen ſuum detegere hominibus, tenetur tamen crimen ſuum dete-

gere Deo in confeſſione: & ita per Sacerdotem cui confitetur, poteſt reſtitutionem facere rei alienæ. *ibi. ad 2.*

Qu. 20. quando multi aliquid ſurripiunt, & vnus integrè reſtituit, ad quid teneantur alij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia reſtitutio principaliter ordinat ad remouendum damnum eius à quo eſt aliquid iniuſtè ablatum; ideo poſtquam ei reſtitutio ſufficiens facta eſt per vnum, alij non tenentur ei vlterius reſtituere; ſed magis refuſionem facere ei qui reſtituit; qui tamen poteſt condonare. 2. 2. *q. 62. a. 6. ad 3.*

Qu. 21. quinam teneantur ad reſtitutionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt ad reſtitutionem tenetur aliquis non ſolùm ratione rei alienæ quam accipit, ſed etiam ratione iniurioſæ acceptionis: & ideo quicunque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem.

Quod quidem contingit dupliciter; directè ſcilicet, & indirectè. Directè quidem quando inducit aliquis alium ad accipiendum: & hoc quidem tripliciter: primo quidem modo, ex parte acceptionis, mouendo ad ipſam acceptionem: quod quidem fit præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſsè, & laudando aliquem quaſi ſtrenuum de hoc quòd aliena accepit: alio modo ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet eum acceptat, vel qualitercunque ei auxilium fert: tertio modo ex parte rei acceptæ, quia ſcilicet particeps eſt furti, vel rapinæ quaſi ſocius maleficij. Indirectè verò quando aliquis non impedit, cùm poſſit & debeat impedire; vel quia ſubtrahit præceptum ſiue conſilium quod impediret furtum, vel rapinam; vel quia ſubtrahit ſuum auxilium, quo poſſit obſiſtere; vel quia occultat poſt factum: quæ his verſibus comprehenduntur.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sciendum tamen, quòd quinque præmiſſorum ſemper obligant ad reſtitutionem: Primò *Iuſſio*; quia ille qui iubet, eſt principaliter mouens: vnde ſcilicet ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum: Secundò *conſenſus*, in eo ſine quo rapina ſcilicet fieri nó poteſt: Tertiò *recurſus*, quando ſcilicet aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat: Quartò *participatio*, quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinij & in præda: Quintò tenetur ille qui non obſtat, cùm obſtare teneatur: ſicut Princeps qui tenentur cuſtodire iuſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur: quia redditus quos habent ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, vt iuſtitiam conſeruent in terra.

In aliis autem caſibus enumeratis non ſemper obligatur aliquis ad reſtituendum: non enim ſemper conſilium, vel adulatio, vel aliquid huiuſmodi, eſt efficax cauſa rapinæ: vnde tunc ſolùm tenetur

Digitized by Google

conſiliator, aut *palpo* (idest adulator) ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt quòd ex huiuſmodi cauſis fuerit iniuſta acceptio ſubſecuta. 2.2. *q.62.a.7. in corp.*

Qu. 22. quandonam, & quomodo prædictæ perſonæ obligentur ad reſtitutionem.

Reſp. D. Thomas, tantùm quinque iſtorum ſunt quæ ad reſtitutionem ſemper obligãt: Quorum primum eſt *iuſſio*; quando aliquis iubet aliquem deprædari: alias tyranni non tenerentur ad reſtitutionem: Secundum eſt *conſenſus* ad rapinam perpetrandam in eo ſine quo rapina fieri non poterat: Tertium eſt *recurſus*; quando ſcilicet aliquis receptator latronum eſt, & eis patrocinium præſtat: Quartum eſt *participatio*; quando aliquis latroni ſe ſociat ad ſpoliandum, & partem ſpoliorum accipit: Quintum eſt *non obſtans*, cùm ſcilicet ex officio obſtare tenetur; vt Principes terræ, qui iuſtitiam ſeruare debent, ſi non obſtant, cùm obſtare poſſint, ad reſtitutionem tenentur. In aliis autem cauſis enumeratis non obligatur ſemper quis ad reſtitutionem, niſi in certis caſibus; quando probabiliter credit, quòd conſilium ſuum fuit efficax, & quòd aliàs iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet. Similiter etiam non omnis *palpo*, idest, adulator, ad reſtitutionem tenetur: ſed ille qui adulando ad auferendum incitat, dicens, hoc ſignum ſtrenuitatis eſſe. Similiter etiam *mutus* dicitur qui ex officio reclamare tenetur, & non reclamat; nec tunc ſemper tenetur ad reſtitutionem, niſi operetur vt fiat iniuſta ablatio, ſed debet inducere eum qui abſtulit, vt reddat. Similiter etiam non omnis qui non manifeſtat, tenetur ad reſtitutionem: ſed ille qui pro latrocinio celat, & particeps eſt lucri. In omnibus autem his, ſi principalis reſtituit, alij deobligantur à debito reſtitutionis. 4. *ſent. diſt. 15. quæſt. 1. a. 5. quæſt. 3. in corp.*

Qu. 23. quinam ex prædictis principaliter reſtituere teneantur: & vtrum facienda ſit reſtitutio, quando ex præcepto non ſequitur executio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd principaliter tenetur reſtituere ille, qui eſt principalis in facto: principaliter quidem præcipiens, ſecundariò vero exequens, & conſequenter alij per ordinem. Vno tamen reſtituente illi qui paſſus eſt damnum, alius eidem reſtituere non tenetur: ſed illi qui ſunt principales in facto, & ad quos res peruenit, tenentur aliis reſtituere. Quando autem aliquis præcipit iniuſtam acceptionem, quæ non ſubſequitur, non eſt reſtitutio facienda: cùm reſtitutio principaliter ordinetur ad reintegrandam rem eius qui eſt iniuſtè damnificatus. 2.2. *quæſt.62. a. 7. ad ſecundum.*

Qu. 24. an ſemper ad reſtitutionem teneatur ille qui non manifeſtat, vel non obſtat, aut reprehendit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non ſemper ille qui non manifeſtat latronem; tenetur ad reſtitu-

reſtitutionem: aut qui non obſtat, vel qui non reprehendit: ſed ſolùm quando incumbit alicui ex officio; ſicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum; propter hoc enim poteſtate publica potiuntur, vt ſint iuſtitiæ cuſtodes. 2. 2. q. 62. *art.* 7. *ad* 3.

Qu. 25. *an qui rem alienam conſumpſit, teneatur ad reſtitutionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tenetur: cuius ratio eſt: quia quilibet tenetur ad faciendum iuſtitiam alteri: conſiſtit autem iuſtitia in quadem æqualitate, vnde niſi reintegretur æqualitas, non poteſt aliquis eſſe iuſtus: inæqualitas autem fuit quòd conſumpſit rem non ſuam: & ideo oportet, quòd reddat. *quodlib.* 12. *a.* 25. *in corp.*

Qu. 26. *an ille qui pecuniam accepit mutuò, vt redimeret ſe à latronibus, teneatur eam reſtituere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iuſtitiæ actus eſt vnicuique reddere quod ei debetur; vnde cùm ratione contractus bonæ fidei, qui fuit inter mutuantem & mutuò accipientem, reſtitutio debeatur ex iuſtitiæ præcepto, tenetur ille qui mutuò accepit pecuniam, eam reddere creditori; & tantò magis, quantò in maiori neceſſitate creditor ipſi ſubuenit. *quodlib.* 5. *art.* 17. *in corp.*

Quer. 27. *an & quomodo ea quæ inuenta ſunt, reſtitui debeant.*

Reſp. ſupra v. Inuenta.

Qu. 28. *an reſtitutio ſtatim fieri debeat, vel poſſit differri.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut accipere rem alienam eſt peccatum contra iuſtitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc quòd aliquis detinet rem alienam inuito Domino, impedit eum ab vſu rei ſuæ, & ſic ei facit iniuriam: manifeſtum eſt autem quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere, ſecundùm illud Eccl. 21. *quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt: vel petere dilationem ab eo, qui poteſt vſum rei concedere. 2. 2. *q.* 62. *a.* 8. *in corp.* 4. *d.* 17. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 4. *ad* 3.

Qu. 29. *quid facere debeat ille, qui non poteſt ſtatim reſtituere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando aliquis non poteſt ſtatim reſtituere, ipſa impotentia abſoluit eum ab inſtanti reſtitutione facienda; ſicut etiam totaliter à reſtitutione abſoluitur, ſi omnino ſit impotens: debet tamen remiſſionem vel dilationem petere ab eo cui debet, aut per ſe, aut per alium 2. 2. *q.* 62. *a.* 8. *ad* 2.

Qu. 30. *an reſtitutio debeat preferri ſubuentioni parentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis de hoc quod eſt ſibi proprium, debet magis ſatisfacere Parentibus, vel his à quibus accepit maiora Beneficia: non autem debet aliquis recompenſare benefactori de alieno: quod contingeret

Digitized by Google

ret, ſi quod debet vni, alteri reſtitueret: niſi fortè in caſu extremæ neceſſitatis, in quo poſſet, & deberet aliquis etiam auferre aliena, vt Patri ſubueniret, 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad* 4.

Plura de vſurarum reſtitutione hic addi poſſent ex opuſculo de vſuris: ſed ea remittimus ad v. vſura, vbi alia plura de vſuris dicemus ex eodem opuſculo; & examinabimus an ſit opuſculum D. Thomæ vel alterius authoris.

S. Pontifex Clemens 8. in Bulla 28. de largitione munerum, quæ incipit (Religioſæ Congregationes) agens de illis qui à Perſonis Religioſis contra tenorem prædictæ Bullæ aliqud receperunt, ait ipſo facto abſque aliqua monitione, iudicis decreto, ſententia, aut declaratione, ad illius reſtitutionem omnino teneantur; adeo vt reſtitutione ipſâ realiter non factâ, neque etiam in foro conſcientiæ abſolui poſſint.

REVELATIO.

Quæritur 1. quomodo dignoſci poſſit an reuelationes ſint à bono ſpiritu vel à malo, iuxta illud quod dicitur Iob. 4. vocem quaſi lenis audiui.

RESp. D. Thomas, conſiderandum eſt, quòd huiuſmodi apparitiones aliquando fiunt à ſpiritu bono, aliquando à malo, vtroque autem modo in principio timorem patitur homo per inſolitam viſionem: ſed cùm à bono ſpiritu apparitio procedit, timor in conſolationem finitur, ſicut patet de Angelo confortante Danielem, Dan. 10. & de Gabriele confortante Zachariam, & Mariam: ſed malus ſpiritus hominem perturbatum relinquit. Per hoc ergo quod dicit; vocem quaſi auræ lenis audiui, conſolationem quandam ſedantem pauorem præteritum demonſtrat, vt per hoc viſio demonſtretur eſſe à ſpiritu bono, non à malo, à quo frequenter viſiones mendaces oſtenduntur, ſecundùm illud ſcripturæ 3. Reg. c. 22. *Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Per hunc etiam modum 3. reg. c. 19. legitur de apparitione factæ Eliæ quòd poſt commotionem tenuis auræ ſibilus vbi Dominus auditus eſt. Sciendum tamen eſt, quòd etiam in viſionibus quæ à bono ſpiritu procedunt, interdum commotiones magnæ & voces horribiles audiuntur, vt patet Ezech. 1. vbi dicitur: *Et vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone*, & poſt multa ſubditur: *& audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum*: Et Apoc. 1. dicitur: *audiui poſt me vocem magnam, tanquam tubæ*, ſed hoc eſt ad ſignificandum comminationes aut aliqua grauia pericula quæ in huiuſmodi reuelationibus continentur; ſed quia hoc ad conſolandum ordinabatur, ideo inducitur loquenti vox ſimilis auræ leni. *In expoſ. eiuſd. cap. lect.* 3.

Qu. 2. an poſſit Deus alicui reuelare ſuam futuram damnationem: & quomodo intelligenda eſſet talis reuelatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis de potentia abſoluta Deus poſſit reuelare ſuam damnationem alicui, non tamen hoc poteſt fieri de potentia ordinata,

Digitized by Google

quia talis reuelatio cogeret eum deſperare. Et ſi alicui talis reuelatio fieret, deberet intelligi non ſecundùm modum prophetiæ prædeſtinationis vel præſcientiæ; ſed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur ſuppoſita conditione meritorum. Sed dato quòd eſſet intelligenda ſecundùm præſcientiæ prophetiam, adhuc non teneretur ille cui talis reuelatio fieret, velle ſuam damnationem abſolutè, ſed ſecundùm ordinem iuſtitiæ, quo Deus vult perſiſtentes in peccato damnare: non enim vult Deus ex parte ſua aliquem damnare, ſed ſecundùm id quod ex nobis eſt. Vnde velle ſuam damnationem abſolutè, non eſſet conformare voluntatem ſuam diuinæ, ſed voluntati peccati. *q. 23. de verit. a. 8. ad 2. in vtroque ſcripto ſent. d. 48. a. 2. 1. 2. q. 19. a. 10.*

Qu. 3. cur Deus aliquando reuelet aliquibus quòd ſunt in ſtatu gratiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per reuelationem poteſt aliquis ſcire ſe habere gratiam: reuelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex ſpeciali priuilegio, vt ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & vt confidentiùs & fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſubſtineant; ſicut Paulo dictum eſt. 2. ad Cor. 12. *ſufficit tibi gratia mea. 1. 2. a. 5. in c.*

Qu. 4. quare non expedit quòd omnibus prædeſtinatis reueletur ſua prædeſtinatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd etiamſi aliquibus ex ſpeciali priuilegio ſua prædeſtinatio reueletur, non tamen conuenit vt reueletur omnibus; quia ſic illi qui non ſunt prædeſtinati deſperarent, & ſecuritas in prædeſtinatis negligentiam pareret. 1. *p. q. 23. a. 1. ad 4.*

REVERENTIA.

Qu. 1. quandonam reuerentia ſit laudabilis, aut vituperabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis poteſt reuereri homines dupliciter: vno modo, inquantum eſt in eis aliquid diuinum; putà bonum gratiæ, vel virtutis, vel ſaltem naturalis Dei imaginis: Et hoc modo vituperantur qui homines non reuerentur: alio modo poteſt aliquis homines reuereri, inquantũ Deo contrariantur: Et ſic laudantur qui homines non reuerentur, ſecundũ illud Eccl. 48. de Elia vel Eliſæo; *in diebus ſuis non pertimuit principem.* 2. 2. q. 19. a. 3 ad 1.

Qu. 2. an & quare omnibus hominibus debetur reuerentia ſed præſertim iuſtis, & prælatis.

Reſp. ſupra v. honor *qu.* 11. & 12.

Qu. 3. quomodo hominibus, ac præſertim Prælatis licèt peccatoribus debetur Reuerentia, cùm ſecundùm Philoſ. non debeatur alicui niſi in teſtimonium virtutis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Peccatores quamuis non habeant virtutem in actu, tamen habent in habilitate, & Prælati

Ind 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quouſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum*: ſed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua ſigna euidentia apparent, quæ vehementem ſuſpicionem facere poſſunt, vel quando eſt ſemiplenè probatum, tunc debet ab ea exigi iuramentum de veritate dicenda, & ipſa tenetur confiteri veritatem. *quodlib. 5. a. 16.*

Qu. 3. quandonam Iudex iuridicè interroget, itaut teneatur reus veritatem fateri.

Reſp. ſupra v. calumnia *qu.* 3.

Qu. 4. vtrum ex hoc quod D. Chryſoſt. ait ſuper epiſt. ad Hebr. non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud alium accuſes, ſequatur quod reus non teneatur fateri veritatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando aliquis ſecundùm ordinem iuris à iudice interrogatur, non ipſe ſe prodit, ſed ab alio proditur; dum ei neceſſitas reſpondendi imponitur per eum cui obedire tenetur. 2. 2. q. 69 *a.* 1. *ad* 1.

Quær. 5. an ſi Reus in iudicio mentiatur, ſit mendacium officioſum tantùm, vel etiam pernicioſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mentiri ad liberandum aliquem à morte cum iniuria alterius non eſt mendacium ſimpliciter officioſum, ſed habet aliquid de pernicioſo admixtum; cùm autem aliquis mentitur in iudicio ad excuſationem ſui, iniuriam facit ei cui obedire tenetur, dum ipſi denegat quod ei debet ſcilicet confeſſionem veritatis. *ibid. ad* 2.

Quær. 6. quomodo reus qui mentitur in iudicio, facit contra dilectionem Dei & proximi, ſcilicet Iudicis, & accuſatoris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui mentitur in iudicio, ſe excuſando, facit & contra dilectionem Dei cuius eſt iudicium, & contra dilectionem proximi; tum ex parte iudicis, cui debitum negat; tum ex parte accuſatoris, qui punitur ſi in probatione deficiat: vnde & in Pſalm. 140. dicitur: *ne declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*: vbi dicit Gloſſ. *hæc eſt conſuetudo impudentium vt deprehenſi per aliqua falſa ſe excuſent*: Et Greg. 22. moral. exponens illud Iob. 31. *ſi abſcondi quaſi homo peccatum meum*, dicit *vſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere; & commiſſum negando abſcondere; & conuictum defendendo, multiplicare. Ibid. ad* 3.

Plura quæ reos concernunt, videantur ſupra v. accuſatio. Appellatio. Capitulum Religioſorum. Carcer. Condemnatus. Denunciatio. Iudicium. Et infra v. ſecretum, & v. teſtimonium.

REX.

Qu. 1. an regnatiua debeat poni ſpecies prudentiæ, iuxta illud Philoſ. 3. politic. prudentia eſt propria virtus principis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad prudentiam pertinet

Digitized by Google

regere & præcipere : & ideo vbi inuenitur ſpecialis ratio regiminis & præcepti in humanis actibus, ibi etiam inuenitur ſpecialis ratio prudentiæ: manifeſtum eſt autem quòd in eo qui non ſolùm ſeipſum habet regere, ſed etiam communitatem perfectam ciuitatis vel regni, inuenitur ſpecialis & perfecta ratio regiminis: tantò enim regimen perfectius eſt, quantò vniuerſalius eſt, ad plura ſe extendens, & altiorem finem attingens: & ideo Regi, ad quem pertinet regere ciuitatem vel regnum, prudentia competit ſecundùm ſpecialem & perfectiſſimam ſui rationem: & propter hoc regnatiua ponitur ſpecies prudentiæ. 2.2.q.50. a.1. in corp.

Qu. 2. cur regnatiua magis ponatur ſpecies prudentiæ quàm iuſtitiæ, cùm Philoſ. dicat in 5. ethic. quòd princeps eſt cuſtos iuſti.

Reſp. D. Thomas, iſtæ duæ virtutes ſunt maximè propriæ Regi, ſcilicet prudentia & iuſtitia, ſecundùm illud Hierem. 23. *Regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.* Quia tamen dirigere magis pertinet ad Regem, exequi autem ad ſubditos; ideo regnatiua magis ponitur ſpecies prudentiæ quæ eſt directiua, quàm iuſtitiæ quæ eſt executiua. 2.2.q. 50.a.1. ad 1.

Qu. 3. quare Philoſ. in 3. politic. regnatiuam vocat legiſpoſitiuam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Philoſophus denominat regnatiuam à principali actu Regis, qui eſt leges ponere: quod etſi conueniat aliis, non conuenit eis; niſi ſecundùm quòd participant aliquid de Regimine Regis. 2.2. quæſt. 50.a.1. ad 3.

Qu. 4. quomodo vt Rex proſperè agat duo ſunt neceſſaria, vt ei credatur, & vt diligatur.

Reſp. D. Thomas, notandum quòd duo ſunt neceſſaria, vt Rex proſperè agat. Primò ſcilicet vt ei credatur, quia ſi nihil ei crederetur & ipſe aliis crederet, non poſſet pluſquam vnus homo. Prou. 17. *non decent ſtultum verba compoſita.* Secundò quòd diligatur, quia ſi non diligitur, non poteſt proſperari in regno, nec in negotiis ſuis: Et hoc facit fieri manſuetudo & Clementia regis. Eccl. 3. *Fili in manſuetudine opera tua perfice; & ſuper hominum gloriam diligeris.* Et ita hæc duo diſponunt ad proſperitatem Regis. Prou. 20. *miſericordia & veritas cuſtodiunt regem.* Pſalm. 36. *manſueti hereditabunt terram. In expoſ. Pſalm. 44.*

Qu. 5. quare debeant Reges valde cauere ne habeant iuxta ſe malos.

Reſp. D. Thomas, multùm cauendum eſt Principi, ne ſint mali ii qui ſunt iuxta illum. Bern. in lib. de conſid. *ne te dixeris ſanum, dolentem latera*: hoc eſt, ne te dixeris bonum, malis innitentem: non ſit tuta tibi tua bonitas, obſeſſa malis, non magis quàm ſanitas vicino, ſerpente: non eſt quo te ſubducas malo inteſtino. Et è regione bonum domeſticum, eò amplius quò ſæpius iuuat. Dupliciter nocent mali collaterales principi, ſcilicet conuictu ſuo cum corrumpendo, & peruerſè ei conſulendo. *opuſc. 38. de eruditione principum, lib. 4. c. 2.*

Digitized by Google

Qu. 6. cur Reges debent requirere conſilium.

Reſp. D. Thomas, ad requirendum conſilium monet ſcriptura ſacra. Tob. 4. *Conſilium ſemper à ſapiente require.* Prou. 11. *vbi non eſt gubernator, corruit populus; ſalus autem vbi multa conſilia.* Simile habetur ibidem, c. 13. *Aſtutus omnia agit cum conſilio: fatuus autem aperiet ſtultitiam ſuam.* In eodem, *qui agunt omnia cum Conſilio, reguntur ſapientiâ.* tullius in officiis: *parua foris ſunt arma, niſi Conſilium ſit Domi.* 1. Mach. 5. *in illa die ceciderunt ſacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium.* Conſilium regere debet fortitudinem. Eccl. 32. *ſine Conſilio nihil facias.* Ibid. 7. *ante omnem actum præcedat Conſilium ſtabile.* omne quod faciendum eſt, tractare debet princeps apud ſe, & cum eis qui eum diligunt. *In eodem opuſc. 38. de eruditione principum lib. 4. cap. 2.*

Qu. 6. quomodo reges debent pro ſuis Conſiliariis eligere viros bonos.

Reſp. D. Thomas, ad eligendum Conſiliarium monemur Eccl. 6. *multi*, inquit, *pacifici ſint tibi, & Conſiliarius tibi ſit vnus de mille.* Pro Conſiliario ante omnes eligendus eſt Deus: *Tob. 4. omnia Conſilia tua in ipſo permaneant.* Deinde recurrendum eſt pro Conſilio ad viros bonos. In Pſal. 88. *Deus qui glorificatur in Conſilio ſanctorum*; Eccl. 37. *anima ſancti viri annuntiat aliquando vera, quaſi ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Matt. 11. *abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti eà paruulis. Ibid.*

Qu. 8. quomodo Rex debet eſſe in regno ſicut Deus in mundo & anima in corpore.

Reſp. D. Thomas, dicendum hoc officium Rex ſe ſuſcepiſſe cognoſcat, vt ſit in regno, ſicut in corpore anima; & ſicut Deus in mundo. Quæ ſi diligenter recogitet, ex altero iuſtitiæ in eo zelus accenditur, dum conſiderat ad hoc ſe poſitum, vt loco Dei iudicium in Regno exerceat: ex altero vero manſuetudinis, & clementiæ lenitatem acquirit; dum reputat ſingulos, qui ſuo ſubſunt regimini, ſicut propria membra. *Opuſculo 20. de Regimine Principum lib. 1. cap. 12.*

Qu. 9. quomodo pro conſeruatione Regni requiritur diuinus cultus cum ſapientia ſcholaſtica, & ſeculari potentia.

Reſp. D. Thomas, neceſſarium eſt cuilibet Domino, vt ſit Deo deuotus & reuerens, ſed præcipuè Regi ad conſeruationem ſui regiminis: cuius exemplum trahimus quidem à primo vrbis Rege, videlicet Romulo, vt hiſtoriæ tradunt. In primordio enim ſui regiminis in vrbe Romana fabricauit azylũ, quod templum pacis nominabat, multis amplians gratiis, pro cuius numine, & reuerentia omnem ſceleratum, qui ad ipſum confugeret, cuiuſcunque ſtatus eſſet, reddebat immunem. Qualem autem habuerint exitum poſteri eius, qui in diuino cultu fuerunt negligentes, & qui fuerunt feruentes, ſcribit Va-

lerius Maximus in principio libri ſui. Quid verò dicam de Deicolis Regibus ſiue veteris, ſiue noui teſtamenti? omnes enim qui ad diuinam reuerentiam fuerunt ſolliciti, fœliciter ſuum conſummauerunt curſum; qui verò econtra, infœlicem conſecuti ſunt exitum.

Tradunt etiam hiſtoriæ, quòd in qualibet Monarchia ab initio ſæculi, tria ſe inuicem per ordinem comitata ſunt, diuinus cultus, ſapientia ſcholaſtica, & ſæcularis potentia. *in eodem opuſc. 20. de regimine principum lib. 2. cap. 16.*

Plura circa Reges videri poſſunt ſupra v. Dominium o. Iudas qu. 1. Prælatio q. 1. præſcriptio qu. 2. Princeps o. officium q. 5. & infra v. tributum.

RIXA.

Qu. 1. an Rixa ſit ſemper peccatum, cùm Apoſtolus ad Galat. 5. rixas ponat inter opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut contentio importat quandam contradictionem verborum, ita etiam rixa importat quandam contradictionem in factis: vnde ſuper illud Galat. 5. *Rixa*, dicit Gloſſ. quòd *rixæ ſunt, quando ex ira inuicem ſe percutiunt.* Et ideo rixa videtur eſſe quoddam priuatum bellum, quod inter priuatas perſonas agitur: non ex aliqua publica authoritate, ſed magis ex inordinata voluntate.

Et ideo rixa ſemper importat peccatum. Et in eo quidem qui alterum inuadit iniuſtè, eſt peccatum mortale: inferre enim nocumentum proximo, etiam opere manuali, non eſt abſque mortali peccato. In eo autem qui ſe defendit, poteſt eſſe ſine peccato: & quandoque cum peccato veniali: & quandoque cum peccato mortali, ſecundùm diuerſum motum animi eius, & diuerſum modum ſe defendendi: nam ſi ſolo animo repellendi iniuriam illatam, & & cum debita moderatione ſe defendat, non eſt peccatum; nec propriè poteſt dici rixa ex parte eius: ſi verò cum animo vindictæ, vel odij, vel cum exceſſu debitæ moderationis ſe defendat, ſemper eſt peccatum. Sed veniale quidem, quando aliquis leuis motus odij, vel vindictæ ſe immiſcet, vel cùm non multùm excedit moderatam defenſionem: mortale autem quando obfirmato animo in impugnantem inſurgit ad eum occidendum, vel eum grauiter lædendum. 2. 2. q. 41. a. 1. *in corp.*

Qu. 2. cur ſicut dicit D. Iſidorus in lib. Etymolog. rixoſus eſt à rictu canino dictus; ſemper enim ad contradicendum paratus eſt, & iurgio delectatur, & prouocat contendentem.

Reſp. D. Thomas, tria in præmiſſis verbis Iſidori ponuntur, quæ inordinationem rixæ declarant. Primò quidem, quòd promptitudinem animi habet ad contendendum; quod ſignificat cùm dicit: *ſemper ad contendendum paratus.* Secundò, quia in ipſa contradictione delectatur: vnde ſequitur, *& in iurgio delectatur.* Tertiò, quia ipſe alios prouocat ad contradictiones: vnde ſequitur *: & prouoca.*

Digitized by Google

vocat contendentem. ibidem ad 1.

Qu. 3. quomodo rixa oritur ex concupiſcentia, iuxta illud D. Iacobi 4. vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentia quæ militat in membris veſtris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnes paſſiones iraſcibilis ex paſſionibus cōcupiſcilis oriuntur; & ſecundùm hoc illud quod proximè oritur ex ira, oritur etiam ex concupiſcentia, ſicut ex prima radice. *ibidem ad* 1.

Qu. 4. quomodo rixa oritur ex iactantia, & ſuperbia, iuxta illud Prou. 24. qui ſe iactat & dilatat, iurgia concitat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iactatio, & dilatatio ſui, quæ fit per ſuperbiam vel inanem gloriam, non directè concitat iurgium aut rixam, ſed occaſionaliter; inquantum ſcilicet ex hoc concitatur ira, dum aliquis ſibi ad iniuriam reputat quòd alter ei ſeſe præferat. *ibid. ad* 2.

Qu. 5. cur ſicut dicitur Prouerb. 18. Labia ſtulti immiſcent ſe rixis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira impedit iudicium rationis: vnde habet ſimilitudinem cum ſtultitia: & ex hoc ſequitur quòd habent communem effectum: ex defectu enim rationis contingit quòd aliquis inordinatè alium lædere molitur. *ibid. ad.* 3.

Qu. 6. cur ſicut dicitur Prou. 10. odium ſuſcitat rixas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd rixa, etſi quandoque ex odio oriatur, non tamen eſt proprius effectus odij; quia præter intentionem odientis eſt quòd rixosè & manifeſtè inimicum lædat: quandoque etiam occultè eum lædere quærit: ſed quando videt ſe præualere, cum rixa & iurgio læſionem intēdit. *ibid. ad* 4.

Qu. 7. quare dicitur Prou. 17. qui meditatur diſcordias, diligit rixas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex rixis ſequitur odium & diſcordia in cordibus rixantium; Et ideo ille qui meditatur, idest qui intendit inter aliquos ſeminare diſcordias, procurat, quòd ad inuicem rixentur; ſicut quodlibet peccatum poteſt imperare actum alterius peccati, ordinando illum in ſuum finem. *ibid. ad* 5.

SACERDOS.

Qu. 1. vnde dicatur Sacerdos: & quodnam ſit ipſius officium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd propriè officium Sacerdotis eſt eſſe mediatorem inter Deum & Populum; inquantum ſcilicet Diuina populo tradit (vnde dicitur Sacerdos quaſi ſacra dans) ſecundùm illud Malach. 2. *legem requirent ex ore eius*, ſcilicet Sacerdotis: & iterum inquantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqualiter ſatiſfacit: vnde Apoſt. dicit ad Hebr. *5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. 3. p. q. 22. a. 1. in corp.*

Quær. 2. cur Sacerdotes dicantur Angeli.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſtas Hierarchica conuenit Angelis, inquantum & ipſi ſunt medij inter Deum & hominem, vt patet per Dion. in lib. de cœleſti hierarch. ita ipſe Sacerdos, inquantum eſt medius inter Deum & populum, Angeli nomen habet, ſecundùm illud Malach. 2. *Angelus Domini exercituum eſt. ibidem ad 1.*

Quær. 3. cur ſolus Sacerdos poteſt gerere actus totius Eccleſiæ.

Reſp. D. Thomas, ſolus Sacerdos poteſt gerere actus totius Eccleſiæ, qui conſecrat Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum vniuerſalis Eccleſiæ. 4. *ſent. d. 24. q. 2. art. 2. ad 2.*

Qu. 4. an liceat Sacerdoti ab executione officij ſui omnino ceſſare.

Reſp. D. Thomas, actus Sacerdotis (vt ligare & ſoluere) reſpiciũt Corpus myſticum; ſimiliter etiam docere & baptizare: & ideo qui non tenetur aliis vel ſubiectione, vel prælatione, poteſt ab illis actibus ſine peccato ceſſare: ſed conſecratio eſt actus dignus & ordinatus ad Corpus Chriſti verum, nec reſpicit Corpus Chriſti myſticum, niſi ex conſequenti: & ideo etiam ſi nulli homini teneatur, tamen tenetur Deo vt reddat Sacrificium acceptum; Sacerdotibus enim præceptum eſt, *hoc facite in meam commemorationem.* 4. *ſent. diſt. 13. quæſt. 1. a. 2. q. 1. ad 2.*

Innumera alia circa Sacerdotes habentur in variis locis huius operis, ſed præſertim ſupra v. abſolutio. Baptiſmus. Communio. Confeſſio. Confirmatio. Euchariſtia. Excommunicatio. Miſſa. Ordo. Perfectio. Pænitentia. & infra v. Sacramentum. Sacrificium. Satiſfactio. Vnctio extrema.

SACRAMENTALE.

Qu. 1. cur aqua benedicta non eſt Sacramentum ſed Sacramentale, ſiue diſpoſitio quædam ad Sacramenta.

Reſp. ſupra v. Aqua benedicta qu. 1.

Qu. 2. quomodo aqua benedicta conſecratio altari, & alia huiuſmodi ſanctificationes ſint Sacramentalia, ſiu diſpoſitiones ad ipſa Sacramenta

Reſp. D Thomas, dicendum quòd aqua benedicta, & aliæ conſecrationes non dicuntur Sacramenta: quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui eſt gratiæ conſecutio. Sed ſunt diſpoſitiones quædam ad Sacramenta; vel remouendo prohibens, ſicut aqua benedicta ordinatur contra inſidias dæmonum, & contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad Sacramenti perfectionem & perceptionem; ſicut conſecrantur altare & vaſa propter reuerentiam Euchariſtiæ. 3. *p. qu.* 65. *a.* 1. *ad* 6.

Qu. 3. an confeſſio facta laico, in caſu quo non habetur copia Sacerdotis, ſit vnum ex Sacramentalibus, & deleat peccata venialia, ſicut aqua

ſiu pectoris, & aqua benedicta.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per peccatum veniale homo nec à Deo, nec à Sacramentis Eccleſiæ ſeparatur: & ideo non indiget nouæ gratiæ collatione ad eius dimiſſionem; nec indiget reconciliatione ad Eccleſiam: & propter hoc non oportet quòd aliquis venialia Sacerdoti confiteatur: quia ipſa confeſſio laico facta Sacramentale quoddam eſt (quamuis non ſit Sacramentum perfectum) & eſt ex charitate procedens: & per talia natum eſt veniale remitti; ſicut per tunſionem pectoris, & per aquam benedictam. 4. *ſ. d. 17. q. 3. a. 3. qu. 3.*

Qu. 4. an nedum ipſa ſacramenta, ſed etiam ſacramentalia, vt confeſſio generalis, tunſio pectoris, oratio dominica, benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, qualibet ſacramentalis vnctio, oratio in Eccleſia benedicta, & alia ſacramentalia operentur ad remiſſionem peccatorum venialium, ſicut dicit D. Auguſtinus in lib. de pœnit. quòd pro leuibus peccatis pectora noſtra tundimus, & dicimus, dimitte nobis debita noſtra.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad remiſſionem venialis peccati non requiritur nouæ gratiæ infuſio, ſed ſufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis deteſtetur peccatum veniale, vel explicitè, vel ſaltem implicitè; ſicut cùm aliquis feruenter mouetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium peccatorum.

Vno modo inquantum in eis infunditur gratia; quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata: Et hoc modo per Euchariſtiam, & Extremam Vnctionem, & vniuerſaliter per omnia Sacramenta nouæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundò, inquantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris, & oratio dominica, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum: nam in oratione dominica petimus, *dimitte nobis debita noſtra.* Tertio modo, inquantum ſunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res Diuinas: & hoc modo benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis Vnctio, oratio in Eccleſia dedicata: & ſi aliqua alia ſunt huiuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum. *3. p. q. 87. a. 3. in corp.*

Qu. 5. an tunſio pectoris, aſperſio aquæ benedictæ, vnctio extrema, & omnis Sacramentalis vnctio, benedictio Epiſcopi, panis benedictus, generalis confeſſio, compaſſio, alicui delicti dimiſſio, Euchariſtia, oratio dominica, & alia quæcunque leuis pœnitentia ſint Sacramentalia, quibus peccata venalia remittuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd veniale peccatum dimittitur per feruorem charitatis, qui explicitè vel implicitè contritionem contineat: & ideo illa quæ nata ſunt de ſe excitare feruorem charitatis, peccata venalia dimittere dicuntur. Huiuſmodi autem ſunt quæ gratiam conſeruant ſicut omnia Sacramenta; & quibus impedi-

menta feruoris & gratiæ auferuntur, ſicut aqua benedicta, quæ virtutem inimici reprimit, & Epiſcopalis benedictio; vel etiam exercitium humilitatis ex parte noſtra, ſicut tunſio pectoris, & oratio dominicalis, & huiuſmodi. *4. ſ. d. 16. qu. 2. a. 2. quaſt. 4.*

Qu. 6. an Sacramentalia baptiſmi nedum ſignificent, ſed etiam aliquid efficiant tam in corpore quàm in anima.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non tantùm ſignificant, ſed etiam efficiunt aliquid; non tantùm in corpore, ſed etiam in anima; quia in vtroque eſt infectio fomitis: effectus autem iſte eſt debilitatio poteſtatis dæmonis, ne tantùm poſſit in homine ſicut ante, ne baptiſmum & alia bona in ipſo inpediat. *4. ſ. d. 6. q. 2. a. 3. qu. 2. in corp.*

Qu. 7. quomodo diuerſum effectum habent Sacramentalia quæ Baptiſmum præcedunt ſcilicet Catechiſmus & Exorciſmus, & ea quæ ſequuntur ſcilicet Vnctio Chriſmatis, & .. poſitio candida veſtis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non eſt ſimile de Sacramentalibus quæ ſequuntur, & quæ præcedunt: quia ex quo baptiſmus plenè effectum ſuum habet, non oportet quòd impedientia baptiſmum tollantur; quia iam impediri non poteſt. Tamen non eſt remotum quin vnctio Chriſmatis poſt baptiſmum in vertice facta, aliquem effectum ad gratiam conferendam vel conſeruandam habeat. *Ibid. ad 2.*

Qu. 8. an ſponſalia ſint Sacramentalia matrimonij.

Reſp. D. Thomas, ſponſalia propriè ſunt quædam Sacramentalia matrimonij, ſicut exorciſmus baptiſmi. *4. ſ. d. 27. qu. 2. a. 1. ad 6.*

Qu. 9. vtrum aqua aliaque Sacramentalia cauſent remiſſionem venialium per modum meriti, ſiue ex opere operantis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illa remiſſio fit non per modum Sacramenti, ſed per modum meriti, ratione noui actûs liberi arbitrij gratiâ informati. *4. ad hann. diſt. 1. a. 1. ad 5.*

Qu. 10. vtrum etiam hæc Sacramentalia cauſent remiſſionem venialium ex virtute diuinitùs collata, proindeque ex opere operato.

Reſp. D. Thomas, piè creditur quòd virtus diuina interiùs operetur excitando dilectionis feruorem: & hoc modo aqua benedicta, benedictio pontificalis, & huiuſmodi ſacramentalia cauſant remiſſionem peccati venialis. *qu. 7. de malo a. 12. in corp.*

Qu. 11. quomodo impediatur effectus huiuſmodi Sacramentalium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnia iſta quantùm eſt de ſe operantur ad remiſſionem omnium peccatorum venialium. Poteſt tamen impediri remiſſio quantùm ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæ-

Digitized by Google

ret; ſicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptiſmi. *3. p. qu. 87. a. 3. ad 2.*

Qu. 12. quare licèt hæc omnia Sacramentalia æqualiter ſe habeant ad omnia peccata venialia, non tamen æqualiter cauſant eorum remiſſionem quoad culpam & pœnam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis huiuſmodi æqualiter ſe habeant ad omnia peccata venialia, tamen feruor ab eis excitatus non æqualiter ſemper ſe habet ad omnia; ſed quandoque reſpicit aliqua in ſpeciali, & contra ea efficaciùs operatur: & ſi in generali reſpiciat ea, poteſt contingere quòd non habet eundem effectum in omnibus, eo quòd affectus hominis aliquando habitualiter eſt inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda, ita ſcilicet quòd ſi in memoria haberentur, non diſplicerent; vel fortè ſi opportunitas adeſſet committerentur. Et raró contingit homines in hac mortali vita viuentes ab huiuſmodi affectibus liberos eſſe. Vnde non poſſumus fiducialiter dicere, *peccatum non habemus.* Et ſi etiam homo ad horam per huiuſmodi remedia ab omnibus venialibus immunitatem conſequatur quantùm ad culpam, non tamen ſequitur quòd ſit liberatus quantùm ad totam pœnam; niſi fortè ſit tantus feruor dilectionis, quòd ſufficiat ad totius pœnæ remiſſionem. *qu. 7. de malo a. 12. ad 4. 4. ſ. d. 16. qu. 2. a. 2. quæſt. 4. ad 3. 3. p. qu. 86. a. 3. ad 3.*

SACRAMENTVM.

Qu. 1. an Sacramentum benè diffiniatur, ſignum rei Sacræ nos ſanctificans.

REſp. D. Thomas, dicendum quòd ſigna propriè dantur hominibus, quorum eſt per nota ad ignota peruenire: & ideo propriè dicitur Sacramentum, quod eſt ſignum alicujus rei ſacræ ad homines pertinentis; vt ſcilicet propriè dicatur Sacramentum, ſecundùm quòd nunc loquimur de Sacramentis, quod eſt ſignum rei ſacræ, inquantum eſt ſanctificans homines. *3. p. qu. 60. a. 2. in corp.*

Qu. 2. vtrum hæc alia diffinitio quam tradit magiſter ſententiarum ſit etiam conueniens, Sacramentum eſt ita inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, vt imaginem gerat, & cauſa exiſtat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illa diffinitio magiſtri, completiſſimè rationem Sacramenti deſignat, prout nunc de ſacramento loquimur: ponitur enim efficientia ſanctitatis in hoc quod dicitur, *vt cauſa exiſtat*; & modus ſignificationis homini connaturalis; ſcilicet ex ſimilitudine ſenſibilium; in hoc quod dicitur, *vt imaginem gerat. 4. ſen. d. 1. q. 1. a. 1. q. 3.*

Qu. 3. vtrum conuenienter aſſignentur ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia Extrema-Vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſacramenta Eccleſiæ ordinantur ad duo, ſcilicet ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei ſecundùm perfectionem Religionis Chriſtianæ, & etiam in remedium contra defectum peccati: vtroque autem modo conuenienter ponuntur ſeptem Sacramenta.

Vita enim ſpiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem; ſicut & cætera corporalia conformitatem quandam ſpiritualium habent: in vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: vno modo quantùm ad perſonam propriam: alio modo per reſpectum ad totam communitatem ſocietatis in qua viuit; quia homo naturaliter eſt animal ſociale. reſpectu autem ſui ipſius perficitur homo in vita corporali dupliciter: vno modo per ſe, acquirendo ſcilicet aliquam vitæ perfectionem: alio modo per accidens; ſcilicet remouendo impedimenta vitæ, putà ægritudines, vel aliquid hujuſmodi. Per ſe autem perficitur corporali vita dupliciter.

Primò quidem per generationem, per quam homo incipit eſſe & viuere, & loco huius in ſpirituali vita eſt *Baptiſmus*, qui eſt ſpiritualis regeneratio, ſecundùm illud ad tit. 3. *per lauacrum regenerationis &c.* Secundò, per augmentum quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem & virtutem: & loco huius in ſpirituali vita eſt *Confirmatio*, in qua datur ſpiritus ſanctus ad robur: vnde dicitur diſcipulis jam Baptizatis luc. vlt. *ſedete in ciuitate, quoad vſque induamini virtute ex alto*. Tertiò, per nutritionem, qua conſeruatur in homine vita & virtus: & loco huius in vita ſpirituali eſt *Euchariſtia*: vnde dicitur Ioan. 6. *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

Et hoc quidem ſufficeret homini, ſi haberet & corporaliter, & ſpiritualiter impaſſibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum & corporalem infirmitatem, & ſpiritualem (ſcilicet peccatum) ideo neceſſaria eſt homini curatio ab infirmitate: quæ quidem eſt duplex: vna quidem eſt ſanatio quæ ſanitatem reſtituit: & loco huius in ſpirituali vita eſt *Pœnitentia*, ſecundùm illud Pſal. 40. *ſana animam meam, quia peccaui tibi*: alia autem eſt reſtitutio valetudinis priſtinæ per conuenientem diætam, & exercitium: & loco eius in ſpirituali vita eſt *Extrema-vnctio*, quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam: vnde dicitur Iacob. 5. *& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*.

Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter: vno modo per hoc quòd accipit poteſtatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos: & loco huius in ſpirituali vita eſt *Sacramentum ordinis*, ſecundùm illud ad Heb. 7. quòd *Sacerdotes Hoſtias offerunt non ſolum pro ſe, ſed etiam pro populo*: ſecundò quantùm ad naturalem propagationem, quod fit per *Matrimonium* tam in corporali, quàm in ſpirituali vita, eo quòd eſt non ſolùm Sacramentum, ſed naturæ officium.

Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, ſecundùm quòd ordinantur contra defectum pec-

cati: nam *Baptiſmus*, ordinatur contra carentiam vitæ ſpiritualis: *Confirmatio*, contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur: *Eucharistia*, contra labilitatem animi ad peccandum: *Extrema-vnctio*, contra reliquias peccatorum: quæ ſcilicet non ſunt ſufficienter per pœnitentiam ſublatæ, aut ex negligentia aut ex ignorantia: *Ordo*, contra diſſolutionem multitudinis: *Matrimonium*, in remedium contra concupiſcentiã perſonalem, & contra defectum multitudinis qui per mortem accidit. Quidam verò accipiunt numerum ſacramentorum per quandam ad aptationem ad virtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatum: dicentes quòd fidei reſpondet *Baptiſmus*: & ordinatur contra culpam originalem: ſpei *Extrema-vnctio*, & ordinatur contra culpam venialem: charitati *Eucharistia*, & ordinatur cõtra pœnalitatem malitiæ: prudentiæ *Ordo*, & ordinatur contra ignorantiam: iuſtitiæ pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale: temperantiæ *Matrimonium*, & ordinatur contra concupiſcentiam: fortitudini *Confirmatio*, & ordinatur contra infirmitatem. *3.p.q.65.a.1.in corp. 4.d.1.q.1.a.2.4. contra gen. cap. 58.1. ad cor.1.*

Qu. 4. an requirantur in Sacramentis determinata res ſenſibiles pro materia, & determinata verba pro forma.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in Sacramentis verba ſe habent per modum formæ, res autem ſenſibiles per modum materiæ: in omnibus autem compoſitis ex materia & forma, principium determinationis eſt ex parte formæ, quæ eſt quodammodo finis & terminus materiæ: & ideo principaliùs requiritur ad eſſe rei determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt ſit proportionata determinatæ formæ. Cùm igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res ſenſibiles, quæ ſe habent in Sacramentis ſicut materia; multò magis requiritur in eis determinata forma verborum. *3.p.q. 60.a. 7. in corp.*

Qu. 5. an forma poſſit proferri in quacunque lingua, & quibuſcunque verbis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt in qualibet lingua contingat diuerſis vocibus idem ſignificari; ſemper tamen aliqua illarum vocum eſt, qua principaliùs, & communiùs homines illius linguæ vtuntur ad hoc ſignificandum, & talis vox aſſumi debet in ſignificatione Sacramenti. Sicut etiam inter res ſenſibiles illa aſſumitur ad ſignificationem Sacramenti, cuius vſus eſt communior ad actum, per quem Sacramenti effectus ſignificatur, ſicut aquâ communiùs vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam ſpiritualis ablutio ſignificatur: & ideo aqua aſſumitur vt materia in baptiſmo. *3. par. quaſt. 70. art. 7. ad 2.*

Qu. 6. quid ſit conſiderandum circa omnes illas mutationes, quæ poſſunt in formis Sacramentorum contingere.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd circa omnes iſtas mutationes quæ poſſunt in formis Sacramentorum contingere, duo videntur eſſe conſideranda: vnum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad Sacramentum: & ideo ſi intendat per huiuſmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfi Sacramentum: quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Eccleſia. Aliud autem eſt conſiderandum ex parte ſignificationis verborum: cùm enim verba operentur in Sacramentis quantùm ad ſenſum quem faciunt, oportet conſiderare vtrum per talem mutationem tollatur debitus ſenſus verborum; quia ſic manifeſtum eſt quòd tollitur veritas Sacramenti.

Manifeſtum eſt autem quòd ſi diminuatur aliquid eorum quæ ſunt de ſubſtantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum: vnde Didymus dicit in lib. de Spiritu ſancto, *ſi quis ita baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus prætermittat* (ſcilicet Patris & Filij & Spiritus ſancti) *ſine perfectione baptizabit.* Si autem ſubtrahitur aliquid quod non ſit de ſubſtantia formæ, talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborum, & per conſequens nec Sacramenti perfectionem: ſicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt, *Hoc eſt Corpus meum*, ly *enim* ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum: & ideo non impedit perfectionem Sacramenti: quamuis poſſit contingere, quòd ille qui prætermitit, peccet ex negligentia vel contemptu.

Circa additionem etiam contingit aliquid apponi quod eſt corruptiuum debiti ſenſus, putà ſi aliquis dicat, *Ego te baptizo in Nomine Patris maioris, & Filii minoris*, ſicut Arriani baptizabant: & ideo talis additio tollit veritatem Sacramenti: ſi verò ſit talis additio quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas.

Nec refert vtrum talis additio fiat in principio, vel in medio, vel in fine: vt ſi aliquis dicat, *Ego te baptizo in Nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii eius vnigeniti, & Spiritus ſancti Paracleti*, erit verum Baptiſma; & ſimiliter ſi quis dicat, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & B. Virgo te adiuuet*, erit verum Baptiſma: fortè autem ſi diceret, *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, & B. Virginis Mariæ*, non eſſet baptiſmus, quia dicitur primæ ad Corinthios 1. *nunquid Paulus pro vobis Crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Sed hoc verum eſt, ſi ſic intelligatur in nomine B. Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis quo Baptiſmus conſecratur; talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ fidei, & per conſequens tolleret veritatem Sacramenti: ſi verò ſic intelligitur quod additur, *& in nomine B. Virginis*, non quaſi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptiſmo, ſed vt eius interceſſio proſit baptizato ad conſeruandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio Sacramenti. 3. *p. q.* 60. *ar.* 8. *in corp.* 4. *ſent. d.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. 3 4.

Quæ-

Qu. 7. an & quando Sacramenta ſint valida aut nulla, ſi miniſtri verba corrupte proferant, ſicut proferre ſolent illiterati & balbi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui corruptè profert verba Sacramentalia, ſi hoc ex induſtria facit, non videtur intendere facere quod facit Eccleſia; & ita non videtur perfici Sacramentum. Si autem hoc fiat ex errore vel lapſu linguæ: ſi ſit tanta corruptio, quæ omnino auferat ſenſum locutionis, non videtur perfici Sacramentum: & hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte principij dictionis: putà ſi loco eius quod eſt *in nomine Patris*, dicat *in nomine Matris*: ſi verò totaliter non auferatur ſenſus locutionis per huiuſmodi corruptelam, nihilominus perficitur Sacramentum: & hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte finis: putà ſi aliquis dicat, *in nomine patrias & filias*: quamuis enim huiuſmodi verba corruptè prolata nihil ſignificent ex virtute impoſitionis, accipiuntur tamen vt ſignificantia ex accomodatione vſus; & ideo licèt mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idem ſenſus. Quod autem dictum eſt de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis, rationem habet; quia apud nos variatio dictionis ex parte principij mutat ſignificationem: variatio autem ex parte finis dictionis, vt plurimum non mutat ſignificationem, quæ tamen apud græcos variatur etiam ſecundùm principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis: quia ex vtraque parte poteſt eſſe tam parua, quòd non auferat ſenſum verborum: & tam magna, quòd auferat: ſed vnus horum faciliùs accidit ex parte principij, & aliud ex parte finis. *3. p. q. 60. a. 7. ad 3.*

Quar. 8. an & quomodo interruptio verborum, vel eorum tranſpoſitio impediat Sacramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ſit tanta interruptio verborum, quòd intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur ſenſus Sacramenti: & per conſequens veritas eius: non autem tollitur quando eſt parua interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert.

Et idem eſt etiam dicendùm de tranſpoſitione verborum: quia ſi tollit ſenſum locutionis, non perficitur Sacramentum: ſicut patet de negatione præpoſita vel poſtpoſita ſigno: ſi autem ſit talis tráſpoſitio, quæ ſenſum locutionis non variet, non tollitur veritas Sacramenti: quia ſecundùm quòd Philoſophus dicit, *nomina & verba tranſpoſita idem ſignificant. 3. p. q. 60. art. 8. ad 3. 4. ſent. diſt. 3. art. 2. qu. 4. in corp.*

Quar. 9. vtrum omnia Sacramenta ſint de neceſſitate ſalutis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd neceſſarium reſpectu finis (de quo nunc loquimur) dicitur aliquid dupliciter: vno modo ſine quo non poteſt haberi finis, ſicut cibus eſt neceſſarius vitæ humanæ, & hoc eſt ſimpliciter neceſſarium

Digitized by Google

ad finem: alio modo dicitur eſſe neceſſarium id, ſine quo non habetur finis ita conuenienter ſicut equus neceſſarius eſt ad iter, hoc autem non eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem.

Primo igitur modo neceſſitatis, ſunt tria Sacramenta neceſſaria: duo quidem perſonæ ſingulari: Baptiſmus quidem ſimpliciter & abſolutè: pœnitentia autem ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum: Sacramentum autem ordinis eſt neceſſarium Eccleſiæ, quia *vbi non eſt gubernator, populus corruet*, vt dicitur prouerb. 11. ſed ſecundo modo ſunt neceſſaria alia ſacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit Baptiſmum: Extrema vnctio Pœnitētiam: Matrimonium verò, Eccleſiæ multitudinem per propagationem conſeruat. *3.p.q.65.ar.4.in corp.4.ſ. d. 7.q.1.a.1. q 2.& 3.& a.2.q.1.*

Qu. 10. an & quando ſit contemptus Sacramentorum, ſi aliquis non curet ea accipere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt omnium ſacramentorum contemptus ſit ſaluti contrarius, non tamen eſt contemptus ſacramenti, ex hoc quòd aliquis non curat accipere ſacramentum, quod non eſt de neceſſitate ſalutis: alioquin omnes qui non accipiunt ordinem, & qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiuſmodi ſacramenta. *3.p.q.65.a.4. ad 3.*

Qu. 11. cur ſacramenta Baptiſmi, & Pœnitentia conferuntur infirmis ſiue peccatoribus; ſacramentum verò Euchariſtiæ non confertur niſi ſanis ſiue iuſtis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt medicina: vna eſt remouens morbum; & talis infirmis debetur; & huic comparatur Baptiſmus, & pœnitentia: alia eſt promouens in perfectam ſanitatem; & talis non debetur infirmis, ſed iam ſanis; & huic comparatur hæc medicina (ſcilicet Euchariſtia) *4.ſ.d.9.q.1.a.3.qu.1.ad 2.*

Qu. 12. quare licitum eſt accedere ad ſacramentum Baptiſmi cum conſcientia peccati mortalis, non autem ad Sacramentum Euchariſtiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Baptiſmus eſt ſpiritualis generatio, quæ eſt mutatio de non eſſe ſpirituali in eſſe ſpirituale, & datur per modum ablutionis: & ideo quantùm ad vtrumque, non inconuenienter accedit ad Baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis. Sed per hoc ſacramentum (ſcilicet Euchariſtiæ) homo ſumit in ſe Chriſtum per modum ſpiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non eſt ſimilis ratio. *3.p.qu.79.a.3.ad 2.*

Qu. 13. an licèt adminiſtratio ſacramentorum ad homines ſpectet, ſi tamen ab Angelis fiat, debeat cenſeri valida.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tota virtus Sacramentorum à paſſione Chriſti deriuatur, quæ eſt Chriſti, ſecundùm quòd eſt homo; cui naturâ conformantur homines, non autem Angeli: ſed potiùs ſecundùm paſſionem dicitur *modico ab Angelis minoratus*, vt

patet Heb. 2. & ideo ad homines pertinet diſpenſare ſacramenta, & in eis miniſtrare, non autem ad Angelos. Sciendum tamen, quòd ſicut Deus virtutem ſuam non alligauit ſacramentis, quin poſſit ſine ſacramentis effectum ſacramentorum conferre; ita etiam virtutem ſuam non alligauit Eccleſiæ miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi ſacramenta.

Et quia boni Angeli ſunt nuncij veritatis, ſi aliquod ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum: quia deberet conſtare hoc fieri voluntate diuina, ſicut quædam templa dicuntur Angelico miniſterio conſecrata. Si verò dœmones qui ſunt ſpiritus mendacij, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum. *3.p.q.64.a.7.in corp.*

Quær. 14. an ſi Angeli boni conferrent ſacramenta, non eſſent reiteranda, dummodo conſtaret eos eſſe bonos Angelos.

Reſp. D. Thomas, ſicut Deus potentiam ſuam ſacramentis non alligauit, ita nec poteſtatem conſecrandi ſacramenta alligauit aliquibus miniſtris: vnde qui dedit hanc poteſtatem hominibus poſſet dare & Angelis: nec Angelus bonus Baptizaret niſi diuinitùs poteſtate ſibi conceſſâ: vnde ſi Baptizaret, non eſſet rebaptizandum; dummodo conſtaret quòd bonus Angelus eſſet: ſicut & iudicatum eſt templum quod per bonos Angelos conſecratum eſt, non oportere per hominem conſecrari; vt legitur in hiſtoria dedicationis ſancti Michaëlis. *4.ſ.d.5.q.5.q.1.a.3.qu.2. in corp.*

Qu. 15. vtrum idem ſit dicendum de hominibus ſanctis exiſtentibus in cælo, ac de Angelis bonis, quandoquidem ipſis aſſimilantur, vt dicitur Matthæi 22.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſancti, qui ſunt in cælo, ſunt ſimiles Angelis quantùm ad participationem gloriæ: non autem quantùm ad conditionem naturæ, & per conſequens neque quantùm ad ſacramenta. *3.p.q.64.a.7.ad 2.*

Qu. 16. an ſi diabolus in figura Sacerdotis appareret poſſet ſacramenta conferre: & vtrum valida conſeri deberent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diabolus in figura ſacerdotis apparens, poteſt immergere ſed non ſacramentum conferre, propter duas rationes. primò, quia diſpenſatio ſacramentorum non eſt conceſſa niſi hominibus, qui conueniunt cum verbo incarnato, à quo ſacramenta fluxerunt, in natura aſſumpta; & etiam cum ſacramentis, in quibus eſt ſpiritualis virtus, in corporeis elementis, ſicut & homines ex natura ſpirituali & corporali compoſiti ſunt: ſecundò, ſi baptizare ſe fingeret, ſemper eſſet timendum, quòd non faceret intentione baptizandi, quæ ad ſacramentum exigitur, ſed intentione decipiendi; quia non eſſet probabile quòd tantum bonum homini procuraret, ſicut eſt ſpiritualis regeneratio. *4.ſ.d.5.q.2.a.3.qu.1. in corp.*

Qu. 17. an fieri poſſit quòd in aliquo caſu Sacramentum Baptiſmi collatum à dæmone ſit validum.

Reſp. v. Baptiſmus qu. 43.

Qu. 18. vtrum ſoli Eccleſiæ Miniſtri ſint diſpenſatores Sacramentorum ex officio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd proprij diſpenſatores Sacramentorum ſunt miniſtri Eccleſiæ per Sacramentum Ordinis conſecrati, vt ſint medij inter Deum, & plebem, diuina populo tradentes: & ideo ſolis eis competit ex officio Sacramenta miniſtrare; nec per alium conferri poſſunt excepto Baptiſmo propter neceſſitatem. 4. *ſent. diſt. 7. qu. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. in corp.*

Qu. 19. an Miniſtri Eccleſiæ, etiam mali, Sacramenta conferre poſſint, cùm D. Auguſtinus (ſuper illud Ioann. 1. ſuper quem videris ſpiritum) dicat: quid in Chriſto non nouerat Ioannes? poteſtatem Baptiſmi ipſum Dominum habiturum, & ſibi retenturum, ſed miniſterium planè tranſiturum in bonos & malos: quid tibi facit malus Miniſter, vbi bonus eſt Dominus?

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Miniſtri Eccleſiæ inſtrumentaliter operantur in Sacramentis, eo quòd quodammodo eadem ratio eſt miniſtri, & inſtrumenti: inſtrumentum autem non agit ſecundùm propriam formam, aut virtutem, ſed ſecundùm virtutem eius à quo mouetur: & ideo accidit inſtrumento, inquantum eſt inſtrumentum, qualemcunque formam, vel virtutem habeat præter id quod exigitur ad rationem inſtrumenti: ſicut quòd corpus Medici, quod eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum vel infirmum; & ſicut quòd fiſtula, per quam tranſit aqua, ſit argentea, vel plumbea: vnde Miniſtri Eccleſiæ poſſunt Sacramenta conferre, etiam ſi ſint mali. 3. *p. q. 64. a. 5. in corp.*

Quær. 20. an mali Miniſtrantes Sacramenta peccent, iuxta illud D. Dionyſ. 1. cap. Eccle. Hierarch. dicentis, quòd malis non eſt fas nec tangere ſymbola, id eſt Sacramentalia ſigna: & in epiſt. ad Demophilum dicit: talis (ſcilicet peccator) audax videtur, Sacerdotalibus manum apponens: & non timet neque verecundatur, diuina præter diuinitatem exequens, & Deum putat ignorare quæ ipſe in ſemetipſo cognouit, & decipere exiſtimat falſo nomine Patrem ab ipſo appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) ſuper diuina ſigna Chriſti firmiter enuntiare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquis in agendo peccat ex hoc quòd operatur non ſecundùm quod oportet, vt patet per Philoſophum lib. 2. Eth. Conueniens autem eſt, vt Sacramentorum miniſtri ſint iuſti; quia miniſtri debent Domino conformari, ſecundùm illud Leuit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum*; & Eccleſ. 10. *Secundùm Iudicem populi, ſic & Miniſtri eius.* Et ideo non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei & Eccleſiæ in diſpenſitione Sacramento-

rum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantùm eſt ex parte ipſius peccatoris (licèt ſacramenta ſecundùm ſeipſa incontaminabilia ſint) conſequens eſt quòd tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale. 3.*p. q.* 64. *art.* 6. *in corp.*

Qu. 21. *an ſit euidens quòd quicunque cum peccato mortali aliquod officium ſacrum peragit, vtendo Sacramento ordinis, peccet mortaliter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd lex præcipit vt homo iuſtè ea quæ ſunt iuſta, exequatur: & ideo quicunque homo quod ſibi competit ex ordine, facit indignè, quod iuſtum eſt, iniuſtè exequitur, & contra præceptum legis facit; ac per hoc mortaliter peccat: quicunque autem cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium quin indignè illud faciat: vnde patet quòd mortaliter peccat. 4.*ſ. d.* 24. *qu.*1. *a.* 3. *quaſt.* 5. *in corp.* & *d.* 5. *qu.* 2. *a.* 2. *qu.* 4. *in corp.*

Qu. 22. *an quandocunque peccator in aliquo actu ſe gerit vt Miniſter Eccleſiæ, toties mortaliter peccet, quoties illum actum exercet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quandocunque exhibet ſe in aliquo actu vt Miniſtrum Eccleſiæ, mortaliter peccat; & toties mortaliter peccat, quoties huiuſmodi actum facit: quia vt dicit Dion. 1. cap. Cœleſt. Hierar. *immundis nec ſymbola* (id eſt ſacramentalia ſigna) *tangere fas eſt*: vnde quando tangunt res ſacras, quaſi ſuo officio vtentes, peccant mortaliter. Secus autem eſſet ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum contingeret, vel exequeretur, in illo caſu in quo etiam Laicis liceret; ſicut ſi baptizaret in articulo neceſſitatis, vel ſi corpus Chriſti in terram proiectum colligeret. 4. *ſ. d.* 24. *qu.* 1. *art.* 3. *qu.* 5. *ad* 4.

Qu. 23. *an peccator qui tenetur ad Sacramentorum adminiſtrationem ſit perplexus: Et vtrum in illo ſtatu poſſit aliqua Sacramenta conferre.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui eſt in peccato mortali, non eſt perplexus ſimpliciter, ſi ex officio ei incumbat ſacramenta diſpenſare; quia poteſt pœnitere de peccato, & licitè miniſtrare: non eſt autem inconueniens quòd ſit perplexus, ſuppoſito quodam: ſcilicet quòd velit remanere in peccato. In articulo tamen neceſſitatis non peccaret baptizando, in caſu in quo etiam poſſet Laicus baptizare: ſic enim patet quòd non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubueniret neceſſitatem patienti. Secus eſt autem in illis ſacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis ſicut Baptiſmus. 3 *p. q.* 64. *a.* 6. *ad* 3.

Qu. 24. *vtrum effectus Sacramentorum, vel ſaltem orationum, quæ in eorum collatione dicuntur, ſit maior, ſecundùm quòd Miniſtri ſunt meliores.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd orationes quæ dicuntur in ſacramentorum collatione, proponuntur Deo non ex parte ſingula-

Digitized by Google

ris perſonæ, ſed ex parte totius Eccleſiæ, cuius preces ſunt apud Deum exaudibiles: ſecundùm illud Matth. 18. *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis à patre meo*: nihil tamen prohibet, quin deuotio viri iuſti ad hoc aliquid operetur. Illud tamen quod eſt Sacramenti effectus, non impetratur oratione Eccleſiæ vel Miniſtri, ſed ex merito Paſſionis Chriſti, cuius virtus operatur in Sacramentis; vnde effectus Sacramenti non datur melior per meliorem miniſtrum: aliquid tamen annexum impetrari poteſt recipienti Sacramentum, per deuotionem Miniſtri: nec tamen Miniſter illud operatur; ſed impetrat operandum à Deo *3. p. qu. 64. a. 1. ad 2.*

Qu. 25. vtrum effectus Sacramentorum ſit æquales, ſiue conferantur à bonis Miniſtris ſiue à malis.

Reſp. ſupra v. Baptiſmus *qu. 46.* & v. Miſſa. *qu. 33. & 34.*

Qu. 26. an etiam peccent illi qui ſuſcipiunt Sacramenta à malis miniſtris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui ad Sacramenta accedit, ſuſcipit Sacramenta à miniſtro Eccleſiæ, non inquantum eſt talis perſona, ſed inquantum eſt miniſter Eccleſiæ: & ideo quamdiu ab Eccleſia toleratur in miniſterio, ille qui ab eo ſuſcipit Sacramentum, non communicat peccato eius, ſed communicat Eccleſiæ: quæ eum tanquam miniſtrum exhibet: ſi verò ab Eccleſia non toleretur (puta cùm degradatur, vel excommunicatur; vel ſuſpenditur) peccat qui ab eo accipit ſacramentum; quia communicat peccato ipſius. *3. p. q. 64. a. 6. ad 2. 4. ſent. d. 24. q. 2. a. 3. q. 5. ad 3.*

Qu. 27. an & quando nedum ſacramenta recipere liceat à malis miniſtris ſed etiam eos ad ipſorum adminiſtrationem inducere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamdiu miniſter Eccleſiæ qui eſt in mortali, ab Eccleſia ſuſtinetur, ab eo ſacramenta recipere eius ſubditus debet; quia ad hoc eſt ei obligatus: ſed tamen præter neceſſitatis articulum non eſſet tutum quòd eum induceret ad aliquod ſui ordinis exequendum durante tali conſcientiâ quòd ille in peccato mortali eſſet; quam tamen deponere poſſet; quia in inſtanti homo à diuina gratia emendatur. *4. ſ. d. 24. q. 1. a. 3. q. 5. ad 3.*

Qu. 28. an liceat ſacramenta recipere vel etiam exigere à concubinariis vel ſimoniacis, vel ſchiſmaticis, vel hæreticis, vel excommunicatis, vel aliis peccatoribus.

Reſp. ſupra v. communio *q. 46. 47. 48. 49* excommunicatio *q. 22. 23.* miſſa *q. 30. 31. 32.*

Qu. 29. an ſicut non eſt neceſſaria Charitas ita etiam non ſit neceſſaria fides Miniſtri ad validitatem Sacramenti, iuxta illud D. Auguſtini contra Petilianum Donatiſtam: memento ſacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum, quò illa vel non ſint, vel minus ſancta ſint.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd quia miniſter in Sacramentis inſtrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, ſed in virtute Chriſti: ſicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas ita & fides: Vnde ſicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti quòd miniſter ſit in charitate, ſed poſſunt etiam peccatores Sacramenta conferre, vt ſupra dictum eſt, ita non requiritur ad perfectionem Sacramenti fides eius, ſed infidelis poteſt verum Sacramentum præbere; dummodo cætera adſint, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti 3. p. q. 64. a. 9. *in corp.* 4. *ſ. d.* 6. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2.

Qu. 30. an & quando defectus fidei impedire poſſit validitatem Sacramenti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſt contingere quòd aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, non circa veritatem ſacramenti quod exhibet; putà, ſi aliquis credat iuramentum eſſe in omni caſu illicitum, & tamen credat Baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem: & ſic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi ſacramentum: ſi verò patiatur fidei defectum circa ipſum ſacramentum quod exhibet, licèt credat per id quod agitur exteriùs, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat quòd Eccleſia Catholica intendit per huiuſmodi quæ exteriùs aguntur, præbere ſacramentum: vnde non obſtante infidelitate poteſt intendere, facere id quod facit Eccleſia, licèt exiſtimet id nihil eſſe: & talis intentio ſufficit ad ſacramentum; quia ſicut ſupra dictum eſt Miniſter ſacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius fide ſuppletur id quod deeſt fidei Miniſtri. *3. p. qu. 64. art. 9. ad 1.*

Qu. 31. vtrū hæretici ab Eccleſia præciſi Sacramenta conferant: & vtrum peccent illi, qui ab ipſis ea recipiunt: & quomodo intelligi debeat D. Leo Papa in epiſtola ad Leonem Auguſtum dicens: manifeſtum eſt per crudeliſſimam veſaniam, in Alexandrina ſede omne cæleſtium Sacramentorum lumen extinctum: intercepta eſt ſacrificii oblatio, defecit Chriſmatis ſanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hæreticorum quidam in collatione ſacramentorum formam Eccleſiæ non ſeruant; & tales neque ſacramentum conferunt, neque rem ſacramenti: quidam verò ſeruant Eccleſiæ formam, & tales conferunt quidem ſacramentum, ſed non conferunt rem ſacramenti: & hoc dico, ſi ſunt manifeſtè ab Eccleſia præciſi, quia hoc ipſo quòd aliquis accipit ſacramenta ab eis, peccat; & per hoc impeditur, ne effectum ſacramenti conſequatur: vnde Auguſt. dicit in lib. de fide ad Petrum, *firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, extra Eccleſiam baptizatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, baptiſmo cumulari perniciem*: & per hunc modum dicit Leo Papa *in ſede Alexandrina omne ſacramentorum lumen eſſe extinctum*; ſcilicet quantùm ad rem ſacramenti, non autem quantùm ad ipſum ſacramentum. *ibidem ad 2.* 4. *d.* 13. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1.

Digitized by Google

Quær. 32. an ſuſpenſi, excommunicati, vel etiam degradati perdant poteſtatem, vel ſaltem licentiam conferendi ſacramenta: & vtrum peccent illi qui ea ab ipſis recipiant, niſi propter ignorantiam excuſentur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poteſtas miniſtrandi Sacramenta pertinet ad ſpiritualem characterem, qui indelebilis eſt: & ideo per hoc quòd aliquis ab Eccleſia ſuſpenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit poteſtatem conferendi ſacramentum, ſed licentiam vtendi hac poteſtate: & ideo ſacramentum quidem confert, ſed tamen peccat conferendo. Et ſimiliter ille qui ab eo accipit Sacramentum: & ſic non percipit rem Sacramenti, niſi fortè per ignorantiam excuſetur. 3. *p. q. 64. a. 9. ad 3.*

Qu. 33. an & quomodo hæretici & ſchiſmatici habeant poteſtatem abſoluendi, excommunicandi, indulgentias largiendi, adminiſtrandi ſacramenta, & alia huiuſmodi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt ſpiritualis poteſtas: vna quidem ſacramentalis: alia iuriſdictionalis: ſacramentalis quidem poteſtas eſt, quæ per aliquam conſecrationem confertur: omnes autem conſecrationes Eccleſiæ ſunt immobiles manente re, quæ conſecratur, ſicut etiã patet in rebus inanimatis. nam altare ſemel conſecratum non conſecratur iterum: niſi fuerit diſſipatum: Et ideo talis poteſtas ſecundùm ſuam eſſentiam remanet in homine, qui eam per conſecrationem eſt adeptus, quamdiu viuit ſiue in ſchiſma, ſiue in hæreſim labatur: quod patet ex hoc, quòd rediens ad Eccleſiam non iterum conſecratur. Sed quia poteſtas inferior non debet exire in actum, niſi ſecundùm quòd mouetur à poteſtate ſuperiori, vt etiam in rebus naturalibus patet: inde eſt quòd tales vſum poteſtatis amittunt, ita ſcilicet quòd non liceat eis ſua poteſtate vti.

Si tamen vſi fuerint, eorum poteſtas effectum habet in ſacramentalibus, quia in his homo non operatur, niſi ſicut inſtrumentum Dei: Vnde effectus ſacramentales non excluduntur, propter culpam quamcunque conferentis ſacramentum.

Poteſtas autem iuriſdictionis eſt quæ ex ſimplici iniunctione hominis confertur, & talis poteſtas non immobiliter adhæret: Vnde in ſchiſmaticis, & hæreticis non manet. Vnde non poſſunt, nec abſoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiuſmodi. Quod ſi fecerint, nihil eſt actum.

Cùm ergo dicitur: tales non habere poteſtatem ſpiritualem, intelligendum eſt: vel de poteſtate ſecunda: vel ſi referatur ad primam poteſtatem, non eſt referendum ad ipſam eſſentiam poteſtatis, ſed ad legitimum vſum eius. 2. 2. *q. 39. a. 3. in corp. 3. p. q. 67. a. 5. ad 2. & 3. 4. ſ. d. 17. in exp. textus. d. 25. q. 1. a. 2. in corp.*

Quær.

Qu. 34. vtrum hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati poſſint conſecrare; cùm D. Auguſtinus in 2. contra Parmenianum dicat: ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt, quòd hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, quia ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt conficere hoc Sacramentum: ſed in hoc decipiuntur: quia ſicut Auguſtinus dicit in 2. contra Parmenianum, aliud omnino non habere; aliud tamen non rectè habere: & ſimiliter etiam eſt aliud non dare, & aliud non rectè dare: illi igitur qui intra Eccleſiam conſtituti receperũt poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam in ordinatione Sacerdotij rectè quidem habent poteſtatem, ſed non rectè ea vtuntur, ſi poſtmodum per hæreſim aut ſchiſma vel excommunicationem ab Eccleſia ſeparentur; qui autem ſic ſeparati ordinantur, non rectè habent poteſtatem, nec rectè vtuntur. Quòd tamen vtrique poteſtatem habeant, patet per hoc quòd ſicut Auguſtinus ibidem dicit, cùm redeunt ad vnitatem Eccleſiæ, non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis ordinationibus.

Et quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens ordinis poteſtatem, illi qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem, poſſunt quidem conſecrare Euchariſtiam, quæ ab eis conſecrata verum Corpus, & Sanguinem Chriſti continet: non tamen hoc rectè faciunt, ſed peccant facientes: & ideo fructum ſacrificij non percipiunt, quod eſt ſacrificium ſpirituale. 3. *p. q. 82. a. 7. in corp.*

Qu. 35. quomodo intelligi debeat Innocentius Papa dicens (vt habetur in decretis causâ 1. qu. 1.) Arrianos cæteraſque eiuſmodi peſtes, quia laicos eorum ſub imagine pœnitentiæ ſuſcepimus, non videntur clerici eorum cum Sacerdotii, aut cuiuſpiam myſterii dignitate ſuſcipiendi eſſe; quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus Hæreticis & Schiſmaticis; quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis: in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre. *3 p. q. 82. a. 7. ad 2.*

Qu. 36. vtrum hæretici & ab Eccleſia præciſi poſſint ordines conferre.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc ponuntur quatuor opiniones. Quidam enim dicunt, quòd hæretici quamdiu ab Eccleſia tolerantur, habent poteſtatem ordines conferendi, non autem poſtquam ab Eccleſia fuerint præciſi: & ſimiliter nec degradati, & alij huiuſmodi: & hæc eſt prima opinio. Sed hoc non poteſt ſtare: quia omnis poteſtas quæ datur cum aliqua conſecratione, nullo caſu contingente tolli poteſt, ſicut nec ipſa cõſecratio annullari; quia etiam altare, vel Chriſma, ſemel conſecrata perpetuò ſacrata manent: vnde cùm Epiſcopalis poteſtas cum quadam conſecratione detur, oportet quòd perpetuo ma-

neat, quantumcunque aliquis peccet vel ab Eccleſia præcidatur.

Et ideo alij dixerunt, quòd præciſi ab Eccleſia, qui in Eccleſia poteſtatem Epiſcopalem habuerunt, retinent poteteſtatem alios ordinandi, & promouendi: ſed promoti ab eis hoc non habent: & hæc eſt quarta opinio. Sed hoc etiam eſſe non poteſt, quia ſi illi qui fuerunt in Eccleſia promoti, retinent poteſtatem quam acceperunt, patet quòd exequendo ſuam poteſtatem, veram conſecrationem faciant: & ideo verè tribuunt omnem poteſtatem, quæ conſecratione datur: & ſic ordinati ab eis vel promoti habent eandem poteſtatem quam & ipſi: & & ideo alij dixerunt, quòd etiam præciſi ab Eccleſia poſſũt ordines, & alia Sacramenta conferre (dummodo formam debitam, & intentionem ſeruent) & quantùm ad primum effectum, qui eſt collatio Sacramenti: & quantùm ad vltimum, qui eſt collatio gratiæ: & hæc eſt ſecunda opinio. Sed hoc etiam non poteſt ſtare: quia ex hoc ipſo quòd aliquis hæretico præciſo ab Eccleſia in ſacramentis communicat, peccat, & ita fictus accedit, & gratiã conſequi non poteſt, niſi fortè in Baptiſmo in articulo neceſſitatis: & ideo alij dicunt, quòd vera Sacramenta conferunt, ſed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Eccleſiæ; & hæc eſt tertia opinio, quæ vera eſt. 4. *ſ. d. 25. q. 1. a. 2. in corp. 3. p. q. 64. a. 9. ad 2. 2. 2. q. 39. a. 3. in corp.*

Qu. 37. cur in neceſſitate quilibet Sacerdos poteſt quemlibet abſoluere à quolibet peccato, & ab excommunicatione.

Reſp. ſupra v. abſolutio q. 11.

In 8. Synodo can. 10. ſic habetur: nullus clericus ante diligentem examinationem, & Synodicam ſententiam à communione proprij Patriarchæ ſe ſeparet, licèt criminalem quamlibet cauſam eius ſe noſſe prætendat.

Concilium Conſtantienſe, poſtquam dixit vitandos eſſe nominatim excommunicatos, & notorios clericorum percuſſores de aliis excommunicatis ſubdit: miſericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuſcunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. ſic loquitur: in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes, quoſlibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.

Qu. 38. vtrum intentio miniſtri ſit neceſſaria ad ſacramentorum validitatem: & vtrum Chriſtus Dominus ipſius defectum ſuppleat quantùm ad ſacramentorum effectus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum: ſed hunc defectum

in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, ſupplet Chriſtus, qui interiùs baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum ſuſcipere, ſupplet illum defectum fides, & deuotio.

Sed hoc ſatis poſſet dici quantùm ad vltimum effectum qui eſt iuſtificatio à peccatis: ſed quantùm ad effectum, qui eſt res & ſacramentum, ſcilicet quantùm ad characterem non videtur, quòd per deuotionem accedentis poſſit ſuppleri: quia character nunquam imprimitur, niſi per Sacramentum. Et ideo alij meliùs dicunt, quòd miniſter ſacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis ſacramentum. *3.p.q. 64.a.8. ad 2. 4.ſ.d 6. q.1.a. 2. q.1.ad 2. 4. ad han. d.6.a. 2. in corp.*

Qu. 39. vtrum intentio Miniſtri ſit neceſſaria nedùm ad recipiendum Sacramentorum effectum, ſed etiam ad eorum perceptionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm vnius effectus vna ſit cauſa, ſi ex aliquibus pluribus cauſis vnus effectus procedat, oportet quòd illæ cauſæ ſint aliquo modo factæ vnum ad inuicem: ad effectum autem Sacramenti videmus multa concurrere; ſcilicet Miniſtrum, formam verborum, & materiam: hæc autem non poſſunt colligari ad inuicem vt ſint vna cauſa, niſi per intentionem baptizantis; qui ſcilicet formam ad materiam applicat, ſuum verò miniſterium ad vtrumque, & totum hoc ad Sacramenti collationem: & ideò requiritur intentio baptizantis. Et ſimiliter in omnibus aliis Sacramentis requiritur intentio Miniſtri cum debita materia & forma, non ſolùm ad effectum Sacramenti conſequendum, ſed ad ſacramenti perceptionem. 4. *ſent. d.ſt. 6. art. 2. quæſtiunc. 1. in corp.*

Qu. 40. quomodo in virtute primæ intentionis perficiatur Sacramentum; licèt Miniſter in ipſius collatione ſit diſtractus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, putà cùm Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia: vnde ſi poſtea in ipſo exercitio actûs, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum: quamuis ſtudioſè curare debeat Sacramenti Miniſter, vt etiam actualem intentionem adhibeat; ſed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate; quia præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare ſecundùm illud Pſal. 39. *Cor meum dereliquit me. 3.p. qu.64. art. 8. ad 3. 4. ſent. d. 6.q. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 4.*

Qu. 41. an recta Miniſtri intentio requiratur ad veritatem Sacramenti: & vtrum ille Sacramentum conficeret qui ex prauo fine baptizaret, vel conſecraret.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd intentio Miniſtri poteſt peruerti dupliciter: vno modo reſpectu ipſius ſacramenti; putà, cùm aliquis non intendit ſacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere; & talis peruerſitas tollit veritatem ſacramenti; præcipuè quando ſuam intentionem exteriùs manifeſtat: Alio modo poteſt peruerti intentió miniſtri quantùm ad id quod ſequitur ſacramentum; putà, ſi Sacerdos intendat aliquem fæminam baptizare vt abutatur ea, vel ſi intendat conficere Corpus Chriſti, vt eo ad veneficia vtatur: & quia prius non dependet à poſteriori, indè eſt quòd talis peruerſitas veritatem ſacramenti non tollit, ſed ipſe miniſter ex tali intentione grauiter peccat. 3. *p. q.* 64. *a.* 10. *in corp.*

Qu. 42. *an & quomodo peruerſa intentio tam ex parte recipientis, quàm ex parte conferentis, impediat Sacramentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd rectum eſt cuius medium non exit ab extremis: ſacramentum autem Baptiſmi eſt, quo mediante recipitur effectus Baptiſmi in anima baptizati: vnde tunc eſt recta intentio quando baptizans ſeu baptizatus ſacramentum ordinat ad effectum ſacramenti, qui eſt ſalus: ſi ergo intentio adſit in baptizante (quia intendit ſacramentum conferre) ſed deſit rectitudo (qua ordinet ſacramentum ad debitum finem) non propter hoc in recipiente impeditur perceptio ſacramenti: quia ad hoc fertur intentio baptizantis; neque effectus ſacramenti, quia mundatio interior à miniſtro non eſt: vnde eius intentio ad hoc nihil facit: ſi autem in baptizato ſit intentio percipiendi ſacramentum, ſed deſit rectitudo intentionis, recipit quidem quod intendit ſacramentum; ſed non rem ſacramenti: quia obicem per prauam intentionem Spiritui-Sancto ponit. 4. *d.* 6. *q.* 1. *a.* 2. *quæſt.* 2.

Qu. 43. *an ſacramentum ſit validum, ſi Miniſter illud conficiat ex ludo, vel in deriſionem, aut etiam ad veneficia.*

Reſp. v. Baptiſmus *qu.* 34. & v. Euchariſtia *qu.* 9. & 10.

Qu. 44. *an ſi aliquis non baptizatus ad Sacerdotium, vel etiam Epiſcopatum promoueretur, conficeret Sacramenta: & vtrùm pie credi poſſit quòd tunc ſummus Sacerdos ſuppleret defectum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd talis ſi ad Sacerdotium promoueatur, non eſt Sacerdos, nec conficere poteſt, nec abſoluere in foro pœnitentiali: vnde ſecundùm Canones debet baptizari, & iteratò ordinari: & ſi etiam in Epiſcopum promoueatur, illi quos ordinat, non habent ordinem: ſed tamen piè credi poteſt quòd quantùm ad vltimos effectus ſacramentorum ſummus Sacerdos ſuppleret defectum; & quòd non permitteret hoc ita latere, quòd periculum eccleſiæ imminere poſſet. 4. *ſ. d.* 24 *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 4. *ad* 2.

Qu. 45. *an Chriſtus ſuppleat Sacramenti defectum, quando in neceſſitate confeſſio fit Laico.*

Reſp. v. Confeſſio *qu.* 49.

Qu.46. an ſacramenta noua legis cauſent gratiam, iuxta illud D. Auguſtini ſuper Ioannem, aqua (ſcilicet baptiſmi) corpus tangit, & cor abluit.

Reſp. D. Thomas, ex multis Sanctorum authoritatibus habetur, quòd Sacramenta nouæ legis non ſolùm ſignificant, ſed cauſant gratiam. Et ideo dicendum quòd duplex eſt cauſa agens, principalis & inſtrumentalis: principalis quidem operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimilatur effectus, ſicut ignis ſuo calore calefacit: & hoc modo nihil poteſt cauſare gratiam niſi Deus: quia gratia nihil aliud eſt quàm quædam participata ſimilitudo naturæ diuinæ, ſecundùm illud 2. Petri 1. *Magna nobis, & pretioſa promiſſa donauit, vt diuinæ ſimus conſortes naturæ.*

Cauſa verò inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolùm per motum quo mouetur à principali agẽte: vnde effectus non aſſimilatur ſecuri, ſed ideæ quæ eſt in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta nouæ legis gratiam cauſant: adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis cauſandam: Vnde Auguſt. dicit 19. contra Fauſtum *hæc omnia* (ſcilicet Sacramenta) *fiunt & tranſeunt; virtus tamen* (ſcilicet Dei) *quæ per iſta operatur, iugiter manet.* Hoc autem propriè dicitur inſtrumentum, per quod aliquis operatur: vnde & Tit. 3. dicitur: *ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis. 3. p. q. 62. a. 1. q. 64. a. 1. 3. ſ. d. 40. a. 3. 4. ſ. d. 1. q. 1. a. 4. q. 1. & a. 5. q. etiam 1. 4 contra gentes cap. 57. & 74. q. 27. de verit. a. 4. quod. 12 a. 15.*

Qu. 47. an gratia Sacramentalis aliquid addat ſuper gratiam virtutum, & donorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd gratia ſecundùm ſe conſiderata perficit eſſentiam animæ, in quantùm participat quandam ſimilitudinem Diuini eſſe: & ſicut ab eſſentia animæ fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus. Ordinantur autem ſacramenta ad quoſdam ſpeciales effectus neceſſarios in vita chriſtiana; ſicut Baptiſmus ordinatur ad quandam ſpiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, & fit membrum Chriſti; qui quidem effectus eſt aliquid ſpeciale præter actus potentiarum animæ: & eadem ratio eſt de aliis ſacramentis. Sicut igitur virtutes & dona addunt ſuper gratiam communiter dictam, quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprio actus potentiarum; ita gratia ſacramẽtalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad conſequendum ſacramenti finem. Et per hunc modum gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam virtutum & donorum. *3. p. qu. 2. a. 2. in corp. & qu. 72. a. 7. ad 2. 4. ſ. d. 7. q. 2. a. 2. qu. 3. d. 17. q. 1. 4. qu. 5. & d. 22. q. 2. a. 1. qu. 1.*

Qu. 48. an ſacramenta characterem imprimant, iuxta illud Apoſtoli 2. ad cor. 1. qui vnxit nos, Deus eſt: & qui ſignauit nos, & dedit

pignus ſpiritus in cordibus noſtris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ex prædictis patet, ſacramenta nouæ legis ad duo ordinantur; videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei ſecundùm ritum Chriſtianæ vitæ: quicunque autem ad aliquid certum deputatur, conſueuit ad illud conſignari, ſicut milites qui adſcribebantur ad militiam, antiquitùs ſolebant quibuſdam characteribus corporalibus inſigniri; eo quòd deputabantur ad aliquid corporale: & ideo cùm homines per ſacramenta deputentur ad aliquid ſpirituale pertinens ad cultum Dei, conſequens eſt quòd per ea fideles aliquo ſpirituali charactere inſigniantur: vnde Auguſtinus dicit in 2. contra Parmenianum, *ſi militia characterem in corpore ſuo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſâ, & impetratâ iam veniâ militare cœperit: nunquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur. An fortè minùs hærent ſacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota.* 3. *p.q.* 64. *a.* 1. *in corp.*4.*ſ.d.*4.*q.*1.*a.*4. *q.*1.

*Qu.*49.*an character ſit ſpiritualis poteſtas ordinata ad ea quæ ſunt diuini cultus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacramenta characterem imprimunt, inquantum per ea deputantur homines ad cultum Dei ſecundùm ritum Chriſtianæ religionis; vnde Dionyſius in 2. cap. Eccleſ. Hierarchiæ cùm dixiſſet quòd *Deus in quodam ſigno tradit ut participationem accedenti ad Baptiſmum*, ſubiungit, *perficiens eum diuinum; & communicatiuum diuinorum*: Diuinus autem cultus conſiſtit vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo aliis: ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia; nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quædam potentia actiua: ad recipiendum autem requiritur potentia paſſiua.

Et ideo character importat quandam potentiam ſpiritualem, ordinatam ad ea, quæ ſunt diuini cultus. 3.*p.q.* 63. *a* 2. *in corp.* 4. *ſ. d.* 4. *q.* 1. *a.*1.

Qu. 50. *quomodo character ſacramentalis ſit participatio ſacerdotii Chriſti: quodnam ſit eius ſubiectum: & cur ſit indelebilis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd character ſacramentalis eſt quædam participatio ſacerdotii chriſti in fidelibus eius; vt ſcilicet ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis ſacerdotii poteſtatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc quòd participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu ſacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum. Et propter hoc etiam Chriſto non competit habere characterem, ſed poteſtas ſacerdotii eius cõparatur ad characterẽ, ſicut id quod eſt plenũ & perfectum ad aliquam ſui participationem. Sacerdotium autem Chriſti eſt æternum, ſecundùm illud Pſal. 109. *tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: & inde eſt quòd omnis ſanctificatio, quæ fit per ſacerdotium

eius, eſt perpetua; re conſecratâ manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam Eccleſiæ vel altaris manet conſecratio ſemper, niſi deſtruatur. Cùm igitur anima ſit ſubiectum characteris ſecundùm intellectiuam partem, in qua eſt fides, manifeſtum eſt quòd ſicut intellectus perpetuus eſt & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. *3.p.q. 63. a. 5.4.ſ. d. 4.q.1.a.3.q.4.*

Quær. 51. vtrum omnia Sacramenta conferendo gratiam præbeant aliquod remedium contra peccata: & cur tria tantùm ex ipſis characterem imprimunt, ſcilicet Baptiſmus, confirmatio, & ordo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacramenta nouæ legis ad duo ordinantur; ſcilicet in remedium peccati, & ad cultum diuinum: eſt autem omnibus ſacramentis commune; quòd per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum per hoc quòd gratiam conferunt: non autem omnia ſacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum, ſicut patet de pœnitentia per quam homo liberatur à peccato, non autem per hoc ſacramentum exhibetur homini aliquid de nouo, pertinens ad diuinum cultum, ſed reſtituitur in ſtatum priſtinum.

Pertinet autem aliquod ſacramentum ad diuinum cultum tripliciter: vno modo per modum ipſius actionis: alio modo per modum agentis: tertio modo per modum recipientis per modum quidem ipſius actionis pertinet ad diuinum cultum Euchariſtia; in qua principaliter diuinus cultus conſiſtit, inquantum eſt Eccleſiæ ſacrificium: & per hoc idem ſacramentum non imprimitur homini character. quia per hoc ſacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud vlteriùs agendum vel recipiendum in ſacramentis. cùm potius ſit finis & conſummatio omnium ſacramentorum, vt Dyoniſius dicit 3.cap.Eccleſ.Hier. continet tamen in ſeipſo Chriſtum, in quo non eſt character, ſed tota ſacerdotii plenitudo: ſed ad agens in ſacramentis pertinet ſacramentum ordinis: quia per hoc ſacramentum deputantur homines ad ſacramenta aliis tradenda: ſed ad recipientes pertinet ſacramentum Baptiſmi, quia per ipſum homo accipit poteſtatem recipiendi alia Eccleſiæ ſacramenta: vnde Baptiſmus dicitur eſſe ianua omnium ſacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodãmodo confirmatio. Et ideò per hæc tria ſacramenta character imprimitur: ſcilicet per baptiſmum, confirmationem, & ordinem. *3.p.q.63.a.6. in corp.4,ſ.d.4. q.1.a.4.qu.2.& 3.*

Qu.52. quænam ſit propria ratio characteris, confirmationis, & cuiuslibet ordinis ſiue maioris ſiue minoris.

Reſp. v. Confirmatio *qu.* 19. & v. Ordo *qu.*9.10.12 29.32. *&* 40.

Qu.53. cur Sacramenta Characterem imprimentia non reiterentur.

Reſp. D. Thomas, ſacramenta in quibus imprimitur character, non reiterantur, eo quòd character eſt indelebilis, vt dictum eſt. *3.p. q. 63. art. 6 in argumento ſed contra.*

Qu. 54. an ſacramenta etiam fictè ſuſcepta ſuum effectum habeant recedente fictione.

Reſp. v. fictio.

Qu. 55. an poſſit effectus alicuius ſacramenti haberi ſine perceptione talis Sacramenti vel in re, vel ſaltem in voto.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis effectus principalis alicuius ſacramenti poſſit haberi ſine actuali perceptione illius ſacramenti, vel ſine ſacramento, vel per aliud ſacramentum ex conſequenti, nunquam tamen poteſt haberi ſine propoſito illius ſacramenti. *4. ſ. d. 25. q. 1. a. 2. qu. 1. ad 1.*

Quar. 56. quomodo licèt Sacramenta in voto ſuſcepta habeant ſuum effectum, plenius tamen ipſum habent ſuſcepta in re.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſacramenta dupliciter operantur: vno modo, ſecundùm quòd exhibentur in actu: alio modo ſecundùm quòd habentur in voto: & hoc ideo, quia ſacramenta operantur vt inſtrumenta diuinæ miſericordiæ iuſtificantis: Dei autem eſt reſpicere hominis cor, ſecundùm illud 1. reg. 16. *homines vident ea quæ patent, Deus autem intuetur cor*: & ideo quamuis res naturales non agant niſi præſentialiter adhibitæ, ſacramenta tamen agunt etiam ſecundùm quòd ſunt in voto: ſed pleniùs Sacramentalem effectum inducunt quando exhibentur. *quodl. 4. a. 10.*

Plura de ſacramentis in communi dici poſſent, quæ remittuntur ad Theologiam ſcholaſticam, quæ verò de quolibet ſacramento in particulari docuit D. Thomas, habentur ſub propriis titulis.

SACRIFICIVM.

Qu. 1. vtrum offerre ſacrificium Deo ſit de lege naturæ, cum in qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes ſemper fuerit aliqua ſacrificiorum oblatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd naturalis ratio dictat homini quòd alicui ſuperiori ſubdatur, propter defectus quos in ſeipſo ſentit, in quibus ab aliquo ſuperiori eget adiuuari & dirigi: & quidquid illud ſit hoc eſt quod apud omnes dicitur Deus: ſicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini ſecundùm naturalem inclinationẽ, vt ex ei quod eſt ſupra hominem, ſubiectionem, & honorem exhibeat ſecundùm ſuum modum: eſt autem modus conueniens hominis, vt ex ſenſibilibus cognitionem accipiat: & ideo ex naturali ratione procedit quòd homo quibuſdam ſenſibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis, & honoris, ſecundùm ſimilitudinem eorum qui Dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem Dominij: hoc autem pertinet ad rationem ſacrificij: & ideo ratio ſacrificij pertinet ad ius naturale. *2. 2. q. 85. a. 1. in corp.*

Quar.

Digitized by Google

Qu. 2. an licèt ſacrificia ſint de iure naturali, eorum tamen determinatis ſit de iure poſitiuo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliqua in communi ſunt de iure naturali, quorum determinationes ſunt de iure poſitiuo: ſicut quòd malefactores puniantur, habet lex naturalis, ſed quòd tali pœnâ vel tali puniantur, eſt ex conſtitutione diuinâ vel humanâ. Similiter etiam oblatio ſacrificij in communi, eſt de lege naturali. Et ideo in hoc omnes conueniunt: ſed determinatio ſacrificiorum eſt ex inſtitutione humanâ vel diuinâ; & ideo in hoc differunt. *in eodem artic. ad* 1.

Qu. 3. quid ſint ſacrificia, propriè loquendo, & quomodo diſtinguantur ab oblationibus, primitiis, & decimis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſacrificia propriè dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit; ſicut quòd animalia occidebantur & comburebantur; quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur: & hoc ipſum nomen ſonat: nam ſacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid ſacrum: oblatio autem directè dicitur, cùm Deo aliquid offertur, etiamſi nihil circa ipſum fiat; ſicut dicuntur offerri denarij vel panes in altari, circa quos nihil fit: vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non conuertitur. Primitiæ autem, oblationes ſunt, quia Deo offerebantur, vt legitur Deut. 26. Non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa ipſas fiebat. Decimæ autem, propriè loquendo, non ſunt ſacrificia, neque oblationes; quia non immediatè Deo ſed Miniſtris diuini cultûs exhibentur. 2.2. *q.* 85. *a.* 3. *ad* 3.

Qu. 4. in quo ſenſu D. Auguſtinus 10. de ciuit. Dei dixit: Verum Sacrificium eſt omne opus quod agitur vt ſanctâ ſocietate inhæreamus Deo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ipſum quòd Deo quadam ſpirituali ſocietate volumus inhætere, ad diuinam reuerentiam pertinet: & ideo cuiuſcunque virtutis actus rationem ſacrificij accipit ex hoc quòd agitur vt ſanctâ ſocietate Deo inhæreamus. *in eodem a.* 3. *ad* 1.

Quær. 5. cur Apoſtolus macerationem corporis, quæ fit per abſtinentiam, ieiunium, continentiam, & martyrium: charitatem etiam, miſericordiam, & liberalitatem ſub ſacrificio comprehendit dicens Rom. 12. exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem; & ad Hebr. vlt. beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim Hoſtiis promeretur Deus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd triplex eſt hominis bonum. Primum quidem eſt bonum animæ, quod Deo offertur interiori quodam ſacrificio per deuotionem, & orationem, & alios huiuſmodi interiores actus: & hoc eſt principale ſacrificium. Secundum eſt bonum corporis, quod Deo quodammodo offertur per martyrium, & abſtinentiam, ſeu continentiam. Tertium eſt bonum

Digitized by Google

exteriorum rerum, de quo ſacrificium offertur Deo, directè quidem, quando immediatè res noſtras Deo offerimus, mediatè autem, quando eas communicamus proximis propter Deum. *ibidem ad 2.*

Qu. 6. quomodo homo indiget ſacrificio propter tria; ſcilicet propter remiſſionem culpæ, conſeruationem gratiæ, & adeptionem gloriæ: & quomodo hæc omnia nobis dantur per Chriſtum, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſti. dicit in 10. de ciuit. Dei, *omne ſacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramẽtum* (id eſt, ſacrum ſignum) *eſt*: inuiſibile autem ſacrificium eſt per quod homo Deo ſpiritum ſuum offert: ſecundùm illud Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: & ideo omne illud quod Deo exhibetur ad hoc quòd ſpiritus hominis feratur in Deum, poteſt dici ſacrificium.

Indiget igitur homo ſacrificio propter tria. Vno quidem modo ad remiſſionem peccati, per quod à Deo auertitur: & ideo Apoſt. dicit ad Hebr. 5. quòd ad Sacerdotem pertinet *vt offerat dona ac ſacrificia pro peccatis.* Secundò, vt homo in ſtatu gratiæ conſeruetur, ſemper Deo inhærens, in quo eius pax & ſalus conſiſtit: vnde & in veteri lege immolabatur hoſtia pacifica pro offerentium ſalute, vt habetur Leuit. 3. Tertiò ad hoc quòd ſpiritus hominis perfectè Deo vniatur; quod maximè erit in gloria: vnde & in veteri lege offerebatur holocauſtum quaſi *totum incenſum*; vt dicitur Leuit. 1. Hæc autem per humanitatem Chriſti nobis proueniunt: nam primò quidem noſtra peccata deleta ſunt, ſecundùm illud ad Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra*: Secundò gratiam nos ſaluantem per ipſum accepimus; ſecundùm illud Heb. 5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*: Tertiò per ipſum perfectionem gloriæ adepti ſumus: Heb. 10. *Habemus fiduciam per ſanguinem eius in introitum Sanctorum*, ſcilicet in gloriam cœleſtem. *3. p. qu. 22. a. 2. in corp. opuſculo 68. de Sacramenta altaris cap. 3. 4. & ſequ.*

Quær. 7. quare ſacrificium ſoli Deo ſit offerendum: vnde Exodi 22. dicitur qui immolat Diis, occidatur; præterquam Domino ſoli: & vtrum ſacrificium, tam interius quàm exterius ſpectet ad religionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oblatio ſacrificij fit ad aliquid ſignificandum: ſignificat autem ſacrificiũ quod offertur exteriùs interius ſpirituale ſacrificium, quo anima ſeipſam offert Deo, ſecundùm illud pſ. *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur: anima autem ſe offert Deo in ſacrificium ſicut principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatitudinis: ſecundùm autem veram fidem ſolus Deus eſt creator animarum noſtrarum: in ſolo etiam eo animæ noſtræ beatitudo conſiſtit: & ideo ſicut ſoli Deo ſummo debemus ſacrificium ſpirituale offerre, ita etiam ſoli Deo debe-

mus offerre exteriora ſacrificia: ſicut etiam *orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus, offerimus*, vt Auguſt. dicit de ciuit. Dei. Hoc etiam videmus in omni republica obſeruari, quòd ſummum Rectorem aliquo ſigno ſingulari honorant, quod cuicunque alteri deferretur, eſſet crimen leſæ maieſtatis: & ideo in lege diuina ſtatuitur pœna mortis his qui diuinum honorem aliis exhibent. *a.2.q 85.a.2.in corp. contra gen. l. 3. cap. 120. pſal.28. ad Rom. 1. lect. 7.*

Quær. 8. an templa altaria & ſacrificia conſtituantur Angelis & ſanctis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſtinus dicit 8. de ciuit. Dei, *non conſtituimus martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia: quoniam non ipſi ſed Deus eorum nobis eſt Deus: vnde Sacerdos non dicit (offero tibi ſacrificium Petre vel Paule) ſed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & nos ad imitationem eorum exhortamur. 2. 2. q. 85. a. 2. ad 3.*

Qu. 9. cur in antiqua lege nullum fuit determinatum ſacrificium pro negligentia, nec pro peccatis occultis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando negligentia conſiſtit in prætermiſſione eorum quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, tunc trahitur ad aliud genus peccati magis manifeſtum: peccata enim quæ conſiſtunt in interioribus actibus, ſunt magis occulta: & ideo pro eis certa ſacrificia non iniungebantur in lege: quia ſacrificiorum oblatio erat quædam publica proteſtatio peccati, quæ non eſt facienda de peccato occulto. *2. 2. q. 54. a. 3. ad 3.*

Quæ. 10. an Sacerdos conſecrans Euchariſtiam, teneatur ipſam ſumere ſicut legitur in conc. Tolet. & & habetur de conſ. diſt. 2. cap. relatum: modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcunque ſacrificans Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Chriſti participem ſe prebeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Euchariſtia non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium: quicunque autem ſacrificium offert, debet ſacrificij fieri particeps; quia exterius ſacrificium quod offertur, ſignum eſt interioris ſacrificij, quo quis ſeipſum offert Deo; vt Auguſt. dicit 10. de Ciu. Dei: vnde per hoc quòd participat ſacrificio, oſtendit ad ſe ſacrificium interiùs pertinere. Similiter etiam per hoc quòd ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem diuinorum, quorum ipſe primò debet eſſe particeps; ſicut Dion. dicit in lib. Eccl. Hierar. Et ideo ipſe ante ſumere debet, quàm populo diſpenſet: vnde & in prædicto cap. legitur: *quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?* Per hoc autem fit particeps quòd de ſacrificio ſumit; ſecundùm illud Apoſt. 1. Cor. 10. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Et ideo neceſſe eſt quòd

Digitized by Google

Sacer dos quotieſcunque conſecrat, ſumat integrè hoc ſacramentum, *3.p.q.q.82.a.4.in corp.*

Qu. 11. quid agendum eſſet ſi Corpus Chriſti miraculosè in altari appareret ſub ſpecie carnis, & ſanguis ſub ſpecie ſanguinis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi miraculosè Corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis apparet, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis non eſt ſumendum: dicit enim Hier. ſuper Leuit. *De hac quidem hoſtia qua in Chriſti commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa verò, quam Chriſtus in ara crucis obtulit, nulli edere licet*: nec propter hoc Sacerdos tranſgreſſor efficitur, quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non ſubduntur. Conſulendum tamen eſſet Sacerdoti, quòd iteratò Corpus & Sanguinem Domini conſecraret & ſumeret. *Ibid. ad. 3.*

Qu. 12. an ſit proprium conſecrationi Euchariſtiæ quòd ſit ſacrificium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conſecratio Chriſmatis, vel cuiuſcumque alterius materiæ non eſt ſacrificium ſicut conſecratio Euchariſtiæ. *Ibid. ad 1.*

Qu. 13. vtrum per Euchariſtiam tam vt eſt ſacrificium quàm vt eſt ſacramentum remittatur tota pœna peccatis noſtris debita: & vtrum ſacrificum Miſſæ ſit ſatiſfactorium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum; ſed rationem ſacrificij habet inquantum offertur: rationem autem ſacramenti, inquantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit: effectum autem ſacrificij, in eo qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Si igitur conſideretur vt ſacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex vi ſacramenti: alio modo quaſi ex quadam concomitantia: ſicut & circa continentiam ſacramenti dictum eſt. Ex vi quidem ſacramenti directè habet illum effectum ad quem eſt inſtitutum: non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per vnionem ad Chriſtum, & membra eius, ſicut nutrimentum vnitur nutrito: ſed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſſionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundùm modum ſuæ deuotionis & feruoris. Inquantum verò eſt ſacrificium, habet vim ſatisfactiuam: ſed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis quàm quantitas oblationis: vnde & Dom. dicit Luc. 21. de vidua quæ obtulit duo æra, quòd plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. *3.p.q.79.a.5.in corp. 4.ſ.d.4.q.2.a.1.qu.2.ad 3.*

Digitized by Google

Quær. 14. an & quomodo ſacrificium Miſſæ, & ſacramentum Euchariſtiæ proſit ſiue celebrantibus & communicantibus, ſiue etiam aliis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam eſt ſacrificium: inquantum enim in hoc ſacramẽto repræſentatur paſſio Chriſti, qua Chriſtus obtulit ſe Hoſtiam Deo, habet rationem ſacrificij: inquantum verò in hoc ſacramẽto traditur inuiſibilis gratia ſub viſibili ſpecie, habet rationem ſacramenti: ſic ergo hoc ſacramentum ſumentibus quidem prodeſt & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij, quia pro omnibus ſumentibus offertur: dicitur enim in canone miſſæ, *quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur*: ſed aliis qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificii, inquantùm pro ſalute eorum offertur: vnde & in canone miſſæ dicitur, *memento Domine famulorum, famularumque tuarum pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ*: Et vtrumque modum proficiendi Dominus expreſſit, dicens Math. 26. & Luc. 22. *qui pro vobis* (ſcilicet ſumentibus) *& pro multis* (ſcilicet aliis) *effundetur in remiſſionem peccatorum.* 3. p. q. 79. a. 7. 4. ſ. d. 12. q. 2. a. 2. q. 2. ad 4. Ioan. 6.

Qu. 15. vtrum ex hoc quòd plures communicent, vel quòd celebrans plures hoſtias conſecret in vna miſſa, ſacrificium vel ſacramentum Euchariſtiæ plus proſit ſiue ſumentibus ſiue aliis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſumptio pertinet ad rationẽ ſacramenti, ſed oblatio pertinet ad rationem ſacrificij: & ideo ex hoc quòd aliquis ſumit corpus Chriſti, vel etiam plures, non accreſcit aliis aliquod iuuamentum.

Similiter etiam ex hoc quòd Sacerdos plures hoſtias conſecrat in vna miſſa, non multiplicatur effectus huius ſacramenti, quia non eſt niſi vnum ſacrificium: nihil enim plus eſt virtutis in multis hoſtiis conſecratis quàm in vna; cùm ſub omnibus & ſub vna non ſit niſi totus Chriſtus: vnde nec ſi aliquis ſimul in vna miſſa multas hoſtias conſecratas ſumat, participabit maiorem effectum ſacramenti. In pluribus verò miſſis multiplicatur ſacrificij oblatio: & ideo multiplicatur effectus ſacrificij & ſacramenti. 3. *p. q.* 79. *a.* 7. *ad* 3.

Qu. 16. an & quomodo ſacrificium miſſæ proſit omnibus quoad efficaciam, vel ſaltem quoad ſufficientiam.

Reſp. ſupra v. Miſſa, & infra v. ſuffragium.

Sicut ſupra, conferendo quæſtiones de affabilitate & amicitia propter doctrinæ connexionem, ſimul per inaduertentiam impreſſæ ſunt, quamuis v. amicitia cum ſuis q. poſt v. ambitio, ponendum eſſet: ita etiam nunc inaduertenter ex ſimili connexione doctrinæ ponuntur ſequentes quæſtiones,

quæ ſupra iungi debebant) cum *aliis quæſtionibus ſub v. communio, vel ſub v. Euchariſtia.*

Qu. 1. vtrum effectus ſacramenti Euchariſtiæ ſit remiſſio peccati mortalis.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd virtus huius ſacramenti poteſt conſiderari dupliciter: vno modo ſecundùm ſe; & ſic hoc ſacramentum habet virtutem ad remittendum quæcunque peccata ex paſſione Chriſti, quæ eſt fons & cauſa remiſſionis peccatorum: Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eum qui recipit hoc ſacrametum, prout in eo inuenitur vel non inuenitur impedimentum percipiendi huius ſacramenti effectum: quicunque autem habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum huius ſacramēti: eo quòd non eſt conueniens ſuſceptor huius ſacramenti: tum quia non viuit ſpiritualiter; & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viuentis: tum quia non poteſt vniri Chriſto (quod fit per hoc ſacramentum) dum eſt in affectu peccandi mortaliter: Et ideo vt dicitur in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, *ſi mens in affectu peccandi eſt, grauatur magis Euchariſtiæ perceptione quàm purificetur:* vnde hoc ſacramentum in eo qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis non operatur remiſſionem peccati.

Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter: vno modo non perceptum actu, ſed voto: ſicut cùm quis primò iuſtificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus; ſed deuotè & reuerenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remiſſionem peccati. *3. p. q. 79. a. 3. in corp.*

Qu. 2. vtrum per Sacramentum Euchariſtiæ remittantur peccata venialia, ſicut Innocent. 3. dicit lib. 4. de Myſteriis Miſſæ: quòd hoc Sacramentum venialia delet, & cauet mortalia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in hoc ſacramento duo poſſunt conſiderari; ſcilicet ipſum ſacramentum, & res ſacramenti: Et ex vtroque apparet quòd hoc ſacramentum habet virtutem ad remiſſionem venialium peccatorum: nam hoc ſacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis: ſpiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis: Et ideo competit huic ſacramento vt remittat peccata venialia: vnde & Amb. dicit in lib. de Sacramentis quòd *iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*: res autem huius ſacramenti eſt charitas non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, per quod pec-

Digitized by Google

ċata venialia ſoluuntur : vnde manifeſtum eſt quòd virtute huius ſacramenti remittuntur peccata venialia. *3. p. q. 79. a. 4 in corp.*

Qu. 3. an per hoc Eucharistia Sacramentum præſeruetur homo à peccatis futuris, iuxta illud Ioan. 6. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd peccatum eſt quædam ſpiritualis mors animæ : vnde hoc modo præſeruatur aliquis à peccato futuro , quo præſeruatur à morte futura : quod quidem fit dupliciter : vno modo inquantum natura hominis interiùs roboratur contra interiora corruptiua ; & ſic præſeruatur à morte per cibum & medicinam : alio modo per hoc quòd præmunitur contra exteriores impugnationes : & ſic præſeruatur per arma quibus munitur corpus: vtroque autem modo hoc ſacramentum præſeruat à peccato: nam primùm quidem per hoc quòd Chriſto coniungit per gratiam , roborat ſpiritualem vitam hominis; tanquã ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina ; ſecundùm illud Pſalm. 103. *Panis cor hominis confirmat* , vt Auguſt. dicit ſuper Ioan. *Securus accede, panis eſt , non venenum :* alio modo inquantum eſt quoddam ſignum paſſionis Chriſti , per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem : vnde Chryſoſt. dicit ſuper Ioann. *Vt leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus terribiles effecti diabolo. 3. p. q. 79. a. 6, in corp.*

Qu. 4. vtrum Eucharistia diminuat fomitem concupiſcentiæ.

Reſp. D. Thomas ; dicendum quòd licèt hoc ſacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, inquantum auget charitatem, quia ſicut Auguſt. dicit in lib. 83. quæſtionum , *augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis* : directè autem confirmat cor hominis in bono ; per quod etiam præſeruatur homo à peccato. *3 p. q. 79. a. 7. ad 3.*

SACRILEGIVM.

Qu. 1. vtrum ſacrilegium ſit ſacræ rei violatio, iuxta illud D. Iſidori in lib. etymol. ſacrilegus dicitur ab eo quòd ſacra legit (ideſt furatur.)

REſp. D. Thomas , dicendum quòd ſacrum dicitur aliquid ex eo quòd ad diuinum cultum ordinatur : ſicut autem ex eo quòd aliquid ordinatur in finem bonum ſortitur rationem boni ; ita etiam ex hoc quòd aliquid deputatur ad cultum Dei efficitur quoddam diuinum : & ſic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum: & ideo omne illud quod ad irreuerentiam rerum ſacrarum pertinet , ad iniuriam Dei pertinet, & habet ſacrilegij rationem. *2. 2. q. 99. a. 1. in corp.*

Qu. 2. in quo ſenſu dicitur 17. q. 4. committunt ſacrilegium qui de Principis iudicio diſputant , dubitantes an is dignus ſit honore, quem Princeps elegerit.

Reſp. D. Thomas , dicendum

quòd ſecundùm Philoſophum in primo ethic. cap.2. bonum commune gentis eſt quoddam diuinum ; & ideo antiquitùs Rectores reipublicæ diuini vocabantur, quaſi diuinæ prouidentiæ miniſtri, ſecundùm illud Sap.6. *Cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis*: Et ſic per quandam nominis extenſionem illud quod pertinet ad irreuerentiam Principis (ſcilicet diſputare de eius iudicio, an oporteat ipſum ſequi) ſecundùm quandam ſimilitudinem Sacrilegium dicitur, *in eodem art. 1. ad 1.*

Quær. 3. quare ſubditur ibidem, ſi quis permiſerit Iudæos officia publica exercere, velut in ſacrilegum excommunicatio proferatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd populus Chriſtianus per fidem & Sacramenta Chriſti ſanctificatus eſt, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*: Et ideo 1. Petri 2. dicitur: *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*: Et ideo quod fit in iniuriam populi Chriſtiani, (ſcilicet quòd infideles ei præficiantur) pertinet ad irreuerentiam rei ſacræ: vnde rationabiliter ſacrilegium dicitur. *ibidem ad 2.*

Qu.4. an ſacrilegium ſit ſpeciale peccatum Religioni oppoſitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vbicunque inuenitur ſpecialis ratio deformitatis, ibi neceſſe eſt quòd ſit ſpeciale peccatum: quia ſpecies cuiuſlibet rei præcipuè attenditur ſecundùm rationem formalem ipſius, non autem ſecundùm materiam, vel ſubiectum: in ſacrilegio autem inuenitur ſpecialis ratio deformitatis: qua ſcilicet violatur res ſacra per aliquam irreuerentiam: & ideo eſt ſpeciale peccatum, & opponitur Religioni: ſicut enim Damaſcenus dicit in 4. lib. *purpura regalis indumentum facta, honoratur, & glorificatur; & ſi quis hanc perforauerit, morte damnatur*, quaſi contra Regem agens: ita etiam ſi quis rem ſacram violat, ex hoc ipſo contra Dei reuerentiam agit; & ſic per irreligioſitatem peccat. 2.2. q. 99. a. 2. *in corp.*

Qu. 5 quomodo ſicut dicitur 17. qu. 4. committunt ſacrilegium qui in diuinæ legis ſanctitatem aut neſciendo committunt, aut negligendo violant & offendunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi dicuntur ſacrilegium in Diuinæ legis ſanctitatem committere, qui legem Dei impugnant, ſicut hæretici, & blaſphemi, qui ex hoc, quòd Deo non credunt, incurrunt infidelitatis peccatum; ex hoc vero, quod diuinæ legis verba peruertunt, ſacrilegium incurrunt. *in eodem artic. 2. ad 1.*

Quær. 6. an ſpecies ſacrilegii conuenienter diſtinguantur ſecundùm res ſacras: & quodnam ſit grauius ſacrilegium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, peccatum ſacrilegij in hoc conſiſtit quòd aliquis irreuerenter ſe habet ad rem ſacram: debetur autem reuerentia rei ſacræ ratione ſanctitatis: & ideo

& ideo ſecundùm diuerſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreuerentia exhibetur, neceſſe eſt quòd ſacrilegij ſpecies diſtinguantur: tantò enim ſacrilegium eſt grauius, quantò res ſacra in quam peccatur, maiorem obtinet ſanctitatem.

Attribuitur autem ſanctitas, & perſonis ſacris (id eſt diuino cultui dedicatis) & locis ſacris, & rebus quibuſdam aliis ſacris: ſanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum Deo exhibet, dicitur enim Machab. 5. *non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit*: & ideo grauius peccatum eſt ſacrilegium, quo peccatur contra perſonam ſacram, quàm quo peccatur contra locum ſacrum. Sunt tamen in vtraque ſacrilegij ſpecie diuerſi gradus ſecundùm differentiam perſonarum, & locorum ſacrorum.

Similiter etiam, & tertia ſpecies ſacrilegij, quæ circa alias res ſacras committitur diuerſos habet gradus ſecundùm differentiam rerum ſacrarum, inter quas ſummum locum obtinent ipſa ſacramenta, quibus homo ſanctificatur, quorum præcipuum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, quod continet ipſum Chriſtum: & ideo ſacrilegium quod contra hoc ſacramentum committitur, grauiſſimum eſt inter omnia.

Poſt ſacramenta autem ſecundùm locum tenent vaſa conſecrata ad ſacramentorum ſuſceptionem, & ipſæ imagines ſacræ, & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo perſonæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur; deinde quæ pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & Miniſtrorum; deinde ea, quæ ſunt deputata ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſiue ſint mobilia, ſiue immobilia: quicunque autem contra quodcunque prædictorum peccat, crimen ſacrilegij incurrit. 2.2.q.99.a.3. *in corp.*

Qu. 7. vtrum omne peccatum perſonæ ſacræ ſit ſacrilegium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omne peccatum quod ſacra perſona committit materialiter quidem & quaſi per accidens eſt ſacrilegium: vnde Hieronymus dicit, quòd *nugæ in ore Sacerdotis ſacrilegium ſunt vel blaſphemia*: formaliter autem & propriè illud ſolum peccatum, ſacræ perſonæ ſacrilegium eſt, quod agitur directè contra eius ſanctitatem; putà ſi Virgo Deo dicata fornicetur. Et eadem ratio eſt in aliis. 2.2. q. 99. ar. 3. a. 3.

Qu. 8. an & quomodo ſacrilegium ſit luxuriæ ſpecies.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd actus vnius virtutis vel vitij ordinatus ad finem alterius aſſumit ſpeciem illius; ſicut furtum quod propter adulterium committitur, tranſit in ſpeciem adulterij: manifeſtum eſt autem quòd obſeruatio caſtitatis, ſecundùm quòd ordinatur ad cultum Dei, fit actus religionis; vt patet in illis qui vouent & ſeruant virginitatem, vt patet per Aug. in lib. de virginitate: vnde manifeſtum eſt quòd etiam luxuria ſecundùm quòd violat aliquid ad diuinum cultum pertinens, pertinet ad ſpeciem ſacrilegij: & ſecundùm hoc ſacri-

Digitized by Google

legium poteſt poni ſpecies luxuriæ. 2.2.q.154.a.10.

Qu. 9. quomodo ſacrilegium concurrat cum diuerſis luxuriæ ſpeciebus

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ibi enumerantur ea quæ ſunt ſpecies luxuriæ, ſecundùm ſe ipſa: ſacrilegium autem eſt ſpecies luxuriæ, ſecundùm quòd ordinatur ad alterius vitii finem, & poteſt concurrere cum diuerſis luxuriæ ſpeciebus: ſi enim aliquis abutatur perſonâ coniunctâ ſibi ſecundùm ſpiritualem cognationem, committit *ſacrilegium ad modum inceſtûs*: ſi autem abutatur virgine Deo ſacratâ, inquantum eſt ſponſa Chriſti, eſt *ſacrilegium per modum adulterij*; inquantum verò eſt ſub ſpiritualis patris cura conſtituta erit quoddam *ſpirituale ſtuprum*: Et ſi violentia inferatur erit ſpiritualis raptus qui etiam ſecundùm leges ciuiles grauiùs punitur quàm alius raptus: vnde Iuſtinianus Imperator dicit: *ſi quis non dicam rapere ſed attentare tantummodo matrimonij coniungendi causâ ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœnâ feriatur. ibid. ad 2. 4. ſent. diſt. 41. qu. 1. art. 4 qu. 2. ad 7.*

Qu. 10. quomodo ſacrilegium pertineat nedum ad luxuriam ſed etiam ad iniuſtitiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſacrilegium committitur in re ſacrata: res autem ſacrata, eſt vel perſona ſacrata quæ concupiſcitur ad concubitum: & ſic pertinet ad luxuriam: vel quæ concupiſcitur ad poſſidendum: & ſic pertinet ad iniuſtitiam: poteſt etiam ad iram pertinere ſacrilegium; putà ſi aliquis ex ira iniuriam inferat perſonæ ſacræ; vel ſi guloſè cibum ſacrum aſſumat, ſacrilegium committit: ſpecialiùs tamen ſacrilegium attribuitur luxuriæ quæ opponitur caſtitati; ad cuius obſeruantiam aliquæ perſonæ ſpecialiter conſecrantur. *Ibid. ad 3.*

Qu. 11. an ſit conueniens quòd ſacrilegi puniantur nedum per excommunicationem, & pœnam mortis, ſed etiam per pœnam pecuniariam, ſicut dicitur 17. qu. 4. ſi quis contumax vel ſuperbus fugitiuum ſeruum de atrio Eccleſiæ per vim extraxerit nongentos ſolidos componat: & ibidem poſtea ſubditur: quiſquis inuentus fuerit reus ſacrilegij, triginta libras examinati argenti componat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in pœnis infligendis duo ſunt conſideranda: primò quidem, æqualitas ad hoc quòd pœna ſit iuſta, vt ſcilicet *in quo quis peccat, per hoc torqueatur*, vt dicitur Sap. 11. & hoc modo conueniens pœna ſacrilegi, qui ſacris iniuriam infert, eſt excommunicatio; per quam à ſacris arcetur: ſecundò autem conſideratur vtilitas, nam pœnæ quaſi medicinæ quædam infliguntur, vt his territi homines à peccato deſiſtant: ſacrilegus autem qui ſacra non reueretur, non ſufficienter videtur à peccando arceri per hoc quòd ſacra ei interdicuntur, de quibus non curat: & ideo ſecundùm leges humanas adhibetur capitalis pœna: ſecundùm verò Eccleſiæ ſtatuta, quæ mor-

Digitized by Google

tem corporalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria, vt ſaltem pœnis temporalibus homines à ſacrilegiis reuocentur. 2.2.q.99. *ar. quarto in corp. qu. 154. art. 10. ad 2.*

SALVS.

Qu. 1. an ſit certiſſimum quòd diuina prouidentia omnibus prouidet de neceſſariis ad ſalutem, etiam illis qui in ſiluis vel inter bruta animalia nutriuntur.

RESp. D. Thomas, ad diuinam prouidentiam pertinet; vt cuilibet prouideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte eius non impediatur: ſi enim aliquis taliter nutritus ductum rationis naturalis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad ipſum dirigeret, ſicut Petrum ad Cornelium act. 10 *in qu. diſp. q.14. de fide ar. 11. ad 1. 2. 2.q.98.a.2.ad 4.2.2.q. 177. a. 1. in corp. & q.178. a.1. in corp. (1. ſent. diſt.48 a.3.ad 1.2.ſent.d 28.a.4. ad 4.) lect.3.ſuper cap.10.ad Rom.*

Qu. 2. an nedum Deus non deſit modo, ſed nec etiam vnquam defuerit homini in neceſſariis ad ſalutem niſi ex ipſius culpa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem nunquam Deus homini quærenti ſuam ſalutem deeſt, vel defuit, niſi ex culpa ſua remaneat: Vnde explicatio eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel diuinitùs homini prouidentur per prædicatorem fidei, ſicut patet de cornelio actuum 10. vel per reuelationem. 3.*ſent.d.25.q.2.ar.1. qu. 1.ad 1. & ad 2. (2.2. q. 174. art. 6. in corp.*

Qu. 3. an ſecundùm propriam voluntatem vnuſquiſque debeat principaliter inſiſtere propriæ ſaluti, ſecundùm verò diſpoſitionem ſuperiorum ſaluti aliorum.

Reſp. ſupra v. Epiſcopatus q.8.

Innumera alia teſtimonia ex ſancto Doctore colligi poſſent in hac materia, quæ ideo prætermittuntur; quia concernunt Theologiam ſcholaſticam potius quàm moralem.

SAPIENTIÆ DONVM.

Qu. 1. an, & quomodo ſapientia eſt donum Spiritus-ſancti.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſophum in principio metaph. ad ſapientem pertinet conſiderare cauſam altiſſimam: per quam certiſſimè de aliis iudicatur, & ſecundùm quam omnia ordinari oportet: cauſa autem altiſſima dupliciter accipi poteſt; vel ſimpliciter, vel in aliquo genere. Ille ergo qui cognoſcit cauſam altiſſimam in aliquo genere, & per eam poteſt de omnibus quæ ſunt illius generis, iudicare & ordinare, dicitur eſſe ſapiens in illo genere: vt in medicina, vel architectura: ſecundùm illud 1. ad cor. 3. *vt ſapiens architectus fundamentum poſui*: ille autem qui cognoſcit cauſam altiſſimam ſimpliciter, quæ eſt

Digitized by Google

Deus, dicitur ſapiens ſimpliciter, inquantum per regulas diuinas omnia poteſt iudicare & ordinare. Huiuſmodi autem iudicium conſequitur homo per Spiritum-Sanctum, ſecundùm illud 1. ad ad Cor. 2. *ſpiritualis iudicat omnia*, quia ſicut ibidem dicitur, *ſpiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*: vnde manifeſtum eſt quòd ſapientia eſt donum ſpiritûs ſancti. 2. 2. *q. 45. a. in corp. 3. ſen. diſt. 35. q. 2. a. qu. 1.*

Qu. 2. an, & quomodo ſapientia indicet de omnibus per connaturalitatem ad res diuinas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſapientia importat quandam rectitudinem iudicij, ſecundùm, rationes diuinas. Rectitudo autem iudicii poteſt contingere dupliciter. Vno modo ſecundùm perfectum vſum rationis; alio modo propter connaturalitatem quandam ad ea de quibus iam eſt iudicandum: ſicut de his quæ ad caſtitatem pertinent, per rationis inquiſitionem rectè iudicat ille qui didicit ſcientiam moralem; ſed per quandam connaturalitatem ad ipſam, rectè iudicat de eis ille qui habet habitum caſtitatis. Sic [illegible]ca res diuinas ex rationis inquiſitione rectum iudicium habere pertinet ad ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis: ſed rectum iudicium habere de eis ſecundùm quandam connaturalitatem ad ipſas, pertinet ad ſapientiam, ſecundùm quòd donum eſt Spiritûs-Sancti; ſicut Dionyſ. dicit in 2. cap. de Diuinis Nominibus quòd *Hierotheus eſt perfectus in diuinis, non ſolum diſcens, ſed & patiens diuina.* Huiuſmodi autem compaſſio, ſiue connaturalitas ad res diuinas fit per charitatem; quæ quidem vnit nos Deo, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*: Sic ergo ſapientia quæ eſt donum, cauſam quidem habet in voluntate, ſcilicet charitatem, ſed eſſentiam habet in intellectu, cuius actus eſt rectè iudicare. 2. 2. *q. 45. art. 2. in corp.*

Qu. 3. quare ſapientia non poteſt eſſe cum peccato mortali, ſicut dicitur ſap. 1. in maleuolam animam non introibit ſapientia; nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſapientia quæ eſt donum Spiritus-Sancti facit rectitudinem iudicii circa res diuinas, vel per regulas diuinas de aliis, ex quadam connaturalitate ſiue vnione ad diuina, quæ quidem eſt per charitatem (vt dictum eſt) & ideo ſapientia de qua loquimur, præſupponit charitatem: charitas autem non poteſt eſſe cum peccato mortali: vnde relinquitur quòd ſapientia de qua loquimur, non poteſt eſſe cum peccato mortali. *in eadem q. 45. a. 4. in corp.*

Qu. 4. quomodo ſapientia eſt in omni homine iuſto, ſecundùm illud ſap. 7. neminem diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſapientia de qua loquimur (ſicut dictum eſt) importat quandam rectitudinem iudicii circa diuina & conſpicienda & conſulenda: & quantùm ad vtrumque ex vnione

Digitized by Google

ad diuina ſecundùm diuerſos gradus aliqui ſapientiam ſortiuntur. Quidam enim tantùm ſortiuntur de recto iudicio tam in cōtemplatione diuinorum, quàm etiam in ordinatione humanarum rerum ſecundùm diuinas regulas, quantùm eſt neceſſarium ad ſalutem: & hoc nulli deeſt ſine peccato mortali exiſtenti per gratiā gratum facientem; quia ſi natura non deficit in neceſſariis, multo minùs gratia: vnde dicitur 1. Ioan. 2. *vnctio docet vos de omnibus*. Quidam autem altiori gradu percipiunt ſapientiæ donum, & quantùm ad contemplationem diuinorum, inquantùm ſcilicet altiora quædam myſteria & cognoſcunt, & aliis manifeſtare poſſunt; & etiam quantùm ad directionem humanorum ſecundùm regulas diuinas, inquantum poſſunt ſecundùm eas non ſolùm ſeipſos, ſed etiam alios ordinare: & iſte gradus ſapientiæ non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem; ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus diſtribuit prout vult; ſecundùm illud 1. ad Corinth. 12. *alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ &c. in ead. q. a. 5. & 1. 2. q. 68. a. 5. ad 1.*

Qu. 5. cur ſapientia dicitur à ſapore quaſi ſapida ſcientia: & quomodo ſicut dicitur Eccleſ. 6. ſapientia ſecundùm nomen ſuum eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſaporem ſapientia importat quantùm ad dilectionem præcedentem, non quantùm ad cognitionem ſequentem; niſi ratione delectationis quæ ipſam cognitionem in actu ſubſequitur. 3. *ſ. d.* 35. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1.

Qu. 6. an & quomodo dono ſapientiæ correſpondeat ſeptima beatitudo, ſcilicet beati pacifici, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de ſerm. Domini in monte: ſapientia conuenit pacificis: in quibus nullus eſt motus rebellis, ſed obtemperans rationi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſeptima beatitudo congruè adaptatur dono ſapientiæ, & quantùm ad meritum, & quantùm ad præmiū. Ad meritum quidem, pertinet quod dicitur, *beati pacifici*: pacifici autē dicuntur quaſi pacem facientes, vel in ſeipſis vel etiam in aliis: quorum vtrumque contingit per hoc quòd ea in quibus pax conſtituitur, ad debitum ordinem rediguntur: nam pax eſt *tranquillitas* ordinis, vt Auguſtinus dicit 19. de ciuit. Dei: ordinare autem pertinet ad ſapientiam, vt patet per Philoſ. in princ. metaph. & ideo eſſe pacificum conuenienter attribuitur ſapientiæ. Ad præmium autem pertinet quod dicitur, *filij Dei vocabuntur*: dicuntur autem aliqui filij Dei, inquantum participāt ſimilitudinem filij vnigeniti & naturalis, ſecundùm illud Rom. 8. *quos præſciuit conformes fieri imagini filij ſui*, qui quidem eſt ſapientia genita: & ideo participando donum ſapientiæ, ad Dei filiationem homo pertingit. 2. 2. *q.* 45. *a.* 6. 1. 2. *q.* 69. *a.* 3. & 4. 3. *ſ. d.* 34. *q.* 1. *a.* 4. & 6.

SATISFACTIO.

Quær. 1. *an ſicut ait D. Auguſtinus in lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus, ſatisfacere ſit peccatorum cauſas excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non præbere.*

RESp. D. Thomas, dicẽdum quòd iuſtitia non ad hoc tantùm tendit vt inæqualitatem præcedentem auferat puniendo culpam præteritam, ſed vt in futurum æqualitatem cuſtodiat: quia ſecundùm Philoſ. in 2. Ethic. pœnæ medicinæ ſunt: vnde & ſatisfactio, quæ eſt iuſtitiæ actus pœnam inferentis, eſt medicina curans peccata præterita, & præſeruans à futuris: & ideo quando homo homini ſatisfacit, & præterita recompenſat, & de futuris cauet.

Et ſecundùm hoc dupliciter poteſt ſatisfactio diffiniri. Vno modo reſpectu culpæ præteritæ, quam recompenſando curat: & ſic dicitur quòd ſatisfactio eſt iniuriæ illatæ recompenſatio ſecundùm iuſtitiæ æqualitatem, & in idem dicitur redire diffinitio Anſelmi, qui dicit quòd *ſatisfacere eſt Deo debitum honorem impendere*, vt conſideretur debitum ratione culpæ commiſſæ. Alio modo poteſt diffiniri ſecundùm quòd præſeruat à culpa futura, & ſic diffinit eam Auguſtinus. Præſeruatio autem à morbo corporali fit per ablationem cauſarum, ex quibus morbus conſequi poteſt; eis enim ablatis non poteſt morbus ſequi: ſed in morbo ſpirituali non eſt ita; quia liberum arbitrium non cogitur: vnde cauſis præcedentibus poteſt vitari, (quamuis difficulter) & cauſis amotis poteſt incurri: & ideo in ſatisfactionis diffinitione duo ponit; ſcilicet *abſciſſionem cauſarum*, quantùm ad primum; & *abſtinentiam liberi arbitrii à peccato*, quantùm ad ſecundum. 4. *ſ. d.* 15. *qu.* 1. *a.* 1. *qu.* 3. *in corp.*

Qu. 2. *an ſatisfactio fieri debeat per opera pœnalia, iuxta illud D. Gregorii homil.* 20. *in Euangelia: iuſtum eſt vt peccator tantò maiora ſibi inferat lamenta per pœnitentiam, quantò maiora intulit damna per culpam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſatisfactio reſpectũ habet ad præteritam offenſam, pro qua recompenſatio fit per ſatisfactionem; & etiam ad futuram culpam, à qua per eam præſeruamur: & quantùm ad vtrumque exigitur quòd ſatisfactio per opera pœnalia fiat: recompenſatio enim offenſæ importat adæquationem, quam oportet eſſe eius qui offendit, ad eum in quam offenſa commiſſa eſt: adæquatio autem in humana iuſtitia attenditur per ſubtractionem ab vno qui plus habuit iuſto, & additionem ad alterũ cui ſubtractum eſt aliquid; Deo autem quamuis quantùm ex parte ſui eſt, nihil ſubtrahi poſſit, tamen peccator quantùm in ipſo eſt, aliquid ei ſubtraxit peccando: Vnde oportet ad hoc quòd recompenſatio fiat, quòd aliquid ſubtrahatur à peccante per ſatisfactionem, quod in honorem Dei cedat: opus autem bonum ex hoc quòd eſt huiuſmodi, non ſubtrahit aliquid ſed magis perficit ipſum: vnde ſubtractio non poteſt fieri per opus

Digitized by Google

bonum, niſi pœnale ſit: & ideo ad hoc quòd aliquod opus ſit ſatisfactorium, oportet quòd ſit bonum vt in honorem Dei ſit, & pœnale vt aliquid peccatori ſubtrahatur. Similiter etiam pœna à culpa futura præſeruat; quia non facilè homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus eſt, vnde ſecundùm Philoſophum 2. Eth. *Pœna medicina ſunt. 4. ſent. d. 15. qu. 1. a. 4. queſt. 1. in corp.*

Quær. 3. an diminutio pœnalitatis quæ prouenit ex charitate iuxta illud 1. Ioan. 4. Charitas pœnam non habet, diminuat efficaciam ſatisfactionis, vel potius ipſam augeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut in ſatisfactione conſideratur pœnalitas, ita in merito cōſideratur difficultas: diminutio autem difficultatis ex parte ipſius actûs diminuit meritum cæteris partibus: ſed diminutio difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, ſed auget: Et ſimiliter diminutio pœnalitatis ex promptitudine volūtatis (quod facit charitas) non diminuit efficaciam ſatisfactionis, ſed auget. *ibid. ad 2.*

Qu. 4. vtrum conuenienter aſſignentur tria opera ſatisfactoria, ſcilicet eleemoſyna, ieiunium, & oratio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſatisfactio debet eſſe talis, per quam aliquid nobis ſubtrahamus ad honorem Dei: nos autem non habemus niſi tria bona, ſcilicet bona animæ, bona corporis, & fortunæ, ſcilicet exteriora; ex bonis quidem fortunæ ſubtrahimus aliquid nobis per eleemoſynam; ſed ex bonis corporalibus per ieiunium; ex bonis autem animæ non oportet quòd aliquid ſubtrahamus nobis quantùm ad eſſentiam, vel quantùm ad diminutionem ipſorum, quia per ea efficimur Deo accepti, ſed per hoc quòd ea ſubmittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem.

Competit etiam iſte numerus ex parte illa, quâ ſatisfactio peccatorum cauſas excidit: quia radices peccatorum tres ponuntur primæ Ioannis 2. *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; & contra concupiſcentiam carnis ordinatur ieiunium; contra concupiſcentiam oculorum, eleemoſyna; contra ſuperbiam vitæ, oratio, vt Auguſtinus dicit ſuper Matth.

Competit etiam quantùm ad hoc quod ſatisfactionis eſt, peccatorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum, vel in Deum committimus, & contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, & contra hoc eleemoſyna: vel in nos ipſos, & contra hoc ordinatur ieiunium. *4. ſ. d. 15. q. 1. a. 4. q. 3. in corp.*

Qu. 5. quomodo ad hæc tria opera reducantur ea omnia quæ ſunt ſatisfactoria, vt peregrinationes, & diſciplinæ ſiue flagellationes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad ieiunium refertur: & quidquid ad proximi vtilitatem expenditur, totum eleemoſynæ rationem habet: & ſimiliter quæcunque latria ex-

Digitized by Google

hibeatur Deo, orationis accipit rationem: & ideo etiam vnum opus poteſt habere plures rationes ſatisfaciendi. *ibidem ad 5.*

Qu. 6. an flagella, quibus à Deo in hac vita punimur, ſint ſatisfactoria, iuxta illud Roman. 5. tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, & vt Gloſſa ibidem dicit, à peccato purgationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd recompenſatio offenſæ præteritæ poteſt fieri, & ab eo qui offendit, & ab alio: quando autem fit ab alio, talis recompenſatio vindicationis magis quàm ſatisfactionis rationem habet: quando autem fit ab ipſo qui offendit, etiam rationem ſatisfactionis habet: vnde ſi flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipſius patientis, rationem ſatisfactionis accipiunt: fiunt autem ipſius, inquantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis vtens patienter: ſi autem ratio eis per impatientiam diſſentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipſius, & ideo non habet rationem ſatisfactionis, ſed vindicationis tantùm. 4. *ſent. d. 15. q. 1. a. 4. q. 2. in corp.*

Quær. 7. quomodo illa flagella ſint & meritoria & ſatiſfactoria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis illa flagella non ſint omnino in poteſtate noſtra, tamen quantùm ad aliquid ſunt: cùm ſcilicet eis patienter vtimur: & ſic homo facit de neceſſitate virtutem: vnde & meritoria & ſatisfactoria eſſe poſſunt. *ibidem ad 1.*

Qu. 8. an & quomodo qualibet oratio ſit ſatisfactoria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm quoſdam duplex eſt oratio: quædam quæ eſt contemplatiuorum, quorum conuerſatio in Cœlis eſt; & talis quia totaliter eſt delectabilis, non eſt ſatisfactoria: alia eſt quæ pro peccatis gemitus fundit; & talis habet pœnam, & eſt ſatisfactionis pars. Vel dicendum eſt meliùs, quòd qualibet oratio habet rationem ſatisfactionis: quia quamuis habeat ſuauitatem ſpiritûs, tamen habet afflictionem carnis; quia vt dicit Gregorius ſuper Ezechi. *dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis:* vnde & neruus femoris Iacob & Iucta Angeli emarcuiſſe legitur gen. 32. 4. *ſent. d. 15. q. 1. a. 4. q. 3. ad 1.*

Qu. 9. an pro quolibet peccato ſatiſfacere poſſimus per quodlibet opus ſatisfactorium; & præſertim per eleemoſynam, de qua dicitur Luc. 11. date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis ſingula iſtorum per quandam conuenientiam ſingulis peccatis approprientur: quia congruum eſt vt in quo quis peccauit, in hoc puniatur; & quòd peccati commiſſi per ſatisfactionem radix abſcindatur: tamen quodlibet horum pro quodlibet peccato ſatisfacere poteſt. Vnde ei qui non poteſt vnum ex his perficere, iniungatur aliud: & præcipuè eleemoſyna aliorum vices ſupplere poteſt,

Digitized by Google

teſt, Inquantum alia ſatisfactionis opera per eleemoſynam ſibi quiſque meretur quodammodo in illis quibus eleemoſynam tribuit. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 3. *ad* 3.

Qu. 10. *vtrum homo poſſit de vno peccato ſine alio ſatisfacere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt, quòd poteſt de vno peccato ſatisfieri ſine alio, vt Magiſter in littera dicit: ſed hoc non poteſt eſſe: Cùm enim per ſatisfactionem tolli debeat offenſa præcedens, oportet quòd talis ſit modus ſatisfactionis qui competat ad tollendam offenſam: offenſæ autem ablatio eſt amicitiæ reſtitutio: Et ideo ſi aliquid ſit quod amicitiæ reſtitutionem impediat, etiam apud homines ſatisfactio eſſe non poteſt: ergo cùm quodlibet peccatum amicitiam charitatis impediat, quæ eſt hominis ad Deum, impoſſibile eſt vt homo de vno peccato ſatisfaciat alio retento; ſicut nec homo ſatisfaceret qui pro alapa data ſe alteri proſterneret, & aliam eidem daret. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 1. *in corp.*

Qu. 11. *cur ille, qui vnum peccatum retinet, non ſufficienter per ſatisfactionem reſcindit cauſam alterius.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vnum peccatum ſuo pondere ad aliud trahit, vt Greg. dicit. Et ideo qui vnum retinet, non ſufficienter cauſas alterius peccati exſcidit. *ibidem ad.* 3.

Qu. 12. *vtrum opera extra charitatem facta poſſint eſſe ſatisfactoria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt quòd poſtquam omnia peccata per pœnitentiam & contritionem remiſſæ ſunt, ſi aliquis ante ſatiſfactionem peractam in peccatum decidat, & in peccato exiſtens ſatisfaciat, ſatisfactio ei valet; ita quòd ſi in peccato illo moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur. Sed hoc non poteſt eſſe: quia in ſatisfactione oportet quòd amicitiâ reſtitutâ iuſtitiæ æqualitas reſtituatur, cuius contrarium amicitiam ſoluit, vt Philoſ. in 8. Ethi. dicit: æqualitas autem in ſatisfactione ad Deum non eſt ſecundùm æqualitatem, ſed magis ſecundùm acceptationem ipſius: & ideo oportet quòd etſi iam offenſa ſit dimiſſa per præcedentem contritionem, opera ſatisfactoria ſint Deo accepta, quod dat eis charitas: & ideo ſine charitate opera facta non ſunt ſatisfactoria. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 1. *a.* 3. *qu.* 2. *in corp.*

Qu. 13. *cur homo neſcit pro certo an ſatisfecerit: & vtrum propter hunc metum debeat iterare ſatisfactionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut homo neſcit pro certo vtrum charitatem habuerit in ſatisfaciendo, vel habeat; ita etiam neſcit pro certo vtrùm ſatisfecerit: & ideo dicit Eccleſiaſticus, *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Non tamen exigitur quòd propter hunc metum homo ſatisfactionem expletam iteret, ſi conſcientiam peccati mortalis non habet: quamuis enim pœnam non expiet per huiuſmodi ſatisfactio-

nem, tamen non incurrit reatum omiſſionis ex ſatisfactione neglecta: ſicut nec ille qui accedit ad Euchariſtiam ſine conſcientia peccati mortalis, cui ſubiacet, reatum indignæ ſumptionis incurrit. *ibid. ad* 2.

Qu. 14. *an opera facta in ſtatu peccati poſſint poſtea reddi ſatisfactoria per charitatem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dixerunt quòd opera in charitate facta, quæ viua dicuntur, ſunt meritoria vitæ æternæ, & ſatisfactoria reſpectu pœnæ dimittendæ: & quòd opera extra charitatem facta viuificantur per charitatem quantùm ad hoc quòd ſunt meritoria vitæ æternæ. Sed hoc non poteſt eſſe: quia vtrumque habent ex eadem ratione opera ex charitate facta, ſcilicet ex hoc quòd ſunt Deo grata: Vnde ſicut charitas adueniens non poteſt ea gratificare quantùm ad vnum, ita nec quantùm ad aliud. 4. *ſent. d.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *quaſt.* 3. *in corp.*

Qu. 15. *vtrum ille qui opus ſatisfactorium facit in ſtatu peccati mortalis, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, quamuis non abſoluatur à pœna coram Deo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis non ſit abſolutus à pœna condignâ ſatisfactoriâ, abſolutus tamen eſt ab ea quæ iniuncta fuit ab homine: dicitur enim quis obligari ad pœnam peccati, vno modo ex ipſo peccati reatu: ſecundò ex præcepto Eccleſiæ quo pœnitens ligatur in abſolutione: quamuis autem ſatisfaciens in mortali iuxta præceptum Eccleſiæ à præcepto Eccleſiæ ſe abſoluat, non tamen à reatu pœnæ debitæ peccato excuſatur. 4. *ad Hannib. diſt.* 16. *a.* 2. *ad* 4.

Qu. 16. *quanam ex ſatisfactionibus factæ in ſtatu peccati, reiterari debeant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquæ ſatisfactiones ſunt, ex quibus manet aliquis defectus in ſatisfacientibus, etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſiit; ſicut ex ieiunio manet corporis debilitatio, ex eleemoſynis largitis diminutio ſubſtantiæ, & ſic de ſimilibus. Et tales ſatisfactiones in peccatis factæ non oportet quòd iterentur; quia quantùm ad id quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ ſunt. Satisfactiones autem quæ non relinquunt aliquem effectum in ſatisfaciente, poſtquam actus tranſiit, oportet quòd iterentur, ſicut eſt de oratione & ſimilibus, actus autem interior quia totaliter tranſiit, nullo modo viuificatur, ſed oportet quòd iteretur. 4. *ſ. d.* 15. *q.* 1. *a.* 3. *qu.* 3 *ad* 3.

Qu. 17. *an baptizatis iniungi debeant opera ſatisfactoria: & cur de originali peccato non debet fieri ſatisfactio.*

Reſp. v. Baptiſmus *qu.* 38. & v. Confeſſio *qu.* 16.

Qu. 18. *quomodo baptizatis iniungi poſſit ſatisfactio, ſine vlla tamen obligatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

Digitized by Google

quòd pœna temporalis iniungitur; vel vt ſatisfactoria, & hoc fit vt aliquis paſſioni Chriſti per imitationem conformetur: vnde vbi eſt conformitas per Sacramentum Bapriſmi, non iniungitur aliqua pœna ſatisfactoria: vel etiam iniungitur vt medicina præſeruans, & non ranquam debita. *3. ſ. d. 19. q. 1. a. 3. ad 1.*

Quær. 19. quomodo pro venialibus peccatis iniungatur ſatisfactio.

Reſp. v. Confeſſio *qu.* 17.

Quær. 20. an poſſit vnus pro alio ſatisfacere: Vtrum ad hoc minor pœnitentia requiratur. Et vtrùm permitti debeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœna ſatisfactoria eſt ad duo, ſcilicet ad ſolutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. Inquantum eſt ad remedium ſequentis peccati, ſic ſatisfactio vnius non prodeſt alteri; quia ex ieiunio vnius caro alterius non domatur; nec ex actibus vnius alius benè agere conſueuit, niſi ſecundùm accidens, inquantum aliquis per bona opera poteſt alteri mereri augmenrum gratiæ, quæ efficaciſſimum remedium eſt ad peccatum vitandum; ſed hoc eſt per modum meriti magis quàm per modum ſatisfactionis. Sed quantùm ad ſatisfactionem debiti vnus poreſt pro alio ſatisfacere, dummodo ſit in Charitare, vt opera eius ſatisfactoria eſſe poſſint.

Nec oportet quòd maior pœna imponatur ei qui pro altero ſatisfacit, quàm principali imponeretur; vt quidam dicunt hac ratione moti, quia pœna propria magis ſatisfacit quàm aliena: quia pœna habet vim ſatisfaciendi maximè ratione charitatis, qua homo ipſam ſuſtinet; & quia maior charitas apparet in hoc quòd aliquis pro altero ſatisfacit, quàm ſi ipſe ſatisfaceret; ideo minor pœna requirirur in eo qui pro altero ſatisfacit, quàm in principali requireretur.

Vnde dicitur in vitis patrum, quòd propter charitatem vnius, qui alterius fratris ſui charitate ductus pœnitentiam fecit pro peccato quod non commiſerat, alteri peccatum quod commiſerat dimiſſum eſt. Nec exigitur etiam quantùm ad ſolutionem debiti quòd ille pro quo fit ſatisfactio, ſit impotens ad ſatisfaciendum; quia etiam ſi eſſet potens, alio ſatisfaciente pro ipſo, ipſe à debito immunis eſſet. Sed hoc requiritur inquantum pœna ſatisfactoria eſt in remedium.

Vnde non eſt permittendum vt aliquis pro alio pœnitentiam faciat, niſi defectus aliquis appareat in pœnitente: vel corporalis per quem ſit impotens ad ſuſtinendum: vel ſpiritualis, per quem non ſit promptus ad portandum pœnam. *4. ſent. d. 20. q. 1. a. 2. q. 3. in corp. 3. contra gentes cap. 158. q. 29. de verit. a. 7. in corp. 3. p. q. 48. a. 2. ad 1.*

Quær. 21. an ſicut vnus poteſt pro alio ſatisfacere, ita poſſit pro illo conteri, vel confiteri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd contritio ordinatur, contra culpam, quæ ad diſpoſitionem bonitatis vel maliriæ hominis per-

tinet: & ideo per contritionem vnius alius à culpa non liberatur.

Similiter per confeſſionem homo ſe Sacramentis Eccleſiæ ſubiicit: non autem poteſt vnus Sacramentum pro alio accipere: quia in Sacramento gratia ſuſcipienti datur, non alij: & ideo non eſt ſimilis ratio de ſatisfactione, contritione, & confeſſione. 4. *ſent. d.20.q.1.a.2.q.3. ad 2. 4. ad han. d. 20.a.4.ad 2.*

Quær. 22. cur ſatisfactio facta pro altero ſit magis grata Deo quàm facta pro ſeipſo.

Reſp. D. Thomas, affectio charitatis in eo qui pro amico patitur, facit magis ſatisfactionem Deo acceptam, quàm ſi pro ſe pateretur. Hoc enim eſt promptæ charitatis, illud autem eſt neceſſitatis: ex quo accipitur quòd vnus pro alio ſatisfacere poteſt, dummodo vterque in charitate fuerit. Hinc eſt quòd Apoſt. dicit ad Gal. 6. *alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. 3. contra gentes cap. 158.*

Quær. 23. cur licèt ille qui alteri meretur ſibi etiam magis mereatur, nihilominus qui ſatisfacit pro altero, non ſatisfaciat pro ſeipſo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ſolutione debiti attenditur quantitas pœnæ; ſed in merito attenditur radix charitatis: & ideo ille qui ex charitate pro alio meretur; ſaltem merito congrui, ſibi magis meretur: non autem qui pro alio ſatisfacit, pro ſe ſatisfacit; quia illa quantitas pœnæ non ſufficit ad vtrumque peccatum: tamen ſibi meretur maius quid quàm ſit dimiſſio pœnæ; ſcilicet vitam æternam, *4.ſ.d. 20. q. 1. a.2.q.3.ad 3.*

Quær. 24. an ſi vnus pro alio ſe obliget ad ſatisfactionem, ipſe à debito liberetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ipſemet ad aliquam pœnitentiam ſe obligaſſet, non priùs à debito eſſet immunis, quàm eam ſoluiſſet: & ideo pœnam ipſe patietur, quandiu ille ſatisfactionem pro eo fecerit: quam ſi non fecerit, tunc vterque eſt debitor illius pœnæ, vnus pro commiſſo, alius pro omiſſo. *ibid. ad 4.*

Qu. 25. an & quomodo ſacerdos in virtute clauium poſſit tam ligare quàm ſoluere, tam reſpectu pœnæ quàm culpæ, atque ita ad ſatisfactionem obligare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd operatio ſacerdotis in vſu clauium eſt conformis Dei operationi, cuius miniſter eſt: Deus autem habet operationem & in culpam & in pœnam: ſed in culpam ad ſoluendum quidem directè, ad ligandum autem indirectè; inquantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur: ſed in pœnam habet operationem directè quantùm ad vtrumque: quia & pœnam ponit, & pœnam infligit. Similiter ergo Sacerdos, etſi in abſoluendo ex vi clauium habeat aliquam operationem ordinatam ad culpæ dimiſſionem modo iam dicto, non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam; ni-

ſi ligare dicatur, inquantum non abſoluit, ſed ligatos oſtendit : ſed in pœnam habet poteſtatem & ligandi, & ſoluendi : ſoluit enim à pœna quam dimittit, ſed ligat ad pœnam quæ remanet. Sed ad hanc ligare dupliciter dicitur: vno modo conſiderando ipſam quantitatem pœnæ in communi : & ſic non ligat niſi inquantum non ſoluit, ſed ligatum oſtendit : alio modo conſiderando pœnam imponendo eam. 4. *ſ. d.* 17. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 3. *in corp.*

Qu. 26. *an confeſſio & ſatisfactio ſit neceſſaria licèt tota pœna per contritionem remitti poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis tota pœna poſſit per contritionem dimitti, tamen adhuc neceſſaria eſt confeſſio & ſatisfactio : tum quia homo non poteſt eſſe certus de ſua contritione, quòd fuerit ad totum tollendum ſufficiens : tum quia confeſſio & ſatisfactio ſunt in præcepto, vnde tranſgreſſor conſtitueretur, ſi non confiteretur & ſatisfaceret. 4. *ſ. d.* 17. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 8.

Qu. 27. *an ſatisfactio obliget ſi præter motū diuinum iniungatur: & vtrum pœnæ in canonibus præſcriptæ ſint ſemper obſeruandæ, vel quandoque mutandæ, cùm D. Hieron. dicat, & refertur in decretis diſt. 1. de pœnit. cap.* (*menſuram autem*) *menſuram temporis in agendo pœnitentiam non ſatis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de ſingulis dicant, qualiter vnumquodque ſit emendandum : ſed magis arbitrio ſacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacerdos operatur in vſu clauium ſicut inſtrumentū & miniſter Dei : nullum autem inſtrumentum habet efficacem actum niſi ſecundùm quòd mouetur à principali agente : & ideo dicit Dionyſ. in fine Eccleſ. Hierarc. quòd *ſacerdotibus vtendum eſt virtutibus Hierarchicis, quando Diuinitas eos mouerit.* in cuius ſignum Matth. 16. ante poteſtatem clauium Petro traditam, fit mentio de reuelatione ei facta diuinitatis : & Ioan. 20. præmittitur poteſtati remiſſionis Apoſtolis traditæ Spiritus-Sancti donum, quo filij Dei aguntur : vnde ſi quis præter motum iſtum diuinum ſuâ poteſtate præſumpſerit, non conſequetur effectum, vt ibidem Dion. dicit: & propter hoc à diuino ordine auerteretur, & ſic culpam incurreret.

Et quia pœnæ ſatisfactoriæ infligendæ vt medicinæ ſunt, ſicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, ſed variandæ ſunt ſecundùm arbitrium medici non propriam voluntatem ſequentis, ſed medicinæ ſcientiam ; ita pœnæ ſatisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, ſed variandæ ſunt ſecundùm arbitrium Sacerdotis diuino inſtinctu regulatum : ſicut autem medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem ſufficiat, ne propter debilitatem naturæ maius periculum oriatur ; ita Sacerdos diuino inſtinctu motus non ſemper totam pœnam quæ vni peccato debetur iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ deſperet, & à pœnitentia totaliter recedat 4. *ſent. d.* 18. *q.* 1. *a.* 3. *q.* [illegible]

4. *in corp. d. 20. a. 2. q. 1. ad 1.*

Qu. 28. an pœna ſit taxanda iuxta quantitatem culpæ, ſecundùm illud Iſa. 27. in menſura contra menſuram cùm abiecta fuerit, iudicabo eam: & quanam conſideranda ſint à ſacerdote ſatisfactionem iniungente.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœna poſt dimiſſionem culpæ exigitur ad duo, ſcilicet ad debitum ſoluendum, & ad remedium præſtandum. Poteſt ergo taxatio pœnæ conſiderari quantùm ad duo. Primò quantùm ad debitũ, & ſic quantitas pœnæ radicaliter reſpondet quantitati culpæ, antequam de ea aliquid dimittatur: Sed tamen quantùm per primum eorum quæ nata sũt remittere poenam, plus remittitur, ſecundùm hoc per aliud minùs remittendum vel ſoluendum reſtat: quia quantò per contritionem plus de pœna dimiſſum eſt, tantò per confeſſionem minus dimittendum reſtat. Secundo quantùm ad remedium, vel illius qui peccauit, vel aliorum: & ſic quandoque pro minori peccato maior iniungitur pœna; Vel quia peccato vnius difficiliùs poteſt reſiſti quàm peccato alterius; Sicut iuueni pro fornicatione imponitur maior pœnitentia quàm ſeni, quamuis minùs peccet; vel quia in vno peccatum eſt periculoſius, ſicut in Sacerdote, quàm in alio; vel quia multitudo magis prona eſt ad aliquod peccatum, & ideo per pœnam vnius alij ſunt exterrendi.

Pœna ergo in foro pœnitentiæ, quantùm ad vtrumque taxanda eſt: Et ideo non ſemper pro maiori peccato maior pœnitentia imponitur. Sed pœna Purgatorij ſolùm eſt ad ſoluendum debitum, quia iam vlterius non manet locus peccandi: & ideo illa pœna taxatur ſolùm ſecundùm quantitatem peccati, conſideratâ tamen contritionis quantitate, & confeſſione, & abſolutione, quia per omnia hæc aliquid de pœna dimittitur: Vnde etiam à Sacerdote in iniugendo ſatisfactionem ſunt conſideranda. 4. *ſent. d. 20. q. 1. a. 2. quaſt. 1. in corp.*

Qu. 29. an ſit verum quòd pœna imponi debet ſeptem annorum pro quolibet mortali peccato.

Reſp. D. Thomas, hoc non eſt vniuerſaliter verum, quòd exigatur pro quolibet peccato mortali ſeptemnis poenitentia: ſed hoc eſt quaſi quædam regula communis, vt in pluribus competens: quam tamen oportet dimittere conſideratis diuerſis peccatorum circunſtantiis. *ib. d. ad 2.*

Qu. 30. cur Epiſcopo, vel Sacerdoti maior ſatisfactio ſecundùm Canones iniungatur quàm laico; v. g. laico pro homicidio iniungitur pœnitentia ſeptem annorum, Sacerdoti verò pro fornicatione pœnitentia decem annorum, quamuis homicidium ſit maius peccatum quàm fornicatio.

Reſp. v. Epiſcopus *qu. 39.*

Qu. 31. an ſemper ſit eadem efficacia abſolutionis, confeſſionis, & contritionis ſiue Sacerdos in ſatisfactionis iniunctione diſcretè ſe habeat, ſiue non.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd actus Miniſtri bonus vel malus nihil diuerſificat in efficacia Sacramentorum : vnde ſiue Sacerdos diſcretè ſe habeat in iniunctione poenitentiæ, ſiue non; nihil diuerſificatur quantùm ad efficaciam abſolutionis, & confeſſionis, & contritionis : Et ideo ſiue diſcretè poenitentiam iniungat, ſiue non , ſemper remanet reatus ad quantitatis eiuſdem poenam : Et ideo ſi eam hîc non explet, ab eo in purgatorio exigetur. 4. *d* 20. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2.

Qu. 32. an poſſit contingere quòd iniungatur ſatisfactio minor condigno, abſque culpa ſiue Sacerdotis, ſiue pœnitentis.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd quandocunque iniungitur poenitentia minor condigno, defectus eſt ex parte imponentis,vel ex parte recipientis : ſed quandoque poteſt eſſe ſine culpa vtriuſque ; ſicut quando imponens debitam diligentiam adhibet , & recipiens paratus eſt ad implendum : Et propter hoc non eſt inconueniens ſi totaliter à reatu poenæ non liberetur. *ibid. ad* 1.

Qu. 33. quomodo quatuor in ſatisfactione iniungẽda conſiderari debent: quandonam ſit conueniens quòd Sacerdos tolerabilem pœnitentiam iniungat indicando pœnitenti quanta foret imponenda : & vtrum ſatisfactio quæ vniuerſaliter ſub his verbis iniungi ſolet quidquid &c. ſit Sacramentalis.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd ſicut poteſt ſacerdos iniungere ſatisfactionem pœnitenti ex arbitrio alieno , ita & ex arbitrio ipſius pœnitentis , ſicut ſi dicat facias hoc , ſi potes , & ſi non potes, facias hoc : & ſimile videtur, cùm ſacerdos dicit , *quidquid boni feceris , ſit tibi in remiſſionem peccatorum.*

Videtur autem ſatis conueniens, quòd Sacerdos non oneret poenitentem graui pondere ſatisfactionis : quia ſicut paruus ignis à multis lignis ſuppoſitis de facili extinguitur , ita poſſet contingere, quòd paruus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter graue onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Vnde melius eſt, quòd Sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia eſſet ipſi pro peccatis iniungenda : & iniungat nihilominus aliquid quod poenitens tolerabiliter ferat : ex cuius impletione aſſuefiat , vt maiora impleat , quæ etiam Sacerdos iniungere non attentaſſet.

Et hæc quæ præter iniunctionem expreſſam facit , accipiunt maiorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali iniunctione , qua Sacerdos dicit , *quidquid boni feceris , ſit tibi in remiſſionem peccatorum :* vnde laudabiliter conſueuit hoc à multis Sacerdotibus dici : licèt non habeant maiorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram : & quantùm ad hoc talis ſatisfactio eſt ſacramentalis, inquantum virtute clauium eſt culpæ commiſſæ expiatiua. *quodlibeto 3. aliàs art. 28. nunc qu. 13. art. 1. 4. ſent. d. 20. q. 1. a. 2. quæſt. 2. ad 3.*

Quær. 34. quibus de cauſis excuſentur

Digitized by Google

confeſſarius iniungens ſatisfactionem minorem condigno.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacerdos minorem condigno poenitentiam iniungens non ſemper peccat: tum quia non poteſt determinatè quantitatem poenæ debitæ cognoſcere, quamuis aliquid propriè conſideratis regulis Patrum determinare poſſit; tum quia quandoque etiam ex induſtria minorem poenitentiam imponens plus prodeſt poenitenti quàm noceat, qui fortè magnitudine poenæ poſſet à poenitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de nouo recuperatæ; & ideo negligit minus damnum, vt maius euitet: & iterum paulatim confortatus in eo Diuinus amor ad plura poenitentiæ opera peragenda ipſum inuitabit propria ſponte, quàm Sacerdos eidem ſecundùm quantitatem peccatorum iniungere potuiſſet. 4. *ſent. d.* 20. *q.* 1. *a.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3.

Qu. 35. *an poſſit ſacerdos iniungere ingreſſum Religionis pro pœnitentia: & vtrùm Religio etiam leuiſſima ſit maior ſatisfactio quàm quæcunque pœnitentia etiam grauiſſima.*

Reſp. v. Religio q. 24. & 25.

Qu. 36. *an ſatisfactio quæ non ſufficeret de ſe ad expiandam pœnam, reddatur ſufficiens virtute Sacramenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſatisfactio non ſufficeret ad expiandum poenam peccati ex quantitate poenæ, quæ in ſatisfactione imponitur, ſed ſufficit inquantum eſt pars ſacramenti virtutem ſacramentalem habens: & ideo oportet quòd per diſpenſatores ſacramentorum imponatur: & ideo neceſſaria eſt confeſſio. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 3. *ar.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *art.* 3. *qu.* 1. *ad* 3.

Qu. 37. *an teneatur pœnitens implere ſatisfactionem ſibi iniunctam ſi ſit maior condigno.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poenitens, cui maior condigno poenitentia iniuncta eſt, tenetur eam explere ex Sacerdotis iniunctione, qui non ſolùm debitum poenæ conſiderat, ſed peccato remedium adhibet. 4. *ſent. d.* 20. *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 2. *ad* 2. *quodl.* 3. *art.* 28. *in corp.*

Qu. 38. *an & quomodo per pœnitentiam & ſatisfactionem homo liberetur à peccato.*

Reſp. D. Thomas, oportet quòd per contraria voluntas recedat à peccato his per quæ in peccatum inclinata fuit: Fuit autem inclinata in peccatum per appetitum & delectationem circa res inferiores. Oportet igitur quòd à peccato recedat per aliqua poenalia quibus affligatur propter hoc quòd peccauit. Sicut enim per delectationem tracta fuit voluntas ad conſenſum peccati, ſic per poenas confirmatur in abominatione peccati.

Item videmus quòd etiam bruta animalia à maximis voluptatibus retrahuntur per dolores verberum oportet autem eum, qui de peccato reſurgit, non ſolùm deteſtari peccatum præteritum, ſed etiam vitare

vitare futurum: eſt igitur conueniens vt affligatur pro peccato, vt ſic magis confirmetur in propoſito vitandi peccata.

Præterea, ea quæ cum labore & pœna acquirimus, magis amamus & diligentiùs conſeruamus; vnde il i qui per proprium laborem acquirunt pecunias, minùs eas expendunt quàm qui ſine labore accipiunt, vel à Parentibus, vel quocunque alio modo: ſed homini reſurgenti à peccato, hoc maximè neceſſarium eſt, vt ſtatum gratiæ & Dei amorem diligenter conſeruet, quem negligenter per peccatum amiſit: eſt ergo conueniens vt laborem & pœnam ſuſtineat pro peccatis commiſſis. 3. *contra gentes cap.* 158.

Qu. 39. quomodo vehementia amoris Dei & contritionis deleat omnem culpam & pœnam, ita vt non ſit neceſſaria ſatisfactio.

Reſp. D. Thomas, pœna quam quis patitur poſt peccati remiſſionem, ad hoc neceſſaria eſt (vt ex prædictis colligi poteſt) vt mens firmius bono inhæreat, homine per pœnas caſtigato; pœnæ enim medicinæ quædam ſunt: & vt etiam ordo iuſtitiæ ſeruetur dum qui peccauit, ſuſtinet pœnam: dilectio autem ad Deum, ſufficit mentem hominis firmare in bono; præcipuè ſi vehemens fuerit: diſplicentia autem culpæ præteritæ cùm fuerit intenſa, magnum affert dolorem: vnde per vehementiam dilectionis Dei, & odij peccati præteriti, excluditur neceſſitas ſatisfactoriæ vel purgatoriæ pœnæ: & ſi non fuerit tanta vehementia, quòd totaliter pœnam excludat, tamen quantò vehementius fuerit, tantò minus de pœna ſufficiet. *ibidem.*

Inter propoſitiones ab Alexandro 7. damnatas hæc eſt 15. pœnitens propriâ authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui ipſius pœnitentiam adimpleat.

Plures ex illis quæſtionibus, quæ habentur v. Contritio. Indulgentia. Pœnitentia. Suffragia. Satisfactionem quoque concernunt, vt conſideranti patebit.

SCANDALVM.

Qu. 1. an ſcandalum conuenienter diffiniatur, quòd eſt dictum vel factum minus rectum, præbens occaſionem ruinæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Hierony. dicit, *quòd Græcè ſcandalum dicitur, nos offenſionem vel ruinam vel impactionem pedis poſſumus dicere.* Contingit enim quòd quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cu. impingens diſponitur ad ruinam; & talis obex dicitur ſcandalum: & ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritualis contingit aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem per dictum vel factum alterius, inquantum ſcilicet aliquis ſua admonitione vel inductione aut exemplo alterum trahit ad peccandum: & hoc propriè dicitur ſcandalum: Nihil autem ſecundùm propriam rationem diſponit ad ſpiritualem ruinam, niſi ſecundùm quòd habet aliquem defectum rectitudinis; quia id quod eſt perfectè rectum, magis munit hominem contra caſum, quàm ad ruinam inducat:

Et ideo conuenienter dicitur, quòd *dictum vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ ſit ſcandalum*, 2. 2. q. 43. a. 1. *in corp.* 4. *ſent. d.* 38. *q.* 2. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. an conuenienter aſſignetur duplex ſcandalum, actiuum ſcilicet & paſſiuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd dictum vel factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi; vno modo per ſe; alio modo per accidens.

Per ſe quidem quando aliquis ſuo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiam ſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quòd de ſui ratione habet, quòd ſit inductiuum ad peccandum; putà cùm aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati: & tunc ille qui huiuſmodi actum facit, propriè dat occaſionem ruinæ, vnde vocatur ſcandalum actiuum.

Per accidens autem aliquod verbum vel factum vnius eſt alteri cauſa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis aliquis malè diſpoſitus ex huiuſmodi opere inducitur ad peccandum; putà cùm aliquis inuidet bonis aliorum & tunc ille qui facit huiuſmodi actum rectum, non dat occaſionem quantùm in ſe eſt, ſed alius ſumit occaſionem, ſecundùm illud ad Rom. 7. *Occaſione autem acceptâ* &c. Et ideo hoc eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo; quia ille, qui rectè agit, quantùm eſt de ſe non dat occaſionem ruinæ, quam alter patitur.

Quando ergo contingit, quòd etiam ſit ſimul ſcandalum actiuum in vno, & paſſiuum in altero; putà cùm ad inductionem vnius alius peccat: Quandoque verò ſcandalum actiuum ſine paſſiuo; putà cùm aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, & ille non conſentit: Quandoque verò eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo, ſicut iam dictum eſt. 2. 2. q. 43. *a.* 1. *ad* 4. 4. *ad Hannib. d.* 38. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 3. an & quando ſcandalum ſit peccatum mortale, vel veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, ſcandalum importat impactionem quandam, per quam aliquis diſponit ad ruinam.

Et ideo ſcandalum paſſiuum quandoque quidem poteſt eſſe peccatum veniale, quaſi habens impactionem tantùm; putà cùm aliquis ex inordinato dicto vel facto alterius commouetur motu venialis peccati: Quandoque verò eſt peccatum mortale, quaſi habens cum impactione ruinam: putà cùm aliquis ex inordinato dicto vel facto alterius procedit vſque ad peccatum mortale.

Scandalum autem actiuum, ſi ſit per accidens, poteſt eſſe quandoque quidem peccatum veniale; putà cùm aliquis vel actum venialis peccati, vel actum qui non eſt ſecundùm ſe peccatum, ſed habet aliquam ſpeciem mali, cum aliqua leui indiſcretione committit: Quandoque verò eſt peccatum mortale: ſiue quia committit actum peccati mortalis: ſiue quia contemnit ſalutem proximi, vt ſi pro

ea conſeruanda non prætermittat aliquis facere quod ſibi libuerit: Si verò ſandalum actiuum ſit per ſe, putà cùm intendit inducere alium ad peccandum, ſi quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, eſt peccatum mortale: & ſimiliter ſi intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis: ſi verò intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, eſt peccatum veniale. 2.2.*q*.43.*a*.4.*in corp*. 4. *ſ. d*. 38. *quaſt*. 2. *a*. 2. *quaſt*. 3. *in corp. ad Rom*. 14. *lect*. 2. & 3.

Quær. 4. an & quando ſcandalum actiuum ſit peccatum nedum veniale ſed etiam mortale, nedum ex ipſa natura operis ſed etiam ex proximi infirmitate.

Reſp. D. Thomas, actiuum ſcandalum poteſt accipi dupliciter: vno modo formaliter, quando ſcilicet eſt ſpeciale peccatum, ex hoc quòd intendit alium ſcandalizare: & ſic, ſi intendat proximum inducere in peccatum mortale, mortaliter peccat: ſi autem intendat inducere ad aliquod veniale, peccat venialiter, quantum pertinet ad rationem ſcandali; quia ſi intenderet ducere in peccatum veniale per actum mortalis peccati, peccaret mortaliter, ſed hoc accideret ſcandalo: alio modo materialiter, quando eſt circunſtantia peccati; quia non intenditur proximi nocumentum: & tunc idem iudicium eſt de ſcandalo, & de actu quo aliquis ſcandalizat; qui quandoque eſt veniale, quandoque mortale peccatum: niſi fortè eſſet veniale aut indifferens habens ſimilitudinem mortalis peccati: tunc enim ſcandalum actiuum eſſet peccatum mortale, cùm ex aliquibus circunſtantiis concurrentibus exiſtimari probabiliter poſſet quòd infirmi aſpicientes peccarent mortaliter. 4. *ſent. d*. 38. *q*. 2. *a*. 2. *quaſt*. 3.

Qu. 5. vtrum in ſolos puſillos ſiue imperfectos cadere poſſit ſcandalum, non autem in maiores ſiue perfectos, iuxta illud D. Hieronymus ſuper Matth. 18. qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, dicentis, nota quòd qui ſcandalizatur puſillus eſt; maiores enim ſcandala non recipiunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſcandalum paſſiuum importat quandam commotionem animi à bono in eo qui ſcandalum patitur: nullus autem commouetur, qui rei immobili firmiter inhæret: Maiores autem ſiue perfecti ſoli Deo inhærent, cuius eſt immutabilis bonitas, quia etſi inhæreant ſuis Prælatis non inhærent eis, niſi inquantum illi inhærent Chriſto, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 4. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: Vnde quantumcunque videant alios inordinatè ſe habere dictis vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt, ſecundùm illud Pſalm. 124. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Syon, non commouebitur in æternum qui habitat in Ieruſalem*. Et ideo in his qui perfectè Deo adhærent per amorem, ſcandalum non inuenitur, ſecundùm illud Pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. 2.2.*q*.43.*a*.5. *in corp*. 4. *ſ. d*. 38. *q*. 2. *a*. 3. *q*. 1.

Quær. 6. quomodo quandoque in viris etiam perfectis eſt appropinquatio ad ſcandalum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perfecti viri ex infirmitate carnis incidunt interdum in aliqua peccata venialia; non autem ex aliorum dictis vel factis ſcandalizantur ſecundùm veram ſcandalizationem: ſed poteſt eſſe in eis quædam appropinquatio ad ſcandalum, ſecundùm illud Pſal. 72. *mei pene moti ſunt pedes. 2. 2. q. 43. a. 5. ad 3.*

Qu. 7. cur Christus Matth. 18. ait, væ mundo à ſcandalis.

Reſp. D. Thomas, origenes ait: non ſunt diſcipuli Chriſti de hoc mundo; vnde non poteſt eis eſſe à ſcandalis vætnam etſi multa ſunt ſcandala, non tangunt eum qui non eſt de mundo. Si autem adhuc eſt de hoc mundo, propterea quòd diligit mundum & quæ ſunt in mundo, tanta ſcandala comprehendent eum, quantis eo, fuerat obligatus in mundo. *In catena aurea in expoſ. loci prædicti.*

Qu. 8. an poſſit in viris perfectis inueniri ſcandalum actiuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſcandalum actiuum propriè eſt cùm aliquis tale aliquid dicit vel facit, quod de ſe tale eſt vt alterum natum ſit inducere ad ruinam: quod quidem eſt ſolum illud quod inordinatè fit vel dicitur: ad perfectos autem pertinet ea quæ agunt, ſecundùm regulam rationis ordinare, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 14. *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis*: Et præcipuè hanc cautelam adhibent in his in quibus non ſolùm ipſi offenderent, ſed etiam aliis offenſionem pararent: & ſi quidem in eorum manifeſtis dictis vel factis aliquid ab hac moderatione deſit, hoc prouenit ex infirmitate humana ſecundùm quam à perfectione deficiunt: non tamen intantum deficiunt, vt multùm ab ordine rationis recedant, ſed modicum & leuiter: quod non eſt tam magnum, vt ex hoc rationabiliter poſſit ab alio ſumi peccandi occaſio. *2. 2. qu. 43. a. 6. in corp. 4. ſ. d. 38. q. 1. a. 3. qu. 2.*

Qu. 9. an bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda cùm dicat D. Gregorius ſuper Ezech. ſi de veritate ſcandalum ſumitur, vtiliùs naſci permittitur ſcandalum, quàm quòd veritas relinquatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm duplex ſit ſcandalum, actiuum ſcilicet & paſſiuum, quæſtio iſta non habet locum de ſcandalo actiuo; quia cùm ſcandalum actiuum ſit dictum vel factum minùs rectum, nihil eſt cum ſcandalo actiuo faciendum; habet autem locum quæſtio, ſi intelligatur de ſcandalo paſſiuo.

Conſiderandum eſt ergo quid ſit dimittendum, ne alius ſcandalizetur. Eſt autem in ſpiritualibus bonis diſtinguendum: nam quædam horum ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ prætermitti non poſſunt ſine peccato mortali: manifeſtum eſt autem quòd nullus debet mortaliter peccare, vt alterius

peccatum impediat, quia ſecundùm ordinem charitatis plus debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quàm alterius: Et ideo ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debent propter ſcandalum vitandum.

In his autem ſpiritualibus bonis quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, videtur diſtinguendum: quia ſcandalum quod ex eis oritur; quandoque ex malitia procedit; cùm ſcilicet aliqui volunt impedire huiuſmodi ſpiritualia bona, ſcandala concitando: & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabãtur, quod eſſe contemnendum Dominus docet Matthæi 15. Quandoque verò ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia: & huiuſmodi eſt ſcandalum puſillorum; propter quod ſunt ſpiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet; quouſque reddità ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet: ſi autem poſt redditam rationem huiuſmodi ſcandalum duret, iam videtur ex malitia eſſe; & ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittenda. *2.2. q. 43. a.7. in corp. q. 3. de virtutib. a. 1. ad 3. 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 1. & 2.*

Qu. 10. an temporalia bona ſint conſeruanda non obſtante ſcandalo, ſicut S. Thomas Cantuarienſis repetiit res Eccleſiæ cum ſcandalo Regis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa temporalia bona diſtinguendum eſt: Aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruandum pro aliis commiſſa, ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona cõmunia quibuſcunque Reipublicæ Rectoribus: & talium conſeruatio, ſicut & depoſitorum, imminet his quibus ſunt commiſſa ex neceſſitate: Et ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda; ſicut nec alia quæ ſunt de neceſſitate ſalutis.

Temporalia verò bona quorum nos ſumus Domini, dimittere: ea tribuendo, ſi penes nos ea habeamus; vel non repetendo, ſi apud alios ſint; propter ſcandalum, quandoque quidem debemus, quãdoque autem non: Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod eſt ſcandalum puſillorum, tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſcandalum eſt ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem: vnde Auguſtinus dicit in lib. 1. de ſermone Domini in monte, *dandum eſt quod nec tibi, nec alteri noceat, quantùm ab homine credi poteſt: & cùm negaueris quod petit, indicanda eſt ei iuſtitia, & melius ei aliquid dabis, cùm petentem iniuſtè, correxeris.*

Aliquando verò ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum, & propter eos qui ſic ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occaſio) & noceret rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent: vnde Gregorius dicit in moral. *Quidam dum temporalia nobis rapiunt, ſolummodo ſunt tolerandi: quidam verò æquitate ſeruatâ prohibendi: non ſolâ curâ, ne noſtra ſubtrahantur; ſed ne rapientes*

Digitized by Google

non ſua, ſemetipſos perdant. 2. 2. q. 43. a. 8. *in corp.* 4. *ſent d.* 38. q. 2. a. 4. *qu.* 3. *in corp.* 4. *ſ. d.* 38. q. 2. a. 4. q. 3. *ad Rom.* 14. *lect.* 3.

Qu. 11. *an & quando debeant Iudices ab actibus Iuſtitiæ ceſſare ad vitandum ſcandalum, iuxta Gloſſam D. Auguſtini ſuper parabolam de zizaniis, in qua dicitur, cum multitudo eſt in cauſa vel princeps, detrahendum eſt ſeueritati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iuſtitiæ actus eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt: dupliciter autem redditur vnicuique quod ſuum eſt: Vno modo quando datur ei illud quod ipſi directè vtile eſt, vt pecunia, vel argentum, vel aliquid huiuſmodi quod ſine peccato denegari non poteſt: vnde quantumcunque ſcandalum debeat ſequi, Iudex debet facere quòd ius ſuum iſti reddatur: Alio modo, quando opus iuſtitiæ, quod ad petitionem alicuius redditur, non directè cedit in bonum petentis, ſed magis in bonum Reipublicæ; ſicut patet in illatione poenarum, quibus pax in Republica conſeruatur malefactoribus repreſſis: Vnde ſi Iudex qui curam Reipublicæ gerit, videt ex inflictione poenæ maius incommodum Reipublicæ prouenire, poteſt poenam vel prætermittere, vel mitigare; nec alicui in hoc facit iniuriam, quia ipſe perſonam Reipublicæ gerit; & hoc etiam facere debet, quia ex officio tenetur vtilitati reipublicæ prouidere.

Hoc autem contingit præcipuè, quando Princeps vel aliqua multitudo eſt in cauſa, aut aliquis de cuius poena timetur ne ſchiſma ſequatur: Et ideo dicit Auguſtinus quòd *cum multitudine peccantium agendum eſt magis monendo, quàm minando: ſed ſeueritas exercenda eſt in peccata paucorum.* Sed hoc intelligendum eſt, quando ex diſſimulatione peccati Principis, vel etiam multitudinis, maius periculum non timetur quàm ex poena: Vnde ſi ex impunitate Principis, vel multitudinis fides & doctrinæ veritas & boni mores corrumpantur, non parcendum eſt Principi, nec multitudini: quod præcipuè contingit quando peccantes ſuum peccatum authoritate, aut poteſtate defendere moliuntur: Vnde Iſidorus dicit, *Hi qui neque à vitiis correctione emendantur, atque hoc ipſum delictum quod committunt, vindicare quadam ſuperſtitioſa temeritate nituntur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiant communionis.* 4. *ſent.* d. 38. q. 2. a. 4. q. 1. *ad* 1. 2. 2. q. 43. a. 7. *ad* 1.

Quæ. 12. *vtrum ille qui propoſitum habet vel fecit votum Religionis debeat illud implere non obſtante parentum ſcandalo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in eo, qui Religionem vult intrare, diſtinguendum eſt quia aut ſibi timet de periculo ſalutis imminente, ſi in ſæculo remaneat, & tunc debet omnibus modis obuiari periculo vitæ, ſcandalo non obſtante: ſi autem non immineat, & voto non obligatur, debet pro vitando iuſto ſcandalo parentum, quibus ſubuenire tenetur, ad tempus ſuſpendere propoſitum perfectionis, vt præceptum impleat pro ſuo tempore de honorandis parentibus, & poſtmodum

conſilium tempore magis idoneo, ſi autem ſcandalum propinquorum, vel aliorum ſit irrationabile, iam accedit ad ſcandalum Phariſæorum: vnde tunc propter ſcandalum non debet prætermittere bonum propoſitum. Sed ſi voto obligatus ſit, iam de conſilio factum eſt præceptum, & ideo nullo modo propter ſcandalum dimittere debet, quia hoc eſſe præiudicium veritatis vitæ. *4. ſ.d.38.q.2. a. 4. q.2.ad.2.*

Qu. 13. quandonam prædicatores & Doctores non obſtante ſcandalo munus ſuum exercere debent, exemplo Chriſti Domini de quo Iſa. 8. fuerat prophetatum quòd eſſet in lapidem offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſraël.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſalus multitudinis præferenda eſt paci quorumcunque ſingularium hominum: Et ideo quando aliqui ſuâ peruerſitate multitudinis ſalutem impediunt, non eſt timenda eorum offenſio à prædicatore, vel Doctore, ad hoc quòd multitudinis ſaluti prouideat: ſcribæ autem & Phariſæi & principes Iudæorum, ſuâ malitiâ plurimùm impediebant populi ſalutem; tum quia repugnabant Chriſti Doctrinæ, per quam ſola poterat eſſe ſalus: tum etiam quia prauis ſuis moribus vitam populi corrumpebant: Et ideo Dominus nonobſtante offenſione eorum, publicè veritatem docebat quam illi oderant, & eorum vitia arguebat: Et ideo dicitur Matth. 15. quòd diſcipulis Domino dicentibus, *ſcis quia Iudæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?* reſpondit? *Sinite illos; cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. 3. p. q. 42. a. 2. in corp.*

SCHISMA.

Qu. 1. an ſicut dicit D. Auguſtinus contra fauſtum, ſchiſma ſit eadem opinantem atque eodem ritu colentem, quo cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Iſidorus dicit in lib. Etymol. *nomen ſchiſmatis à ſciſſura animorum vocatum eſt?* ſciſſio autem vnitati opponitur: Vnde peccatum ſchiſmatis dicitur quod directè & per ſe opponitur vnitati: ſicut enim in rebus naturalibus id quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem, ita etiam nec in moralibus, in quibus id quod eſt intentum, eſt per ſe, quod autem ſequitur præter intentionem, eſt quaſi per accidens. Et ideo peccatum ſchiſmatis propriè eſt ſpeciale peccatum ex eo, quòd intendit ſe ab vnitate ſeparare, quam charitas facit, quæ non ſolùm alteram perſonam alteri vnit ſpiritualis dilectionis vinculo, ſed etiam totam Eccleſiam in vnitate ſpiritûs. Et ideo propriè ſchiſmatici dicuntur, qui propriâ ſponte & intentione ſe ab vnitate Eccleſiæ ſeparant, quæ eſt vnitas principalis: Nam vnitas particularis aliquorum ad inuicem ordinatur ad totius corporis vnitatem. Eccleſiæ autem vnitas in duobus attenditur, ſcilicet connexione membrorum Eccleſiæ ad inuicem, ſeu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Eccleſiæ ad vnũ caput ſecundùm illud ad Col.

2. *inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & constructum creſcit in augmentum Dei.* Hoc autem caput eſt ipſe Chriſtus, cuius vicem in Eccleſia gerit Summus Pontifex; & ideo ſchiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ ei ſubiectis communicare recuſant. 2. 2. *q.* 39. *a.* 1. *in corp.* 4. *ſ. d.* 13. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2.

Quær. 2. an quilibet non obediens præceptis Eccleſiæ poſſit dici ſchiſmaticus.

Reſp. D. Thomas, dicendùm quòd non obedire præceptis cum rebellione quadam cõſtituit ſchiſmatis rationem: dico autem cum rebellione, cùm & pertinaciter præcepta Eccleſiæ contemnit, & iudicium eius ſubire recuſat: hoc autem non facit quilibet peccator; vnde non omne peccatum eſt ſchiſma 2. 2 *q.* 39. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 3. quomodo ſchiſma diſponat ad vaniloquium, & ad hæreſim.

Reſp. D. Thomas, ſicut amiſſio charitatis eſt via ad amittendam fidem, ſecundùm illud 1. ad Timoth. 1. *à quibus quidam aberrantes*, ſcilicet à charitate, & aliis huiuſmodi, *conuerſi ſunt in vaniloquium:* Ita etiam ſchiſma eſt via ad hæreſim: vnde Hieron. ibid. ſubdit quòd *ſchiſma à principio aliqua in parte poteſt intelligi diuerſum ab hæreſi; cæterum, nullum ſchiſma eſt quod non ſibi aliquam hæreſim confingat, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.* 2. 2. *q.* 39. *a.* 1. *ad* 3. 4. *ſ. d.* 13. *q.* 2. *a* 1. *ad* 2.

Qu. 4. an ſchiſmatici poſſint conferre ſacramenta: & vtrum liceat ipſa ab eis petere vel recipere.

Reſp. v. Sacramentum *à qu.* 26. *vſque ad* 37.

Qu. 5. an ſit conueniens pœna ſchiſmaticorum, vt excommunicentur, conformiter ad id quod dicitur num. 16. recedite à tabernaculis hominum impiorum (qui ſcilicet ſchiſma fecerunt) & nolite tangere ea, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd *per quæ peccat quis, per hæc debet puniri*, vt dicitur Sap. 11. Schiſmaticus autem in duobus peccat; in vno quidem, quia ſeparat ſe à communicatione membrorum Eccleſiæ, & quantùm ad hoc conueniens pœna ſchiſmaticorum eſt, vt excommunicentur: In alio verò quia ſubdi recuſant capiti Eccleſiæ: Et ideo quia coërceri nolunt per ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ, iuſtum eſt vt poteſtate temporali coërceantur. 2. 2. *q.* 39. *a.* 4. *in corp.*

Qu. 6. in quo caſu ſupradicta duplex pœna debeat infligi ſchiſmaticis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœnæ præſentis vitæ ſunt medicinales: Et ideo quando vna pœna non ſufficit ad coërcendum hominem, ſuperadditur altera: ſicut & medici diuerſas medicinas corporales apponunt, quando vna non eſt efficax. Et ita Eccleſia, quando aliqui per excommunicationem ſufficienter non reprimun-

Digitized by Google

tur, adhibet correctionem brachij ſæcularis: ſed ſi vna pœna ſit ſufficiens, non debet alia adhiberi. 2.2. q.39.a.4.ad 3.

Qu. 7. cur ſicut dicit D. Aug. l. 3. contra Epiſtolam Parmeniani; vbi ſchiſmatis periculum timetur, à punitione peccatorum ceſſandum eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœnarum inflictio non eſt propter ſe expetenda, ſed pœnæ infliguntur vt medicinæ quædam ad cohibenda peccata: Et ideo intantum habent rationem iuſtitiæ, inquantum per eas peccata cohibentur: Si autem per inflictionem pœnarum manifeſtum ſit plura & maiora peccata ſequi, tunc pœnarum inflictio non continebitur ſub iuſtitia: Et in hoc caſu loquitur Aug. quando ſcilicet ex excommunicatione aliquorum imminet periculum ſchiſmatis: tunc enim excommunicationem ferre non pertinet ad veritatem iuſtitiæ, 2.2. q. 43.a.7.ad 1.

Qu. 8. an & quare ſchiſma eſt primum peccatum cuiuſcunque communitatis & radix omnium aliorum.

Reſp. ſupra v. *diſſenſio.*

Qu. 9. vtrum inter peccata quæ ſunt in proximum, peccatum ſchiſmatis ſit omnium maximum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Charitas habet duo obiecta, vnum principale, ſcilicet bonitatem diuinam; & aliud ſecundarium ſcilicet bonum proximi: ſchiſma autem & alia peccata quæ ſunt in proximum, opponuntur Charitati quantùm ad ſecundarium bonum, quod eſt minus quàm obiectum fidei, quod eſt ipſe Deus: Et ideo iſta peccata ſunt minora quàm infidelitas: ſed odium Dei quod opponitur Charitati: quantùm ad principale obiectum, non eſt minus: tamen inter peccata quæ ſunt in proximum, peccatum ſchiſmatis videtur eſſe maximum, quia eſt contra ſpirituale bonum multitudinis. 2.2.q.39.a.2.ad 3.

Qu. 10. cur peccatum blaſphemiæ punitum fuit ſimplici lapidatione, vt habetur leuit. 24. peccatum verò ſchiſmatis punitum fuit per inconſuetam mortem multorum, vt habetur num. 26. & quare ſchiſma eſt pernicioſiſſimum in rebus humanis.

Reſp. D. Thomas, pœnæ quæ in præſenti vita infliguntur ſiue à Deo, ſiue ab homine non ſemper reſpondent grauitati culpæ. Interdum enim minor culpa grauiori pœnâ punitur temporaliter, propter maius periculum euitandum; pœnæ enim præſentis vitæ quaſi medicinæ adhibentur. Peccatum autem ſchiſmatis pernicioſiſſimum eſt in rebus humanis, quia diſſoluit totum regimen humanæ ſocietatis. q.2. de malo a. 10. ad vlt.

SCIENTIÆ DONVM.

Qu. 1. quænam ſcientia ſit donum Spiritus Sancti: & vtrum in omnibus iuſtis reperiatur, cùm D. Auguſtinus 14. de Trinitate dicat, ſcientiâ non pollent fideles plurimi quamuis polleant ipſâ fide plurimum.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicēdum quòd circa credenda duplex ſcientia poteſt haberi: vna quidem, per quam homo ſcit quid credere debeat, diſcernens credenda à non credendis: Et ſecundùm hoc ſcientia eſt donum, & conuenit omnibus Sanctis: Alia verò eſt ſcientia circa credēda, per quam homo non ſolùm ſcit quid credi debeat, ſed etiam ſcit fidem manifeſtare, & alios ad credendum inducere, & contradictores conuincere: Et iſta ſcientia ponitur inter gratias gratis datas, quæ non dantur omnibus, ſed quibuſdam: vnde Auguſtinus poſt verba inducta, ſubiungit: *Aliud eſt ſcire tantummodo quid homo credere debeat, aliud ſcire quemadmodum hoc ipſum quod creditur, & piis opituletur, & contra impios defendatur*, 2. 2. q. 9. a. 1. ad 2.

Qu. 2. quomodo ſe inuicem iuuent ſcientia & pietas.

Reſp. D. Thomas, Gregorius dicit in 1. moral. *nulla eſt ſcientia, ſi vtilitatem pietatis non habet: & valde inutilis eſt pietas, ſi ſcientia diſcretione caret*. 2. 2. q. 9. art. 3. in 2. arg.

Qu. 3. quænam ſit Sanctorum ſcientia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut non quicunque intelligit, habet donum intellectus, ſed qui intelligit quaſi ex habitu gratiæ: Ita etiam de dono ſcientiæ eſt intelligendum, quòd illi ſoli donum ſcientiæ habeant, qui ex infuſione gratiæ rectum iudicium habent circa credenda, & agenda: ita quòd in nullo deuient à rectitudine iuſtitiæ: & hæc eſt ſcientiā Sanctorum, de qua dicitur Sap. 10. [illegible] *Dominus per vias rectas, &* [illegible] *Sanctorum*. 2. 2. q. 9. a. 3. ad 3. qu. 52. a. 2. 3. 5. d. 35. a. 3. qu. 2.

Qu. 4. quomodo ſicut D. Aug. dicit in lib. de ſermone Domini in monte, ſcientia conuenit lugentibus, qui didicerunt quibus malis vincti ſunt, quæ quaſi bona petierunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad ſcientiam propriè pertinet rectum iudicium creaturarum: Creaturæ autem ſunt, ex quibus homo occaſionaliter à Deo auertitur, ſecundùm illud Sap. 14. *Creaturæ factæ ſunt in odium, & muſcipulam pedibus inſipientium*; qui ſcilicet rectum iudicium de his non habent, dum æſtimant in eis eſſe perfectum bonum, vnde in eis finem conſtituendo peccant, & verum bonum perdunt. Et hoc damnum homini innoteſcit per rectum iudicium de creaturis, quod habetur per donum ſcientiæ: Et ideo beatitudo luctûs ponitur reſpondere dono ſcientiæ. 2. 2. q. 9. a. 4. in corp. qu. 121. a. 1. & 2. 3. ſ. diſtinct. 34. q. 1. a. 4. & 6.

Qu. 5. cur in hac beatitudine, quæ ſcientia dono correſpondet, ponitur luctus pro merito, & conſolatio pro præmio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd bona creata non excitant ſpirituale gaudium, niſi quatenus referuntur ad bonum diuinum, ex quo propriè contingit gaudium ſpirituale: & ideo directè quidem

ſpiritualis pax, & gaudium conſequens reſpondet dono ſapientiæ: Dono autem ſcientiæ reſpondet primò luctus de præteritis erratis, & conſequenter conſolatio, dum homo per rectum iudicium ſcientiæ creaturas ordinat in bonum diuinum: Et ideo in hac beatitudine ponitur luctus pro merito, & conſolatio conſequens pro præmio, quæ quidem inchoatur in hac vita, perficitur autem in futura. 2. 2. *q.* 9. *a.* 4. *ad* 1.

Qu. 6. cur ſcientia non attribuitur aliqua beatitudo pertinens ad contemplationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſcientiæ, ſecundùm quòd in ſpeculatione conſiſtit, non reſpondet beatitudo aliqua: quia beatitudo hominis non conſiſtit in conſideratione creaturarum, ſed in comtemplatione Dei. Sed aliqualiter beatitudo hominis conſiſtit in debito vſu creaturarum, & ordinata affectione circa ipſas: & hoc dico quantùm ad beatitudinem viæ: & ideo ſcientiæ non attribuitur aliqua beatitudo pertinens ad contemplationem, ſed intellectui & ſapientiæ, quæ ſunt circa diuina. *ibidem ad* 3.

SECRETVM.

Qu. 1. an Religioſus tenetur aliquod ſecretum fidei ſuæ commiſſum reuelare Prælato præcipienti, cùm ſicut dicit D. Bernardus, id quod eſt inſtitutum propter charitatem, non militet contra charitatem, atque ita profeſſio obedientiæ propter charitatem inſtituta, non debeat militare contra charitatem qua quibet tenetur ſeruare fidem proximo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Bernardus dicit in lib. de diſpenſatione & præcepto, ſufficiens obedientia eſt; vt Religioſus obediat ſuo Prelato de his quæ ad regulam pertinent: vel directè, ſicut ea quæ ſunt ſcripta in regula, vel indirectè, ſicut ea quæ ad hæc reduci poſſunt, ſicut miniſteria exhibenda fratribus, & pœnæ pro culpis inflictæ, & huiuſmodi: perfecta autem obedientia eſt, vt ſimpliciter in omnibus obediat, quæ non ſunt contra regulam, vel contra Deum: ſed quòd aliquis obediat Prælato in his quæ ſunt contra Deum, vel contra regulam, eſt obedientia incauta & illicita.

Eſt ergo conſiderandum in propoſito, vtrum ſit licitum religioſo ſecretum fidei ſuæ commiſſum reuelare. circa quod diſtinguendum eſt de ſecreto: eſt enim aliquod ſecretũ, quod illicitum eſt celare; ſicut quod in periculum vergit aliorum, quibus aliquis cauere tenetur: vnde & in iuramento fidelitatis continetur quòd huiuſmodi ſerui ſecreta debeant dominis reuelare.

Ad præceptum ergo Prælati tenetur Religioſus tale ſecretum pandere, etiamſi promiſit ſe nõ reuelare, dicente Iſidoro, *In malis promiſſis reſcinde fidem:* niſi fortè in confeſſione audierit; quia tunc nullo modo eſſet reuelandum. Eſt autem ſecretum, quod de ſe celari poteſt ſine peccato: & tale ſecretum Religioſus nullo modo Prælato præcipienti pandere debet, ſi ſit fidei ſuæ commiſſum; peccaret enim frangendo fidem commiſſi. *quodlibeto.* 1. *a.* 15. *in cor.*

Qu. 2. an & quando Prælatus vel Iudex præcipere poſſint reuelationem criminis ſecreti: & vtrum diſſimulare debeant quantùm poſſunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd præceptum alicui factum à Prælato ſuo de peccato alterius publicando in eo caſu, in quo publicari non debet, poteſt fieri vel in iudicio, vel extra iudicium: ſi extra iudicium, peccat præcipiens; nec ille cui præcipitur, obedire tenetur: ſi autē in iudicio ordine iuris exigente Iudex alicui præcipiat, vt peccatum ſuum, vel alterius confiteatur, non peccat præcipiendo; quia ipſe non exigit, ſed accuſans cui Iudex ius reddere debet: & tunc tenetur quis confiteri ad præceptum Iudicis peccatum ſuum, vel alterius; vel appellare, ſi contra ordinem iuris ei præcipiatur: & tunc publicans peccatum occultum vitat maius malum, ſcilicet diſciplinæ iuris eneruationem. tamen Iudex deberet diſſimulare quantùm poſſet, ne tale præceptum faceret ſaluo ordine iuris; & præcipuè in capitulo, vbi magis per æquitatem procedendum eſt, quàm ſecundùm rigorem iuris. 4. *ſent. d. 19. q. 2. a. 3. quaſtiunc. 1. ad 5.*

Qu. 3. vtrum accuſare de peccatis ſecretis ſit contra fidelitatem iuxta illud Prou. 1. qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd reuelare ſecreta in malum perſonæ eſt contra fidelitatem; non autem ſi reuelentur propter bonum commune, quod ſemper præferendum eſt bono priuato: Et ideo contra bonum commune, nullum ſecretum licet recipere. Nec tamen omnino eſt ſecretum quod per ſufficientes teſtes poteſt probari. 2. 2. *q.* 68. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 4. an & quando de peccatis ſecretis poſſit fieri denunciatio, vel ferri teſtimonium.

Reſp. ſupra v. Capitulum Religioſorum *qu.* 1. 2. & 3 Denunciatio. *qu.* 3. & 4. Prælatio *qu.* 13. & infra v. Teſtimonium.

Qu. 5. vtrum accipiens doctrinam alicuius experimenti ſub iuramento non communicandi teneatur ſeruare ſecretum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliter dicendum eſt hîc ſimpliciter, & aliter in caſu: ſimpliciter loquendo non tenetur, ſed malè fecit iurando: iuramentum enim non ſolùm amittit vim, quando iuramentum eſt illicitum, ſed etiam quando iurando peieratur: quia iuramentum obligans debet habere iudicium, iuſtitiam & veritatem: ſed etſi iuro quandoque aliquid quod licet mihi non facere (putà non ire ad Eccleſiam) non licet tamen iurare: quia licet ſit mihi licitum pro aliquo tempore facere vel dimittere huiuſmodi bonum quod eſt ad Eccleſiam ire, non tamen licet mihi iuramentum interponere, & animum obfirmare ad aliquod bonum non faciendum: quia hoc eſt facere contra Spiritum-Sanctum: Et ideo iuramentum contra omne

id quod eſt de genere bonorum eſt illicitum, & non ſeruandum: tamen in caſu ſeruare tenetur: putà ſi ille vel alius ſufficiens medicus præſens eſſet, & paratus eſſet curare, & vti illo experimento in ſalutem corporalem aliorum. quod. 12. *a.* 11. *in corp.*

Qu. 6. an ſi quis ſecretum acceperit ſub ſigillo confeſſionis extra ipſam confeſſionem, teneatur illud ſeruare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo non de facili debet recipere hoc modo: Si tamen recipiat, ex promiſſione tenetur hoc modo celare, ac ſi in confeſſione haberet: quamuis ſub ſigillo confeſſionis non habeat. 4. *ſ. d.* 21. *q.* 3. *a.* 1. *qu.* 2. *ad* 2.

SEDITIO.

Quar. an ſeditio ſit ex ſuo genere peccatum mortale, & quinam dicendi ſunt ſeditioſi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſeditio opponitur vnitati multitudinis, ideſt populi, Ciuitatis, vel Regni: dicit autem Auguſt. 2. de Ciuit. Dei, quòd *populum determinant ſapientes non omnem cœtum multitudinis, ſed cœtum iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatum.* Vnde manifeſtum eſt vnitatem, cui opponitur ſeditio, eſſe vnitatem iuris, & communis vtilitatis. Manifeſtum eſt ergo quòd ſeditio opponitur iuſtitiæ, & communi bono: Et ideo ex ſuo genere eſt peccatum mortale; & tantò grauius, quantò bonum commune quod impugnatur per ſeditionem, eſt maius quàm bonum priuatum quod impugnatur per rixam.

Peccatum autem ſeditionis primò quidem & principaliter pertinet ad eos qui ſeditiones procurant, qui grauiſſimè peccant: Secundò autem ad eos qui eos ſequuntur, perturbantes bonum commune. Illi verò qui bonum commune defendunt, eis reſiſtentes, non ſunt dicendi ſeditioſi; ſicut nec illi qui ſe defendunt, dicuntur rixoſi. 2. 2. *q.* 42. *a.* 2. *in corp.*

Videatur ſupra v. diſcordia, & v. diſſenſio.

SENSVALITAS.

Quar. 1. an primi motus ſenſualitatis ſint peccata.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd motus importat inclinationem quamdam ad terminum: quæ quidem inclinatio pertinet ad appetitum in humanis actibus. Eſt autem in homine triplex appetitus: vnus quidem naturalis ſecundùm quòd vis appetitiua pertinet ad animam vegetabilem, ſicut & vis digeſtiua, & expulſiua, & retentiua: ſecundus appetitus eſt ſenſualitatis, qui mouetur ſecundùm apprehenſionem ſenſus: tertius appetitus eſt voluntatis, qui mouetur ſecundùm iudicicium rationis.

Peccatum, quod habet rationem culpæ, de quo nunc loquimur, non poteſt eſſe niſi in actu voluntario, qui ſcilicet eſt aliqualiter in poteſtate peccantis: actus autem appetitus naturalis non ſubiace imperio rationis, ſicut nec a-

Digitized by Google

ctus aliarum potentiarum vegetabilis animæ, & ideo in actu talis appetitus non poteſt conſiſtere culpa, ſicut quòd homo eſuriat vel ſitiat, abſque culpa eſt: & idem dicendum eſt in aliis huiuſmodi. Sed actus appetitus ſenſitiui ſubiacet imperio rationis, quia ratio præueniens ipſum poteſt eum imperare, vel etiam impedire; & ideo talis motus poteſt iam habere rationem culpæ; & ſi ſequatur iudicium rationis, poterit etiam eſſe peccatum mortale, ſicut & motus exteriorum membrorum imperati à ratione; ſi autem præueniat iudicium rationis, eſt quidem peccatum, ſi tendat in aliquid illicitum, quia in poteſtate hominis fuit ipſum cohibere, eſt tamen veniale peccatum, & leuiſſimum, vt patet per Auguſtinum 12. de Trinit. & hoc dicitur primus motus peccati. Motus autem ſuperioris appetitus ideſt voluntatis conſequens iudicium rationis, iam poteſt eſſe peccatum mortale. *quodlib. 4. a. 21. in corp. 2. ſ. d. 24. q. 3. a. 2. in corp. d. 41. q. 2. a. primo ad quintum.*

Quær. 2. vtrum in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum nedum veniale ſed etiam mortale.

Reſp. D. Thomas, quòd ſenſualitas quandoque mouetur abſque imperio rationis & voluntatis: & tunc peccatum dicitur eſſe in ſenſualitate: ſed tamen hoc peccatum non poteſt eſſe mortale, ſed veniale tantùm: peccatum enim mortale eſt per auerſionem à fine vltimo, in quem ordinat ratio, ſed ſenſualitas ad illud attingere non poteſt; Vnde in ſenſualitate non poteſt eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantùm: cùm enim motus ſenſualitatis imperatur à ratione, vt patet in eo qui vult concupiſcere aliquid mortalium, talis motus eſt peccatum mortale, ſed non attribuitur ſenſualitati, ſed rationi imperanti. *q. 7. de malo a. 6. in corp. 1. 2. qu. 74. a. 4.*

Qu. 3. an motus ſenſualitatis indeliberatus imputetur ad peccatum, cùm Philoſ. 9. ethic. dicat, hoc ſolum videmur nos ipſi facere, quod cum deliberatione rationis facimus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod homo facit ſine deliberatione rationis, non perfectè ipſe facit; quia nihil operatur ibi id quod eſt principale in homine, vnde non eſt perfectè actus humanus, & per conſequens non poteſt eſſe perfectè actus virtutis, vel peccati, ſed aliquid imperfectum in genere horum: vnde talis motus ſenſualitatis rationem præueniens eſt peccatũ veniale, quod eſt quiddam imperfectum in genere peccati. *1. 2. q. 74. a. 3. ad 3.*

Qu. 4. an peccatum ſit in ſenſualitate propter rationis conſenſum: & cur ille conſenſus qui ſufficit ad peccatum non ſufficit ad meritum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non dicitur eſſe peccatum in ſenſualitate propter interpretatiuum conſenſum rationis, quando enim motus ſenſualitatis præuenit iudicium rationis non eſt conſenſus, nec interpretatus, nec expreſſus, ſed ex hoc ipſo quòd ſenſualitas eſt ſubiicibilis rationi, actus eius quamuis rationem præ-

Digitized by Google

ſentiat, habet rationem peccati. Tamen ſciendum quòd & ſi aliquando conſenſus interpretatus ſufficiat ad peccatum, non tamen oportet quòd ſufficiat ad meritum: plura enim requiruntur ad bonum quàm ad malum, cùm malum ex ſingularibus defectibus contingat, bonum autem ex tota & integra cauſa, vt Dionyſius dicit 4. cap. de diuinis nominibus. *q.15. de veritate a. 5. ad 5.*

Qu. 5. in quo ſenſu D. Aug. 12. de Trinit. dixit, quòd ſenſualitas eſt perpetua corruptionis quamdiu in hac mortali vita viuimus, vnde per ſerpentem ſignificatur: & vtrum homo vitare poſſit omnes & ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perpetua corruptio ſenſualitatis eſt intelligenda quantùm ad fomitem, qui nunquam totaliter tollitur in hac vita: tranſit enim peccatum originale reatu & remanet actu: ſed talis corruptio fomitis non impedit quin homo rationabili voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis ſi præſentiat, putà diuertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud diuertit, poteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere; ſicut cùm aliquis tranſfert cogitationem ſuam à delectationibus carnis volens concupiſcentiæ motus vitare, ad ſpeculationem ſcientiæ, inſurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ inpræmeditatus: & ideo non poteſt homo vitare omnes huiuſmodi motus propter corruptionem prædictam; ſed hoc ſolum ſufficit ad rationem peccati voluntarij, quòd poſſit vitare ſingulos. 1. 2. *q. 74. a. 3. ad 2. 2. ſ. d. 24. qu. 3. a. 2, quodl. 4. a. 21.*

Qu. 6. cur rebellio partis inferioris ad ſuperiorem ſiue ſenſualitas minui quidem poſſit per virtutes, ſed non totaliter auferri niſi per gratiam Dei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tota rebellio iraſcibilis & cócupiſcibilis ad rationem tolli non poteſt per virtutem, cùm ex ipſa ſui natura iraſcibilis & concupiſcibilis in id quod eſt bonum ſecundùm ſenſum, quandoque rationi repugnet: licèt hoc poſſit fieri diuinâ virtute, quæ potens eſt etiam naturas immutare. Nihilominus tamen per virtutem minuitur illa rebellio: inquantum prædictæ vires aſſueſiunt, vt rationi ſubdantur, vt ſic ex intrinſeco habeant id quod ad virtutem pertinet, ſcilicet ex Dominio rationis ſuper eas, ex ſeipſis autem retineant aliquid de motibus propriis, qui quandoque ſunt contrarij rationi *q. 1. de virtut. a. 4. ad 7.*

Quædam alia ſenſualitatem concernunt quæ omittuntur quia pertinent ad Theologiam Scholaſticam.

SEPVLTVRA.

Qu. 1. ad quid inſtituta ſit ſepultura.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſepultura adinuenta eſt & propter vivos & propter mortuos: propter viuos quidem, ne eorum oculi turpitudine cadaverum offendãtur, & corpora fœtoribus in-

ficiantur; & hoc quantum ad corpus: ſed ſpiritualiter etiam prodeſt viuis, inquantum per hoc aſtruitur reſurrectionis fides: ſed mortuis proſunt ad hoc quòd inſpicientes ſepulcra memoriam retinent defunctorum, vt pro defunctis orent: Vnde & monumentum à memoria nomen accepit: Dicitur enim monumentum, quia monet mentem, vt dicit Aug. in 1. de ciu. & in lib. de cura pro mortuis agenda. 4. *S. d.* 45. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 3. *in c.*

Qu. 2. ad quid proſit ſepultura in loco ſacro.

Reſp. D. Thomas, ſepultura in loco ſacro mortuo prodeſt, non quidem ex ipſo opere operato, ſed magis ex ipſo opere operante; dum ſcilicet vel ipſe defunctus, vel alius corpus eius tumulari in loco ſacro diſponens, patrocinio alicuius ſancti eum committit, cuius precibus per hoc credendus eſt adiuuari; & etiam patrocinio eorum qui loco ſacro deſeruiunt; qui pro apud ſe tumulatis frequentiùs & ſpecialiùs orant. *ibid.*

Qu. 3. an proſint ea quæ ad ornatum ſepulturæ exhibentur.

Reſp. D. Thomas, illa quæ ad ornatum ſepulturæ exhibentur, proſunt quidem viuis inquantum ſunt viuorum ſolatia; ſed poſſunt & defunctis prodeſſe, non quidem per ſe, ſed per accidens: inquantum ſcilicet per huiuſmodi homines excitantur ad compatiendum, & per conſequens ad orandum: vel inquantum ex ſumptibus ſepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Eccleſia decoratur. ſic enim Tobiæ 4. ſepultura inter cæteras eleemoſynas computatur. *ibid.*

Qu. 4. in quo ſenſu verum ſit quòd D. Damaſcenus in ſermone de dormientibus ex D. Athanaſio dixit: ne renue oleum & ceras Dominum inuocans in ſepulcro accendere: accepta enim iſta ſunt Deo, & multam ab eo recipientia retributionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oleum & cera ad ſepulcra defunctorum perlata per accidens defuncto proſunt; vel inquantum Eccleſiæ offeruntur, ſiue pauperibus dantur; vel inquantum huiuſmodi in reuerentiam Dei fiunt: vnde verbis præmiſſis ſubiungitur: *oleum enim & cera holocauſtum ſunt. ibidem ad 1.*

Qu. 5. an ſepultura vendi poſſit ſine Simonia: & quomodo Abraham emit ab Ephron ſpeluncam duplicem in ſepulturam, vt habetur Geneſ. 23.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd venditio ſepulturæ poteſt intelligi dupliciter: vno modo, quòd vendatur terra ſacra in ſepulturam: & de hoc eſt ſimilis ratio, ac de venditione ſacrorum vaſorum: quia cæmeterium conſecratum poteſt vendi ratione terræ in neceſſitatem Eccleſiæ, ſicut & calix ratione materiæ: non autem poteſt vendi ratione conſecrationis: vt ſcilicet aliquis pro pecunia ibi ſepeliatur. Abraham autem non peccauit emens ſpeluncam

eam duplicem : quia ſpelunca illa non erat conſecrata in ſepulturam : vel ſi erat conſecrata, tranſiuit poſſeſſio eius in iuriſdictionem cum vniuerſitate agri. Hemor autem reprehenditur, quia decidit à bona intentione, quàm priùs habuit volens gratis dare; cùm poſtea eam cariſſimè vendiderit : vel (vt quidam dicunt) Abraham non peccauit redimens ius quod habebat ſepeliendi mortuū; quod quamuis ei Ephron non denegaret, tamen ſciebat Abraham, quòd ille moleſtè acciperet, niſi pretium daretur. Sed primum melius videtur.

Alio modo dicitur vendi ſepultura, ſi pro officio, quod à Sacerdotibus in ſepultura funeris dicitur, aliquid exigatur : & hoc non licet, ut ex dictis patet : Tamen ſi conſuetudo eſt quòd aliquid detur, poteſt per ſuperiorem correctio adhiberi in illos, qui denegant dare, quod conſuetudo expoſcit. 4. *ſent. d.* 25. *q.* 3. *a.* 2. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *ad* 3.

SIMONIA.

Qu. 1. *an Simonia ſit ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, iuſta illud D. Gregorij in Regiſtro, altare, vel decimas, vel Spiritum Sanctum emere, vel vendere Simoniacam hæreſim eſſe nullus fidelium ignorat.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd actus aliquis eſt malus ex genere, eo quòd cadit ſuper materiam indebitam : emptionis autem, & venditionis eſt materia indebita res ſpiritualis, triplici ratione.

Primò quidem, quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari, vt de ſapientia dicitur Prouerb. 3. *Pretioſior eſt cunctis opibus : & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari*: Ideo etiam Petrus in ipſa ſui radice ſimonis prauitatem condemnans dixit, *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſidere.*

Secundò, quia id non poteſt eſſe debita venditionis materia, cujus venditor non eſt Dominus : Prælatus autem Eccleſiæ non eſt dominus ſpiritualium rerum, ſed diſpenſator, ſecundùm illud 1. ad corinth. 4. *ſic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Tertiò quia venditio repugnat ſpiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt: Vnde & dominus dicit Matthæi 10. *Gratis accepiſtis, gratis date* : & ideo aliquis, emendo vel vendendo rem ſpiritualem, irreverentiam exhibet Deo & rebus Diuinis : propter quod peccat peccato irreligioſitatis. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *in corp.* 4. *ſent. d.* 25. *q.* 3. *ar.* 1. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

Qu. 2. *quid intelligatur nomine emptionis, & venditionis importata per ſimoniam : & vtrum in permutatione beneficiorum ſit Simonia.*

Reſp. ſupra V. permutatio.

Qu. 3. *an ſemper ſit illicitum pro ſacramentis pecuniam dare, iuxta illud quod habetur in decretis* 1. *quæſt.* 1. *qui pro pecunia quemquam conſecrauerit, alienus ſit à Sacerdotio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſacramenta nouæ legis ſunt maximè ſpiritualia, inquantum ſunt cauſa ſpiritualis gratiæ, quæ pretio æſtimari non poteſt; & eius rationi repugnat, quod non gratuitè detur. diſpenſantur autem ſacramenta per Eccleſiæ miniſtros, quos oporret à populo ſuſtentari, ſecundùm illud Apoſt. 1. ad cor. 9. *neſcitis quoniam, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſeruiuet, cum altari participant.*

Sic ergo dicendum eſt quòd accipere pecuniam pro ſpirituali ſacramentorum gratia eſt crimen ſimoniæ, quod nulla conſuetudine poteſt excuſari; quia conſuetudo non præiudicat iuri naturali vel diuino: per pecuniam autem intelligitur omne illud, cuius pretium poteſt pecuniâ æſtimari, ut Philoſophus dicit in 3. Eth. Accipere autem aliqua ad ſuſtentationem eorum qui ſacramenta Chriſti miniſtrant, ſecundùm ordinationem Eccleſiæ,& conſuetudines approbatas,non eſt ſimonia, neque peccatum: non enim ſumitur tanquam pretium mercedis, ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis: vnde ſuper illud primæ ad Timoth. 5. *qui bene præſunt presbyteri &c.* dicit gloſa Auguſtini. *Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino 2. 2. q. 100. ar. 2. in corp. 4. ſent. d. 25. qu. 3. a. 2. quæſtiunc. 1. in corp.*

Qu. 4. vtrum abſque Simonia poſſet dari pretium Sacerdoti, quando nollet aliter conferre baptiſmum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in caſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare: & quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem eſt habendum, ſi ſacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret: unde ille qui gerit curam pueri, in tali caſu, licitè poteſt eum baptizare; vel à quocumque alio facere baptizari.

Poſſet tamen licitè aquam à Sacerdote emere, quæ eſt purum elementum corporale.

Si autem eſſet adultus, qui baptiſmum deſideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet ſine pretio baptizare, deberet (ſi poſſet) per alium baptizari: quòd ſi non poſſet ad alium habere recurſum, nullo modo deberet pretium pro baptiſmo, dare, ſed potiùs abſque baptiſmo decedere; ſuppleretur enim ei ex baptiſmo flaminis, quod ei ex ſacramento deeſſet. 2. 2. q. 100. *ar. 2. ad.* 1.

Qu. 5. vtrum in illo caſu deberet emi aqua, vel recurrendum eſſet ad ſuperiorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in caſu illo debet aliquis emere aquam à Sacerdote, & ipſemet puerum baptizare; quia in caſu neceſſitatis licet baptizare etiam mulieri: nec debet aliquo modo pro ipſo baptiſmo Sacerdoti pecuniam dare. Et ſimiliter eſt de adulto, niſi quando poteſt differre quouſque ad ſuperiorem recurratur, ut ab eo Baptiſmum ſuſcipiat, cui ex officio competit dare. 4. *ſ. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 1. ad 3.*

Qu. 6. an tunc liceret emere aquam etiam benedictam : & utrum poſſet dari pretium Sacerdoti ad redimendam vexationem.

Reſp. D. Thomas, licitum eſt ei aquam emere, ſi aliàs habere non poſſet : quia aqua non eſt ſacrum quid. Sed etſi ſit ſanctificata, non operatur ad baptiſmum de neceſſitate eius exiſtens quaſi ſanctificata, ſed quaſi aqua ; & ideo non emit aquam ſanctificatam, ſed aquam. Quidam verò dicunt, quòd poteſt pretium dare ; quia hoc non eſt Simoniam committere, ſed redimere vexationem ſuam. Sed primum melius videtur. 4. *ſ. d. 5. q. 2. a. 2. qu. 5. ad. 2.*

Qu. 7. vtrum abſque Simonia poſſit recipi pecunia pro miſſa celebranda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd facere pactionem de miſſa celebranda eſt ſimoniacum ſemper. Si tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios (ſicut conducti Sacerdotes faciunt) non quaſi prætium miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ. 4. *ſ. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 1. ad* 4. 2. 2. q. 100.

Qu. 8. vtrum abſque Simonia poſſit exigi pecunia pro abſolutione ab excommunicatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pecunia non exigitur ab eo qui abſoluitur, quaſi pretium abſolutionis (hoc enim eſſet ſimoniacum) ſed quaſi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus. 2. 2. *qu.* 100. *a.* 2. *ad* 3.

Qu. 9. quid caueri debeat, quando pro huiuſmodi abſolutione ab excommunicatione imponitur pecuniaria pœna.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pro abſolutione non debet exigi pecunia : ſed tamen ei qui abſoluitur, poteſt imponi pecuniaria pœna : Vnde licet aliquid exigere quaſi in peccati poenam. In quo tamen cauendum eſt, ne talis exactio magis cupiditati quàm correctioni aſcribatur. 4. *ſ. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 1. ad 6.*

Qu. 10. vtrum abſque Simonia poſſit aliquid dari in conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinationibus clericorum, vel etiam pro chriſmate, oleo ſancto, & aliis huiuſmodi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conſuetudo non præiudicat iuri naturali vel diuino, quo ſimonia prohibetur: & ideo ſi aliqua ex conſuetudine exigantur quaſi pretium rei ſpiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, eſt manifeſtè ſimonia ; & præcipuè, ſi ab inuito exigantur : ſi verò exigantur quaſi quædam ſtipendia per conſuetudinem approbata, non eſt ſimonia ; ſi tamen deſit intentio emendi vel vendendi, ſed intentio referatur ad ſolam conſuetudinis obſeruantiam ; & præcipuè quando aliquis voluntariè ſoluit.

In his tamen omnibus ſolicitè cauendum eſt, quod habet ſpeciem ſimoniæ vel cupiditatis, ſecundùm illud primæ ad Theſſ. vltimo, ab

Digitized by Google

omni ſpecie mala abſtinete vos. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4. 4. *ſ. d.* 25. q. 3. a. 2. *quaſtiunc.* 2. *in corp.*

Qu. 11. *an in caſu quo impeditur aliquis ab Epiſcopatu, vel aliqua alia dignitate, liceat et abſque Simonia pecuniam dare ad redimendam vexationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd antequam alicui acquiratur ius in Epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem vel prouiſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecuniâ redimere; ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam: Sed poſtquam ius alicui iam acquiſitum eſt, licet per pecuniam iniuſta impedimenta remouere. 2. 2. q. 100. *art.* 2. *ad* 5. 4. *ſent. d.* 25. q. 3. a. 2. *quaſtiu.* 1. *ad* 7.

Qu. 12. *quomodo abſque ſimonia poſſit interponi conditio de re temporali accipienda pro matrimonio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd matrimonium non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam naturæ officium: & ideo ex illa parte, qua eſt ſacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, non cadit ſub emptione: vnde ſecundùm Canones committit ſimoniam, qui pro benedictione nubentium pecuniam exigit: ſed ex illa parte qua eſt in officium naturæ nihil prohibet pro matrimonio pretium accipere, vel conditionem de re temporali accipienda interponere; ſicut nec in aliis officiis ciuilibus & corporalibus. 4. *ſ. d.* 25. q. 3. a. 2. *qu.* 1. *&* 2. 2. q. 100. a. 2. *ad* 6.

Qu. 13. *an liceat dare vel accipere pecuniam pro ſpiritualibus actibus, ſicut dicitur* 1. *quaſt.* 1. *quidquid inuiſibilis gratia conſolatione tribuitur, nunquam quaſtibus vel quibuſlibet pramiis venundari penitus debet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut ſacramenta dicuntur ſpiritualia, quia ſpiritualem conferunt gratiam; ita etiam quædam alia dicuntur ſpiritualia, quia ex ſpirituali gratia procedunt, & ad eam diſponunt: quæ tamen per hominum miniſterium exhibentur, quos oportet à populo ſuſtentari, cui ſpiritualia adminiſtrant, ſecundùm illud primæ ad Corinth. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis pauit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et ideò, vendere quod ſpirituale eſt in huiuſmodi actibus, aut emere, ſimoniacum eſt: ſed accipere aut dare aliquid pro ſuſtentatione miniſtrantium ſpiritualia, ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudinem approbatam licitum eſt.

Ita tamen quòd deſit intentio emptionis vel venditionis, & quòd ab inuitis non exigatur per ſpiritualium ſubtractionem, quæ ſunt exhibenda: hoc enim haberet quandam venditionis ſpeciem. Gratis tamen ſpiritualibus priùs exhibitis licitè poſſunt ſtatutæ & cõſuetæ oblationes, & quicumque alij prouentus exigi à nolentibus & valentibus ſoluere, authoritate ſuperioris interueniente. 2. 2. q. 100. a. 3. *in corp.*

Digitized by Google

Qu. 14. vtrum actiones ſpirituales locari, aut vendi poſſint abſque ſimonia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd actus aliquis poteſt ſpiritualis dici, vel quantùm ad ſuum principium, quia competit alicui ex aliquo ſpirituali dono, vel officio; vel quantùm ad ſui finem; vt quando per actum ad aliquod ſpirituale peruenitur: In actibus ergo qui primo modo ſpirituales ſunt, quia ſpirituale eſt ex parte agentis, nullo modo ſine ſimonia poteſt aliquis locare actus ſuos; ſed poteſt aliquid accipere in ſuſtentationem vitæ: In ſecundis autem actibus, quia ſpiritualitas non eſt ex parte agentis, poteſt etiam vendere operas ſuas; ſed non vendere hoc ſpirituale, quod ex eius actu requiritur. *4. ſ. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 2. in corp.*

Qu. 15. vtrum abſque ſimonia poſſit fieri pactum de celebratione Anniuerſarij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd anniuerſarium celebrare eſt ſpiritualis actus primo modo; & ideo nullo modo licet paciſci pro eo celebrando: ſi tamen cum deuotione aliquid detur Eccleſiæ, Eccleſia tenetur celebrare pro illis pro quibus rogatur. *ibidem ad 1.*

Qu. 16. vtrum ille qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones, aliàs non iturus, committat ſimoniam.

Reſp. v. horæ canonicæ *qu. 7.*

Qu. 17. vtrum aliquo modo pretium dari poſſit pro orationibus abſque ſimonia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd oratio eſt ſpiritualis primo & ſecundo modo; quia ex ſpirituali deuotione efficaciam habet, & aliquid debet in ea peti: vnde nullo modo debet ſub pretio poni. Nec illi qui dant pecuniam pauperibus, vt pro eis orent, orationem emunt, ſed animos pauperum alliciunt ad orandum pro ſe, & eos ſibi faciunt debitores. *4. ſ. d. 25. q. 3. a. 2. qu. 2. ad 2.*

Qu. 18. vtrum abſque ſimonia poſſit aliquis prædicare pro pecunia, vel pro faciendis collectis, ſicut Apoſtolus feciſſe legitur 1. ad Cor. 9.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prædicare pro pecunia poteſt intelligi dupliciter: vno modo, vt pecunia ſit pretium prædicationis; & ſic nullo modo licet: Alio modo, vt pecuniæ datio ſit res quædam prædicata: & ita poteſt aliquis prædicare pro pecunia ſicut pro aliis operibus meritoriis; inquantum meretur dans, & ſubleuatur defectus recipientis: Et ſic Apoſtolus pro collectis faciendis prædicauit: Non tamen in pecuniæ collatione ponendus eſt prædicationis finis. *ibid. ad 3.*

Qu. 19. an Prælati ſimoniam committant, ſi pecuniam accipiant pro viſitatione aut correctione ſubditorum, aut etiam Epiſcopi pro Eccleſiarum conſecratione.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd correctio ſiue viſitatio eſt ſpiritualis actus primo modo, quia alicui ex ſpirituali officio competit: vnde ſimoniam committit, qui pecuniam accipit, vt peccatum quod tenetur reuelare aut punire, non reuelet nec puniat. Nec etiam pro viſitatione facienda accipienda eſt procuratio quaſi pretium viſitationis, ſed quaſi debita ex ordinatione Eccleſiæ ad ſuſtentationem. Et ſimiliter eſt de procuratione moderata, quam accipere poſſunt Epiſcopi pro cõſecratione Eccleſiarum ſecundùm Eccleſiæ determinationem. *ibidem ad 6.*

Qu. 20. an poſſint Magiſtri artium vendere labores ſuos abſque ſimonia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd docere artes liberales eſt actus ſpiritualis ſecundo modo: Et ideo licet Magiſtris artium vendere labores ſuos; ſed non ſcientiam, ſiue veritatem, quæ ſpiritualis eſt: vnde dicitur Prouerbiorum 23. *Noli vendere ſcientiam, & doctrinam, & gloriam. ibidem ad 8.*

Quæ. 21. an committatur ſimonia ſi Iudex pro iudicio, teſtis pro teſtimonio, Aduocatus pro patrocinio, vel Iuriſperitus pro conſilio pecuniam accipiant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudex ex officio ſuo tenetur iudicium reddere. Similiter etiam quilibet tenetur ex hoc quòd eſt iudicio ſubditus, ad verum teſtimonium reddendum. Sed aduocatus non tenetur patrocinium ſuũ cauſæ præſtare, nec Iuriſperitus dare conſilium, & ideo ſicut dicit Auguſtinus ad Macedonium, *non debet Iudex vendere verum iudicium, aut teſtis verum teſtimonium, quia aduocatus vendit iuſtum patrocinium, & iuriſperitus verum conſilium:* non enim aduocatus vendens iuſtum patrocinium, iuſtitiam vendit quæ eſt ſpiritualis, ſed actum ſuum. Et ſimiliter dicendum eſt de conſilio iuriſperiti. Sed Iudex vendendo verum iudicium ſimoniam committit, ſi ſit ſpiritualis Iudex; aliàs non committit ſed grauiter peccat. Et ſimiliter dicendum eſt de teſte. 4. *ſent. d.* 25. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 9.

Quær. 22. quomodo abſque ſimonia, detur eleemoſyna ad orationum ſuffragia obtinenda ex amicitia, iuxta illud Lucæ 16. facite vobis amicos de mammona iniquitatis: dentur etiam temporalia prædicatoribus ſpiritualia ſeminantibus ſecundùm Apoſt. 1. Corinth. 9. & ſimiliter celebrantibus diuina officia, vel facientibus proceſſiones reddituus aſſignentur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui dant eleemoſynam pauperibus, vt orationum ab ipſis ſuffragia impetrent, non eo tenore dant, quaſi intendentes orationes emere; ſed per gratuitã beneficentiam pauperum animos prouocant ad hoc quòd pro eis gratis & ex charitate orent. Prædicantibus etiã, tẽporalia debentur ad ſuſtentationem prædicantium, non autẽ ad emendũ prædicationis verbum: Vnde ſuper illud primæ ad Tim. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri, &c.* dicit Gloſſ. *neceſſitatis eſt accipere vnde viuitur? charitatis eſt præbere:*

Digitized by Google

non tamen venale eſt Euangelium vt pro his prædicetur: ſi enim ſic vendant, magnam rem vili vendunt pretio.

Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Eccleſiaſtici officij, ſiue pro viuis ſiue pro mortuis; non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium, & eo etiam tenore pro proceſſionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemoſynæ recipiuntur.

Si autem pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis, ſimoniacum eſſet: vnde illicita eſſet ordinatio, ſi in aliqua Eccleſia ſtatueretur, quòd non fieret proceſſio in funere alicuius, niſi ſolueret certam pecuniæ quantitatem; quia per tale ſtatutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi: magis autem licita eſſet ordinatio, ſi ſtatueretur quòd omnibus certam eleemoſynam dantibus talis honor exhiberetur; quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi; & præterea, prima ordinatio habet ſpeciem exactionis; ſecunda autem habet ſpeciem gratuitæ recompenſationis. 2.2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 23. *quomodo abſque ſimonia poſſint Prælati aliquid accipere pro diſpenſatione, vel viſitatione, vel correctione ſubditorum; & ſimiliter Magiſtri, Aduocati, & Medici pro ſua doctrina, vel conſilio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille cui committitur ſpiritualis poteſtas, ex officio obligatur ad vſum poteſtatis ſibi cõmiſſæ in ſpiritualium diſpenſatione; & etiam pro ſua ſuſtentatione ſtatuta ſtipendia habet ex reditibus Eccleſiæ: Et ideo ſi aliquid acciperet pro vſu ſpiritualis poteſtatis, non intelligeretur locare operas ſuas quas ex debito ſuſcepti officij debet impendere, ſed intelligeretur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ vſum: & propter hoc non licet pro quacunque diſpenſatione aliquid accipere: nec etiam pro hoc quòd vices ſuas committant: nec etiam pro hoc quòd ſubditos ſuos corrigant, vel à corrigendo deſiſtant. Licet tamen eis recipere procurationes, quando ſubditos viſitant; non quaſi pretium correctionis, ſed quaſi debitum ſtipendium.

Ille autem qui habet ſcientiam & non ſuſcepit cum hoc officium ex quo obligatur alijs vſum ſcientiæ impendere, licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ vel conſilij accipere, non quaſi veritatem aut ſcientiam vendens, ſed quaſi operas ſuas locans: ſi autem ex officio ad hoc tenetur, intelligetur ipſam vendere veritatem; vnde grauiter peccaret: ſicut patet in illis qui inſtituuntur in aliquibus Eccleſijs ad docendum clericos Eccleſiæ, & alios pauperes, pro quo ab Eccleſia beneficium recipiunt; à quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc quòd doceant, nec ad hoc quòd aliqua feſta faciant, vel prætermittant. 2.2.*q.* 100. *a.* 3. *ad* 3.

Quær. 24. *vtrum abſque ſimonia in monaſteriis præcipuè monialium, exigi poſſit aliquid à perſonis, quæ ibi recipiuntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd cum poſſeſſiones alicuius loci religioſi non ſufficiunt ad ſuſtentandum plures, tunc poteſt exigi ab eo qui in loco illo vult Deo ſeruire, non quaſi pretium religionis, ſed vt habeat monaſterium vnde ei poſſit prouidere; & ideo non committitur ſimonia: ſi autem ſine grauamine Eccleſiæ poteſt recipi, ſimoniacum eſt aliquid pro receptione exigere. *4. ſ. d. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 7.*

Qu. 25. vtrum abſque ſimonia, per temporalia beneficia procurari vel facilitari poſſit ingreſſus monaſterij.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pro ingreſſu Monaſterij non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretium; licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterij exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant Monaſterij opes.

Similiter etiam licitum eſt, ſi propter deuotionem, quam aliquis ad Monaſterium oſtendit largas eleemoſynas faciendo, faciliùs in Monaſterio recipiatur. Sicut etiam licitum eſt aliquem è conuerſo prouocare ad deuotionem Monaſterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad Monaſterij ingreſſum, licèt non ſit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingreſſu Monaſterij, vt habetur. 1. q. 2. *cap. quam p e... 2 q. 100. a. 3. ad 4.*

Qu. 26. an ſit prohibitum pecuniam accipere pro his, quæ ſunt ſpiritualibus annexa, ſicut dicit Paſchalis Papa (& habetur 1. q. 3. cap. ſi quis obiecerit) quiſquis horum alterum vendit ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit: nullus ergo emat Eccleſiam vel præbendam, vel aliquid Eccleſiaſticum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid poteſt eſſe ſpiritualibus annexum dupliciter. Vno modo, ſicut ex ſpiritualibus dependens: ſicut habere beneficia Eccleſiaſtica dicitur ſpiritualibus annexum, quia non competit niſi habenti officium clericale: Vnde huiuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus: & propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubiici. Quædam autem ſunt annexa ſpiritualibus inquantum ad ſpiritualia ordinantur, ſicut ius patronatûs, quod ordinatur ad præſentandum Clericos ad Eccleſiaſtica beneficia; & vaſa ſacra, quæ ordinantur ad ſacramentorum vſum: vnde huiuſmodi non præſupponunt ſpiritualia, ſed magis ea ordine temporis præcedunt: & ideo aliquo modo vendi poſſunt: non autem inquantum ſunt ſpiritualibus annexa. 2. 2. q. 100. a. 4. *in corp. 4. ſent. d. 25. q. 3. a. 2. q. 3. in corp.*

Qu. 27. an liceat vendere vaſa ſacra pro redemptione captiuorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vaſa ſacra ſunt ſpiritualibus annexa,

annexa, ſicut fini: & ideo eorum conſecratio vendi non poteſt, tamen pro neceſſitate Eccleſiæ & pauperum, materia eorum vendi poteſt, dummodo præmiſſâ oratione priùs confringantur: quia poſt confractionem non intelligunitur eſſe vaſa ſacta, ſed purum metallum: vnde ſi ex eadem materiâ ſimilia vaſa iterum integrarentur, indigerent iterum conſecrari. 2.2. *q.* 100. *a.* 4. *ad* 2.

Qu. 28. *quomodo vaſa ſacra vendi poſſint perſonis Eccleſiaſticis, aut etiam aliis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vaſa ſacra nullo modo ratione conſecrationis vendenda ſunt; vt ſcilicet pro conſecratione eorum aliquid plus exigatur: tamen in neceſſitate Eccleſiæ poſſunt vendi ex parte eius quod non eſt in eis ſpirituale: ſcilicet materia auri, & argenti: & tunc ſi venduntur Eccleſiaſticæ perſonæ, poſſunt integra vendi: Si autem venduntur aliis non ad vſum Eccleſiæ, debent priùs frangi præmiſsâ oratione, ne ſancta ab aliis tractentur quàm à Miniſtris Eccleſiæ. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 2. *qu.* 2. *ad* 1.

Qu. 29. *vtrum abſque ſimonia vendi poſſit ius percipiendi decimas, vel ius patronatûs, aut etiam cameterium conſecratum.*

Reſp. v. Decimæ *qu.* 13. 20. & 21. ius patronatus *qu. vlt.* ſepultura *qu. vlt.*

Qu. 30. *vtrum abſque ſimonia Prælati poſſint exigere aliquos fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum.*

Reſp. D. Thomas, circa collationem beneficiorum ſciendum eſt quòd ſi Epiſcopus antequam beneficium alicui conferat ob aliquam cauſam ordinauerit aliquid ſubtrahendum de fructibus beneficij conferendi, & in pios vſus expendendum, non eſt illicitum. Si verò ab eo cui beneficium confert, requirit aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idem eſt, ac ſi aliquod munus ab eo exigere, & non caret vitio ſimoniæ. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *ad* 3. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 9.

Qu. 31. *cur ſicut Vrbanus Papa dicit, quiſquis res Eccleſiaſticas non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere lingua, vel indebiti officii vel pecunia largitur vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nomine pecuniæ intelligitur cuiuſcunque pretium, quod pecunia menſurari poteſt. Manifeſtum eſt autem quòd obſequium hominis ad aliquam vtilitatem ordinatur, quæ poteſt pretio pecuniæ æſtimari: vnde & pecuniariâ mercede Miniſtri conducuntur: Et ideo idem eſt quòd aliquis det rem ſpiritualem pro aliquo obſequio temporali exhibito vel exhibendo, ac ſi daret pro pecunia data vel promiſſa, quâ illud obſequium æſtimari poſſet. Similiter etiam quòd aliquis ſatisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam vtilitatem, quæ poteſt pecuniæ pretio æſtimari: Et ideo ſicut contrahitur ſimonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam

Digitized by Google

rem exteriorem (quod pertinet ad munus à manu) ita etiam contrahitur per manus à lingua, vel ab obſequio. 2. 2.*q.* 100.*a.* 5. *in corp.* 4.*ſ. d.* 25.*q.* 3. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 32. *in quo ſenſu dicit D. Greg. in regiſtro, Eccleſiaſticis vtilitatibus deſeruientes Eccleſiaſticâ dignum eſt remuneratione gaudere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliquis Clericus alicui Prælato impendat obſequium honeſtum ad ſpiritualia ordinatum (putà ad Eccleſiæ vtilitatem, vel Miniſtrorum eius auxilium) ex ipſa deuotione obſequij redditur dignus Eccleſiaſtico beneficio, ſicut & propter alia opera bona: vnde non intelligitur eſſe munus ab obſequio. Et in hoc caſu loquitur Gregorius. Si verò ſit inhoneſtum obſequium, vel ad carnalia ordinatum (putà quia ſeruiuit Prælato ad vtilitatem conſanguineorum ſuorum, vel patrimonij ſui, vel ad aliquid huiuſmodi) erit munus ob obſequio: & eſt ſimoniacum. 2. 2. *qu.* 100. *a.* 5. *ad* 1.

Qu. 33. *an in prædicto caſu non committatur ſimonia ſi pactum aliquod non interueniat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obſequium aut eſt honeſtum, aut inhoneſtum: Si quidem ſit honeſtum obſequium, ex ipſo obſequio quandoque redditur homo dignus beneficio Eccleſiaſtico, ſicut & alijs bonis operibus; & tunc, ſi pactio non interuenir, poteſt abſque ſimonia beneficium Eccleſiaſticum dare ei, qui obſecutus eſt: vt non habeatur oculus ad obſequium principaliter ſed ad dignitatem perſonæ: Et ſic loquitur Gregorius: ſi autem ſit inhoneſtam, tunc eſt omnino ſimonia. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 3.

Qu. 34. *an ſit ſimonia dare beneficium Eccleſiaſticum ratione conſanguinitatis, vel hoc pacto aut intentione quòd ipſis prouideatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliquis aliquid ſpirituale alicui conferat gratis propter conſanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, eſt quidem illicita & carnalis collatio, non tamen ſimoniaca, quia nihil ibi accipitur: vnde hoc non pertinet ad contractum emptionis & venditionis, in quo fundatur ſimonia. Si tamen aliquis dat beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto vel intentione, vt ex inde ſuis conſanguineis prouideat eſt manifeſta ſimonia. 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 2.

Qu. 35. *an ſimoniam committat ille, qui dando beneficium intendit aliquod bonum in ſe redundans, vt ſuæ domus magnificentiam, & alia huiuſmodi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui dat ratione conſanguinitatis Præbendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius cui datur, & non alterius; & ſic peccat grauiter, ſed ſimoniam non committit; quia non vendit cùm nihil accipiat: Aut intendit aliquod bonum in ſeipſum redundans, ſic quòd magnificetur per hoc & nobilitetur domus ſua; vel quòd ipſe in conſanguineis ſit fortior: Et ſic ipſe ali-

Digitized by Google

quid accipere ſperat pro quo ſpiritualia dat; & ſimoniam committit; & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum quod ex tali actione ſperat. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 7.

Qu. 36. *quid ſit munus à lingua; & quandonam committatur ſimonia per tale munus: & an poſſit aliquis pro ſe beneficium petere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd munus à lingua dicitur vel ipſa laus pertinens ad fauorem humanum, qui ſub pretio cadit, vel etiam preces ex quibus acquiritur fauor humanus, vel contrarium euitatur: & ideo ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, ſimoniam committit.

Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: vnde ipſum factum eſt ſimoniacum, Si autem preces pro digno porriguntur, ipſum factum non eſt ſimoniacum; quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid conferatur: tamen poteſt eſſe ſimonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad fauorem humanum. Si verò aliquis pro ſe rogat vt obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus: & ſic preces ſunt pro indigno.

Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum. 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 3.

Qu. 37. *an committatur Simonia quando beneficium poſtulatur ſiue pro digno ſiue pro indigno, vel quando propter preces datur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd munus linguæ duplex eſt; vel quod in ipſo actu linguæ conſiſtit, ſicut laus; vel quod ex lingua initium ſumit, ſicut cùm quis ex hoc quòd precibus alicuius ſatisfacit, fauorem expectat: Qui enim dat aliquod ſpirituale pro fauore, vel laude acquirenda, non eſt dubium quin ſimoniam committeret: quando ergo preces fiunt pro indigno, ſatis apparet quòd nihil aliud niſi fauor, aut etiam periculum euitandum, quia etiam carere malo quoddam bonum eſt; vt dicit Philoſophus in 5. Ethic. Et ideo quando fiunt preces pro indigno, vel aliquo potente qui periculum comminatur, quæ dicuntur, *preces armata*, manifeſtè ſimonia committitur, ſi propter hoc beneficium Eccleſiaſticum detur.

Si autem pro digno fiant, quantum ad iudicium hominum probabile eſt quòd dans magis moueatur intuitu dignitatis perſonæ, quàm fauore precum, vel timore rogantis, quantùm ad divinum iudicium ſimoniam committit & rogatus & rogans, ſi hoc intendar; ſiue aliquis pro ſe roget, ſiue pro alio: Poteſt enim aliquis pro ſe petere (ſi dignus ſit) beneficium Eccleſiaſticum non habens curam animarum, ſi indiget, ſed non ſi habeat curam animarum; quia præſumptuoſum eſt: Nec tamen eſt ſimonia niſi pro tanto quòd ex ipſa præſumptione indignus reddatur: Et tunc preces ipſius ex hoc ipſo quòd rogat, pro indigno fiunt. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 4.

Qu. 38. vtrum hypocrita ſint ſimoniaci.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hypocrita non dat aliquid ſpirituale propter laudem, ſed ſolùm demonſtrat; & ſimulando magis furtivè ſurripit laudem humanam, quàm emat: unde non videtur pertinere ad vitium ſimoniæ 2. 2. *qu.* 100 a. 5. ad 4.

Qu. 39. quare in hypocriſi non reperitur illa emptio & venditio, in qua conſiſtit ſimonia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd emptio & venditio, in quibus ſimonia conſiſtit, ſunt voluntariæ communicationes, quia ex conſenſu vtriuſque fiunt: ſed hypocrita, per ea quæ facit, favorem humanum ſibi uſurpans per modum furti: quod eſt involuntaria communicatio propriè loquendo ſimoniam non committit. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 6.

Qu. 40. an ſimonia committatur ſi Iudici ſpirituali detur aliquod munus ſiue magnum, ſiue paruum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Eccleſiæ iudicium eſt quantùm ad exteriora: & quia non eſt probabile quòd animus Iudicis ſpiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro paruo munere: ideo in paruis muneribus iudici datis non iudicat ſimoniam committi. Sed apud Deum qui cor videt, ſimonia eſt & in paruis & in magnis muneribus, ſi animus Iudicis ex eis flectatur. 4. *ſentent. diſtinct.* 25. *quaeſt.* 3. *art.* 3. *ad* 1.

Qu. 41. an ſummus Pontifex poſſit incurrere vitium ſimoniæ ſicut alii homines; & tantò ſit grauius ipſius peccatum quantò maior eſt dignitas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo: Peccatum enim tantò in aliqua perſona eſt gravius, quantò maiorem obtinet locum: Quãuis enim res Eccleſiæ ſint eius ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt eius ut Domini & poſſeſſoris: Et ideo ſi reciperet pro aliqua re ſpirituali pecuniam de redditibus Eccleſiæ alicuius, non careret vitio ſimoniæ: Et ſimiliter etiam poſſet ſimoniam committere recipiendo pecuniam ab ab aliquo laico, non de bonis Eccleſiæ. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 7.

Qu. 42. an ſit erronea opinio eorum qui dicunt, Papam non poſſe ſimoniam committere maximè cum aliqua perſona Eccleſiaſtica, eo quòd eſt Dominus bonorum Eccleſiæ: & vtrum ſimonia foret ſi quis aliquid ſpirituale debitori ſuo daret, vt quod ſuum eſt recuperaret.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd opinio illa erronea eſt. Si enim Papa pro aliquo ſpirituali munus acciperet ſimoniam committeret, ſicut & alius homo: quia ſub Petro, cui Papa ſuccedit, ſimoniæ vitium damnationem inchoauit in nouo Teſtamento. Et quamuis res Eccleſiæ ſint aliquo modo Papæ, non ſunt tamen eius omnibus modis habendi, ſicut illud quod ad manum ha-

Digitized by Google

bet. Non eſt autem dubium quod ſimoniam committeret, ſi quis aliquod ſpirituale debitori ſuo daret, ut quod ſuum eſt recuperaret: Et ita etiam in propoſito Papa à ſimonia non excuſaretur, ſi (quod abſit) ſpiritualia pro temporalibus rebus Eccleſiarum daret. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 43. cur ille qui dat mutuum poſſit aliquam amicabilem recompenſationem ſperare, ille verò qui dat Eccleſiaſtica beneficia, non debet ſperare niſi honorem Chriſti, & Eccleſiæ vtilitatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd munus aliquod vel à manu, vel à lingua, vel obſequio, poteſt uſurarius ſperare ex mutuo quod concedit, dupliciter. Vno modo quaſi debitum ex quadam obligatione tacitâ vel expreſſâ: & ſic quodcumque munus ſperet, illicitè ſperat. Alio modo poteſt aliquod munus ſperare, non quaſi debitum, ſed quaſi grauitum, & abſque obligatione præſtandum: & ſic licitè poteſt ille qui mutuat, ſperare aliquod munus ab eo, cui mutuat, ſicut ſi facit ſeruitium alicui, confidit de eo ut amicabiliter ſuo tempore ſeruitium faciat.

Alia tamen ratio eſt de ſimoniaco, & de uſurario: quia ſimoniacus non dat id quod eſt ſuum, ſed id quod eſt Chriſti: & ideo non debet ſperare aliquam recompenſationem ſibi fiendam, ſed ſolùm honorem Chriſti, & utilitatem Eccleſiæ: ſed uſurarius nihil alteri præſtat niſi quod ſuum eſt; vnde poteſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare per modum prædictum. *qu.* 13. *de malo a.* 4. *ad* 13.

Qu. 44. an ſit conueniens pœna ſimoniaci, ut priuetur eo quod per ſimoniam acquiſiuit (ſicut dicitur 1. qu. cap. ſi quis Epiſcopus) qui ordinatus eſt (ſimoniacè) nihil ex ordinatione vel promotione quæ eſt per negotiationem facta, proficiat, ſed ſit alienus à dignitate, vel ſollicitudine quam pecuniis acquiſiuit: & utrum ſimoniaci, vel etiam mediatores puniantur aliis pœnis, ſcilicet infamiâ, depoſitione, & excommunicatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus poteſt licitè retinere id quod contra voluntatem domini acquiſiuit; putà ſi aliquis diſpenſator de rebus domini ſui daret alicui contra voluntatem & ordinationem domini ſui, ille qui acciperet, licitè retinere non poſſet: Dominus autem, cuius Eccleſiarum Prælati ſunt diſpenſatores & miniſtri, ordinauit vt ſpiritualia gratis darentur ſecundùm illud Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*: Et ideo qui muneris interventu ſpiritualia quæcumque aſſequitur ea licitè retinere non poteſt.

Inſuper autem ſimoniaci, tam vendentes quàm ementes ſpiritualia, aut etiam mediatores, aliis pœnis puniuntur, ſcilicet infamiâ & depoſitione, ſi ſint Clerici, & excommunicatione, ſi ſint laici, vt habetur 1. *q.* 1. *cap. ſi quis Epiſcopus.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. *in corp.*

Qu. 45. vtrum ille qui ſimoniacè dedit vel recepit ordines aut beneficium, vel fuit mediator ſimoniæ, ſit ſuſpenſus & quoad ſe & quoad alios.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui ſimoniacè recipit ſacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam ſacramenti; non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, eo quòd quaſi furtiuè ſuſcepit characterem contra principalis domini voluntatem: Et ideo eſt ipſo iure ſuſpenſus, & quoad ſe & quoad alios; vt ſcilicet nullus ei communicet in ordinis executione, ſiue ſit peccatum eius publicum, ſiue occultum nec poteſt repetere pecuniam quam turpiter dedit: licèt alius iniuſtè detineat. Si verò ſit ſimoniacus, quia contulit ordinem ſimoniacè: vel quia dedit vel recepit beneficium ſimoniæ, ſi eſt publicum eſt ipſo iure ſuſpenſus, & quoad ſe & quoad alios: ſi autem eſt occultum, eſt ſuſpenſus ipſo iure quoad ſe tantùm non quoad alios in eodem *art. 6. ad 1.*

Qu. 46. an efficacia Sacramentorum impediatur per peccatum ſimoniæ; & quo modo ſimoniacus ab executione ordinis, vel officii ſuſpendatur; & vtrum ille qui recipit beneficium per ſimoniam teneatur ipſi renunciare, & omnes fructus reſtituere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd efficacia Sacramentorum non eſt ex humanò merito: & ideo propter hominis peccatum non impeditur ſacramentum: vnde peccatum ſimoniæ nec ſacramentum ſuſcipiendum impedit, nec ſuſceptũ tollit: Poteſt tamen impedire vltimam rem Sacramenti, ſi ſit peccatum ex parte recipientis: ſed tamen per ſimoniam aliquis ab executione ordinis, aut officii ſuſpenditur.

Sed in hoc diſtinguendum eſt: Quia ſi dicatur ſimoniacus ex hoc quòd recipit ordinem per ſimoniam, non recipit executionem, & eſt ipſo iure ſuſpenſus, & quoad ſe & quoad alios, & punitur vlterius per depoſitionem quando conſtiterit de crimine iudici: ſi autem dicatur ſimoniacus, quia contulit ordinem ſimoniacè, vel quia dedit vel recepit ſimoniacè beneficium, vel quia mediator fuit ſimoniæ: ſi ſit occultum, ſuſpenſus eſt ipſo iure quoad ſe: ſi autem manifeſtum eſt, ſuſpenſus eſt quoad ſe, & quoad alios: Et iterum ille, qui recipit beneficium per ſimoniam, tenetur ad reſtitutionem omnium fructuum perceptorum, & beneficio renunciare. *4. ſent. diſt. 25. q. 3. a. 1. quæſtiunc. 3. in corpore. 4. ad arg. d. 25. q. 2. a. 2. in c.*

Qu. 48. cur per homicidium ex ignorantia commiſſum non incurritur irregularitas: benè tamen per ſimoniam in alicuius ordinatione commiſſam eo ignorante.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd propter homicidium non ſit aliquis defectus in ordinatione, ſed in ordinato tantùm: & ideo ſufficit quòd ordinatus ſit immunis ab homicidio: ſed per ſimoniam fit defectus in ipſa ordinatione: & ideo etiam ſi ipſe ſit immunis, ta-

men eſt ſuſpenſus quando ad notitiam eius deuenerit. 4. *ſ. d. 25. q. 3. a. 1. q. 3. ad 1.*

Quær. 49. an poſſit ſubditus recipere ordines ab Epiſcopo ſimoniaco, qui hoc ei præcipit ſub excommunicatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nec propter præceptum eius nec etiam propter excommunicationem debet aliquis recipere ordinationem ab Epiſcopo quem ſcit ſimoniacè promotum: & ſi ordinetur, non recipit ordinis execuſionem, etiamſi ignoraret eum eſſe ſimoniacum: ſed indiget diſpenſatione: quamuis quidam dicant, quòd ſi non poteſt probare eum eſſe ſimoniacum debet obedire recipiendo ordinem, ſed non debet exequi ſine diſpenſatione: ſed hoc abſque ratione dicitur, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum ſibi in facto illicito; ille autem, qui eſt ipſo iure ſuſpenſus & quoad ſe & quoad alios, illicitè confert ordinē: vnde nullus debet ei communicare recipiendo ab eo quacunque ex cauſa. Si autem ei non conſtat, non debet peccatum credere alterius: & ita cum bona conſcientia debet ab eo ordinem recipere. Si autem Epiſcopus ſit ſimoniacus aliquo alio modo, quàm per promotionem ſuam ſimoniacè factam, poteſt ab eo ordinem recipere, ſi ſit occultum: quia non eſt ſuſpenſus quoad alios, ſed ſolùm quoad ſeipſum. *2. 2. q. 100. a. 6. ad 2.*

Quær. 50. quandonam ſubditus obedidire debet, ſi ei præcipiatur, quòd ordines recipiat à ſimoniaco.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quando eſt manifeſtum crimen ſimoniæ, tunc amittit executionem, & ſuſpenſus eſt quoad ſe & quoad alios: ſed quando eſt occultum, tunc eſt ſuſpenſus quoad ſe tantùm: Et ideo ſi ſit manifeſtum ſecundùm quòd in iure aliquid dicitur manifeſtum, tunc nullo modo debet aliquis obedire, nec ab eo ordinem ſuſcipere: ſi autem non ſit manifeſtum, ſi non poteſt ſubterfugere, debet obedire: etiam ſi ipſe ſciat eum eſſe ſimoniacum, qui ordines celebrat. *4. ſ. d. 25. q. 3. a. 1. q. 3. ad 2. 4. ad Hann. d. 25. q. 2. a. 2. ad 2. & ad 4.*

Diximus ſupra v. ſacramentum qu. 37. ex octaua ſynodo generali, quod nullus clericus debet ſe à communione proprii Patriarchæ ſeparare ſub prætextu cuiuslibet criminalis cauſæ niſi poſt ſynodicam ſententiam: & ex concilio conſtantienſi quòd nemo à communione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuſcunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ à iure vel ab homine generaliter promulgata tenetur abſtinere, vel aliquem vitare, præter nominatim excommunicatos, & notorios clericorum percuſſores.

Qu. 51. vtrum ille qui ſciens & volens ſimoniacè ſuſcepit ordines vel beneficium; careat executione ordinis, & teneatur reſignare beneficium cum fructibus: & vtrum ad hoc etiam obligetur ille in cuius promotione commiſſa eſt ſimonia ipſo neſciente & nolente.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc quòd aliquis priuetur

eo quod accepit, non ſolùm eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus acquiſitionis iniuſtæ; putà cùm aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non poteſt: Et ideo, ſi aliquis ſcienter, & propria ſponte ſimoniacè accipiat ordinem vel Eccleſiaſticum beneficium, non ſolùm priuatur eo quod accepit; ut ſcilicet careat executione ordinis, & beneficium reſignet cum fructibus inde perceptis; ſed etiam vlterius punitur, quia notatur infamiâ, vt dicitur cap. *ſiquis prabendas* cauſâ 1. quæſt. 3. & tenetur ad reſtituendos fructus non ſolùm perceptos, ſed etiam eos qui percipi potuerunt à poſſeſſore diligenti (quod tamen intelligendum eſt de fructibus illis qui ſuper sũt deductis expenſis factis causâ fructuum) exceptis fructibus illis qui aliàs expenſi ſunt in vtilitatem Eccleſiæ.

Si verò eo neſciente nec volente per alios alicuius promotio ſimoniacè procuratur, caret quidẽ ordinis executione, & tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſecutus, cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos: quia bonâ fide poſſedit. niſi fortè inimicus eius fradulenter pecuniam daret pro alicuius promotione vel niſi ipſe expreſsè contradixerit: tunc enim non tenetur ad renunciandum: niſi fortè poſt modum pacto conſenſerit, ſoluendo quod fuit promiſſum. 2. 2. *q.* 100. *artic.* 6. *ad* 3. 4. *ſent. d.* 25. *queſt.* 3. *ar.* 1. *queſtiunc.* 3. *in corp.*

Qu. 51. cui reſtituenda ſint bona Eccleſiaſtica ſimoniacè accepta.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pecunia vel poſſeſſio vel fructus ſimoniacè accepti, debent reſtitui Eccleſiæ, in cujus iniuriam data fuerunt: non obſtante, quòd Prælatus vel aliquis de collegio illius Eccleſiæ fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamẽ quòd quantùm fieri poteſt ipſi qui peccauerunt, inde commodum non conſequantur. Si verò prælatus & totum collegium ſunt in culpa, tunc debet cum authoritate ſuperioris, vel pauperibus vel alteri Eccleſiæ erogari. 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. *ad* 4.

Qu. 52. an bona ſimoniacè acquiſita ſint in eleemoſynas, vel vſus pios eroganda.

Reſp. V. eleemoſyna *qu.* 23. & 24. & V. meretrix *qu.* 3.

Qu. 53. quid ſit faciendum de eo, qui ſimoniacè in monaſterio fuit receptus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliqui ſunt in monaſterio ſimoniace recepti debent abrenunciare: & ſi eis ſcientibus cõmiſſa eſt ſimonia poſt concilium generale, ſine ſpe reſtitutionis de Monaſterio ſuo expelluntur, & ad agendam perpetuam pœnitentiam ſunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco eiuſdem ordinis collocari: & ſi hoc fieri non poteſt, diſpenſativè debent in eiſdem Monaſteriis recipi ne in ſæculo euagentur: mutatis tamen prioribus locis, & inferioribus aſſignatis. Si verò ipſis ignorantibus ſiue ante concilium, ſiue poſt, ſint ſimoniacè recepti, poſtquam renunciauerint, poſſunt de nouo

nouo recipi, locis mutatis, vt dictum eſt 2.2. *q.* 100. *a.* 6. *ad* 5.

Qu. 54. *an Simoniacus pure mentalis ſupradictu pœnis ſubiaceat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quoad Deum ſola voluntas facit ſimoniacum: ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem, non punitur vt ſimoniacus, vt abrenunciare teneatur; ſed debet de mala intentione pœnitere. 2.2. *q.* 100. *a.* 6.

Qu. 55. *cur pœna Eccleſiaſtica non incurruntur per voluntatem ſimoniæ, ſed tantùm per executionem, ſiue non per ſimoniam mentalem ſed tantùm per realem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd *homines iudicant ea quæ foris parent ſed Deus intuetur cor*, vt dicitur 1. Reg. 16. & ideo in ſimonia, & in omnibus alijs peccatis, ex ſola voluntate efficitur aliquis peccator ſecundùm reatum pœnæ, quæ ad iudicium Dei pertinet, ſed non quantùm ad reatum pœnæ, quæ pertinet ad iudicium Eccleſiæ: vnde homicida voluntate incurrit reatum pœnæ æternæ, ſed non irregularitatem, vel excommunicationem, vel aliquid huiuſmodi: Et ſimiliter dicendum eſt de ſimoniaco. 4. *ſ. d.* 25. *q.* 3. *a.* 1. *qu.* 1. *ad* 1.

Qu. 56. *an & quomodo Papa, vel etiam Epiſcopus poſſit cum ſimoniacis diſpenſare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſpenſare cum eo, qui eſt beneficiatus ſimoniacè ſcienter, ſolus Papa poteſt: in aliis autem caſibus poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare: ita tamen quòd priùs abrenunciet quod ſimoniacè acquiſiuit, & tunc diſpenſationem conſequitur; vel paruam, vt habeat laicam communionem; vel magnam, vt poſt pœnitentiam in alia Eccleſia in ſuo ordine remaneat; vel maiorem, vt remaneat in eadem, ſed in minoribus ordinibus, vel maximam, vt in eadem Eccleſia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat. 2.2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 7.

Qu. 57. *cur venditores ſpiritualium dici poſſunt non ſolùm ſimoniaci ſed etiam Giezitæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Simon Magus ad hoc emere voluit poteſtatem ſpiritualẽ, vt eam poſtea venderet, dicitur enim causâ 1. q. 3. quòd *Simon Magus donum Spiritus Sancti emere voluit, vt ex venditione ſignorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur*: & ſic illi qui ſpiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione; in actu verò illi qui emere volunt: illi autem qui vendunt, in actu imitantur Giezi diſcipulum Eliſei, de quo legitur 4. Reg 5. quòd accepit pecuniam à leproſo mundato: Vnde venditores ſpiritualium poſſunt dici non ſolùm ſimoniaci, ſed etiam Giezitæ. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 4. 4. *ſ. d.* 25. *qu.* 3. *a.* 1. *quaſtiunc.* 1. *ad* 4.

Qu. 58. *an ſimonia ſit maximum peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd ſimonia non eſt maximum peccatum ſimpliciter ſed maximum inter illa quæ committuntur circa contractus pecuniarios: & hoc etiam eſt ex hoc quòd irreuerenter ſe habet homo ad res ſacras; in quo attingit peccata quæ ſunt contra præcepta primæ tabulæ. *quodl. 5. a. 20. ad 2.*

Qu. 59. quomodo verum ſit quod dicitur cauſà 1. quaſt. 1. tolerabilior eſt Macedonii, & eorum qui circa ipſum ſunt Sancti-Spiritus impugnatorum impia hæreſis, quàm ſimoniacorum: illi enim creaturam & ſeruum Dei Patris & Filii Spiritum-Sanctum delirando fatentur; iſti verò eundem Spiritum Sanctum efficiunt ſeruum ſuum: omnis enim Dominus quod habet, ſi vult, vendit; ſiue ſeruum ſiue aliquid eorum quæ poſſidet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Religio conſiſtit in quadam fidei proteſtatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde; ita etiam vitia oppoſita Religioni habent quandam proteſtationem infidelitatis, licèt quandoque non ſit infidelitas in mente. Secundùm hoc ergo ſimonia hæreſis dicitur, ſecundùm exteriorem proteſtationem; quia in hoc quòd aliquis vendit donum Spiritus-Sancti, quodammodo proteſtatur ſe eſſe Dominum ſpiritualis doni, quod eſt hæreticum. *2.2.q. 100. a. 1. ad 1.*

Qu. 60. in quo alio ſenſu peccatum ſimonia dicitur grauius quàm hæreſis Macedonij: & vtrum peruertat totum ordinem Eccleſiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd dicitur grauius peccatum propter pronitatem ad ipſum ex cupiditate humana; & propter nocumentum maius, quia totum ordinem Eccleſiæ peruertit. *4. ſent diſt. 25. quaſt. 3. a. 1. quaſt. 2. ad 2.*

Inter propoſitiones damnatas à S. Pontifice Alexandro 7. hac eſt 22. non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Contra propoſitionem illam afferri poſſunt plura quæ in reſponſionibus præcedentibus retulimus ex D. Thoma, vt conſideranti patebit.

SIMVLATIO.

Qu. 1. quid ſit ſimulatio, & vtrum ſit ſemper peccatum.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ad virtutem veritatis pertinet vt quis talem ſe exhibeat exteriùs per ſigna exteriora qualis eſt: ſigna autem exteriora non ſolùm ſunt verba ſed etiam facta: ſicut ergo veritati opponitur quòd aliquid per verba exteriora aliud ſignificet quàm quòd habet apud ſe (quod ad mendacium pertinet) ita etiam opponitur veritati quòd aliquis per aliqua ſigna factorum vel rerum aliquid ſignificet contrarium eius quod in eo eſt, quod propriè ſimulatio dicitur: vnde ſimulatio propriè eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens: Non refert

Digitized by Google

autem vtrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio facto: Vnde cùm omne mendacium ſit peccatum, conſequens eſt etiam, quòd omnis ſimulatio eſt peccatum. 2.2. *q.*111.*a.*1.*in corp.*

Quær. 2. an ſimulatio ſit peccatum ſiue ſit de bono ſiue de malo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dicunt quòd nullus poteſt ſe ſimulare eſſe malum:quia per opera bona nullus ſimulat ſe malum ſi autem opera mala faciat, malus eſt.Sed hæc ratio non cogit, poteſt enim aliquis ſe ſimulare malum per opera, quæ in ſe non ſunt mala: ſed habent in ſe quandam ſpeciem mali: & tamen ipſa ſimulatio eſt mala, tum ratione mendacij; tum ratione ſcandali: & quamuis per hoc fiat malus, non tamen fit malus illâ malitiâ quam ſimulat: & quia ipſa ſimulatio ſecundùm ſe mala eſt, non ratione eius, de quo eſt (ſiue ſit de bono, ſiue ſit de malo) peccatum eſt. 2.2. *q.*111. *a.*1. *ad* 3.

Qu.3. vtrum abſque ſimulatione poſſit aliquis occultare crimen ſuum: & vtrum occultare debeat cùm Iſaiæ 3. contra quoſdam dicatur, peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut aliquis verbo mentitur quando ſignificat quod non eſt,non autem quando tacet quod eſt (quod aliquando licet) ita etiam ſimulatio eſt, quando aliquis per exteriora ſigna factorum vel rerum ſignificat aliquid quod non eſt; non autem ſi aliquis prætermittat ſignificare quod eſt: Vnde aliquis poteſt peccatum ſuum occultare abſque ſimulatione: Et ſecundùm hoc intelligendum eſt quod Hieronymus dicit ibidem quòd *ſecundum remedium poſt naufragium eſt peccatum abſcondere*, ne ſcilicet exinde aliis ſcandalum generetur. 2. 2. *q.* 111. *a.* 1. *ad* 4.

Qu. 4. an ſimulatio ſit idem quod Hypocriſis: cur leuius eſt apertè peccare quàm ſanctitatem ſimulare: & quare ſimulata ſanctitas eſt duplex peccatum.

Reſp. v. hypocriſis. *qu.* 1. & 11. & 13.

SOBRIETAS.

Quær. 1. an materia Sobrietatis ſit potus, iuxta illud Eccl. 31. aqua vita hominibus vinum in ſobrietate, ſi bibas illud moderatè, ſobrius eris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtutes quæ ab aliqua generali conditione nominantur, illam materiam ſibi ſpecialiter vendicant, in qua difficillimum & optimum eſt conditionem eius obſeruare; ſicut fortitudo, pericula mortis; & temperantia, delectationes tactûs: nomen autem ſobrietatis ſumitur à menſura: dicitur enim aliquis ſobrius,quaſi *briam* ideſt *menſuram* ſeruans: & ideo illam materiam ſpecialiter ſibi ſobrietas aſcribit, in qua maximè laudabile eſt menſuram ſeruare.

Huiuſmodi autem eſt potus inebriare valens; quia eius vſus men-

Digitized by Google

ſuratus multùm confert; & immodicus exceſſus multùm lædit, quia impedit vſum rationis, magis etiam quàm exceſſus cibi: vnde dicitur Eccleſ. 31. *Sanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus: vinum multùm potatum irritationem & iram & ruinas multas facit*: & ideo ſpecialiter ſobrietas attenditur circa potum; non quemcunque, ſed eum qui ſua fumoſitate natus eſt caput conturbare, ſicut vinum, & omne quod inebriare poteſt. Communiter autem ſumendo nomen ſobrietatis poteſt in quacunque materia dici; ſicut dicitur de fortitudine, & temperantia. 2. 2. *q.* 14. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. *cur ſobrietas ſit neceſſaria præſertim mulieribus, & iuuenibus, ſenibus Epiſcopis & Regibus, iuxta illud 1. ad Timoth. 3. mulieres ſimiliter pudicas, ſobrias &c. & ad Titum 2. Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint: & ibidem, ſenes vt ſobrij ſint: & ad Timoth. 3. oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe & ſobrium &c. & prou. 31. noli Regibus dare vinum: & poſtea ſubditur, date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus habet habitudinem ad duo: vno quidem modo ad contraria vitia quæ excludit, & concupiſcentias quas refrænat: alio modo, ad finem in quem perducit. Sic ergo aliqua virtus magis requiritur in aliquibus duplici ratione.

Vno modo, quia in eis eſt maior pronitas ad concupiſcentias, quas oportet per virtutem refrænari, & ad vitia quæ per virtutem tolluntur: & ſecundùm hoc ſobrietas maximè requiritur in iuuenibus & mulieribus; quia in iuuenibus viget concupiſcentia delectabilis propter feruorem ætatis: in mulieribus autem non eſt ſufficiens robur mentis ad hoc quòd concupiſcentiis reſiſtant: vnde ſecundùm Valerium Maximum mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum.

Alio verò modo ſobrietas magis requiritur in aliquibus, vtpote magis neceſſaria ad propriam operationem ipſorum: vinum autem immoderatè ſumptum præcipuè impedit vſum rationis: & ideo ſenibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, & Epiſcopis ſeu quibuſlibet Eccleſiæ Miniſtris, qui mente deuota debent ſpiritualibus officijs inſiſtere, & Regibus qui per Sapientiam debent populum ſubditum gubernare, ſpecialiter ſobrietas indicitur. 2. 2. *q.* 149. *a.* 4. *in corp.*

Quær. 3. *an ſobrius non minùs delectetur in cibo quàm guloſus, licèt minùs in huiuſmodi delectatione hæreat.*

Reſp. D. Thomas, ſobrius in cibo moderatè aſſumpto non minorem habet delectationem quàm guloſus: ſed minùs eius concupiſcibilis ſuper huiuſmodi delectatione requieſcit. 1. *p. q.* 98. *a.* 2. *ad* 3.

Qu. 4. *an & quãdo ſecundùm ſobrietatem potus vini ſit licitus & laudabilis, vel illicitus & vituperabilis.*

Reſp. infra v. vinum.

De contractu ſocietatis quando nam ſit vſurarius habetur infra V. vſura.

SODOMIA.

Qu. 1. cur Apoſtolus ad Rom. 1. ſodomiam aliaque vitia contra naturam vocat paſſiones ignominiæ: & quare huiuſmodi vitia ſunt maximè exprobabilia, & ipſi Deo iniurioſa, ac vbique deteſtanda & puni-enda.

RESP. ſupra V. intemperantia *qu.* 5. & V. Luxuria *qu.* 13. & 21.

Qu. 2. cur idem Apoſtolus in eodem cap. 1. ad Rom. grauiſſimum ſodomiæ peccatum dicit eſſe Idololatriæ pœnam: & quomodo Idolatria & ſodomia ſimul cœperunt in mundo, & ſimul creuerunt.

Reſp. D. Thomas, eſt notandum quòd ſatis rationabiliter Apoſtolus vitia contra naturam quæ ſunt grauiſſima inter peccata carnalia ponit idololatriæ pœnâ, quia ſimul cũ idololatria incepiſſe videntur, ſcilicet tempore Abrahæ, quando creditur idololatria incepiſſe: vnde & tunc primò leguntur in ſodomitis Punita eſſe, vt generis 19. ſimiliter etiam idololatria creſcente huiuſmodi vitia creuerunt: Vnde dicitur 2. Machab. 4. quòd *Iaſon auſus eſt ſub ipſa arce optimos quoſque ephoborum in lupanaribus ponere*: erat autem hoc non initium ſed incrementum quoddam & profectus gentilis, & alienigenæ conuerſationis, *in expoſ. illius cap. lect.* 8.

Qu. 3. an fuerit conueniens quòd tempore Abrahæ, in quo genus humanum ad profundiſſima peccatorum deuenerat, ſcilicet infidelitatem & turpiſſimum ſodomiæ vitium, fieret manifeſta Chriſti venturi promiſſio, & inſtitueretur circumciſio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex corruptione peccati originalis humanum genus circa tempora Abrahæ, vſque ad profundiſſima peccatorum venerat: ſcilicet in infidelitatem & turpiſſimum vitium contra naturam: Et ideo tunc temporis primò conueniebat promiſſionem fieri manifeſtam de ſemine naſcituro, in quo omnes gentes benedicerentur & à peccatis mundarentur: tunc etiam oportebat in ſignificationem aliquod exemplum fidei hominibus proponi contra infidelitatem: tunc ſigna caſtitatis dati contra corruptiſſimam concupiſcentiam: Et ideo Abrahæ primò data eſt circuncißio in ſinum paternitatis: vt ex quo naſciturus erat peccatorum deſtructor: & in ſignum fidei & diſtinctionis ab infidelibus: & in ſignum caſtitatis & munditiæ 4. *ſ. d.* 1. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 3. *in c.*

Qu. 4. vnde proueniat vitium Sodomiæ.

Reſp. D. Thomas, hoc vitium ſodomiticum ipſe Philoſophus in 7. ethic. dicit accidere propter vitioſam naturam & peruerſam conſuetudinem. *opuſc.* 20. *de regimine Principum lib.* 4. *cap.* 14.

SOLERTIA.

Qu. an ſolertia, quæ eſt facilis & prompta coniecturatio ad conſiliandum, ſi pars prudentiæ; cùm oporteat conſiliari tardè, ut dicitur in 6. ethic.

Reſp. D. Thomas, poteſt aliquis eſſe benè conſiliatiuus, etſi diutiùs conſilietur vel tardiùs: nec tamen propter hoc excluditur quin bona coniecturatio ad benè conſiliandum valeat, & quandoque neceſſaria ſit quandoque ſcilicet ex improuiſo occurit aliquid agendum & ideo ſolertia conuenienter pars prudentiæ ponitur. 2. 2. q. 49. a. 4. ad. 2. 3. ſ. d. 33. q. 3. a. 1. qu. 4.

SOLITVDO.

Qu. 1. quare homo ſolitarius vel eſt beſtia vel Deus, vt dicit Philoſ. 1. politicorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homo poteſt ſolitarius viuere dupliciter: uno modo quaſi ſocietatem humanam non ferens propter animi ſæuitiam: & hoc eſt beſtiale: alio modo per hoc quòd totaliter diuinis rebus inhæret; & hoc eſt ſupra hominem: & ideo Philoſophus dicit in 1. politic. quòd *ille qui aliis non communicat, eſt beſtia, aut Deus* id eſt diuinis vir. 2. 2. q. 188. a. 8. ad 5.

Qu. 2. vtrum amor ſolitudinis ad vacandum rebus diuinis ſit maximum charitatis ſignum.

Reſp. V. charitas qu. vltima.

Plura de ſolitudine habentur ſupra V. Religio, vbi agitur de ordinibus religioſis ſolitariæ vitæ conſecratis; & infra V. Vita, vbi agitur de eadem vita ſolitaria.

SOLICITVDO.

Qu. 1. quid ſit ſolicitudo, & vtrum ad prudentiam pertineat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dicit Iſidor. in lib. Etym. *Solicitus dicitur quaſi Solers citus*; in quantum ſcilicet aliquis ex quadam ſolertia animi velox eſt ad proſequendum ea quæ ſunt agenda: hoc autem pertinet ad prudentiam; cuius præcipuus actus eſt circa agenda præcipere de præconſilitatis & iudicatis: vnde Philoſ. dicit. in 6. Ethic. quòd *oportet operari quidem velociter, conſiliari autem tardè.* Et inde eſt quòd ſolicitudo propriè ad prudentiam pertinet. Et propter hoc Aug. dicit in lib. de moribus Eccleſiæ, quòd *prudentiæ ſunt excubiæ, atque diligentiſſima vigilantia, ne ſubrepente Paulatim malâ ſuaſione fallamur.* 2. 2. q. 47. a. 9. in c.

Qu. 2. quam ſolicitudinem prohibeat Chriſtus in Euangelio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Dominus ſolicitudinem neceſſariam non prohibuit, ſed ſolicitudinem inordinatam: eſt autem quadruplex inordinatio ſolicitudinis vitanda circa temporalia: primò quidem vt in eis finem non conſtituamus, neque Deo ſeruiamus propter neceſſaria victûs; vnde dicitur *nolite theſauri-*

zare vobis, &c. Secundò, vt non ſic ſolicitemur de temporalibus cum deſperatione diuini auxilii: vnde Dominus dicit, *ſcit Pater veſter quòd his omnibus indigetis.* Tertiò, ne ſit ſolicitudo præſumptuoſa; vt ſcilicet homo confidat ſe neceſſaria vitæ per ſuam ſolicitudinem poſſe procurare abſque diuino auxilio: quod Dominus remouet per hoc quòd *homo non poteſt aliquid adiicere ad ſtaturam ſuam.* Quartò per hoc quòd homo ſolicitudinis tempus præoccupat; quia ſcilicet de hoc ſolicitus eſt nunc quod non pertinet ad curam præſentis temporis, ſed ad curam futuri: vnde dicit, *nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.* 1. 2. *q.* 108. *a.* 3. *ad* 5.

Qu. 3. quomodo excludatur ſolicitudo ſed non labor, unde Apoſtolus dicit 2. ad theſſal. 3. ſi quis non vult operari, non manducet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quod ſolicitudo eius qui corporali labore panem acquirit, non eſt ſuperflua, ſed moderata: & ideo hier. (in illud, nolite ſoliciti eſſe Matth. 5.) dicit quòd *labor exercendus eſt, ſolicitudo tollenda*: ſuperflua ſcilicet animum inquietans. 2. 2. *q.* 55. *a.* 6. *ad* 2.

Qu. 4. an debeat aliquis ſolicitus eſſe futurorum, cùm Dominus dicat Matth. 9. nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullum opus poteſt eſſe virtuoſum, niſi debitis circunſtantiis veſtiatur, inter quas una eſt tempus; ſecundùm illud. Eccl. 8. *omni negotio tempus eſt & opportunitas*: quòd non ſolùm in exterioribus operibus, ſed etiam interiori ſolicitudine locum habet. Vnicuique enim tempori competit propria ſolicitudo; ſicut tempori æſtatis, competit propria ſolicitudo vindemiæ: ſi quis ergo tempore æſtatis de vindemia iam eſſet ſolicitus, ſuperfluè præoccuparet futuri temporis ſolicitudinem: vnde huiuſmodi ſolicitudinem tanquam ſuperfluam dominus prohibuit dicens: *nolite ſoliciti eſſe in craſtinum:* vnde ſubdit. *craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi*: id eſt, ſuam propriam ſolicitudinem habebit, quæ ſufficiet ad animum affligendum: Et hoc eſt, quod ſubdit, *ſufficit diei malitia ſua*, id eſt afflictio ſolicitudinis. 2. 2. *q.* 55. *art.* 7. *in corpore. q.* 188. *a.* 7. *ad* 2. 3. *contra gentes cap.* 135.

Qu. 5. an magnanimus ſit ſolicitus cùm Philoſophus dicat in 4. Eth. quòd ad magnanimum pertinet pigrum eſſe & otioſum: pigritiæ autem opponatur ſolicitudo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd magnanimus dicitur eſſe piger & otioſus, non quia de nullo ſit ſolicitus, ſed quia non eſt ſuperfluè ſolicitus de multis: ſed confidit in his de quibus confidẽdum eſt, & circa illa non ſuperfluè ſolicitatur: ſuperfluitas enim timoris & diffidentiæ facit ſuperfluitatem ſolicitudinis: quia timor facit conſiliari nos 2. 2. *q.* 47. *a.* 9. *ad* 3.

Qu. 6. quomodo multiplex ſolicitudo ſit bona.

Reſpondet Diu. Thomas,

notandum eſt quòd multiplex ſolicitudo eſt bona. Prima prælationis, ſicut nauta ſolicitus eſt de regimine nauis, Pater de filiis, Roma. 12. *qui præeſt in ſolicitudine.* Secunda prædicationis, ſicut Pædagogus ſolicitus eſt de puero, doctor de diſcipulis. 1. theſſ. 2. *fiduciam habuimus loqui ad vos Verbum Dei in multa ſolicitudine.* Tertia dilectionis, ſicut amicus verus ſolicitus de conſeruatione amoris: Epheſ. 4. *ſoliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis &c.* Quarta compaſſionis, ſicut vir miſericors ſolicitus eſt de Egenis, & afflictis. 2. tim. 1. *cùm veniſſet Romam ſolicitè me quæſiuit & invenit.* Quinta deuotionis, ſicut ſeruus ſolicitus eſt de placendo Domino, religioſus Deo: mich. 6. *indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & poſt ſolicitè ambulare cum Deo tuo.* Sexta circunſpectionis, ſicut ſpeculator eſt de caſtro cuſtodiendo, Deut. 4. *cuſtodite animas veſtras ſolicitè:* Corpus enim cum organis, anima cum potentiis quoddam caſtrum eſt. Septima actionis, ſicut agricola ſolicitus eſt de opere perficiendo, Luc. 10. *Martha Martha ſolicita eſt.* 2. Timot. 2. *ſolicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo.* Octaua prouiſionis, ſicut diſpenſator de domo, mercator de computo, pauper de pane quærendo: Roma. 12. *ſolicitudine non pigri.* 1. *ad cor. lect. 7.*

Qu. 7. quomodo loco ſolicitudinis debemus recurſum habere ad Deum per orationem, iuxta illud Apoſt. ad Philip. 4. nihil ſoliciti ſitis ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

Reſp. D. Thomas, oſtendit quòd mens noſtra debet eſſe quieta: & primò oſtēdit ſuperfluam ſolicitudinem, ſecundò oſtēdit quid loco eius in mente ſuccedat, ibi, ſed in omni oratione, &c. & ſatis conuenienter ſubdit, *nihil ſoliciti*, &c. Ad hoc quod dixerat, *Dominus propè eſt*, quaſi dicat ipſe omnia tribuit, vnde non eſt neceſſe quòd ſitis ſoliciti, Matth. 6. *Ne ſoliciti ſitis quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini, &c.* Sed contra, quia dicitur, Roman. 12. *Qui præeſt in ſolicitudine.* Reſp. dicendum eſt, quòd ſolicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deeſt, & hoc eſt commendabile, & opponitur negligentiæ: quandoque anxietatem animi cum defectu ſpei & timore de obtinendo id, circa quod ſolicitatur, & hoc prohibet Dominus Matth. 6. Et hîc Apoſt. quia non debet deſperare quin Dominus det neceſſaria. Sed loco ſolicitudinis debemus habere recurſum ad Deum. 1. Petr. vlt. *Omnem ſolicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis*, & hoc fit orando. *ad Philipp. 4. lect. 1.*

Qu. 8. de quo principaliter eſſe debeat noſtra ſolicitudo.

Reſp. D. Thomas, principaliter noſtra ſolicitudo eſſe debet de ſpiritualibus bonis, ſperantes quòd etiam temporalia nobis prouenient ad neceſſitatem ſi fecerimus quod debemus. 2. 2. *qu. 55. a. 6. in corp.*

Qu. 9. Cur non debemus aliorum ſolicitudinem condemnare.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd

quòd ſicut Aug. dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *cùm viderimus aliquem ſeruum Dei prouidere ne iſta neceſſaria ſibi deſint, non iudicemus eum de craſtino ſolicitum eſſe; nam & ipſe Dominus propter exemplum loculos habere dignatus eſt; & in actibus Apoſtolic. ſcriptum eſt, ea quæ ad victum ſunt neceſſaria procurata eſſe in futurum propter imminentem famem: non ergo Dominus improbat, ſi quis humano more iſta procuret, ſed ſi quis propter iſta militet Deo 2. 2. q. 55. a. 7. ad 3.*

SOMNIVM.

Qu. 1. an Diuinatio quæ ſit per ſomnia ſit illicita, cùm dicatur Deuter. 18. non inueniatur in te qui obſeruet ſomnia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diuinatio quæ innititur falſæ opinioni, eſt ſuperſtitioſa & illicita: ideo conſiderare oportet quid ſit verum circa præcognitionem futurorum è ſomnis.

Sunt autem ſomnia futurorum entium quandoque quidem cauſa, putà cùm mens alicuius ſolicita ex his quæ videt in ſomnis, inducitur ad aliquid faciendum vel vitandum: quandoque verò ſomnia ſunt ſigna aliquorum futurorum euentuum inquantum reducuntur ad aliquam cauſam communem ſomniis & futuris euentibus & ſecundùm hoc plurimum præcognitiones futurorum ex ſomnijs fiũt.

Eſt ergo conſiderandum quæ ſit cauſa ſomniorum, & an poſſit eſſe cauſa futurorum euentuum, vel ea poſſit cognoſcere. ſciendum eſt ergo quòd ſomniorum cauſa quidem quandoque eſt interiùs, quandoque exteriùs: interior autem ſomniorum cauſa eſt duplex; vna quidem animalis, inquantum ſcilicet ea occurrunt hominis phantaſiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio & affectio fuit immorata in vigilando: & talis cauſa ſomniorum non eſt cauſa futurorum euentuum; vnde huiuſmodi ſomnia per accidens ſe habent ad futuros euentus: & ſi quandoque ſimul concurrant, erit caſuale: quandoque verò cauſa intrinſeca ſomniorum eſt corporalis: nam ex interiori diſpoſitione corporis formatur aliquis motus in phantaſia conueniens tali diſpoſitioni; ſicut homini in quo abundat frigidi humores, occurrunt in ſomnijs quòd ſit in aqua vel niue: & propter hæc medici dicunt eſſe intendendum ſomniis ad cognoſcendum interiores diſpoſitiones.

Cauſa autem ſomniorum exterior ſimiliter eſt duplex, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis corporalis cœleſtis, ut ſi dormienti aliquæ phantaſiæ appareant conformes cæleſtiũ diſpoſitioni; ſpiritualis autem cauſa eſt, quandoque quidem à Deo, qui miniſterio Angelorum aliqua hominibus reuelat in ſomniis, ſecundùm illud num. 12. *ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum*: quandoque verò operatione dæmonum aliquæ phantaſiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura reuelant his, qui cum eis habent pacta illicita.

Sic ergo dicendum quòd ſi quis vtatur ſomnijs ad præcognoſcenda futura ſecundùm quòd ſomnia

Digitized by Google

procedunt ex reuelatione Diuina, vel ex cauſa naturali (intrinſecâ ſiue extrinſecâ) quantùm poteſt ſe virtus talis cauſæ extendere, non erit illicita Diuinatio: ſi autem huiuſmodi Diuinatio cauſetur ex reuelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expreſſa (quia ad hoc inuocantur) vel tacita, quia huiuſmodi Diuinatio extenditur ad quod ſe non poteſt extendere, erit Diuinatio illicita, & ſuperſtitioſa. 2.2. q.95.a.6.*in corp.* 2. *ſent.d.7. q.2. a.2. ad 6. 3 contra gentes cap. 154. opuſc. 25. cap.4.*

Circa omne diuinationis genus vide quod dictum eſt v. aſtrologia iudiciaria, & v. diuinatio ſub finem.

SORS.

Qu.1. quid ſint ſortes: & vtrum ſint illicita, & ſub pœna excommunicationis prohibita, iuxta illud quod in decretis 26. q. 6. dicitur: ſortes quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis prouinciis, quas Patres damnauerunt, nihil aliud quàm diuinationes & maleficia decernimus: quamobrem volumus illas omnino damnari: & vltra inter Chriſtianos nolumus nominari: & ne exerceantur, ſub anathematis interdicto prohibemus.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſortes propriè dicuntur, cùm aliquid fit vt eius euentu conſiderato aliquid occultum innoteſcat: & quidem ſi quæratur iudicio ſortium, quid cui ſit adhibendum (ſiue illud ſit res poſſeſſa, ſiue ſit honor ſeu Dignitas, ſeu pœna, aut actio aliqua) vocatur ſors diuiſoria: ſi autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur ſors conſultoria: ſi verò quæratur quid ſit futurum, vocatur ſors Diuinatoria. actus autem hominum, qui requiruntur ad ſortes, non ſubduntur dipoſitioni ſtellarum, nec etiam euentus ipſorum: vnde ſi quis ea intentione ſortibus vtatur, quaſi huiuſmodi actus humani qui requiruntur ad ſortes, ſecundùm diſpoſitionem ſtellarum ſortiantur effectum, vana & falſa eſt opinio, & per conſequens non carens dæmonum ingeſtione, ex quo talis Diuinatio erit ſuperſtitioſa & illicita.

Hac autem cauſâ remotâ neceſſe eſt, quòd ſortialium actuum expectentur euentus; vel ex fortuna, vel ex aliqua ſpirituali cauſa dirigente: & ſi quidem ex fortuna (quod locum habere poteſt ſolùm in diuiſoria ſorte) non videtur habere niſi fortè vitium vanitatis; ſicut ſi aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, velint ſortibus ad diuiſionem vti, quaſi fortunæ exponentes quam quis partem accipiat: ſi verò ex ſpirituali cauſa expectetur ſortium iudicium, quandoque quidem expectatur ex Dæmonibus, ſicut legitur Ezech. 21. quòd *Rex Babylonis ſtetit in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogauit idola, & exta conſuluit*: & tales ſortes ſunt illicitæ, & ſecundùm canones prohibentur. Quandoque verò expectatur à Deo: ſecundùm illud Prouerb.16. *ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*: & talis ſors ſecundùm ſe non eſt malum, vt Auguſtinus dicit ſuper Lucam.

Poteſt tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primò qui e n, ſi abſque vlla neceſſitate ad ſortes recurratur: hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere: vnde Ambroſius dicit ſuper Lucam, *qui ſorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur*: Secundò, ſi quis, etiam in neceſſitate, abſque reuerentia Dei ſortibus vtatur: vnde ſuper actus Apoſtolorum dicit Beda, *ſed ſi qui neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus (exemplo Apoſtolorum) eſſe conſulendum, videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis egiſſe*: Tertiò ſi diuina oracula ad terrena negotia conuertantur: vndè Auguſtinus dicit ad inquiſitiones Ianuarij, *hi qui de paginis Euangelicis ſortes legunt, etſi optandum ſit vt id potiùs faciant, quàm ad Dæmonia conſulenda concurrant; tamen iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſæcularia, & vitæ huius vanitatem Diuina oracula velle conuertere*: Quartò ſi in electionibus Eccleſiaſticis, quæ Spiritus-Sancti inſpiratione fieri debent, aliqui ſortibus vtantur: vnde ſicut Beda dicit ſuper actus Apoſtolorum, *Matthias ante Pentecoſtem ordinatus, ſorte quæritur: quia ſcilicet nondum erat plenitudo Spiritus-Sancti in Eccleſiam effuſa: ſeptem autem Diaconi poſtea non ſorte ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati*. Secus autem eſt in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam diſpoſitionem ordinantur, in quarum electione plerumque homines ſortibus vtuntur, ſicut & in temporalium rerum diuiſione.

Si verò neceſſitas immineat, licitum eſt cum debita reuerentiâ ſortibus diuinum iudicium implorare: vnde Auguſtinus dicit in epiſtola ad Honoratum, *ſi inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorũ perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium; & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia: ſi hæc diſceptatio aliter non potuerit terminari; quantùm mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte legendi ſunt*: & in primo de Doctrina Chriſtiana dicit, *ſi tibi abundaret aliquid, quod oporteret dare ei qui non haberet nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo quorum neuter alium vel indigentiâ, vel erga te neceſſitate ſuperaret; nihil iuſtius faceres quàm vt ſorte eligeres, cui dandum eſſet quod dari vtrique non poſſet. 2.2. q. 95 a. 8. in corp. opuſc. 25. de ſortibus cap. 5. ad Epheſ. 1. lect. 4. quodl. 12. art. 35.*

Qu. 2. an iudicia ferri candentis & aquæ feruentis, quæ dicuntur vulgaria, pugna quoque pugilum, quæ monomachia dicitur, id eſt ſingularis concertatio ſiue duellum, ſint illicita, cùm ad ſortes pertinere videantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iudicium ferri candentis, vel aquæ feruentis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquiſitionem per aliquid quod ab homine fit, & in hoc conuenit cum ſortibus: inquantum tamen expectatur aliquis miraculoſus effectus à Deo, excedit communem ſortium rationem: vnde huiuſmodi iudicium illicitum redditur; tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ diuino iudicio reſeruantur; tum etiam quia huiuſmodi iudicium non eſt authoritate

diuina ſancitum : vnde 2. quæſt. 4. in decreto Stephani Papæ dicitur, *ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent canones : & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſâ adinuentione non eſt præſumendum : Spontaneâ enim confeſſione vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, conceſſa ſunt noſtro regimini iudicare : Occulta verò & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum.* Et eadem ratio videtur eſſe de lege duellorum, niſi quòd plus accedit ad communem rationem ſortium, inquantum non expectatur miraculoſus effectus; niſi fortè quando pugiles ſunt valde impares virtute vel arte. 2. 2. *qu.* 95. *art.* 8. *ad* 3.

Sicut circa ſomnia ita circa ſortes notari debet id quod retulimus v. Aſtrologia iudiciaria ſub finem ex bulla S. Pontificis Sixti 5.

SPECTACVLA.

Qu. 1. *ex qua cauſa inſpectio ſpectaculorum reddatur vitioſa.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd inſpectio ſpectaculorum vitioſa redditur, inquantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel laſciuiæ, vel crudelitatis, per ea quæ ibi repræſentantur : vnde Chryſoſtom. hom. 6. in Matth. dicit quòd *adulteros, & inuerecundos conſtituunt tales inſpectiones.* 2. 2. *q* 97. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 2. *quandonam in videndis ſpectaculis ſit peccatum, & cur etiam ea quæ ſine peccato videri poſſunt, à pœnitentibus ſunt vitanda.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd huiuſmodi ſpectacula, ſi ſint rerum turpium & ad peccatum prouocantium, ſtudioſa eorum inſpectio peccatum eſt, & quandoque in eis tanta poteſt libido adhiberi vt ſit etiam mortale : vnde à tali inſpectione omnes ſe arcere debent ſed præcipuè pœnitentes.

Quædam verò ſpectacula ſunt de rebus vtilibus, & ad vitam neceſſariis, ſicut ſunt venationes & cætera huiuſmodi; & talia ſpectacula diſtrahunt animum : vnde quamuis poſſit ſine peccato eis intendi ſeruatâ diſcretione debitâ quantùm ad conditiones perſonæ, & aliarum circunſtantiarum, tamen pœnitenti ſunt vitanda propter hoc quòd debet cor ad Deum collectum habere, niſi quantùm neceſſitas expoſcit 4. *ſ. d.* 16. *q.* 4. *a.* 2 *qu.* 2.

Qu. 3. *cur olim præceptum foret, vt homines ab animalibus coëuntibus oculos auerterent.*

Reſp. D. Thomas, in aſpectu coitus animalium excitatur homini concupiſcentiæ motus: vnde in traditionibus Iudæorum præceptum inuenitur (vt Rabbi Moyſes dicit) vt homines auertant oculos ab animalibus coëuntibus. 1. 2. *qu.* 102. *a.* 6. *ad* 8.

Qu. 4. *cur præſertim in ſpectaculis vitanda eſt curioſitas : & quàm ſit friuola & inanis conſolatio, quæ ex ipſis percipitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd per ſpectacula ſenſibilia magis animus ad vanitates diſtrahitur, quàm per intelligibilia: & ideo iſta magis ſunt cauenda; quamuis peccatum curioſitatis in omnibus cauendum ſit: Vnde Bernardus de conuerſione ad Clericos cap. 12. *Spectacula vana quid corpori praſtant, quid animæ? certè nihil in homine, cui curioſitas proſit, inuenies: friuola prorſus, nugatoria, & inanis conſolatio! ac neſcio quid illi durius impreces, quàm vt ſemper habeant quod requirit, qui iucundæ quietis pacem fatigans, curioſà inquietudine delectetur. 4 ſent. diſt. 16. q. 4. a. 2. q. 2. ad 2.*

Qur. 5. an pœnitentes poſſint intereſſe ludis, qui in theatris aguntur.

Reſp. ſupra v. Ludus *qu. 6.*

SPES.

Qu. 1. an ſpes ſit virtus Theologica.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd cùm differentiæ ſpecificæ per ſe diuidant genus, oportet attendere vnde habeat ſpes rationem virtutis, ad hoc vt ſciamus ſub qua differentia virtutis collocetur: ſpes autem habet rationem virtutis ex hoc quòd attingit Deũ. & ſicut primam cauſam efficiétem inquantum eius auxilio innititur, & ſicut vltimam cauſam finalem inquantum in eius fruitione beatitudinem expectat: & ſic patet, quòd ſpei inquantum eſt virtus, principale obiectum eſt Deus: cùm ergo in hoc conſiſtat ratio virtutis Theologicæ quòd Deum habeat pro obiecto, manifeſtum eſt quòd ſpes eſt virtus Theologica. 2. 2. q. 17. a. 5. 3. *ſ. d. 26. q. 2. a. 2. qu. 4. de virt. a. 1. & 2.*

Qu. 2. cur Apoſtolus ſpem comparat Anchoræ ad Heb. 6. dicens, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus.

Reſp. D. Thomas, comparat ſpem ipſi anchoræ, quæ ſicut in mari nauem immobilitat, ita ſpes animam firmat in Deo in hoc mundo, qui eſt quaſi quoddam mare pſal. 103. *hoc mare magnum & ſpatioſum manibus.* Iſta tamen anchora debet eſſe ſecura, vt ſcilicet non deficiat; vnde fit de ferro 2. ad Timoth. 1. *ſcio enim cui credidi, & certus ſum &c.* Item debet eſſe firma; vt ſcilicet non citò à naui remoueatur, ita homo debet alligari iſti ſpei, ſicut anchora naui alligatur.

Eſt autem differentia inter anchoram & ſpem; quia anchora in imo figitur, ſed ſpes in ſummo ſcilicet in Deo. Nihil enim in præſenti vita eſt firmum, vbi poſſet anima firmari & quieſcere. vnde Gen. 8 dicitur quòd columba non inuenit vbi requieſceret pes eius: & ideo dicit quòd debet incedere vſque ad interiora velaminis; Apoſt. enim per ſancta quæ erant in tabernaculo, intelligit ſtatum præſentem Eccleſiæ: ſed per ſancta ſanctorum, quæ per velum diſtinguebantur à ſanctis, intelligit ſtatum futuræ gloriæ. In illo ergo vult quòd figatur anchora ſpei noſtræ, qui eſt

Digitized by Google

modò velatus ab oculis noſtris: Eſa.64.*oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te* pſalm. 19. *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti timentibus te*. Hâc ibi fixit præcurſor noſter, qui ibi ingreſſus eſt: vnde Ioan. 14. *vado parare vobis locum*. Mich. 2. *aſcendit pandens iter ante eos*, & ideo dicit quòd ipſe tanquam præcurſor pro nobis ingreſſus eſt interiora velaminis, & ibi fixit ſpem noſtram, ſicut dicitur in collecta in vigilia & in die aſcenſionis. *in expoſ. eiuſdem cap. 6. ad Heb. l. 6.*

Qu. 3. an detur præceptum ſpeciale de ſpe, ſicut de fide & charitate, ſicut D. Aug. ſuper illud Ioan. 15. hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, dicit, de fide nobis quàm multa mandata ſunt, quàm multa de ſpe.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd præceptorum quæ in ſacra ſcriptura inueniuntur, quædam ſunt de ſubſtantia legis, quædam verò ſunt præambula ad legem: præambula quidem ſunt ad legem illa quibus non exiſtentibus lex locum habere non poteſt: Huiuſmodi autem ſunt præcepta de actu fidei, & de actu ſpei: quia per actum fidei mens hominis inclinatur vt recognoſcat authorem legis cui ſe ſubdere debeat: per ſpem verò præmij homo inducitur ad obſeruantiam præceptorum: præcepta verò de ſubſtantia legis ſunt, quæ homini iam ſubiecto, & ad obediendum parato imponuntur, pertinentia ad rectitudinem vitæ. Et ideo huiuſmodi præcepta ſtatim in ipſa legiſlatione proponuntur per modum præceptorum: ſpei verò & fidei præcepta non erant proponenda per modum præceptorum; quia niſi homo iam crederet, & ſperaret, fruſtra ei lex proponeretur.

Sed ſicut præceptum fidei proponendum fuit per modum denuntiationis vel commemorationis, ita etiam præceptum ſpei in prima legiſlatione proponendum fuit per modum promiſſionis: qui enim obedientibus præmia promittit, ex hoc ipſo incitat ad ſpem: vnde omnia promiſſa, quæ in lege continentur, ſunt ſpei excitatiua; ſed quia lege iam impoſitâ pertinet ad ſapientes viros vt non ſolùm inducant homines ad obſeruantiam præceptorum, ſed etiam multò magis ad conſeruandum legis fundamentum; ideo poſt primam legiſlationem in ſacra ſcriptura multipliciter inducuntur homines ad ſperandum, etiam per modum admonitionis, vel præcepti; & non ſolùm per modum promiſſionis, ſicut in lege; ſicut patet in Pſal. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi*; & in multis aliis ſcripturæ locis. 2. 2. *q. 22. a. 1. in c. opuſc. 3. cap. 250.*

Notauimus ſupra V. charitas qu. 8. damnatam fuiſſe propoſitionem iſtam: homo nullo vnquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actum fidei ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

Qu. 4. vtrum ne homo perdat ſpem nequeat de potentia ordinaria ipſi fieri reuelatio de ſua futura damnatione.

Reſp. V. reuelatio *qu. 2.*

Alia quæ de ſpe, vt eſt virtus Theologica, dici poſſunt, ſpectant ad Theologiam Scholaſticam; vnde ſupereſt aliquid addere de ipſa vt eſt paſſio.

Qu. 5. vtrum ſpes quæ eſt paſſio cauſetur ex experientia; iuxta illud Ph. 3. ethic. aliqui ſunt bonæ ſpei propter multoties & multos viciſſe: quomodo etiam diuitiæ & fortitudo, doctrina & perſuaſio contribuant ad ſpem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſpei obiectum eſt bonum futurum arduum poſſibile adiſpici: poteſt ergo aliquid eſſe cauſa ſpei, vel quia facit eum exiſtimare aliquid eſſe poſſibile, vel quia facit eum exiſtimare aliquid eſſe poſſibile; primo modo eſt cauſa ſpei omne illud quod auget poteſtatem hominis; ſicut diuitiæ & fortitudo, & inter cætera etiam experientia: nam per experientiam homo acquirit facultatem aliquid de facili faciendi: & hoc ſequitur ſpes: Vnde vegetius dicit in lib. de re militari, *nemo facere metuit quod ſe bene didiciſſe confidit*: Alio modo, eſt cauſa ſpei omne illud quod facit alicui exiſtimationem quòd aliquid ſit poſſibile: & hoc modo & doctrina & perſuaſio quælibet poteſt eſſe cauſa ſpei; & ſic etiam experientia eſt cauſa ſpei, in quantum ſcilicet per experientiam fit homini exiſtimatio quòd aliquid ſit ſibi poſſibile, quod impoſſibile ante experientiam reputabat: ſed per hunc modum experientia poteſt eſſe cauſa defectûs, quia ſicut per experientiam fit homini exiſtimatio quòd aliquid ſit ſibi poſſibile, quod reputabat impoſſibile; ita è conuerſo per experientiam fit homini exiſtimatio quòd ali[illegible] non ſit ſibi poſſibile quod po[illegible] exiſtimabat: ſic ergo expe[illegible] eſt cauſa ſpei duobus modis, cauſa autē defectûs ſpei, vno modo: & propter hoc magis dicere poſſumus eam eſſe cauſam ſpei. 1. 2. *qu.* 40. *a.* 5.

Qu. 6. cur ſicut dicit Philoſ. in 2. Rhet. ſenes ſunt difficilis ſpei, propter experientiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ſenibus eſt defectus ſpei propter experientiam, inquantum experientia facit exiſtimationem impoſſibilis: vnde ibidem ſubditur quòd *eis multa euenerunt in deterius*. ibidem 2.

Qu. 7. quomodo ſtultitia & inexperientia ſunt cauſa ſpei.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſtultitia & inexperiētia poſſunt eſſe cauſa ſpei quaſi per accidens, remouendo ſcilicet ſcientiam per quam verè exiſtimatur aliquid non poſſibile. *ibid. ad* 3.

Qu. 8. cur in iuuenibus & in Ebrioſis abundat ſpes, ſicut Philoſ. dicit in 3. eth. quòd inebriati ſunt benè ſperantes, & in 2. Reth. iuuenes ſunt bonæ ſpei: & ſimiliter illi qui non ſunt paſſi repulſam, nec experti impedimenta: omnes etiam ſtulti & deliberatione non vtentes.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iuuentus eſt cauſa ſpei propter tria, vt Philoſop. dicit in 2. Rhet. & hæc tria poſſunt accipi ſecundùm tres conditiones boni, quod eſt obiectum ſpei, quod eſt futurum & arduum & poſſibile. Iuuenes enim multùm habent [illegible]

futuro & parum de præterito: & ideo quia memoria eſt præteriti, ſpes autem futuri, parum habent de memoria ſed multùm viuunt in ſpe. iuvenes etiam propter caliditatem naturæ habent multos Spiritus, & ita in eis cor ampliatur: ex amplitudine autem cordis eſt quòd aliquis ad ardua tendat: & ideo qui non ſunt paſſi repulſam, nec experti impedimenta in ſuis conatibus, de facili reputant aliquid ſibi poſſibile: & ideo ſunt bonæ ſpei.

Duo etiam ipſorum ſunt in Ebriis: ſcilicet caliditas & multiplicatio Spirituum propter vinũ: & iterum inconſideratio periculorum vel defectuum: & propter eandem rationem, etiam omnes ſtulti, & deliberatione non utentes, omnia tentant, & ſunt bonæ ſpei. *in eadem qu.* 40. *a.* 6.

Qu. 9. quomodo ſpes conferat ad operationem, vnde Apoſt. 1. ad Corinth. 9. ait qui arat, debet arare in ſpe fructus percipiendi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſpes per ſe habet quòd adiuuet operationem intendendo ipsã: & hoc ex duobus: primò quidem ex ratione ſui objecti, quod eſt bonum arduum poſſibile: exiſtimatio enim ardui excitat attentionem: exiſtimatio verò poſſibilis non retardat conatum: vnde ſequitur quòd homo intensè operetur propter ſpem: ſecundò verò ex ratione ſui effectus, ſpes enim cauſat delectationem, quæ adiuuat operationem: vnde ſpes operationem adiuvat. 1. 2. *qu.* 40. *a.* 8.

Qu. 10. quomodo preuenit ex ipſa ſpe, quòd ſicut dicitur 2. Reg. 2. periculoſa eſt deſperatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd deſperatio in bello ſit periculoſa propter aliquam ſpem adiunctam: illi enim qui deſperant de fuga, debilitantur in fugiendo: ſed ſperant mortem ſuam vindicare: ideo ex hac ſpe actiùs pugnant: vnde periculoſi hoſtibus fiunt. *ibidem ad.* 3.

Qu. 11. quomodo ſpes cauſat audaciam, preſertim in illis qui de auxilio Dei confidunt.

Reſp. ſupra V. audacia *qu.* 3.

SPONSALIA.

Qu. 1. an ſponſalia conuenienter dicãtur futurarum nuptiarum promiſſio: & quot modis fiat hac promiſſio: & quandonam ſubſiſtat.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd conſenſus in coniugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, ſed matrimonii promiſſionem, & hæc promiſſio dicitur, *ſponſalia à ſpondendo*, vt Iſidorus dicit lib. 9. Ethimol. nam ante vſum tabularum matrimonii cautiones dabant, quibus ſpondebant ſe inuicem conſentire in iura matrimonii, & fideiuſſores dabãt. Fit autem iſta promiſſio dupliciter, ſcilicet abſolutè, & ſub conditione. Abſolutè, quatuor modis: Primò, nudâ promiſſione, vt cùm dicitur *accipiam te in meam*, & econtrario: Secundò datis arrhis ſponſalitiis, vt pecuniâ

cuniâ, vel huiuſmodi: Tertiò, annuli ſub arrhatione: Quartò, interueniente iuramento.

Si autem fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtiguendum eſt: quia aut eſt conditio honeſta, vt cùm dicitur, *accipiam te, ſi parentibus placeat*: & tunc ſtante conditione ſtat promiſſio, & non ſtante non ſtat: aut inhoneſta: & hoc dupliciter: quia aut eſt contrarium bonis matrimonii, vt ſi dicam, *accipiam te, ſi venena ſterelitatis procures*: & tunc contrahuntur ſponſalia: Aut non eſt contraria bonis matrimonij, vt ſi dicam, *accipiam te, ſi futuris meis conſentias*: & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio. *4. ſent. d. 27. q. 2. a. 1. in corp. 4. ad hann. d. 27. a. 3. in c.*

Qu. 2. an ſponſalia obligent ſub pecto mortali: & cur in foro contentioſo non compelluntur perſonæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex tali promiſſione ſponſalium obligatur vnus alij ad matrimonium contrahendum: & peccat mortaliter non ſoluens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interueniat & ſecundùm hoc etiam Eccleſia cogit iniungendo pœnitetiam pro peccato.

Tamen in foro contentioſo non compellitur: quia matrimonia coacta conſueuerunt malos exitus habere: niſi fortè iuramentum interuenerit: quia tunc cogendus eſt, vt quidam dicunt: quamuis alijs non videatur propter cauſam prædictam: & præcipuè ſi de vxoricidio timeretur. *ibidem ad 2.*

Qu. 3. an & quando conditio ſponſalibus appoſita impediat honeſtatem matrimonii, & ſit nulla.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conditio illa quæ apponitur, non tollit matrimonij libertatem: quia ſi eſt inhoneſta, debet abijci: ſi autem honeſta, aut eſt de bonis ſimpliciter, vt ſi dicatur, *accipiam te ſi places parentibus*: & hæc conditio non tollit libertatem ſponſalium, ſed auget ei honeſtatem: aut eſt de vtilibus, vt ſi dicat, *contraham tecum, ſi dabis mihi centum*, & tunc hoc non ponitur quaſi ad vendendum conſenſum matrimonij: ſed intelligitur vt promiſſio dotis, vnde matrimonium libertatem non perdit.

Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ: & tunc quia matrimonia debent eſſe libera, talis conditio non ſtat, nec poteſt exigi pœna illa ab eo, qui non vult matrimonium complere. *4. ſent. d. 27. q. 2. a. 1. ad 4.*

Qu. 4. an tempus ſeptennii ſit competenter aſſignatum ſponſalibus contrahendis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſeptennium eſt tempus determinatum à iure ſponſalibus contrahendis ſatis rationabiliter. Quia cùm ſponſalia ſint quædam promiſſio futurorũ oportet quòd illorum ſint qui aliquo modo promittere poſſunt, quod non eſt niſi illorum qui habent aliquam prudentiam de futuris, quæ uſum rationis requirit: reſpectu cuius triplex gradus notatur ſecundum Philoſophum in 1. Eth. Primus eſt, cùm quis neque intelligit per

Digitized by Google

ſe, neque ab alio capere poteſt: Secundus ſtatus eſt, cùm homo ab alio capere poteſt, ſed ipſe per ſe non ſufficit ad intelligendum: Tertius eſt, cùm homo ab alio capere poteſt, & per ſe ipſum conſiderare. Et quia ratio paulatim in homine conualeſcit ſecundùm quòd quietantur motus, & fluxibilitas humorum; Ideo primum ſtatum rationis obtinet homo ante primum ſeptemnium: & propter hoc illo tempore nulli contractui aptus eſt, & ita nec ſponſalibus. Sed ad ſecundum ſtatum incipit homo peruenire in fine primi ſeptemnij: vnde etiam tunc temporis pueri ad ſcholas ponuntur. Sed ad tertium ſtatum incipit homo peruenire in fine ſecundi ſeptenij quantùm ad ea quæ ad perſonam ipſius pertinent, in qua ratio naturalis citiùs convaleſcit: ſed quãtùm ad ea quæ extra ipſum ſunt, in fine tertij ſeptemnij.

Et ideo ante primum ſeptemniũ nulli contractui homo aptus eſt, ſed in fine primi ſeptemnij incipit eſſe aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipuè de his ad quæ ratio naturalis inclinat magis: non autem ad obligandum ſe perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem: Et ideo poſſunt tali tempore cótrahi ſponſalia. Sed in fine ſecundi ſeptemnij iam poteſt obligare ſe de his quæ ad perſonam ipſius pertinent, vel ad coniugium. Sed poſt tertium ſeptemnium etiam poteſt de alijs ſe obligare; & ſecundùm leges conſtituitur ei poteſtas diſponendi de rebus ſuis poſt viginti quinque annos. 4. *ſent. diſt.* 26. *q.* 1. 2. *art.* 2. *in corp.*

Qu. 5. *quid dicendum ſit de ſponſalibus quæ fiunt per parentes vel alios ignorantibus pueris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ante annos pubertatis ſit contractus ſponſalium per alium, ambo vel alter reclamare poſſunt: Vnde tunc nihil eſt actum: adeo quòd nec aliqua affinitas ex hoc contrahatur. Et ideo ſponſalia, quæ inter aliquos per perſonas alias contrahuntur, robur habent inquantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur conſentire his; quæ per alios facta ſunt. 4. *ſent. d.* 27. *quæſtiunc.* 2. *art.* 2. *ad* 1.

Qu. 6. *an ætas vnius poſſit ſupplere pro ætate alterius, ad ſponſalia contrahenda.*

Reſp. D. Thomas, quia ſponſalia niſi inter duos eſſe poſſunt, in vtroque requiritur, quòd ſit ſufficiens ad contrahendum: Et ideo defectus vnius ſponſalia impedit; nec ex altero poteſt ſuppleri 4. *ſent. diſtinct.* 17. *quæſtiunc.* 2. *ad* 6.

Qu. 7. *an ſponſalia poſſint contrahi inter eos, qui accedunt ad ſeptemnium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi appropinquant contrahentes ad tempus ſeptemnij, contractus ſponſalium habet robur; quia ſecundùm Philoſophum in 2. Phyſ. *cui paruum deeſt, nihil deeſſe videtur* hæc autem propinquitas à quibuſdam determinatur tempus ex

ſex menſium : ſed melius eſt quòd determinetur ſecundùm conditionem contrahentum ; quia in quibuſdam magis acceleratur rationis vſus , quàm in alijs. 4. *ſent. diſt.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 7.

Qu. 8. *quare idem tempus determinatur in maſculo & fœmina ad ſponſalia , non autem ad matrimonium.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd in tempore contractûs matrimonij non ſolùm requiritur diſpoſitio ex parte vſûs rationis, ſed etiam ex parte corporis ; vt ſit corpus generationi aptum: Et quia puella 12. duodecimo anno ad hoc venit vt poſſit eſſe actui generationis apta , puer autem in fine ſecundi ſeptenij , ut Philoſ. dicit in 9. de animalibus , ſimul autem vſum diſcretionis accipiunt, qui tantùm in ſponſalibus requiritur; ideo in ſponſalibus determinatur vnum tempus vtrique ; non autem in matrimonio. 4. *ſ. d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 3.

Quær. 9. *an iuramentum adiunctum conſenſui per verba de futuro* 10. *faciat matrimonium vel ſolummodo ſponſalia.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd iuramentum adhibetur pro confirmatione dictorum : Vnde illud tantùm confirmat , quod in dictis ſignificatur, nec ſignificatum mutat : Et ideo cùm verba de futuro ex ipſa ſignificatione ſua habeant quòd matrimonium non faciant, quia quod futurum promittitur , nondum eſt matrimonium factum. 4. *ſent. d.* 28. *q.* 1. *a.* 1. *in corp.* 4. *ad ann. d.* 28. *a.* 2.

Quær. 10. *quandonam peccet ſponſa ſuum ſponſum admittens ad carnalem copulam.*

Reſp. infra V. ſtrupum.

Qu. 11. *quomodo ſponſalia contrahi poſſint cum infideli.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd eadem eſt habitudo præſentis ad præſens , & futuri ad futurum : vnde ſicut quando matrimonium in præſenti contrahitur, requiritur vnitas cultûs in vtroque contrahentium ; ita ad ſponſalia quibus fit ſponſio futuri matrimonij , ſufficit conditio appoſita de futura vnitate cultûs. 4. *ſent. diſt.* 39. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 3. 4. *ad hann. d.* 39. *a. ad.* 2.

Qu. 12. *an ſponſalia poſſint ſolui propter quodcunque crimen vt ait Magiſter ſent. diſt.* 4.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd verba Magiſtri ſunt accipienda de ſponſalibus ; quia propter crimẽ ſuperueniens ſponſalia ſolui poſſunt 4. *ſ. d.* 39. *art.* 6. *ad quint.*

Qu. 13. *an ſponſalia diſſoluantur ex hoc quòd alter ad longinquam regionem ſe transfert , & dubitatur vtrum redibit.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd dubium illud determinatur ex hoc quòd alter non comparet tempore ſtatuto ad matrimonium perficiendum : vnde ſi ex parte eius non deficit , quin matrimonium compleret , poteſt licitè al-

Digitized by Google

teri nuberet ſine aliquo peccato: ſi autem per eum ſtetit, quòd matrimonium non eſt completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promiſſionis, aut iuramenti (ſi iuramentum interuenit) & contrahere cum aliqua (ſi vult) judicio Eccleſiæ. 4. *ſent. diſt.* 27. *quaſt.* 2. *art.* 3. *ad* 2.

Qu. 14. *an ſponſalia poſſint diſſolui peregritudinem ſuperuenientem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ante contractum matrimonium aliquam grauem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos ſunt contracta ſponſalia, quæ ipſum nimis debilitet (vt Epilepſia vel paralyſis) aut eum deformet, (vt abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum, vel aliquid huiuſmodi) aut quæ ſunt contra bonum prolis (vt pote lepra, quæ ſolet prolem inficere) poſſunt ſponſalia dirimi, ne ſibi inuicem diſpliceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur. nec pro pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum reportat, quod non eſt inconueniens. 4. *ſent. diſt.* 27. *quaſt.* 2. *art.* 3. *ad* 3.

Qu. 15. *an ſponſalia dirimantur propter affinitatem ſuperuenientem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ſponſus cognouit conſanguineam ſponſæ, vel econuerſo, tunc debent ſponſalia dirimi; & ad hoc probandum ſola fama ſufficit propter ſcandalum vitandum: cauſæ enim, quæ in futurum expectant effectus ſuos, impediuntur à ſuis effectibus non ſolùm ex eo quod eſt, ſed ex eo quod futurum eſt: vnde ſicut affinitas, ſi eſſet tempore contractus ſponſalium, impediuiſſet contractum illum; ita ſi interueniat ante matrimonium, quod effectus quidam ſponſalium, prior contractus ab effectu ſuo impeditur: nec in hoc aliquid detrahitur alteri: imò ei confertur: quia abſoluitur ab eo qui per fornicationem Deo ſe odioſum reddit. 4. *ſent. d.* 27. *quaſt.* 2. *a.* 3. *ad* 4.

Qu. 16. *quid agendum ſit quando poſt ſponſalia committitur inceſtus.*

Reſp. V. matrimonium *qu.* 158.

Qu. 18. *vtrum ille qui cognouit carnaliter eam quam deſponderat, poſſit habere vxorem illam cum qua poſtea contrahit per verba de præſenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Leo Papa dicit, cauſa matrimonij eſt conſenſus per verba de præſenti expreſſus, *ſine quo cætera, etiam cum coitu ſubſecuta fruſtrantur*: remotâ autem cauſâ remouetur effectus: vnde cùm in primo matrimonio ponatur non fuiſſe conſenſus, manifeſtum eſt quòd non fuit matrimonium: Et quia poſitâ cauſâ ponitur effectus, conſequens eſt vt ſecundum fuerit matrimonium, in quo ponitur fuiſſe mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus inter perſonas à matrimonio ſolutas. *quod* 5. *a.* 14. *in c.*

Qu. 18. *an ſponſalia poſſint dirimi per mutuam voluntatem partium: & vtrum conſenſum ille mutuus ſit leuitatis ſignum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd quidam non recipiunt iſtum caſum: ſed contra eos eſt decretalis Quæ expreſsè dicit, *ad inſtar eorum qui ſocietatem fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, poteſt in patientia tolerari, ſi mutuò ſe abſoluunt, qui ſponſalia contraxerunt.* Sed ad hoc dicunt, quòd Eccleſia magis hoc ſuſtinet ne peius eueniat, quàm hoc ſit de iure: ſed hoc non videtur exemplo conuenire quod decret. ſad ducit. nec hoc dicit leuitatem: quia non ſemper eſt leuitatis retractare, quæ priùs firmata ſunt, quia *incertæ ſunt prouidentiæ noſtræ*, vt dicitur in lib. Sap. 4. *ſent. diſt.* 27. *qua.* 2. *ad* 5.

Qu. 19. an ſponſalia poſſint dirimi per alterius fornicationem.

Reſp. D. Thomas, ex hoc efficiuntur ſibi inuicem ſuſpecti de non ſeruanda fide in futurum: ideo poteſt ſibi præcauere vnus contra alium ſponſalia dirimédo. 4. *ſent. diſt.* 27. *quaſt* 2. *art.* 3. *ad* 6.

Qu. 20. an ſponſalia dirimantur, quando alter religionem ingreditur, vel ad longinquam regionem ſe transfert, vel propter ægritudinem, aut affinitatem interuenientem, aut ex mutuo conſenſu, vel ob alterius fornicationem, vel per contractum cum alia per verba de præſenti, aut ex defectu ætatis,

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in omnibus prædictis caſibus ſponſalia contracta dirimuntur, ſed diuerſimodè: quia in duobus caſibus (ſcilicet cùm quis ad religionem confugit, & cum alter coniugum cum altero per verba de præſenti contrahit (ipſo iure ſponſalia dirimuntur; ſed in aliis caſibus dirimi debent ſecundùm iudicium Eccleſiæ. 4. *l. d.* 27. *q.* 2. *a.* 3. *in c.* 4. *ad hann. d.* 27. *a.* 3. *ad* 4 *quodl.* 4. *a.* 13. *ad* 19.

Qu. 21. an propter ſimplex continentiæ votum ſponſalia dirimi debeant.

Reſp. D. Thomas, propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda. 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 2. *ad* 1.

De impedimento matrimonij, quod dicitur publica honeſtatis iuſtitia, & prouenit ex ſponſalibus, agitur ſupra v. Matrimonium qu. 145. *& ſeq.*

STVDIOSITAS.

Qu. 1. cur excitamur ad ſtudioſitatem, iuxta illud prou. 27. Stude ſapientiæ, fili mi, & lætifica cor meum, vt poſſis reſpondere exprobranti ſermonem: & cur ſimul retrahitur ab immoderato ſciendi deſiderio, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de moribus Eccleſiæ, curioſi eſſe prohibemur, quod magnum temperantiæ munus eſt: & quomodo ſtudioſitatis virtus conſiſtit in refrenatione inclinationis, ſecundùm quam, vt Philoſopus ait in prncipio Metaphiſicæ, omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſ. dicit in 2. Ethic. *Ad hoc quòd homo fiat virtuoſus, oportet quòd ſeruet ſe ab his ad quæ maximè inclinat natura:* Et inde eſt quòd quia natura præcipuè inclinat ad timendum mortis pericula, & ad ſectandum delectabi-

Digitized by Google

lia carnis, ideo laus virtutis fortitudinis præcipuè conſiſtit in quadam firmitate perſiſtendi contra huiuſmodi pericula; & laus virtutis temperantiæ in quadam refrænatione à delectabilibus carnis. Sed quantùm ad cognitionem, eſt in homine contraria inclinatio, quia ex parte animæ inclinatur homo ad hoc quòd cognitionem rerum deſideret: Et ſic oportet vt laudabiliter homo huiuſmodi appetitum refrenet, ne immoderatè rerum cognitioni intendat: Ex parte verò naturæ corporalis homo inclinatur ad hoc, vt laborem inquirendi ſcientiam vitet. Quantùm ergo ad primum, ſtudioſitas in refrænatione conſiſtit, & ſecundùm hoc ponitur pars temperantiæ: ſed quantùm ad ſecundùm, laus virtutis huiuſmodi conſiſtit in quadam vehementia intentionis ad ſcientiam rerum percipiendam, & ex hoc nominatur. Primum autem eſt eſſentialius huic virtuti, quàm ſecundum: Nam appetitus cognoſcendi per ſe reſpicit cognitionem, ad quam ordinatur ſtudioſitas: ſed labor addiſcendi eſt impedimentũ quoddam cognitionis; vnde reſpicitur ab hac virtute per accidens, quaſi remouendo prohibens. 2. 2 *qu.* 166. *a.* 2. *ad* 3.

Qu. 2. *in quo ſenſu D. Hyeronymus dicit ſuper epiſtolam ad Titum, antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cepha, &c.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſtudium ad ſcientiam ordinatur: quæ ſine charitate inflat, & per conſequens diſſenſiones facit, ſecundùm illud Prou. 13. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia:* ſed cum charitate ædificat, & concordiam parit: vnde 1. ad Corinth. 1. Apoſt. cùm dixiſſet, diuites facti eſtis in omni verbo & in omni ſcientia, poſtmodum ſubdit: id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Hieronymus tamen loquitur ibi de litterarum ſtudiis, ſed de ſtudiis diſſenſionum quæ per hæreticos & ſciſmaticos intrauerunt in Religionem Chriſtianam, 2.2.*qu.* 188. *a.* 5. *ad* 2.

Qu. 3. *quodnam ſtudium principaliter conueniat Religioſis, & vtrum ſtudere poſſint Philoſophiæ, aliiſque ſcientiis ſæcularibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Philoſophi profitebãtur ſtudia litterarum quantùm ad ſæculares doctrinas: Religioſis competit principaliter intẽdere ſtudio litterarũ pertinentium ad doctrinã, *quæ ſecundum pietatẽ eſt*, vt dicitur ad Titum primo: aliis autem doctrinis intendere nõ pertinet ad Religioſos, quorum tota vita diuinis obſequijs mancipatur, niſi inquantum ordinantur ad ſacram doctrinam: vnde Auguſtinus dicit in fine muſicæ: *nos dum negligendos eſſe non exiſtimamus, quos hæretici rationis & ſcientiæ fallaci pollicitatione decipiunt, tardiùs inceadimus conſideratione ipſarum viarum quod tamen facere non auderemus, niſi multos pios Eccleſiæ matris optimæ filios eadem refellendorum hæreticorum neceſſitate feciſſe videremus.* 2. 2. q. 188. *art.* 5. *ad* 3.

Qu. 4. quinam defectus contingere poſſint circa ſtudioſitatem ratione curioſitatis: & vtrum conueniens fuerit quòd aliquis ordo religioſus inſtitueretur ad ſtudendum.

Reſp. v. curioſitatis, præſertim qu. 1. & v. Religio qu. 54

STVPRVM.

Qu. 1. an ſtuprum quod propriè conſiſtit in actu venereo quo Virgo defloratur, ſit determinata ſpecies luxuriæ; & quas deformitates habeat.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd vbi circa materiam alicuius vitij occurrit aliqua ſpecialisdeformitas, ibi debet poni determinata ſpecies illius vitii: luxuria autem eſt peccatum circa venerea exiſtens; in virgine autem ſub cuſtodia Patris exiſtente, quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur: tum ex parte puellæ quæ ex hoc quòd violatur, nulla pactione coniugali præcedente, & impeditur à legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi à quo retrahebatur, ne ſignaculũ virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris qui de eius cuſtodia ſolicitudinem gerit; ſecundùm illud Eccleſ. 42. *ſuper filiam luxurioſã co firma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis*: Et ideo manifeſtum eſt quòd ſtuprum quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriæ ſpe cies. 2. 2. *q*. 144. *a*. 6. *in corp*.

Qu. 2. an ſponſus & ſponſa peccent ſi ante matrimonium copulam habeant cum in hoc conſiſtat ſtuprum, ſi ſponſa ſit virgo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi ſponſa ſponſum admittat, credens eum velle matrimonium conſummare, excuſatur à peccato, niſi aliqua ſigna expreſſa fraudis appareant; ſicut ſi ſunt multùm diſtantis conditionis, vel quantùm ad nobilitatem, vel quantùm ad fortunam, vel aliud ſignum euidens appareat: ſed tamen ſponſus peccat & fornicando & (quod plus eſt) fraude quam facit. 4. *ſ. d.* 28 *q*. 1. *a*. 2. *ad* 3.

Vide ſupra de matrimonio clandeſtino v. matrimonium qu. 177.

Qu. 3. an & quando ille qui mulierem ſub ſpecie matrimonii deflorauit, ſiue ſtuprum commiſit teneatur eam ducere in vxorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in tali caſu ſponſus antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in vxorem, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis: ſed ſi aliam duxerit, iam factus eſt impotens ad ſoluendum illud ad quod tenebatur: & ideo ſufficit ſi ei de nuptiis prouiderit: Et ad hoc etiam non tenetur, vt quidam dicunt ſi ſponſus ſit multò melioris conditionis, aut aliquod ſignum euidens fraudis fuerit; quia præſumi probabiliter poteſt quòd ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit. *ibid. ad* 4.

Digitized by Google

Qu. 4. quomodo ſtuprum facit iniuriam & virgini & ipſius Patri: & quomodo fieri debeat vtriuſque iniuriæ reparatio: & in quo ſenſu dixit D. Ambroſius in lib. de Patriarchis, nemo ſibi blandiatur de legibus hominum: omne ſtuprum adulterium eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet vnum peccatum ex adiunctione alterius deformius fieri: fit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato iniuſtitiæ; quia videtur concupiſcentia eſſe inordinatior, quæ à delectabili non abſtinet, vt iniuriam vitet: habet autem duplicem iniuriam annexam: vnam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat, tamen eam ſeducit, & ſic tenetur ei ſatisfacere; vnde dicitur Exodi 22. *Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque, cum ea: dotabit eam, & habebit vxorem: Si autem Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam, iuxta modum dotis quam virgines accipere conſueuerunt*: Aliam verò iniuriam facit Patri puellæ. Vnde & ei ſecundùm legem tenetur ad pœnam; dicitur enim Deut. 22. *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa: & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam vxorem: & quia humiliauit illam non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ*, & hoc ideo ne videatur ludibrium fuiſſe, vt Auguſtinus dicit. 2. 2. q. 154. a. 6. ad 3.

Qu. 5. cur dicat D. Hieronymus B. Virginem, fuiſſe deſponſatam, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera: & qua pœna puniebatur ſtuprum in lege antiqua.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iudicio adulterarum lapidabatur ſecundùm legem non ſolum illa quæ iam erat deſponſata vel nupta, ſed etiam illa quæ in domo Patris cuſtodiebatur vt virgo, quandoque nuptura: vnde dicitur deuter. *Si non eſt in puella inuenta virginitas, lapidibus obruent eam viri ciuitatis illius & morietur: quia fecit nefas in Iſraël, vt fornicaretur in domo Patris ſui.* Vel poteſt dici ſecundùm quoſdam quòd B. Virgo erat de ſtirpe Aaron: vnde erat cognata Elizabet, vt dicitur Luc. 1. virgo autem de genere ſacerdotali, propter ſtuprum occidebatur: legitur enim leu. 21. *ſacerdotis filia, ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit nomen patris ſui, flammis exuretur.* Quidam referunt verbum Hieron. ad lapidationem infamiæ. 3. p. q. 29. a. 1. ad 4.

SVFFRAGIA.

Qu. 1. an & quomodo ſuffragia viuorum proſint mortuis ſicut & viuis, iuxta illud D. Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda: non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ quæ in hac conſuetudine claret authoritas, vt in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum etiam habeat commendatio mortuorum: Et D. Damaſc. in ſerm. de ſuffragiis mortuorum, ait: myſteriorum conſcii Diſcipuli Saluatoris, & Sacri

Sacri Apoſtoli in tremendis & viuificis myſteriis memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, ſanxerunt. D. quoque Dyon. in vltimo cap. cœleſtis hyerachiæ ritum commemorat quo in primitiua Eccleſia pro mortuis orabatur, & aſſerit ſuffragia viuorum mortuis prodeſſe.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd charitas quæ eſt vinculum vniens membra Eccleſiæ, non ſolùm ad viuos ſe extendit, ſed etiam ad mortuos qui in charitate decederunt; charitas enim vità corporis non finitur 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*: ſimiliter etiam mortui in memoriis hominum viuentium viuunt; & ideo intentio viuentium ad eos dirigi poteſt: Et ſic ſuffragia viuorum dupliciter mortuis proſunt, ſicut & viuis, & propter charitatis vnionem, & propter intentionem ad eos directam: non tamen ſic eis valere credenda ſunt mortuorum ſuffragia, vt ſtatus eorum mutetur de miſeria in felicitatem, vel è conuerſo; ſed valent ad diminutionem pœnæ, vel aliquid huiuſmodi quod ſtatum mortui non tranſmutat. *4. ſ. d. 45. q. 2. a. 1. qu. 2. in corp.*

Qu. 2. an & quomodo ſuffragia per peccatores facta, proſint eis pro quibus fiunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in ſuffragiis quæ fiunt per malos, duo poſſunt conſiderari: Primò, ipſum opus operatum, ſicut ſacrificium altaris: & quia noſtra Sacramenta ex ſeipſis efficaciam habent abſque opere operantis, quàm æqualiter explent per quoſcunque fiant, quantum ad hoc ſuffragia per malos facta defunctis proſunt: alio modo quantùm ad opus operantis: & ſic diſtinguendum eſt: quia operatio peccatoris ſuffragia facientis poteſt vno modo conſiderari vt eſt eius, & ſic nullo modo meritoria eſſe poteſt nec ſibi nec aliis: Alio modo inquantum eſt alterius, quod dupliciter contingit.

Vno modo inquantum peccator ſuffragia faciens gerit perſonam totius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos cùm dicit in Eccleſia exequias mortuorum; & quia ille intelligitur facere, cuius nomine vel vice fit, vt patet per Dionyſium 13. cap. cœleſtis hierarch. inde eſt quòd ſuffragia talis Sacerdotis, quamuis ſit peccator, pro defunctis proſunt: alio modo, quando agit vt inſtrumentum alterius; opus enim miniſtri eſt magis principalis agentis: vnde quamuis ille qui agit vt inſtrumentum alterius, non ſit in ſtatu merendi, actio tamen eius poteſt eſſe meritoria ratione principalis agentis: ſicut ſi ſeruus in peccato exiſtens quodcunque opus miſericordiæ facit ex præcepto Domini ſui charitatem habentis: vnde ſi aliquis in charitate decedens præcipiat ſibi ſuffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa ſuffragia valent defuncto; quamuis illi per quos fiunt, in peccato exiſtant. Magis tamen valerent, ſi in charitate eſſent, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria eſſent. *4. ſ. d. 45 quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. in corp.*

Digitized by Google

Quær. 3. an ſuffragia, quæ pro aliis fiunt, facientibus proſint.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd opus ſuffragij quod pro altero fit, poteſt conſiderari dupliciter: vno modo, vt expiatiuum pœnæ per modum cuiuſdam recompenſationis, quæ in ſatisfactione attenditur: & hoc modo opus ſuffragij quod reputatur quaſi eius pro quo fit, ita abſolui eum à debito pœnæ, quòd non abſoluit facientem à debito pœnæ propriæ: quia in tali recompenſatione conſideratur æqualitas iuſtitiæ: opus autem iſtud ſatisfactorium ita poteſt adæquari reatui vni, quòd alteri non æquetur; reatus enim duorum peccatorum maiorem ſatisfactionem requirunt, quàm reatus vnius: Alio modo poteſt conſiderari inquantum eſt meritorium vitæ æternæ, quod habet inquantum procedit ex radice charitatis: & ſecundùm hoc non ſolùm prodeſt ei pro quo fit, ſed facienti magis. 4. *ſent. d. 45. qu. 2. a. 1. quæſtiunc. 4. in corp.*

Qu. 4. an & quomodo aliquis ſuffragiorum auxilio priuari poteſt, ex culpa alterius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuffragia ex duobus valent; ſcilicet ex opere operante, & ex opere operato: & dico opus operatum non ſolùm Eccleſiæ Sacramentum, ſed effectum accidentem ex operatione; ſicut ex collatione elemoſynarũ conſequitur pauperum reuelatio, & eorum oratio pro defuncto ad Deum: ſimiliter opus operans poteſt accipi vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dico ergo quòd quàm citò moriens diſponit aliqua ſuffragia ſibi fieri, præmium ſuffragiorum plenè conſequitur (ante etiam quàm fiant) quantùm ad efficaciam ſuffragij, quæ erat ex opere operante principalis agentis: ſed quantùm ad efficaciam ſuffragiorum quæ eſt ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non conſequitur fructum antequam ſuffragia fiant; & ſi priùs contingit ipſum à pœna purgari, quantùm ad hoc fraudabitur ſuffragiorum fructu; quod redundabit in illos, quorum culpa defraudatur: non enim eſt inconueniens quòd aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus: pœna autem purgatorij temporalis eſt: quamuis quantùm ad æternam retributionem nullus defraudari poſſit, niſi per propriam culpam. 4. *ſent. d. 45. q. 2. a. 2. q uæſt. 2. ad 4.*

Qu. 5. cur ſacrificium miſſæ, eleemoſyna, & oratio ſunt opera, quæ præcipuè ſuffragantur mortuis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuffragia viuorum proſunt defunctis ſecundùm quòd vniuntur viuentibus charitate; & ſecundùm quòd intentio viuentium refertur in mortuos: & ideo illa opera præcipuè nata ſunt mortuis ſuffragari, quæ maximè ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem ſacramentum Euchariſtiæ præcipuè pertinet, cùm ſit ſacramentum Eccleſiaſticæ vnionis, continens illum in quo tota Eccleſia vnitur &

conſolidatur, ſcilicet Chriſtum: Vnde Euchariſtia eſt, quaſi quædā charitatis origo, ſiue vinculum.

Sed inter charitatis effectus præcipuum eſt eleemoſynarum opus: & ita iſta duo ex parte charitatis præcipuè mortuis ſuffragantur, ſcilicet ſacrificium Eccleſiæ, & eleemoſynæ.

Sed ex parte intentionis directæ in mortuos præcipuè valet oratio: quia oratio ſecundùm ſuam rationem non ſolùm dicit reſpectum ad orantem ſicut & cætera opera, ſed directiùs ad id pro quo oratur: Et ideo iſta tria ponuntur quaſi præcipua mortuorum ſubſidia, quamuis quæcunque alia bona ex charitate fiant pro defunctis, eis valere credenda ſint. 4. *ſent. d.* 45. *q.* 2. *a.* 3 *q.* 1. *in corp.*

Qu. 6. *cur Euchariſtia nedum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato vim habet ſuffragii, non autem baptiſmus vel aliud ſacramentum.*

Reſp. D. Th. dicendum quòd baptiſmus eſt quædā ſpiritualis regeneratio; vnde ſicut per generationē non acquiritur eſſe niſi generato, ita baptiſmus nō habet efficaciā niſi in eo qui baptizatur, quantùm eſt ex opere operato; quamuis ex opere operante vel baptizantis vel baptizati, poſſint aliis prodeſſe, ſicut & cætera opera meritoria: ſed Euchariſtia eſt ſignum Eccleſiaſticæ vnionis: & ideo ex ipſo opere operato eius efficacia in alterum tranſire poteſt quod non contingit in aliis ſacramentis. 4. *ſ. d.* 45. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 3.

Qu. 7. *an ſuffragia proſint nedum illis pro quibus fiunt ſed etiam aliis.*

Reſp. D. Thomas, valor ſuffragiorum poteſt penſari ex duobus. Valent enim vno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia: & ſecundùm hoc magis valent ei qui magis charitate eſt plenus, quamuis pro eo ſpecialiter non fiant: & ſic valor ſuffragiorum attenditur magis ſecundùm quandam interiorem conſolationem, ſecundùm quòd vnus in charitate exiſtens de bonis alterius delectatur poſt mortem, quàm quantùm ad diminutionem pœnæ: poſt mortem enim non eſt locus acquirendi gratiam, vel augmentandi, ad quod valent nobis in vita opera aliorum ex virtute charitatis.

Alio modo ſuffragia valent ex hoc quòd per intentionem vnius alteri applicantur; & ſic ſatisfactio vnius alteri computatur: & hoc modo non eſt dubium quòd magis valent ei pro quo fiunt; imò ſic ei ſoli valent: ſatisfactio enim propriè ad pœnæ dimiſſionem ordinatur: Vnde quantùm ad dimiſſionem pœnæ præcipuè valet ſuffragium ei pro quo fit. 4. *ſent. d.* 45. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 1. *in corp.* *quodl.* 8. *a.* 9. *in corp.*

Qu. 8. *an diuites quantùm ad ſuffragia ſint melioris conditionis quàm pauperes, licet de illis dicatur Lucæ* 6. *beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet diuites, quantùm ad aliquid eſſe melioris conditionis quàm pauperes, ſicut quantùm ad expiationem pœnæ: ſed hoc quaſi nihil eſt comparatū poſſeſſioni regni cœlorum: in qua

Digitized by Google

pauperes melioris conditionis eſſe oſtenduntur per authoritatem inductam. *ibidem ad 3.*

Qu. 9. an ſuffragia facta pro multis tantùm proſint ſingulis, ac ſi pro vnoquoque ſingulariter fierent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi valor ſuffragiorum conſideretur ſecundùm quòd valent ex virtute charitatis vnientis membra Eccleſiæ, ſuffragia pro multis facta tantùm ſingulis proſunt ac ſi pro vno tantùm fierent, quia charitas non minuitur, ſi diuidatur effectus eius in multos, imò magis augetur; & ſimiliter etiam gaudium quādo pluribus eſt commune, fit maius, vt dicit Auguſt. 8. confeſſ. & ſic de vno bono facto non minus lætantur multi in purgatorio: quàm vnus.

Si autem conſideretur valor ſuffragiorum inquantum ſunt ſatisfactiones quædam per intentionem facientis tranſlatæ in mortuos, tunc magis valet ſuffragium alicui quod pro eo ſingulariter fit, quàm quod pro eo communiter fit & pro multis aliis: ſic enim effectus ſuffragij diuiditur ex diuina Iuſtitia inter eos, pro quibus ſuffragia fiunt & ex hoc patet quare inſtitutum ſit, vt ſuffragia ſpecialia in Eccleſia fiant. 4. *ſent. d. 45. qu. 2. a. 4. quæſtiu. 2. in corp.*

Qu. 10. cur ſecundùm communem vſum Eccleſiæ, quando Miſſa pro vno defuncto dicitur, ſimul adiunguntur orationes pro aliis defūctis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia ſuffragia pro vno facta aliquo modo etiam aliis proſunt, vt ex dictis patet, ideo cùm pro vno Miſſa dicitur, non eſt inconueniens vt pro aliis etiam orationes fiant: non enim ad hoc dicuntur aliæ orationes, vt ſatisfactio vnius ſuffragij determinetur ad alios principaliter, ſed vt illis oratio pro eis ſpecialiter fuſa proſit. *ibidem ad 2.*

Qu. 11. an per Vnicum Miſſæ ſacrificium expietur tota pœna eorum qui ſunt in hoc mundo, vel in purgatorio: & vtrum ex diuina miſericordia ſuffragia quæ ſuperſunt vni, applicentur alteri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis virtus Chriſti quæ continetur ſub Sacramento Euchariſtiæ, ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur: Vnde non oportet quòd per vnum Altaris ſacrificium tota pœna eorum qui ſunt in Purgatorio, expietur; ſicut etiam nec per vnum ſacrificium quod aliquis homo offert, liberetur à tota ſatisfactione debita pro peccatis: vnde & quandoque plures Miſſæ in ſatisfactionem vnius peccati iniūguntur. Credibile tamen eſt quòd per diuinam miſericordiam, ſi aliquid de ſpecialibus ſuffragiis ſuperſit his pro quibus fiunt (vt ſcilicet eis non indigeant) aliis diſpenſetur, pro quibus non fiunt, ſi eis indigeant, vt patet per Damaſcenum in ſermone de dormientibus ſic dicentem: *Deus tanquam iuſtus commetietur impotenti poſſibilitatem, tanquam ſapiens verè defectuum commutationem negotiabitur*: quæ quidem negotiatio attenditur quòd id quod deeſt vni, alter ſupplet. 4.

Digitized by Google

ſent. diſt. 45. q. 2. a. 4. quæſtiunc. 3. ad 2.

Qu. 12. quanta ſint bona quæ ex ſuffragiis proueniunt; quibus excommunicati priuantur: & quomodo hæc ſuffragia ad eorum conuerſionem dirigi poſſunt.

Reſp. V. excommunicatio *qu. 3. & q. 7.*

Qu. 13. quandonam indulgentia per modum ſuffragij mortuis applicari poſſunt: & vtrum ipſis ſuffragentur ea quæ fiunt in ſepultura.

Reſp. indulgentiæ qu. 24. & V. ſepultura.

Supra V. Miſſa ſub finem referuntur propoſitiones damnatæ ab Alexandro 7. circa duplicatum ſtipendium: contra quas propoſitiones afferi poteſt doctrina noſtri Sancti Doctoris hic tradita, præſertim qu. 7. & ſequentibus.

SVPERBIA.

Qu. 1. an ſuperbia ſit peccatum; de quo dicitur Tobiæ 4. ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd ſuperbia nominatur ex hoc quòd aliquis per voluntatem tendit ſupra id quod eſt: Vnde dicit Iſid. in lib. Etymol. *Superbus dictus eſt quia vult ſuper videri quàm eſt, qui enim vult ſupergredi quod eſt, ſuperbus eſt*: habet autem hoc ratio recta, vt voluntas vniuſcuiuſque feratur in id quod eſt proportionatum ſibi: Et ideo manifeſtum eſt quòd ſuperbia importat aliquid quod aduerſatur rationi rectæ: hoc autem facit rationem peccati; quia ſecundùm Dionyſium 4. cap. de diuinis nominibus, *malum animæ eſt præter rationem eſſe*, vnde manifeſtum eſt quòd ſuperbia eſt peccatum *2. 2. qu. 162. art. 1. in corp. p. 2. qu. 8. a. 2. in corp. qu. 77. art. 5. in corp. q. 8. de malo art. 2. in corp.*

Qu. 2. an ſuperbia ſit peccatum mortale, cùm D. Gregorius 34. moral. dicat: euidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt, at contra humilitas electorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuperbia humilitati opponitur: humilitas autem propriè reſpicit ſubiectionem hominis ad Deum: vnde ècontrario ſuperbia propriè reſpicit defectum huius ſubiectionis, ſecundùm ſcilicet quod aliquis ſe tollit ſupra id quod eſt ſibi præfixum ſecundùm diuinam regulam vel menſuram contra id quod Apoſtolus dicit 2. ad Corinthios 10. *Nos autem non in immenſum gloriamur, ſed ſecundùm menſuram, qua menſus eſt nobis Deus*: Et ideo dicitur Eccl. 10. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*: quia ſecundùm hoc radix ſuperbiæ conſideratur, quòd homo aliqualiter non ſubiicitur Deo, & regulis ipſius. Manifeſtum eſt autem quòd hoc ipſum quod eſt non ſubiici Deo habet rationem peccati mortalis, hoc enim eſt auerti à Deo: Vnde conſequens eſt quòd ſuperbia ſecundùm genus ſuum eſt peccatum mortale.

Sicut tamen in aliis, quæ ex ſuo genere ſunt peccata mortalia:

dus humilitatis eſt tenere quod communis regula Monaſterij habet : cui opponitur ſingularitas per quam ſcilicet aliquis ſanctior vult apparere. Sextus gradus humilitatis eſt credere & pronunciare ſe omnibus viliorem : cui opponitur arrogantia per quam ſcilicet homo ſe aliis præfert. Septimus gradus humilitatis eſt ad omnia inutilem & indignum ſe confiteri & credere : cui opponitur præſumptio per quam aliquis reputat ſe ſufficientem ad maiora. Octauus gradus humilitatis eſt, in duris & aſperis patientiam amplecti : cui opponitur ſimulata confeſſio per quam ſcilicet aliquis non vult ſubire pœnam pro peccatis quæ ſimulatè confitetur. Decimus gradus humilitatis eſt obedientia : cui opponitur rebellio. Vndecimus gradus humilitatis eſt vt homo non delectetur facere propriam voluntatem : cui opponitur libertas per quam ſcilicet homo delectatur liberè facere quod vult. Vltimus autem gradus humilitatis eſt timor Dei : cui opponitur peccandi conſuetudo, quæ implicat Dei contemptum. In his autem duodecim gradibus tanguntur non ſolùm ſuperbiæ ſpecies, ſed etiam quædam antecedentia, & conſequentia. 2. 2. q. 162. a. 4. ad 4.

Qu. an ſuperbia ſit primum omnium peccatorum, iuxta illud Eccl. 10. initium omnis peccati ſuperbia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod eſt per ſe, eſt primum in quolibet genere : auerſio autem à Deo quæ formaliter complet rationem peccati, pertinet ad ſuperbiam per ſe, ad alia autem peccata ex conſequenti : Et inde eſt quòd ſuperbia habet rationem primi peccatorum ex parte auerſionis, quæ eſt principalior in peccato. 2. 2. *quæſt.* 162. *art.* 7. *in* 1. 2. *quæſt.* 84. *art.* 2.

Qu. 7. an ſuperbia ſit vitium capitale vel potius Regina omnium vitiorum & Mater.

Reſ. D. Thomas, dicendum quòd ſuperbia dupliciter conſiderari poteſt : Vno modo ſecundùm ſe, prout ſcilicet eſt quoddam ſpeciale peccatum : Alio modo ſecundùm quòd habet quandam influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur quædam ſpecialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur : Et ideò quidam conſiderantes ſuperbiā ſecundùm quòd eſt quoddam ſpeciale peccatum, connumerauerunt cum alijs vitijs capitalibus. Gregorius verò lib. 31. Moralium conſiderans vniuerſalem eius influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumerauit aliis capitalibus vitiis, ſed poſuit eam Reginam omnium vitiorum, & matrem : Vnde ait : *ipſa vitiorum Regina ſuperbia cùm deuictum plene cor cœperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.* 2. 2. q. 162. a. 8.

Qu. 8. cur Apoſtolus ſuperbiam inflationi comparat, 1. ad Corinth. 8. ſcientia inflat ; & cap. 13. charitas &c. non inflatur.

R. D. Thomas, rectè ſuperbia

inflationi comparatur. Nam id quod inflatur non habet ſolidam magnitudinem ſed apparentem: ita ſuperbi videntur quidem eſſe ſibi magni, cùm tamen verâ magnitudine careant, quæ non poteſt eſſe abſque ordine diuino ſap. 4. *diſrumpet illos inflatos ſine voce.* in expoſ. illius cap. 13. lect. 2.

Qu. 9. *quomodo ſicut ait D. Gregor. 23. Moral. obſtaculum veritatis tumor mentis eſt, quia dum inflat obnubilat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cognitio veritatis eſt duplex: vna purè ſpeculatiua, & hanc ſuperbia indirectè impedit, ſubſtrahendo cauſam; ſuperbus enim neque Deo intellectum ſuum ſubiicit, ut ab eo veritatis cognitionem percipiat, ſecundùm illud Matth. 1. *abſcondiſti hac à ſapientibus & prudentibus*, id eſt à ſuperbis, qui ſibi ſapientes & prudentes videntur, *& reuelaſti ea paruulis*, id eſt humilibus neque etiam ab hominibus addiſcere dignatur; cùm tamen dicatur Eccl. 6. *ſi inclinaueris aurem tuam*, ſcilicet humiliter audiendo, *excipies doctrinam.* Alia autem eſt cognitio veritatis, ſcilicet effectiua, & talem cognitionem veritatis directè impedit ſuperbia; quia ſuperbi dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis faſtidiunt, ut Gregor. dicit 23. Moral. quòd *Superbi etſi ſecreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non poſſunt: et ſi nouerunt quomodo ſunt, ignorant quomodo ſapiunt, vnde & Prou.* 11. dicitur *Vbi humilitas, ibi ſapientia.* 2. 2. *q.* 162. *a.* 3. *ad* 1.

Qu. 10. *cur ſicut D. Gregorius ait, 24. Moral. Superbi non eorum vitam conſiderant, quibus ſe humiliando poſtponant, ſed quibus ſuperbiendo ſe præferant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd humilitas attendit ad regulam rationis rectæ, ſecundùm quam aliquis veram exiſtimationem de ſe habet. Hanc autem regulam rectæ rationis non attendit ſuperbia; ſed de ſe maiora exiſtimat quàm ſint: quod contingit ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ; quia quod aliquis vehementer deſiderat, facilè credit; & ex hoc etiam eius appetitus in altiora fertur quàm ſibi conueniat: & ideo quæcunque conferunt ad hoc quòd aliquis æſtimet ſe ſupra id quod eſt, inducunt hominem ad ſuperbiam: quorum vnum eſt quòd aliquis conſideret defectus aliorum: ſicut è contra Gregor. ibidem dicit quòd *Sancti viri virtutum conſideratione viciſſim ſibi alios præferunt:* Ex hoc ergo non habetur quòd ſuperbia ſit in rationali, ſed quòd aliqua cauſa eius in ratione exiſtat. 2. 2. *q.* 162. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 11. *quomodo ſuperbia ſit grauiſſimum peccatorum cauſans aliorum grauitatem: & quomodo eſt primum & vltimum omnium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuperbia dicitur eſſe grauiſſimum peccatorum, ex eo quòd per ſe competit principio ex quo attenditur grauitas in peccato: & ideo ſuperbia cauſat grauitatem aliorum peccatorum. Contingit ergo

ergo ante ſuperbiam eſſe aliqua peccata leuiora, quæ etiam ex ignorantia vel infirmitate committuntur: ſed inter grauiora peccata primum eſt ſuperbia ſicut cauſa per quam alia peccata aggrauantur: Et quia id quod eſt primum in cauſando peccata, eſt etiam vltimum in recedendo, ideo ſuper illud pſalm. 18. *emundabor à delicto maximo*, dicit gloſſa, *hoc eſt à delicto ſuperbia, quod eſt vltimum redeuntibus ad Deum, & primum recedentibus à Deo.* 2. 2. q. 162. a. 7. *ad* 4.

Qu. 12. *an ſuperbia ſit grauiſſimum omnium peccatorum iuxta illud pſ.* 118. *ſuperbi iniquè agebant vſquequaque: vbi dici Gloſſa: maximum peccatum in homine eſt ſuperbia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in peccato duo attenduntur; ſcilicet conuerſio ad commutabile bonum, quæ materialiter ſe habet in peccato, & auerſio à bono incommutabili, quæ eſt formalis & completiua ratio peccati: ex parte autem conuerſionis non habet ſuperbia quòd ſit maximum peccatorum; quia celſitudo, quam ſuperbus inordinatè appetit, ſecundùm ſuam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis: Sed ex parte auerſionis ſuperbia habet maximam grauitatem, quia in aliis peccatis homo à Deo auertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, ſiue propter deſiderium cuiuſcunque alterius boni; ſed ſuperbia habet auerſionem à Deo ex hoc ipſo quòd non vult Deo, & eius regulæ ſubiici: vnde Boëtius dicit quòd *cùm omnia vit*[illegible] *a Deo, ſola ſuperbia ſe De*[illegible] *it*: propter quod etiam ſpecialiter dicitur Iacobi 4. quòd *Deus ſu*[illegible]*bis reſiſtit*. Et ideo auerti à Deo, & eius præceptis, quod eſt quaſi conſequens in aliis peccatis, per ſe ad ſuperbiam pertinet, cuius actus eſt Dei contemptus: Et quia id quod eſt per ſe, potius eſt eo quod eſt per aliud, conſequens eſt quòd ſuperbia ſit grauiſſimum peccatorum ſecundùm ſuum genus: quia excedit in auerſione, quæ formaliter complet peccatum. 2. 2. *q.* 162. *a.* 6. *in corp. ſuper Pſal.* 18.

Qu. 13. *quomodo ſit difficile vitare ſuperbiam eo quòd vt D. Auguſtinus ait in Regula, cætera peccata in malis operibus exercentur, vt fiant; ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant: aliunde tamen ſit facile ipſam vitare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquod peccatum difficilè cauetur dupliciter. Vno modo propter vehementiam impugnationis; ſicut ira vehementer impugnat propter ſuum impetum; & adhuc difficiliùs eſt reſiſtere concupiſcentiæ propter eius connaturalitatem, vt dicitur in 2. Eth. cap. 3. Et talis difficultas vitandi peccatum grauitatem peccati diminuit: quia *quantò aliquis minoris tentationis impetu cadit, tantò grauius peccat*, vt Auguſt. dicit: Alio modo difficile eſt vitare aliquod peccatum, propter eius latentiam: & hoc modo ſuperbiam difficile eſt vitare; quia etiam ex ipſis bonis occaſionem ſumit: & ideo ſignanter Auguſtinus dicit; quòd *bo-*

permittit infirmitates, tentationes carnis, aliosque defectus, imo etiam alia peccata mortalia, vt euitent ſuperbiam. ſicut permiſit in Apoſtolo ſtimulum carnis, iuxta illud 2. ad Corinth. 12. & ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſathanæ, qui me colaphizet.

Reſp. D. Thomas, quia in bonis eſt maximè materia huius vitij, ſcilicet ſuperbiæ, quia eius materia eſt bonum, permittit aliquando Electos ſuos impediri ex aliqua ſui parte, vt per infirmitatem, vel per aliquem defectum, & aliquando etiam per peccatum mortale ab huiuſmodi bono; vt ſic ex hac parte humilientur, quod ex illa non ſuperbiant, & homo ſic humiliatus recognoſcat ſe ſuis viribus ſtare non poſſe. Vnde dicitur Rom. 8. *diligentibus Deum omnia* &c. non quidem ex eorum peccato, ſed ex ordinatione Dei. quia igitur Apoſtolus magnam habebat ſuperbiendi materiam, & quantum ad ſpecialem electionem qua à Domino electus eſt, Act. 9. *vas electionis eſt*, &c. & quantùm ad ſecretorum Dei cognitionem, quia hîc dicit ſe raptum in tertium cœlum, & in paradiſum vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: & quantùm ad malorum perpeſſionem: quia ſupra 11. *in carceribus plurimis, in infirmitatibus ter vergis caſus ſum*, &c. Et quantùm ad virginalem integritatem: quia *volo omnes eſſe ſicut & ego*. 1. Cor. 7. Et quantùm ad bonorum operationem, quia ſupra, *plus omnibus laboraui*. Et ſpecialiter quantùm ad maximam ſcientiam qua emicuit, quæ ſpecialiter inflat: ideo Dominus adhibuit ei remedium, ne in ſuperbiam extolleretur. Et hoc eſt quod dicit, *& ne magnitudo*, reuelationis mihi factæ; *extollat me*, in ſuperbiam Eccleſ. 6. non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, &c. Pſalm. 87. *Exaltatus autem humiliatus*, &c. & dicit, vt oſtendat ſibi factas fuiſſe reuelationes prædictas, *Datus eſt mihi*, ideſt, ad meam vtilitatem & humiliationem. Iob 30. *Eleuaſti me & quaſi ſuper ventum ponens*, &c. Datus eſt, inquam, mihi ſtimulus, crucians corpus meum per infirmitatem corporis, vt anima ſanetur, quia ad litteram dicitur quòd fuit vehementer afflictus dolore iliaco. Vel *ſtimulus carnis meæ*, ideſt concupiſcentiæ ſurgentis ex carne mea, à qua multùm infeſtabatur. Rom. 7. *non enim quod volo*, &c. *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei*, &c. vnde Aug. dicit, quòd erant ei motus concupiſcentiæ: quos tamen diuina gratia refrænabat. Iſte, inquam, ſtimulus eſt, *Angelus ſatanæ* ideſt, Angelus malignus: eſt autem Angelus à Deo miſſus ſeu permiſſus, ſed ſatanæ: quia ſatanæ intenſio eſt vt ſubuertat, Dei verò vt humiliet & probatum reddat. Timeat peccator ſi Apoſtolus & vas electionis ſecurus non erat. 2. *ad cor.* 12. *lect.* 2.

SVPERSTITIO.

Qu. 1. an ſuperſtitio ſit vitium religioni oppoſitum, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de decem chordis, tangis primam chordam qua colitur vnus Deus, & cecidit beſtia ſuperſtitionis.

RESp. D. Thomas, ſuperſtitio eſt vitium Religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum; non quia plus exhibeat in cultum diuinum quàm vera Religio: ſed quia exhibet, cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. 2.2.q.92. a.1. in corp. q. 94.a. 1. in corp.q. 122. a.3. in corp.

Quær. 2. quot & quæ ſint ſpecies ſuperſtitionis.

Reſp. D. Thomas, diuerſificantur ſuperſtitionis ſpecies. Primò quidem ex parte obiecti; poteſt enim diuinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus eſt (ſcilicet Deo vero) modo tamen in debito; & hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies: Vel ei cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicunque creaturæ; & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas diuiditur ſpecies ſecundùm diuerſos fines diuini cultûs. Ordinatur enim primò diuinus cultus ad reuerentiam Deo exhibendam & ſecundùm hoc prima ſpecies huius generis eſt idololatria, quæ diuinam reuerentiam indebitæ exhibet creaturæ. Secundò ordinatur ad hoc quòd homo inſtruatur à Deo quem colit: & ad hoc pertinet ſuperſtitio diuinatiua, quæ Dæmones conſulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expreſſa. Tertiò ordinatur Diuinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum ſecundùm inſtituta Dei qui colitur: & ad hoc pertinet ſuperſtitio quarundam obſeruationum. 2.2.q. 92.a. 2. in corp.

Qu. 3. vtrum obſeruationes ad corporum immutationem ordinatæ, putà ad ſanitatem vel ad aliquid huiuſmodi ſint illicitæ & ſuperſtitioſæ, iuxta illud D. Auguſtini in 2. de doctr. ad ſuperſtitionem pertinent molimina magicarum artium, & ligaturæ, & remedia quæ Medicorum quoque diſciplina condemnat, ſiue in præcantationibus, ſiue in quibuſdam notis quas characteres vocant, ſiue in quibuſcunque rebus ſuſpendendis atque inſignandis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in his quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, conſiderandum eſt vtrum naturaliter videantur poſſe tales effectus cauſare; ſic enim non erit illicitum. Licet enim cauſas naturales adhibere ad proprios effectus: vnde ſi naturaliter non videantur poſſe tales effectus cauſare, conſequens eſt quòd nec adhibeantur ad hos effectus cauſandos tanquam cauſæ, ſed ſolùm quaſi ſigna, & ſic pertinent ad pacta ſignificationum cum Dæmonibus inita: vnde Auguſtinus dicit 21. de Ciuitate Dei, *Alliciuntur Dæmones per creaturas, quas non ipſi ſed Deus condidit, delectationibus pro ſua diuerſitate diuerſis; non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis; quæ cuiuſque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* 2.2 q. 96. art. 2. in corp. & ad 1.

Qu. 4. an liceat vti imaginibus aſtronomicis ad aliquos effectus.

Reſp. D. Thomas, quòd imagines quas aſtronomicas vocant, ex

operatione Dæmonum habent effectum. Cuius ſignum eſt quòd neceſſe eſt eis inſcribi quoſdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur; non enim eſt figura actionis naturalis principium. Sed in hoc diſtant aſtronomicæ imagines à nigromanticis, quòd in nigromanticis fiunt expreſsè inuocationes & præſtigiæ quædam (vnde pertinent ad expreſſa pacta cum Dæmonibus inita) ſed in aliis imaginibus ſunt quædam tacita pacta, per quædam figurarum ſeu characterum ſigna. 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.

Qu. 5. an obſeruationes quæ ordinantur ad præcognoſcendum aliqua fortunia vel infortunia ſint ſuperſtitioſa, iuxta illud D. Auguſtini in 2. de doct. Chriſt. ad pacta cum Dæmonibus inita pertinent millia inanium obſeruationum; putà ſi membrum aliquod ſalierit: ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis aut puer medius interuenerit: limen calcare, cum ante domum ſuam aliquis tranſit: redire ad lectum, ſi quis cùm ſe calceat, ſternutauerit: redire domum, ſi procedens offenderit: cùm veſtis à ſoricibus roditur: plus timere ſuſpicionem mali futuri, quàm præſens damnum dolere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homines huiuſmodi obſeruationes attendunt, non vt ſigna quædam futurorum euentuum, vel bonorum vel malorum: non obſeruantur autem ſicut ſigna à Deo tradita, cùm non ſint introducta ex authoritate diuina, ſed magis ex vanitate humana, cooperante Dæmonum malitiâ, qui nituntur animos hominum huiuſmodi vanitatibus implicare: & ideo manifeſtum eſt omnes huiuſmodi obſeruationes eſſe ſuperſtitioſas & illicitas. Et videntur eſſe quædã reliquiæ idololatriæ, ſecundùm quam obſeruabant auguria, & quidam dies fauſti vel infauſti: quòd quodammodo pertinet ad diuinationem quæ fit per aſtra, ſecundùm quæ diuerſificãtur dies, niſi quòd huiuſmodi obſeruationes ſint ſine ratione & arte, vnde ſunt magis vanæ & ſuperſtitioſæ. 2. 2. *quæſt. 96. art. 3. in corp.*

Qu. 6. an & quando incantationes & ſuſpenſiones diuinarum ſcripturarum ad collum ſint ſuperſtitioſa & illicita.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in omnibus in cantationibus vel ſcripturis ſuſpenſis duo cauenda videntur. Primò quidem quid ſit quod profertur vel ſcribitur; quia ſi eſt aliquid ad inuocationes Dæmonum pertinens, manifeſtè eſt ſuperſtitioſum & illicitum: ſimiliter etiam videtur eſſe cauendum, ſi contineat ignorata nomina, ne ſub illis aliquid illicitum lateat: vnde Chryſoſt. dicit ſuper Matth. quòd *Phariſæorum magnificantium fimbrias ſuas exemplo, nunc multi aliqua nomina hebraica Angelorum confingunt, & ſcribunt, & alligant; quæ non intelligentibus metuenda videntur.* Eſt etiam cauendum ne aliquid falſitatis contineat; quia ſic eius effectus non poſſet expectari à Deo, qui non eſt teſtis falſitatis: Deinde cauendum eſt ſecundò, ne cum verbis ſacris contineantur aliqua vana; puta aliqui characteres ſcripti præter ſignum

Digitized by Google

Crucis : aut ſi ſpes habeatur in modo ſcribendi aut ligandi , aut in quacunque huiuſmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineat : quia hoc iudicaretur ſuperſtitioſum : aliàs autem eſt licitum : vnde in decretis cauſâ 26. qu. 5. cap. *non liceat Chriſtianis* , &c. dicitur : *nec in collectionibus herbarum quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes, & incantationes liceat attendere, niſi tantùm cum ſymbolo diuino, aut dominica oratione : vt tantùm Deus Creator , & Dominus omnium honoretur*. 2.2. q. 96. art.4. *in corp.*

Qu. 7. *an liceat aliqua ſacra verba dicere ad aliquos effectus (puta ad ad ſanandum infirmos) ſicut Pater noſter, & Aue Maria , vel qualitercunque nomen Domini inuocetur, ſecundùm illud Marci vlt. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd etiam proferre diuina verba, aut inuocare diuinum nomen , ſi reſpectus habeatur ſolùm ad Dei reuerentiam à quo expectatur effectus , licitum erit : ſi verò habeatur reſpectus ad aliquid aliud vanè obſeruatum, illicitum erit. *Ibid ad* 1.

Qu. 8. *an liceat vti verbis ſacris ad incantationem ſerpentum, aut aliorum animalium , ſecundùm illud Pſalm. 5. Sicut aſpidis ſurdæ , & obturantis aures ſuas , quæ non exaudiet vocem incantantium , & venefici incantantis ſapienter.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd etiam in incantionibus ſerpentum , vel quorumcunque animalium, ſi reſpectus habeatur ſolùm ad verba ſacra , & ad virtutem diuinam non erit illicitum : ſed plerumque tales incantationes habent illicitas obſeruantias, & per dæmones ſortiuntur effectum; & præcipuè in ſerpentibus: quia ſerpens fuit primum dæmonis inſtrumentum ad hominem decipiendum. Vnde dicit Gloſſa ibidem : *Notandum quia non laudatur res à ſcriptura , vndecunque datur in ſcriptura ſimilitudo; vt patet de iniquo iudice qui rogantem viduam vix audiuit. Ibid. ad* 2.

Qu. 9. *an & quomodo ſuſpendere collo reliquias Sanctorum , vel eas qualitercunque ad ſuam protectionem portare ſit licitum vel illicitum.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd eadem etiam ratio eſt de portatione reliquiarum : quia ſi portentur ex fiducia Dei & Sanctorum quorum ſunt reliquiæ, non erit illicitum : ſi autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum (puta quòd vas eſſet triangulare, aut aliquid aliud huiuſmodi, quod non pertineret ad reuerentiam Dei & Sanctorum) eſſet ſuperſtitioſum & illicitum. *Ibid. ad* 3.

Qu. 10. *quomodo intelligi debeat D. Chryſoſt. dicens ſuper Matth. quidam aliquam partem Euangelij ſcriptam circa collum portant : ſed nonne quotidie Euangelium in Eccleſia legitur , & auditur ab omnibus ? Cui ergo in auribus poſita Euangelia nihil proſunt , quomodo poſſunt eum circa collum ſuſpenſa ſaluare ? Deinde , vbi eſt virtus*

Euangelij? in figuris litterarum, an in intellectu ſenſuum? Si in figuris, benè circa collum ſuſpendis: Si in intellectu, ergo melius in corde poſita proſunt, quàm circa collum ſuſpenſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Chryſoſtomus loquitur, quando reſpectus habetur magis ad figuras ſcriptas quàm ad verborum intellectum. *Ibid. ad* 4.

Plura circa ſuperſtitiones habentur ſupra v. Aſtrologia indicaria, vbi ſub finem refertur quomodo omnia ſuperſtitionum genera ab Eccleſia fuere damnata. Videatur etiam v. Diuinatio. Faſcinatio. Idololatria. Somnium. Sors.

SVSPENSIO.

Videatur ſupra V. Excommunicatio *qu.* 12. *& qu.* 16.

SVSPICIO.

Qu. 1. *an ſuſpicio ſit peccatum mortale, vel ſolummodo veniale, cùm gloſſa ſuper illud, nolite ante tempus iudicare, dicat quòd eſt veniale peccatum.*

RESp. D. Thomas, dicendum quòd in illis quæ ſunt mortalia peccata ex genere, motus imperfecti non ſunt peccata mortalia ſed venialia: adulterium enim eſt mortale, quando eſt completa voluntas, non autem quando eſt incompleta: non enim quilibet motus concupiſcentiæ eſt peccatum mortale: iudicium autem eſt duplex, ſcilicet de rebus & de perſonis iudicium de rebus ſemper eſt mortale peccatum: putà dicere quòd dare eleemoſynam ſit malum; iudicium autem de perſonis licèt quandoque ſit falſum, non tamen eſt peccatum, niſi quando eſt omnino temerarium: vnde Auguſt. in ſermone Domini in monte ait, *ſi erramus in iudicio perſonarum, non erremus in iudicio rerum:* ſed quando ex leui re iudicium procedit firmum in corde, aliquando eſt peccatum mortale: quia eſt cum contemptu proximi.

Suſpicio autem eſt quid imperfectum in genere iudicij, & ideo eſt imperfectus motus: & ideo non eſt mortale ex genere: quamuis ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale. *quodlibeto* 12. *a.* 34.

Qu. 2. *an iudicium ex ſuſpicione procedens, ſit licitum: cùm D. Chryſoſtomus ſuper illud Matth. 7. nolite iudicare, dicat: Dominus hoc mandato non prohibet Chriſtianos ex beneuolentia alios corripere; ſed ne per iactantiam iuſtitiæ ſuæ Chriſtiani Chriſtianos deſpiciant, ex ſolis plerumque ſuſpicionibus odientes cæteros & condemnantes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Tullius dicit, *ſuſpicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indiciis procedit.* Et contingit ex tribus.

Vno quidem modo ex hoc quòd aliquis ex ſe ipſo malus eſt, & ex hoc ipſo quaſi conſcius ſuæ malitiæ faciliter de alijs malum opinatur, ſecundùm illud Eccl. 10. *in via ſtultus ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Alio modo ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alterum: cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut iraſcitur vel inuidet ei, ex le-

Digitized by Google

vibus ſignis opinatur mala de ipſo; quia vnuſquiſque faciliter credit quòd appetit. Tertio modo prouenit ex longa experientia: Vnde Philoſophus dicit in 2. Rhet. quòd *ſenes ſunt maximè ſuſpicioſi; quia multoties experti ſunt aliorum defectus*. Primæ autem duæ ſuſpicionis cauſæ manifeſtè pertinent ad peruerſitatem affectûs: tertia verò cauſa diminuit rationem ſuſcipionis: inquantum experientiam ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis: & ideo ſuſpicio vitium quoddam importat; & quantò magis procedit ſuſpicio, tantò magis eſt vitioſum.

Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradus eſt, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat: & hoc eſt veniale & leue peccatum: pertinet enim ad attentionem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur, vt habetur in gloſ. ſuper illud primæ ad Corinthios. 4. *nolite ante tempus iudicare*. Secundus gradus eſt, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indicijs: & hoc ſi ſit de aliquo graui, eſt peccatum mortale; inquantùm non eſt ſine contemptu proximi: vnde gloſſa ibidem ſubdit: *etſi ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus; iudicia tamen (id eſt deffinitiuas firmaſque ſententias) continere debemus*. Tertius gradus eſt, cùm aliquis Iudex ex ſuſcipione procedit ad aliquem condemnandum: & hoc directè ad iniuſtitiam pertinet: vnde eſt peccatum mortale. 2. 2. q. 60. a. 3. *in corp.*

***Quær.* 3. vtrum ex hoc quòd aliquis ſuſpicatur malum de altero ipſi faciat iniuriam.**

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex hoc ipſo quòd aliquis malam opinionem habet de alio ſine cauſa ſufficienti, indebitè contemnit ipſum; & ideo iniuriatur ei. *ibidem ad* 2.

***Qu.* 4. vtrum ad vitandum huiuſmodi ſuſpicionis nocumentum dubia ſint in meliorem partem interpretanda, & de quolibet ſit præſumendum bonum.**

Reſp. ſupra V. dubium O. & V. præſumptio *qu. vltima*.

***Qu.* 5. an communio dari debeat vel denegari illis qui ſunt ſuſpecti de aliquo crimine.**

Reſp. V. communio *qu.* 35. & 36.

SVSVRRATIO.

***Qu.* 1. an ſuſurratio ſit peccatum diſtinctum à detractione, iuxta illud ad Rom. 1. ſuſurrones, detractores: vbi dicit gloſſa: ſuſurrones, inter amicos diſcordiam ſeminantes; detractores, qui aliorum bona negant vel minuunt.**

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſuſurro & detractor in materia conueniunt; & etiam in forma ſiue in modo loquendi: quia vterque malum occultè de proximo dicit, propter quam ſimilitudinem interdum vnum pro alio ponitur, vnde Eccl. 5. ſuper illud *non appelleris ſuſurro*, dicit gloſſ. *id eſt detractor*. Differunt autem

Digitized by Google

autem in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi; vnde illa mala de proximo præcipuè profert, ex quibus proximus infamari poſſit vel ſaltem diminui eius fama: Suſurro autem intendit amicitiam ſeparare, vt patet per gloſſam inductam & per illud quod dicitur Prouerb. 26. *Suſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt*: & ideo ſuſurro talia mala profert de proximo, quæ poſſunt contra ipſum commouere animum audientis, ſecundùm illud Eccl. 28. *Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* 2. 2. q. 74. a. 1. in corp. ad Romanos 1. lect. 8.

Qu. 2. quomodo ſicut D. Iſido. ait in lib. Etymol. ſuſurro de ſono locutionis appellatur; quia non in facie alicuius, ſed in aure loquitur detrahendo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſuſurro in quantum dicit malum de alio, dicitur detrahere: in hoc tamen differt à detractore, quia non intendit ſimpliciter malum dicere, ſed quidquid ſit illud quod poſſit animum vnius turbare contra alium, etiamſi ſit ſimpliciter bonum & tamem apparens malum, inquantum diſplicet ei cui dicitur 2. 2. *quæſt.* 74. *art.* 2. *ad* 1.

Qu. 3. cur ſuſurro bilinguis appelletur, Eccl. 28. ſuſurro & bilinguis maledictus erit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd bilinguis propriè dicitur ſuſurro: Cùm enim amicitia ſit inter duos, nititur ſuſurro ex vtraque parte amicitiam rumpere: Et ideo duabus linguis vtitur ad duos, vni dicens malum de alio, propter quod dicitur Eccl. 28. *Suſurro & bilinguis maledictus*: & ſubditur: *multos enim turbauit pacem habentes.* 2. 2. q. 7. 2. 1. a. 1. ad 3.

Qu. 4. an ſuſurratio ſit maius peccatum quàm detractio & contumelia: & vtrum ſit maxima ipſius grauitas, iuxta illud Eccl. 5. denotatio peſſima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem odium & inimicitia & contumelia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd peccatum in proximum tantò eſt grauius, quantò per ipſum maius nocumentum proximo infertur: nocumentum autem tantò maius eſt, quantò maius eſt bonum quod tollitur: inter cætera verò exteriora bona præeminet amicus; *cùm ſine amicis nullus viuere poſſit*, vt per Philoſophum in 8. Eth. vnde dicitur Eccl. 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Fama autem ipſa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè neceſſaria eſt vt homo idoneus ad amicitiam habeatur: Et ideo ſuſurratio eſt maius peccatum quàm contumelia: quia amicus eſt melior quàm honor; & amari quàm honorari, vt in 8. Ethic. Philoſopus dicit. 2. 2. q. 74. a. 2. in corp.

Qu. 5. cur ſuſurratio per quam aliquis amicitiam diſrumpere nititur, ſit maximè contra Deum: & vtrum cauſare diſcordiam ſit aliquando laudabile.

Reſp. V. detractio *qu.* 19. & 20. & V. diſcordia *qu.* 2.

TEMERITAS.

Qu. 1. *quid ſit temeritas & quomodo ex ſuperbia proueniat.*

RESp. D. Thomas, dicendum quòd illa dicuntur fieri temerè quæ ratione non reguntur: quod quidem poteſt contingere dupliciter: vno modo ex impetu voluntatis vel paſſionis; alio modo ex contemptu regulæ dirigentis: & hoc propriè importat temeritas: vnde videtur ex ea radice ſuperbiæ prouenire, quæ refugit ſubeſſe regulæ alienæ. 2. 2. *q.* 53. *a.* 3. ad 2.

TEMPERANTIA.

Qu. 1. *an temperantia ſit ſpecialis virtus.*

RESp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm conſuetudinē humanæ locutionis aliqua nomina communia reſtringutur ad ea quæ ſunt præcipua inter illa, quæ ſub tali communitate continentur, ſicut nomen vrbis accipitur antonomaſticè pro Roma. Sic ergo nomen temperantiæ dupliciter accipi poteſt: Vno modo, ſecundùm communitatem ſuæ ſignificationis: Et ſic temperantia non eſt virtus ſpecialis ſed generalis: quia nomen temperantiæ ſignificat quandam temperiem, ideſt moderationem, quam ratio ponit in humanis operationibus, & paſſionibus, quod eſt commune in omni virtute morali. Differt tamen ratione temperantia à fortitudine etiam ſecundùm quòd utraque ſumitur ut virtus communis: nam temperantia retrahit ab his, quæ contra rationem appetitum alliciunt: Fortitudo autem impellit ad ea ſuſtinenda vel aggredienda, propter quæ homo refugit bonum rationis. Si verò conſideretur antonomaſticè temperantia, ſecundùm quòd refrænat appetitum ab his quæ maximè alliciunt hominem; ſic eſt ſpecialis virtus, ut pote habens ſpecialem materiam, ſicut & fortitudo. 2. 2. *q.* 141. *a.* 2. *in corpor.* 3. *ethic. lect.* 19.

Qu. 2. *cur ſicut D. Ambroſius dicit in* 1. *de offic. in virtute temperantia maximè tranquillitas animi ſpectatur & quæritur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ea circa quæ eſt temperātia, maximè poſſunt animum inquietate, propter hoc quòd ſunt homini eſſentialia. Et ideo tranquillitas animi per quandam excellentiam attribuitur temperantiæ, quamuis communiter conueniat omnibus virtutibus. *in eodem art.* 2. *ad* 2.

Qu. 3. *cur decorum, & honeſtum maximè attribuuntur temperantia, vt dicunt Tullius in* 1. *de offic. & Iſidorus in lib. ethym.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis pulchritudo conueniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiæ duplici ratione. Primò quidem ſecundùm communem rationem temperantiæ, ad quam petrinet quædam moderata, &

conueniens proportio, in qua conſiſtit ratio pulchritudinis, ut patet per Dionyſ. cap. 4. de Diuinis nominibus. Alio modo, quia ea, à quibus refrænat temperantia, ſunt infima in homine, conuenientia ſibi ſecundùm naturam beſtialem; & ideo ex eis maximè natus eſt homo deturpari: Et per conſequens pulchritudo maximè attribuitur temperantiæ; quæ præcipuè turpitudinem hominis tollit.

Et ex eadem etiam ratione honeſtum maximè attribuitur temperantiæ: Dicit enim Iſidorus in lib. Etym. *Honeſtus dicitur qui nihil habet turpitudinis: nam honeſtas dicitur quaſi honoris ſtatus*: qui maximè conſideratur in temperantia, quæ repellit vitia maximè opprobrioſa. *ib. ad 3.*

Quæ. 4. cur temperantia verſatur propriè circa delectationes corporales.

Reſp. D. Th. dicendum quod ita eſt temperantia circa concupiſcẽtias & delectationes, ſicut fortitudo eſt circa timores & audacias: fortitudo autẽ eſt circa timores & audacias reſpectu maximorum malorum, quibus ipſa natura extinguitur, quæ ſunt pericula mortis: vnde ſimiliter temperantia oportet quòd ſit circa concupiſcentias maximarum delectationum. Et quia delectatio conſequitur operationem connaturalem, tantò aliquæ delectationes ſunt vehementiores, quantò conſequuntur operationes magis naturales: Maximè autem naturales animalibus ſunt operationes, quibus conſeruatur natura ſpeciei per coniunctionem Maris & fœminæ: Et ideo circa delectationes venereorum eſt propriè temperantia. 2. 1. *q.* 141. *a.* 1. *p. q.* 59. *a.* 4. *ad* 3. 1. 2. *q.* 61. *a.* 3. 3. *ſ. d.* 33 *q.* 2. *a.* 2. 4. *ſ. d.* 49. *q.* 3. *a.* 5. *q.* 1. *de vi. t. a.* 12. *ad* 23. & 26.

Qu. 5. quare temperantia non verſatur etiam circa delectationes ſpirituales, cùm ſint maiores.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd delectationes ſpirituales etſi ſecundùm ſuam naturam ſint maiores delectationibus corporalibus, tamen non ita percipiuntur ſenſu; & per conſequens non ita vehementer afficiunt appetitum ſenſitiuum contra cuius impetum bonum rationis conſeruatur per moralem virtutem. Vel dicendum, quòd delectationes ſpirituales, per ſe loquendo, ſunt ſecundùm rationem: vnde non ſunt refrænandæ niſi per accidens, inquantum ſcilicet vna delectatio ſpiritualis retrahit ab alia potiori, & magis debita. *ibidem ad* 4.

Qu. 6. quænam ſit regula temperantiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Auguſtinus dicit in lib. de moribus Eccleſiæ; *Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam vtròque teſtamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem, quantùm ſatis eſt, vſurpet vtentis modeſtiâ, non amantis affectu.* 2. 2. *q.* 141. *a.* 6. *in argumento ſed contra.*

Qu. 7. an quicunque vtitur aliqua delectatione ſupra neceſſitatem naturæ (quæ valde modicis contenta eſt) peccet contra temperantiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd neceſſitas humanæ vitæ poteſt attendi dupliciter: vno modo, ſecundùm quòd dicitur neceſſarium illud, ſine quo res nullo modo poteſt eſſe, ſicut cibus eſt neceſſarius animali: Alio modo, ſecundùm quòd dicitur neceſſarium illud, ſine quo res non poteſt conuenienter eſſe. Temperantia autem non ſolùm attendit primam neceſſitatem, ſed etiam ſecundam: vnde Philoſophus dicit in 3. Ethic. quòd *temperatus appetit delectabilia propter ſanitatem, vel propter bonam habitudinem.* Alia verò, quæ ad hoc non ſunt neceſſaria, poſſunt dupliciter ſe habere: Quædam enim ſunt impedimenta ſanitatis, vel bonæ habitudinis: & his temperatus nullo modo vtitur; hoc enim eſſet peccatum contra temperantiam: Quædam verò ſunt, quæ non ſunt his impedimenta, & his moderatè vtitur pro loco, & tempore, & congruentia eorum quibus conuiuit: Et ideo ibidem Philoſophus dicit, quòd etiam *temperatus appetit talia delectabilia* (quæ ſcilicet non ſunt neceſſaria ad ſanitatem, vel ad bonam habitudinem) *non impedimenta his exiſtentia. In eodem art. 6. ad 2.*

Qu. 8. quomodo temperans reſpicit neceſſitatem quantùm ad conuenientiam vitæ ſecundùm perſonas & officia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, temperantia reſpicit neceſſitatem quantùm ad conuenientiam vitæ, quæ quidem attenditur non ſolùm ſecundùm conuenientiam corporis, ſed etiam ſecundùm conuenientiã exteriorum rerum (putà diuitiarũ, & officiorum) & multò magis ſecundùm conuenientiam honeſtatis: Et ideo Philoſophus 3. eth. dicit, quòd *in delectabilibus, quibus temperatus vtitur, non ſolùm conſiderat, vt non ſint impeditiua ſanitatis, & bonæ habitudinis corporalis; ſed etiam vt non ſint præter bonum*, id eſt contra honeſtatem; & quòd non ſint ſupra ſubſtantiam, id eſt ſupra facultatem diuitiarum: & Auguſt. dicit in lib de moribus Eccleſiæ, quòd *temperans reſpicit non ſolùm neceſſitatem huius vitæ, ſed etiam officiorum. Ibidem ad 3.*

Qu. 9. quare D. Gregorius in 2. Moral. temperantiam ponit inter virtutes cardinales.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus principalis ſeu cardinalis dicitur, quæ principaliùs laudatur ex aliquo eorum, quæ communiter requiruntur ad rationem virtutis; Moderatio autem quæ in omni virtute requiritur, præcipuè laudabilis eſt in delectationibus tactus, circa quæ eſt temperantia: tum quia tales delectationes ſunt magis nobis naturales; & ideo difficiliùs eſt ab eis abſtinere, & concupiſcentias earum refrænare: tum etiam quia earum obiecta ſunt magis neceſſaria præſenti vitæ, vt dictum eſt ſupra: Et ideo temperantia ponitur virtus principalis, ſeu cardinalis. *2. 2. q. 141. a. 7. in corp. 1. 2. q. 66. a. 1.*

Digitized by Google

& 4.° 3. ſ. d. 33. qu. 2. a. 1. qu. 1. de virt. a. 12. ad 24. & q. 5. a. 1.

Maior adhuc virtutis temperantiæ notitia haberi poteſt ex dictis aut dicendis v. Abſtinentia. Caſtitas. Continentia. Intemperantia. Luxuria. Maceratio carnis. Religio. Sobrietas. & Virginitas.

TENTATIO.

Qu. 1. quid ſit tentare Deum ſeu verbis ſeu factis, vel expreſsè vel interpretatiuè.

RESp. D. Thomas, dicendũ quòd tentare eſt propriè experimentum ſumere de eo qui tentatur. Sumimus autem experimentum de aliquo, & verbis & factis: verbis quidem, vt experiamur an ſciat quod quærimus, vel an poſſit aut velit illud implere: Factis autem, cùm per ea quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel poteſtatem, vtrumque autem horum contingit dupliciter: vno quidem modo, apertè: ſicut cùm quis tentatorem ſe profitetur, ſicut Samſon Iud. 14. propoſuit Philiſtæis problema ad eos tentandum: alio verò modo, inſidiosè & occultè; ſicut Phariſæi tentauerunt Chriſtum, vt legitur Matth. 22. Rurſus quandoque quidem expreſsè: putà cùm quis dicto vel facto intendit experimentum ſumere de aliquo: Quandoque verò interpretatiuè, quando ſcilicet etſi hoc non intendat vt experimentum ſumat, id tamen agit vel dicit quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum. Sic ergo homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis: verbis quidem Deo colloquimur orando: vnde in ſua petitione expreſsè aliquis Deum tentat, quando eâ intentione aliquid à Deo poſtulat, vt exploret Dei ſcientiam, poteſtatem, vel voluntatem: factis autem expreſsè aliquis Deum tentat, quando per eo quæ facit, intendit experimentum ſumere diuinæ poteſtatis, ſiue pietatis aut ſcientiæ: ſed quaſi interpretatiuè Deum tentat, qui etſi non intendit experimentum de Deo ſumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud vtile, niſi ad probandam Dei poteſtatem, vel bonitatem, vel cognitionem: ſicut cùm quis equum currere facit, vt euadat hoſtes, hoc non eſt exprimentum de equo ſumere: ſed ſi equum currere faciat abſque aliqua vtilitate, hoc nihil aliud eſſe videtur quàm experimentum ſumere de equi velocitate. Et idem eſt in omnibus aliis rebus. Quando ergo propter aliquam neceſſitatem, ſeu vtilitatem committit ſe aliquis diuino auxilio in petitionibus vel factis, hoc non eſt Deum tentare, dicitur enim in Paralip. 20. *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Quando verò hoc agitur abſque neceſſitate & vtilitate, hoc eſt interpretatiuè tentare Deum: vnde ſuper illud Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, dicit Gloſ. *Deum tentat, qui habens quod faciat, ſine ratione committit ſe periculo, experiens vtrum poſſit liberari à Deo. 2. 2. queſt. 97 art. 1. in corp. 2. ſent. d. ſt. 21. qu. 1. art. 1. in corp.*

Digitized by Google

Qu. 2. quomodo Chriſtus exemplo ſuo nos docuit non tentare Deum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Aug. dicit 22. Contra Fauſtum quòd *Chriſtus qui palam docendo & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in ſe aliquid non ſinendo, Dei demonſtrabat poteſtatem, idem tamen fugiendo & latendo hominis inſtruebat infirmitatem; ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat:* Ex quo videtur, in hoc Dei tentationem conſiſtere, quando prætermittit homo facere quod poteſt ad pericula euadenda, reſpiciens ſolùm ad auxilium diuinum. 2. 2. *q.* 97. *a.* 1. *in arg. ſed contra.*

Qu. an 3. tentare Deum ſit peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tentare eſt experimentum ſumere: nullus autem experimentum ſumit de eo de quo eſt certus: & ideo omnis tentatio ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedit; vel eius qui tentat, ſicut cùm quis experimentum de aliqua re ſumit, vt eius qualitatem cognoſcat; ſiue aliorum, ſicut cùm quis experimentum de aliquo ſumit vt aliis oſtendat, per quem modum Deus dicitur nos tentare. Ignorare autem, vel dubitare de his quæ pertinent ad Dei perfectionem, eſt peccatum: Vnde manifeſtum eſt quòd tentare Deum ad hoc quòd ipſe tentans cognoſcat Dei virtutem, eſt peccatum.

Si quis autem ad hoc experimentum ſumat eorum, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipſe cognoſcat, ſed vt aliis demonſtret; hoc non eſt tentare Deum, cùm ſubſit neceſſitas iuſta, ſeu pia vtilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent: ſic enim Apoſtoli petierunt à Domino vt in nomine Ieſu Chriſti fierent ſigna, vt dicitur Actuum 4. ad hoc ſcilicet quòd virtus Chriſti infidelibus manifeſtaretur. 2. 2. *q.* 97. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 4. an Prædicatores humana ſubſidia contemnentes, vel ægroti medicamenta, dici debeant tentare Deum; cùm D. Ambroſius ſuper illud Lucæ 9. nihil tuleritis in via, dicat: qualis debeat eſſe qui Euangelizat regnum Dei, præceptis Euangelicis deſignatur (hoc eſt) ſubſidii ſæcularis adminicula non requirat; fideque totus putet, quò minùs iſta requirat, magis poſſe ſuppetere: & B. Agatha dixit: medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui; ſed habeo Dominum Ieſum Chriſtum qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Prædicatores Regni Dei ex magna neceſſitate, & vtilitate ſubſidia temporalia prætermittũt, vt verbo Dei expeditiùs vacent: Et ideo ſi ſoli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum: Sed ſi abſque vtilitate vel neceſſitate, humana ſubſidia desererent, tentarent Deum: vnde & Auguſtin. dicit 22. contra Fauſtum quòd *Paulus fugit non quaſi non credendo in Deum, ſed ne Deum tentaret, ſi fugere noluiſſet, Cùm ſic fugere potuiſſet.*

Beata verò Agatha experta erat erga ſe diuinam beneuolentiam,

vt vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicina indigeret; vel ſtatim ſentiret diuinæ ſanationis effectum 2. 2. q. 97. a. 1. ad 3,

Qu. 5. an tentatio Dei opponatur virtuti Religionis.

Reſ. D. Thomas, dicendum quòd finis Religionis eſt Deo reuerentiam exhibere: vnde omnia illa quæ directè pertinent ad irreuerentiam Dei, Religioni opponuntur: manifeſtum eſt autem quòd tentare aliquem ad irreuerentiam eius pertinet: nullus enim præſumit tentare eum de cuius excellentia certus eſt: vnde manifeſtum eſt quòd tentare Deũ eſt peccatum religioni oppoſitum. *in eadem qu. 97. a. 3.*

Qu. 6. vtrum ante orationem debeamus nos præparare ne tentemus Deum, iuxta illud Eccleſ. 18. ante orationem prapara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum: vbi dicit gloſſa interlinearis, qui ſcilicet tentans Deum, orat quod docuit ſed non facit quod iuſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille, qui ante orationem animam ſuam non præparat, dimittendo ſi quid aduerſùm aliquem habet, vel aliàs ad deuotionem ſe non diſponendo, non facit quod in ſe eſt, vt exaudiatur à Deo; & ideo quaſi interpretatiuè tentat Deum. *in eodem artic. 3. ad 2.*

Quær. 7. an petere ſignum à Deo ſit ipſum tentare.

Reſp. D. Thomas, ſciendum quòd dupliciter aliquis ſignum petit à Deo: Vno modo ad explorandum diuinam poteſtatem, aut veritatem dicti eius, & hoc de ſe pertinet ad Dei tentationem: Alio modo ad hoc quòd inſtruatur, quid circa aliquod factum ſit placitum Deo: & hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem. 2. 2. q. 97. *art. 2. ad 3.*

Qu. 8. an tentatio ſit appetenda, vel potius fugienda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd tentatio per ſe ordinata eſt ad hominis perditionem: ad ſalutem verò non ordinatur niſi per accidens; ſcilicet ex hoc quòd vincitur per auxilium gratiæ diuinæ: Et ideo tentari ſimpliciter non eſt appetendum, ſed tentari & vincere ſimul acceptum appetendum eſt: Sed quia propter noſtram fragilitatem victoria nimis dubia eſt: ideo ſecuriùs fugitur quàm quæratur. 2. *ſent. d. d. 21. q. 1. a. 3. in corp.*

Quær. 9. quænam tentatio ſit euitanda: & cur ſicut D. Chryſoſtomus ait, tunc maximè inſtat diabolus ad tentandum, cùm viderit ſolitarios: vnde & in principio mulierem tentauit, ſine viro eam inueniens.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd duplex eſt tentationis occaſio: vna quidem ex parte hominis: puta cùm aliquis ſe peccato propinquum facit, occaſiones peccandi non euitans, & talis occaſio tentationis eſt vitanda, ſicut dictum eſt Loth. Geneſis 19. *Ne ſteteris in omni Regione circa Sodomam:* Alia verò tentationis occa-

Digitized by Google

ſio eſt parte Diaboli, qui *ſemper inuidet ad meliora tendentibus*, vt Ambroſius dicit, & talis tentationis occaſio non eſt vitanda: vnde dicit Chryſoſtomus ſuper Matthæum, quòd *non ſolum Chriſtus auctus eſt in deſertum à ſpiritu, ſed omnes Filii Dei habentes Spiritum ſanctum; non enim ſunt contenti ſedere otioſi, ſed Spiritus ſanctus vrget eos aliquod magnum apprehendere opus quod eſt eſſe in deſerto quantùm ad Diabolum; quia non eſt iniuſtitia, in qua Diabolus delectatur: Omne etiam bonum opus eſt deſertum quantùm ad carnem, & mundum? quia non eſt ſecundùm voluntatem carnis & mundi.* Talem autem occaſionem tentationis dare Diabolo non eſt periculoſum, quia maius eſt auxilium Spiritus ſancti, qui eſt perfecti operis author, quàm impugnatio Diaboli inuidentis. *3. p. q. 41. a. 2. ad 2.*

Qu. 10. an fuerit conueniens quòd Chriſtus tentaretur, ſicut legitur Matth. 4. vt nobis daret auxilium, cautelam, exemplum, & fiduciam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Chriſtus tentari voluit. Primò quidem, vt nobis contra tentationes auxilium ferret: Vnde Greg. dicit in homil. *non erat indignum redemptori noſtro, quòd tentari voluit, qui venerat occidi: iuſtum quippe erat; vt ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtrā venerat ſua morte ſuperare.* Secundò propter noſtram cautelam, vt nullus quantumcunque Sanctus ſe æſtimet ſecurum & immunem à tentatione: vnde & poſt baptiſmum tentari voluit; quia ſicut Hilar. dicit ſuper Matth. *in ſanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta graſſantur; quia victoria magis eſt ei ex optata de ſanctis:* vnde & Eccl. 2. dicitur, *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Tertiò propter exemplum, vt ſcilicet nos inſtrueret qualiter diaboli tentationes vincamus: vnde Aug. dicit in 4. de trin. quòd *Chriſtus diabolo ſe tentandum præbuit; vt ad ſuperandas tentationes eius mediator eſſet, non ſolùm per adiutorium, verùm etiam per exemplum.* Quartò vt nobis fiduciam de ſua miſericordia largiretur: vnde dicitur hebræorum 4. *non habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. 3. p. q. 41. a. 1. in c.*

Qu. 11. cur Chriſtus tentari voluit ab hoſte, ſed non à carne.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Apoſtolus dicit, Chriſtus in omnibus tentari voluit abſque peccato: tentatio autem quæ eſt ab hoſte, poteſt eſſe ſine peccato, quia fit per ſolam exteriorem ſuggeſtionem: tentatio autem quæ eſt à carne non poteſt eſſe ſine peccato, quia huiuſmodi tentatio fit per delectationem & concupiſcentiam: & ſicut Auguſt. dicit, *non nullum peccatum eſt quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum:* & ideo Chriſtus tentari voluit ab hoſte, ſed non à carne. *ibid. ad 3.*

Qu. 12. vtrum ad exemplum & inſtructionem noſtram Chriſti tentatio debuerit eſſe poſt ieiunium.

Reſp.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd conuenienter Chriſtus poſt ieiuniū tentari voluit. Primò quidem propter exemplum: quia cùm omnibus immineat ſe contra tentationes tueri: per hoc quod ipſe ante tentationem futuram ieiunauit, docuit quòd per ieiunium nos oportet contra tentationes armari: vnde inter arma iuſtitiæ Apoſtolus ieiunia communerat 2. ad cor. 6. Secundò vt oſtēderet quòd etiam ieiunantes diabolus aggreditur ad tentandum, ſicut alios qui bonis operibus vacant: & ideo ſicut poſt baptiſmum, ita poſt ieiunium Chriſtus tentatur: vnde Chryſoſt. dicit ſuper Matth. *vt diſcas quàm magnum bonum eſt ieiunium, & quale ſcutum eſt aduerſus diabolum, & quoniam poſt baptiſmum non laſciuiæ ſed ieiunio intendere oportet, ideo Chriſtus ieiunauit, non ieiunio indigens, ſed nos inſtruens.* 3. p. q. 41. a. 3.

Qu. 13. cur Chriſtus in deſerto tentari voluerit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Chriſtus propriâ voluntate ſe diabolo exhibuit ad tentandum, ſicut etiam propriâ voluntate membris eius ſe exhibuit ad occidendum; alioquin diabolus veniſſe ad eum non auderet: Diabolus autem magis tentat aliquem, cùm eſt ſolitarius, quia vt dicitur Eccleſ. 4. *Si quiſpiam prævaluerit contra vnum, duo reſiſtunt ei:* Et inde eſt quòd Chriſtus in deſertum exiuit, quaſi ad campum certaminis vt ibi à diabolo tentaretur: vnde Ambrſ. dicit ſuper Lucam quòd *Chriſtus agebatur in deſertum conſilio, vt diabolum prouocaret: nam niſi ille certaſſet*, ſcilicet diabolus, *non iſte mihi viciſſet*, id eſt Chriſtus; adfert autem & alias rationes, dicens hoc Chriſtum *feciſſe myſterio, vt Adam de exilio liberaret* (qui ſcilicet de Paradiſo in deſertum eiectus eſt) *& exemplo, vt oſtenderet diabolum ad meliora tendentibus inuidere.* 3. p. q. 41. a. 2. in corp.

Qu. 14. quomodo Diabolus tentat homines ſpirituales.

Reſp. D. Thomas, diabolus hominem ſpiritualem non ſtatim tentat de grauibus peccatis; ſed paulatim à leuioribus incipit, vt poſt modum ad grauiora perducat: vnde Greg. 31. Moral. exponens illud Iob. 39. *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum exercitûs*, dicit: *benè duces exhortari dicti ſunt, exercitus vlulare; quia prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe ingerunt; ſed innumera quæ ſequuntur, dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt.* 3. p. q. 41. a. 4. in corp.

Qu. 15. an charitas in quocunque ſtatu quamcunque tentationem ſuperare poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd perfectio quæ conuenit alicui rei, ſecundùm ſuam ſpeciem, ſecundùm quodcunque tempus ei conuenit, ſicut homo quolibet tempore, & qualibet ætate eſt perfectus animâ rationali: vnde perfectio charitatis, quæ eſt ſecundùm quodcunque tempus, eſt perfectio quæ competit charitati ſecundùm eius ſpeciem. Eſt autem

de ratione charitatis, vt Deus ſuper omnia diligatur, & vt nullum creatum ei præferatur in amore: vnde cùm omnis tentatio ex amore alicuius boni creati proueniat, vel ex timore mali contrarij, quod etiam ex amore deriuatur, ex ſua ſpecie hoc habet charitas, in quolibet ſtatu, quòd cuilibet tentationi reſiſtere poſſit, ita etiam ſcilicet quòd in peccatum mortale per eam homo non inducatur; non autem quòd nullo modo tentatione non afficiatur: hoc enim pertinet ad perfectionem primæ. *qu. 2. de virt. a. 10. ad 4. 3. d. 31. qu. 1. a. 3.*

Qu. 16. cur Deus in electis ſuis permittit tentationes, præſertim carnis.

Reſp. v. Superbia *qu.* 17.

Quær. 17. an ipſe primus homo tentationi ſuccubuerit; quia ad diuinum auxilium recurſum non habuit.

Reſp. D. Thomas, in tentatione non fuit ei ſubuentum ne deciperetur; licèt tunc maximè indigeret: quia iam præceſſerat peccatum in animo; & ad diuinum auxilium recurſum non habuit. *1. p. q. 94. a. 4. ad 5.*

TESTIMONIVM.

Qu. 1. an, & quando teneatur homo ad teſtimonium ferendum, & ſi non ferat peccet, iuxta illud D. Auguſtini (quod habetur 13 q. 3. cap. quiſquis) qui veritatem occultat, & qui dicit mendacium, vterque reus eſt: ille quia prodeſſe non vult; hic, quia nocere deſiderat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in teſtimonio ferendo diſtinguendum eſt: quia aliquando requiritur teſtimonium alicuius; aliquando non requiritur.

Si requiritur teſtimonium alicuius ſubditi authoritate ſuperioris, cui in his quæ ad iuſtitiam pertinent, obedire tenetur, non eſt dubium, quin teneatur teſtimonium ferre in his in quibus ſecundùm ordinem iuris teſtimonium ab eo exigitur; puta in manifeſtis; & in his de quibus infamia præceſſit: Si autem exigatur ab eo teſtimonium in alijs; putà in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum.

Si verò requiratur eius teſtimonium non authoritate ſuperioris, cui obedire tenetur, tunc diſtinguendum eſt: quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab iniuſta morte ſeu pœna quacunque vel à falſa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum: Et ſi eius teſtimonium non requiratur: tenetur facere quod in ſe eſt, vt veritatem denunciet alicui qui ad hoc poſſit prodeſſe: dicitur enim in Pſalm. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate:* & Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem:* & Rom. 1. dicitur: *Digni ſunt morte non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus:* vbi dicit gloſſa Ambroſij: *conſentire eſt tacere cùm poſſis redarguere.*

Super his verò quæ pertinent ad condemnationem alicuius, non tenetur aliquis ferre teſtimonium, niſi cùm à ſuperiore compellitur ſecundùm ordinem iuris: quia ſi

circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur: vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum; quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit: Alia autem ratio eſt de reo, cui periculum imminet eo nolente. 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. *an Sacerdotes & Clerici cogi poſſint ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd operari vel cooperari ad occiſionē hominis non competit miniſtris Altaris: Et ideo ſecundùm iuris ordinem compelli non poſſunt ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *ad* 3.

Qu. 3. *an ſufficiat duorum vel trium teſtimonium, iuxta illud deutereno* 17. *in ore duorū vel trium teſtium. peribit qui interficietur: & infra* 19. *in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſophum in primo Eth. cap. 3. *Certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omni materia.* In actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur iudicia, & exiguntur teſtimonia, non poteſt haberi certitudo demonſtratiua; eo quòd ſunt circa contingentia & variabilia: Et ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat, & ſic in paucioribus à veritate deficiat.

Eſt autem probabile, quòd magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum vnius: Et ideo cùm reus ſit vnus, qui negat; ſed multi teſtes aſſerunt idem cum actore, rationabiliter inſtitutum eſt iure diuino & humano, quòd dicto teſtium ſtetur. Omnis autem multitudo his tribus comprehenditur, ſcilicet principio, medio, & fine: vnde ſecundùm Philoſoph. in primo de Cœlo, *omne totum in tribus ponimus.* Ternarius quidem conſtituitur aſſerentium, cùm duo teſtes conueniunt cum actore: Et ideo requiritur binarius teſtium, vel ad maiorem certitudinem vt ſit ternarius, qui eſt multitudo perfecta in ipſis teſtibus: Vnde & Eccl. 4. dicitur, *Funiculus triplex difficile rumpitur*: Auguſtinus autem ſuper illud Ioann. 8. *Duorum hominum teſtimonium verum eſt*, dicit quòd *in hoc eſt Trinitas ſecundùm myſterium commendata, in qua eſt perpetua firmitas veritatis.* 2. 2. *q.* 70. *a.* 2. *in corp. lect.* 2. *cap.* 8. *Ioan. lect.* 5. *cap.* 10. *ad Hebreos.*

Qu. 4. *quid ſit agendum quando teſtes ſunt diſcordes: & vtrum Iudex debeat eſſe facilior ad abſoluendum quàm ad condemnandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſcordia teſtium in aliquibus circumſtantijs, quæ variant ſubſtantiam facti (putà in tempore, vel in loco, vel in perſonis, de quibus principaliter agitur) aufert efficaciam teſtimonij: quia ſi diſcordant in talibus videntur ſingulares eſſe in ſuis teſtimoniis, & de diuerſis factis loqui; putà ſi vnus dicat, hoc factum eſſe tali tempore vel loco, alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui. Non tamen præiudicatur teſtimonio, ſi vnus

Digitized by Google

dicat, ſe non recordari, & alius aſſerat determinatum tempus vel locum.

Et ſi in talibus omnino diſcordauerint teſtes actoris & rei, ſi ſint æquales numero & pares dignitate; ſtetur pro reo: quia facilior debet eſſe Iudex ad ſoluendum, quàm ad condemnandum, niſi fortè in cauſis fauorabilibus, ſicut eſt cauſa libertatis & huiuſmodi. Si verò teſtes eiuſdem partis diſſenſerint, debet Iudex ex motu ſui animi percipere cui parti ſit ſtandum, vel ex numero teſtium, vel ex dignitate eorum, vel ex fauorabilitate cauſæ, vel ex conditione negotij & dictorum. Multò autem magis teſtimonium vnius repellitur, ſi ſibi ipſi aliquis diſſideat interrogatus de viſu & ſcientia: non autem ſi diſſideat interrogatus de opinione, & fama; quia poteſt ſecundùm diuerſa viſa & audita, diuerſimodè motus eſſe ad reſpondendum.

Si verò ſit diſcordia teſtimonij in aliquibus ad ſubſtantiam facti; putà ſi tempus fuerit nubiloſum vel ſerenum; vel ſi domus fuerit picta aut non, aut aliquid huiuſmodi, talis diſcordia non præiudicat teſtimonio: quia homines non conſueuerunt circa talia multùm ſolicitari; vnde facilè à memoria elabuntur: quinimò aliqua diſcordia in talibus facit teſtimonium credibilius, vt Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum. Quia ſi omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem ſermonem proferre: quod tamen prudentiæ Iudicis relinquitur diſcernendum. 2. 2. q. 70. a. 2. ad 2.

Qu. 5. de quibus intelligenda ſit decretalis 2. quæſt. 5. cap. Præſul, vbi dicitur: Præſul non damnetur, niſi ſeptuaginta duobus teſtibus; Presbyter autem Cardinalis vrbis Romæ niſi in viginti ſeptem teſtibus, non condemnabitur: Subdiaconus, acolytus, exorciſta, lector, hoſtiarius, niſi cùm ſeptem teſtibus non condemnabitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud locum habet ſpecialiter in Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Clericis Eccleſiæ Romanæ propter eius dignitatem: & hoc triplici ratione. Primò quidem quia in ea tales inſtitui debent, quorum ſanctitati plus credatur, quàm multis teſtibus. Secundò, quia homines qui habent de alijs iudicare, ſæpe propter iuſtitiam multos aduerſarios habent: vnde non eſt paſſim credendum teſtibus contra eos, niſi magna multitudo conueniat. Tertiò, quia ex condemnatione alicuius eorum derogaretur in opinione hominum dignitati illius Eccleſiæ & authoritati: quod eſt periculoſius quàm in ea tolerare aliquem peccatorem; niſi valde publicum, & manifeſtum, & de quo graue ſcandalum orietur. 2. 2. q. 70. a. 2. ad 3.

Qu. 6. an & quando alicuius teſtimonium repelli debeat ſiue ex ipſius culpa ſiue ſine culpa, & cur D. Gregorius dicit in regiſtro, & habetur 2. qu. 1. cap. in primis. Quod autem dicitur à ſeruis ſuis accuſatum Epiſcopus, ſciendum eſt quòd minimè audiri debuerunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd teſtimonium non habet infallibilem certitudinem, ſed probabilem: Et ideo quidquid eſt quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit teſtimonium inefficax. Redditur autem probabile quòd aliquis in veritate teſtificanda non ſit firmus; Quandoque quidem propter culpam, ſicut infideles & infames; item illi qui publico crimine rei ſunt, qui nec accuſare poſſunt. Quandoque autem abſque culpa: & hoc eſt vel ex defectu rationis, ſicut patet in pueris, amentibus, & mulieribus: vel ex affectu, ſicut pater de inimicis, & perſonis coniunctis, & domeſticis: vel etiam ex exteriori conditione, ſicut ſunt pauperes, ſerui, & illi quibus imperari poteſt: de quibus probabile eſt quòd de facili poſſunt induci ad teſtimonium ferendum contra veritatem: & ſic patet quòd teſtimonium alicuius repellitur, & propter culpam, & abſque culpa. 2.2. *q.* 70. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 7. quomodo intelligi debeat illud Prouerb. 11. qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum: & vtrum poſſit aliquis ferre teſtimonium de his quæ ipſi ſub ſecreto commiſſa fuerunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de illis quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre: quia huiuſmodi non ſcit vt homo, ſed tanquam Dei miniſter: & maius eſt vinculum ſacramenti quolibet hominis præcepto.

Circa ea verò quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt: Quando enim ſunt talia quæ ſtatim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur: putà ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem vel corporalem, vel in graue damnum alicuius perſonæ, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando: & contra hoc debitum obligari non poteſt ſecreti commiſſum: quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet: Quandoque verò ſunt talia quæ quis prodere non tenetur: vnde poteſt obligari ex hoc quòd ſibi ſub ſecreto committuntur: & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto ſuperioris: quia ſeruare fidem eſt de iure naturali: nihil autem poteſt præcipi homini contra id quod eſt de iure naturali. 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 8. an falſum teſtimonium ſit ſemper mortale peccatum, cùm prou. 19. dicatur: falſus teſtis non erit impunitus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd falſum teſtimonium habet triplicem deformitatem. Vno modo ex periurio: quia teſtes non admittuntur, niſi iurati; & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione iuſtitiæ: & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & quælibet iniuſtitia: Et ideo in præcepto decalogi ſub hac forma interdicitur falſum teſtimonium, cùm dicitur Exod. 2. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*: non enim contra aliquem facit, qui

Digitized by Google

eum ab iniuria facienda impedit, ſed ſolùm qui ei ſuam iuſtitiam tollit. Tertio modo ex ipſa falſitate ſecundùm quòd omne mendacium eſt peccatum: & ex hoc non habet falſum teſtimonium, quòd ſemper ſit peccatum mortale. 2.2.q.70.a.4. *in corp.*

Qu. 9. an teſtis excuſetur à peccato ſi falſum dicat credens eſſe verum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in teſtimonio ferendo non debet homo pro certo aſſerere, quaſi ſciens, id de quo certus non eſt, ſed dubium debet ſub dubio proferre; & id de quo certus eſt, pro certo aſſerere.

Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quòd reputat ſe homo quandoque certum eſſe de eo, quod falſum eſt: ſi aliquis cum debita ſolicitudine recogitans, æſtimet ſe certum eſſe de eo quod falſum eſt, non peccat mortaliter hoc aſſerens: quia non dicit falſum teſtimonium per ſe & ex intentione, ſed per accidens contra id quod intendit. *in eodem artic.* 4. *ad* 1.

Qu. 10. an falſum teſtimonium prolatum ad impediendam iniuſtam ſententiam ſit mortale peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iniuſtum iudicium non eſt iudicium: Et ideo ex vi iudicij falſum teſtimonium in iniuſto iudicio prolatum ad iniuſtitiam impediendam non habet rationem peccati mortalis, ſed ſolùm ex iuramento violato. *ibidem ad* 2.

Qu. 11. an & quomodo Iudex & teſtis accipere poſſint ſtipendium laboris ſui.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudex & teſtis communes ſunt vtrique parti: quia Iudex tenetur iuſtam ſententiam dare, & teſtis tenetur verum teſtimonium dicere: iuſtitia autem & veritas non declinat in vnam partem magis quàm in aliam: & ideo Iudicibus de publico ſunt ſtipendia laboris ſtatuta; & teſtes accipiunt non quaſi pretium teſtimonij, ſed quaſi ſtipendium laboris, expenſas; vel ab vtraque parte, vel ab ea à qua inducuntur: quia *nemo militat ſtipendiis ſuis vnquam*, vt dicitur 1. ad Corinth. 9. 2. 2. *qu.* 71. *art.* 4. *ad* 3.

Qu. 12. an ſit præſumendum bonum de teſtibus: & cur ab eis exigitur iuramentum.

Reſp. v. Periurium *qu.* 23. & v. Præſumptio *qu.* 9.

TIMIDITAS.

Qu. quid ſit timiditas: & vtrum ſit maius peccatum quàm intemperantia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vnum vitium poteſt alteri cōparari dupliciter: vno modo, ex parte ipſius materiæ vel obiecti: alio modo, ex parte ipſius peccantis: & vtroque modo intemperantia eſt grauius vitium quàm timiditas.

Primò namque ex parte materiæ: Nam timiditas refugit pericula mortis, ad quæ vitanda inducit maxima neceſſitas conſeruandæ vitæ: Intemperantia autem

eſt circa delectationes, quarum appetitus non eſt adeo neceſſarius ad vitæ conſeruationem: quia intemperantia magis eſt circa quaſdam oppoſitas delectationes ſeu concupiſcentias, quàm circa concupiſcentias ſeu delectationes naturales: Quantò autem illud, quod commouet ad peccandum, videtur eſſe magis neceſſarium, tantò peccatum leuius eſt: Et ideo intemperantia eſt grauius vitium quàm timiditas ex parte obiecti ſiue materiæ mouentis.

Similiter etiam ex parte ipſius hominis peccantis, & hoc triplici ratione. Primò quidem quia quantò ille qui peccat, magis eſt compos ſuæ mentis, tantò grauiùs peccat: Vnde alienatis non imputantur peccata: timores autem & triſtitiæ graues, & maximè in periculis mortis ſtupefaciunt mentem hominis, quod non facit delectatio quæ mouet ad intemperantiam: Secundò, quia quantò aliquod peccatum eſt magis voluntarium, tantò eſt grauius: Intemperantia autem plus habet de voluntario, quàm timiditas; & hoc duplici ratione: vno modo, quia ea quæ per timorem fiunt, principium habent ab exteriori impellente, vnde non ſunt ſimpliciter voluntaria, ſed mixta, vt dicitur in 3. Ethic. cap. 1. Ea autem quæ per delectationem fiunt, ſunt ſimpliciter voluntaria: Alio modo quia ea quæ ſunt intemperati, ſunt magis voluntaria in particulari, minus autem voluntaria in vniuerſali; nullus enim vellet intemperatus eſſe. Allicitur tamen homo à ſingularibus delectationibus, quæ intemperantum faciunt hominem, propter quod ad vitandum intemperantiam maximum remedium eſt, vt non immoretur homo circa ſingularium conſiderationem: Sed in his, quæ pertinent ad timiditatem, eſt è conuerſo: Nam ſingularia, quæ imminent, ſunt minùs voluntaria, vt abiicere clipeum, & alia huiuſmodi; ſed ipſum commune eſt magis voluntarium in ſingularibus, in quibus eſt actus: Et ideo temperantia, cùm ſit ſimpliciter magis voluntarium quàm timiditas, eſt maius vitium: Tertiò, quia contra intemperātiam poteſt magis de facili remedium adhiberi, quàm contra timiditatem; eo quòd delectationes ciborū & venereorū circa quas eſt intēperantia, per totam vitam occurunt, & ſine periculo poteſt homo circa ea exerciad hoc quòd ſit tēperatus: ſed petari ricula mortis rariùs occurrūt, & periculoſiùs in his homo exercitatur ad timiditatem fugiendam; & ideo intemperantia eſt ſimpliciter maius peccatum, quàm timiditas 2. 2. *quæſt.* 142. *artic.* 3. *in corp.* 2. *ethic. lect.* 2.

TIMOR.

Qu. 1. *an timor ſit peccatum mortale, iuxta illud Apocal.* 21. *timidis & incredulis & execratis &c. pars erit in ſtagno ignis & ſulphuris, quod eſt mors ſecunda.*

RESP. D. Thomas, dicendum quòd timor peccatum eſt ſecundùm quòd eſt inordinatus, prout ſcilicet refugit quod non eſt ſecundùm rationem fugiendum. Hæc autem inordinatio timoris quandoque quidem conſiſtit in ſolo appetitu ſenſitiuo, non

ſuperueniente couſenſu rationalis appetitus : & ſic non poteſt eſſe peccatum mortale , ſed ſolùm veniale: quandoque verò huiuſmodi inordinatio timoris pertingit vſque ad appetitum rationalem, qui dicitur voluntas , quæ ex libero arbitrio refugit aliquid non ſecundùm rationem : Et talis inordinatio timoris quandoque eſt peccatum mortale , quandoque veniale : ſi enim aliquis propter timorem , quo refugit periculum mortis , vel quodcunque aliud temporale malum , ſic diſpoſitus eſt , vt faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod eſt præceptum in lege diuina , talis timor eſt peccatum mortale : Alioquin erit peccatum veniale. 2. 2. *qu.* 125. *art.* 3. *in corp.*

Quær. 2. quid ſit timor prout eſt paſſio : & vtrum conuenienter aſſignentur à D. Damaſceno ſex ipſius ſpecies, ſcilicet ſegnities , erubeſcentia , verecundia admiratio, ſtupor, & agonia.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd timor eſt de futuro malo quod excedit poteſtatem timentis, vt ſcilicet reſiſti non poſſit : ſicut autem bonum hominis, ita & malum poteſt conſiderari,vel in operatione ipſius , vel in exterioribus rebus. In operatione autem ipſius hominis poteſt duplex malum timeri : Primò quidem *labor grauans naturam* : & ſic cauſatur *ſegnities* , cùm ſcilicet aliquis refugit operari propter timorem exedentis laboris : Secundò *turpitudo lædens opinionem* : & ſi ſic turpitudo timeatur in actu committendo, eſt *erubeſcentia* : ſi autem ſit de turpi iam facto,eſt *verecundia*. Malum autem quod in exterioribus rebus conſiſtit , tripliciter poteſt excedere hominis facultatem ad reſiſtendum : Primò quidem ratione ſuæ magnitudinis : cùm aliquis , ſcilicet conſiderat aliquod magnum malum , cuius exitum conſiderare non ſufficit : & ſic eſt *admiratio* : Secundò ratione diſſuetudinis , quia ſcilicet aliquod malum inconſuetum noſtræ conſiderationi offertur, & ſic eſt magnum noſtra reputatione : & hoc modo eſt *ſtupor*, qui cauſatur ex inſolita imaginatione : Tertiò modo ratione improuiſionis , quia ſcilicet prouideri non poteſt , ſicut futura infortunia timentur : & talis timor dicitur *agonia* 1. 2. *q.* 41. *a.* 4. *in c.*

Qu. 3. cur non timetur id quod concipitur vt remotum vel diſtans, ſicut mors communiter æſtimatur: vel quod eſt neceſſarium & ineuitabile ſicut mors illis qui decapitantur.

Reſp. D. Thomas , cùm timor proueniat ex phantaſia futuri mali , vt dicit Philoſ. in 2. Rhet. illud quod remouet futuri mali phantaſiam , excludit etiam timorem. Quòd autem non appareat aliquod malum vt futurum,poteſt ex duobus contingere : vno quidem modo ex hoc quòd eſt remotùm & diſtans : hoc enim propter diſtantiam imaginamur vt non futurum : & ideo vel non timemus, vel parum timemus : vt enim philoſ.dicit (ibidem) *quæ valde longe ſunt , non timentur : ſciunt enim omnes quòd morientur : ſed quia non propè eſt , nihil curant.* Alio modo exiſtimatur aliquod malum quod eſt

eſt futurum, vt non futurum, propter neceſſitatem, quæ facit ipſum æſtimare vt præſens: vnde Philoſ. dicit (ibidem) quòd *illi qui iam decapitantur non timent, videntes ſibi neceſſitatem mortis imminere*: ſed ad hoc quòd aliquis timeat, oportet adeſſe aliquam ſpem ſalutis. 1. 2. *q.* 42. *a.* 2. *in corp.*

Qu. 4. quare ſicut ait D. Auguſtinus in 2. conf. timor inſolita & repentina exhorreſcit, rebus quæ amantur aduerſantia, dum præcauet ſecuritati.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obiectum timoris eſt malum imminens, quod non de facili repelli poteſt: hoc autem ex duobus contingit; ſcilicet ex magnitudine mali, & ex debilitate timentis: ad vtrumque autem horum operatur quod aliquid ſit inſolitum & repentinum: Primò quidem facit ad hoc quòd malum imminẽs maius appareat: omnia enim corporalia (& bona & mala) quantò magis conſiderantur, minora apparent: Et ideo ſicut per diuturnitatem dolor præſentis mali mitigatur, vt patet per Tertull. in 3. de Tuſculanis quæſtionibus: ita etiam ex præmeditatione minuitur timor futuri mali: Secundò *aliquid eſſe inſolitum & repentinum* facit ad debilitatem timentis, in quantum ſubtrahit remedia quæ homo poteſt præparare ad repellendum futurum malum: quæ eſſe non poſſunt quando ex improuiſo malum occurit. 1. 2. q. 42. a. 5. in c.

Qu. 5. quomodo experientia, & etiam alia quæ ſpem augent, timorem diminuant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obiectum ſpei eſt bonum quod quis poteſt adipiſci: Et ideo ea quæ augmentant poteſtatem hominis nata ſunt augere ſpem: & eâdem ratione diminuere timorem: quia timor eſt de malo cui non de facili poteſt reſiſti: quia igitur experientia facit hominem magis potentem ad operandum, ideo ſicut auget ſpem, ita diminuit timorem, *ibid, ad* 1.

Qu. 6. ſicut Philoſ. dicit in 2. Rhetor. magis timentur non qui acuta ſunt ira, ſed mites & aſtuti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui habent iram acutam, non ocultant eam: & ideo nocumenta ab eis illata non ita ſunt repentina quin præuideantur: ſed homines mites & aſtuti occultant iram: & ideo nocumentum quod ab eis imminet, non poteſt præuideri, ſed ex improuiſo aduenit: & propter hoc Philoſophus dicit quòd tales magis timentur. *ibidem ad* 2.

Qu. 7. cur repentina magis timeantur, cùm ea quæ ſunt ſubita minus conſiderari poſſint, & tantò aliqua magis timeantur, quantò magis conſiderantur: vnde Philoſophus dicit in 7. ethic. quòd aliqui videntur fortes propter ignorantiam, qui ſi cognouerint quòd aliud ſit quàm ſuſpicantur fugiunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd perſe loquendo bona vel mala corporalia in principio maiora apparent, cuius ratio eſt, quia *vnum quodque magis apparet, contrario iuxta ſe poſito*: vnde cùm aliquis ſtatim à paupertate ad diuitias tranſit, propter paupertatem præexiſtentem diuitias magis æſtimat: è contrario, diuites ſtatim ad paupertatem deuenientes, eam magis horrent: Et propter hoc malum repentinum magis timetur, quia magis videtur eſſe malum: ſed poteſt propter aliquod accidens contingere quòd magnitudo alicuius mali lateat: putà cùm hoſtes ſe inſidioſè occultant: & tunc verum eſt quòd malum ex diligenti conſideratione fit terribilius. *ibidem. ad 3.*

Qu. 8. cur ſicut Philoſ. dicit in 2. Rhetor. omnia timenda ſunt terribiliora, quæcumque ſi peccauerint, corrigi non contingit; aut quorum auxilia non ſunt, aut non facilia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obiectum timoris eſt malum: vnde illud quod facit ad augmentum mali, facit ad augmentum timoris: malum autem augetur non ſolùm ſecundùm ſpeciem ipſius mali: ſed etiam ſecundùm circunſtantias, inter cœteras autē circunſtantias diuturnitas vel étiam perpetuitas magis videtur facere ad augmentum mali: ea enim quæ ſunt in tempore, ſecundùm durationem temporis quodammodo menſurantur: vnde, ſi pati aliquid in tempore tanto eſt malum, pati idem in duplo tempore apprehenditur vt duplatum: & ſecundùm hanc rationem *pati idem in infinito tempore* (quòd eſt perpetuò pati) habet quodammodo i[...]nitum augmentum: mala autem quæ poſtquam aduenerint, non poſſunt habere remedium, vel non de facili, accipiuntur vt perpetua vel diuturna: & ideo maximè redduntur timenda. *1. q. 42. a. 6. in c.*

Qu. 9. vtrum omnis timoris cauſa ſit amor.

Reſp. D. Thomas, quòd Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſt. *nulli dubium eſt non aliam eſſe metuendi cauſam, niſi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum. 1. 2. q. 43. a. 1. in argum. ſed contra. 2. 2. qu. 19. artic. 9.*

Qu. 10. quomodo ſicut ait D. Auguſtinus ſuper 1. canon. Ioannis timor introducit amorem charitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd timor per ſe & primò reſpicit malum quod refugit; quòd opponitur alicui bono amato: Et ſic timor per ſe naſcitur ex amore: Secundariò verò reſpicit id per quod prouenit tale malum: & ſic per accidens timor quandoque ducit in amorem; inquantum ſcilicet homo qui timet puniri à Deo, ſeruat mandata eius, & ſic incipit ſperare & ſpes introducit amorem. *ibidem ad 1.*

Qu. 11. quomodo timor ex amore procedat, cùm vt Philoſophus dicit in 2. Rhetor. illi maximè timentur à quibus expectamus imminere nobis aliqua mala: & tamem propter hoc magis prouocemur ad eorum odium quàm amorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille à quo expectamus mala,

primò quidem odio habetur : ſed poſt quam ab ipſo iam incipiunt ſperari bona . tunc incipit amari : bonum autem cui contrariatur malum quod timetur, à principio amabatur. *ibidem ad* 2.

Qu. 12. *an & quomodo ſicut dicit Philoſophus in* 2. *Rhetor. timor faciat conſiliatiuos.*

Reſp. D. Th. dicendum quòd aliquis poteſt dici conſiliatiuus dupliciter : Vno modo à voluntate ſeu ſolicitudine conſiliandi: & ſic timor conſiliatiuos facit: quia vt Philoſophus in 3. Ethicorum dicit, *conſiliamur de magnis, in quibus quaſi nobis ipſis diſcredimus* : ea autem quæ timorem incutiunt non ſunt ſimpliciter mala ſed habent quãdam magnitudinem, tum ex eo quòd apprehenduntur, vt quæ difficiliter repelli poſſunt: tum etiam quia appreheduntur vt de prope exiſtentia : vnde homines maximè in timoribus quærunt conſiliari : alio modo dicitur aliquis conſiliatiuus à facultate benè conſiliandi : & ſic nec timor, nec aliqua paſſio conſiliatiuos facit : quia homini affecto ſecundùm aliquam paſſionem videtur aliquid vel maius vel minus quàm ſit ſecundùm rei veritatem ; ſicut amanti videntur ea quæ amat, meliora ; & timenti, ea quæ timet, terribiliora . & ſic ex defectu rectitudinis iudicij quælibet paſſio quantùm eſt de ſe, impedit facultatem benè conſiliandi. 1. 2. q. 44. a. 2. in c. 2. 2. qu. 47. a. 9. ad 3. qu. 54. a. 2. ad 4. & q. 129. a. 7.

Qu. 13. *cur ſicut dicit Tullius in* 4. *de tuſcul. quæſt. aliquis eſt timor qui excutit cogitata, & mentem a ſuo loco remouet.*

reſp. D. Thomas, dicendum quòd quantò aliqua paſſio eſt fortior, tantò homo ſecundùm ipſam affectus impeditur : & ideo quando timor fuerit fortis, vult quidem homo conſiliari, ſed adeo perturbatur in ſuis cogitationibus quòd conſilium adiuuenire non poteſt : ſi autem ſit paruus timor, qui ſolicitudinem conſiliandi inducat, nec multùm rationem conturbet : poteſt etiam conferre ad facultatem benè conſiliandi ratione ſolicitudinis conſequentis. *ibidem ad* 2.

Qu. 14. *cur timor excitet ſitim, & ſolutionem ventris, & emiſſionem vrinæ, & quandoque etiam ſeminis.*

Reſp. D. Th dicendũ quòd calore ab exterioribus ad interiora reuocato multiplicatur calor interiùs & maximè versùs inferiora, ideſt circa nutritiuã: & ideo conſumpto humido conſequitur ſitis: & etiam interdum ſolutio ventris, & vrinæ emiſſio, & quandoque etiam ſerminis, vel huiuſmodi emiſſio ſuperfluitarum accidit propter contractionem ventris & teſticulorum, vt Philoſophus dicit in lib. de problematibus. 1. 2. *qu.* 44. a. 3. ad 1.

Qu. cur timorem ſequitur tremor, & dentium ſtrepitus, & præſertim trement cor, vox, mandibula inferior, brachia, manus, & genua.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia in timore calor deſerit cor, à ſuperioribus ad inferiora

EEff ij

tendens, ideo timentibus maximè tremit cor & membra quæ habent aliquam connexionem ad pectus, vbi eſt cor; vnde timentes maximè tremunt in voce propter vicinitatem vocalis arteriæ ad cor. tremit etiam labium inferius, & tota inferior mandibula propter continuationem ad cor: vnde & ſtrepitus dentium ſequitur, & eadem ratione brachia & manus tremunt. vel etiam quia huiuſmodi membra ſunt magis mobilia: propter quod & genua tremunt timentibus, ſecundùm illud Iſa. 35. *confortate manus diſſolutas, & genua trementia roborate ibidem ad 3.*

Qu. 16. an timor impediat operationem, cùm Apoſtolus ad Philip. 2. dicat, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini, quod non diceret ſi timor bonam operationem impediret.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd operatio hominis exterior cauſatur quidem ab anima, ſicut à primo mouente ſed à membris corporeis, ſicut ab inſtrumentis. Contingit autem operationem impediri, & propter defectum inſtrumenti, & propter defectum principalis mouentis. Ex parte igitur inſtrumentorum corporalium timor quantùm eſt de ſe ſemper natus eſt impedire exteriorem operationem propter defectum caloris, qui ex timore accidit in exterioribus membris: ſed ex parte animæ, ſi ſit timor moderatus, non multùm rationem perturbans, confert ad benè operandum, inquantum confert quandam ſolicitudinem, & facit hominem attentiùs conſiliari & operari. Si verò timor tantùm increſcat, quòd rationem perturbet, impedit operationem etiam ex parte animæ, ſed de tali timore Apoſtolus non loqnitur. 1. 2. q. 44. a. 4.

Qu. 17. cur illi qui faciunt aliquid cum timore, faciliùs in operatione deficiunt; ſicut ſi aliquis incedat ſuper trabem in alto poſitam, propter timorem de facili cadit, non autem caderet, ſi incideret ſuper eamdem tamen in imo poſitam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui cadunt de trabe in alto poſita, patiuntur perturbationes imaginationis propter timorem caſûs imaginati *in eodem artic. 4. ad 2.*

Qu. 18. an timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, ſeruilem, & mundanum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de timore nunc agimus ſecundùm quòd per ipſum aliquo modo ad Deum conuertimur, vel ab eo auertimur: cùm enim obiectum timoris ſit malum; quandoque homo propter mala quæ timet, à Deo recedit; & iſte dicitur timor *humanus* vel *mundanus*: quandoque verò homo propter mala quæ timet, ad Deum conuertitur & ei inhæret quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet malum pœnæ, & malum culpæ: ſi ergo aliquis conuertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor *ſeruilis*: ſi autem propter timorem culpæ, erit timor *filialis*: nam filiorum eſt timere offenſam patris: ſi autem propter vtrum-

Digitized by Google

que, eſt timor *initialis*, qui eſt medius inter vtrumque timorem 2. 2. *q.* 19 *a*, 2 *in corp.*

Quæ. 19. an timor mundanus ſit ſemper malus, cùm Dominus dicat, nolite timere eos qui corpus occidunt.

Reſp. D. Thomas, amor mundanus propriè dicitur, quo aliquis mundo innititur tanquam fini: & ſic amor mundanus ſemper eſt malus: timor autem ex amore naſcitur: illud enim timet homo amittere, quod amat, vt patet per Auguſtinum in lib. 83. q. 3. & timor mundanus, eſt qui procedit ab amore mundano tanquàm à mala radice: & propter hoc ipſe timor mundanus ſemper eſt malus. 2. 2. *quæſt.* 19. *a.* 3. *in corp.*

Qu. 26. an timor ſeruilis ſit bonus, cùm ſuper illud Roman. 8. non accepiſtis ſpiritum ſeruilitatis & c, dicat gloſſa vnus ſpiritus eſt qui facit duos timores, ſcilicet ſeruilem & iuſtum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd timor ſeruilis ex parte ſeruilitatis habet quòd ſit malus, ſeruitus enim libertati opponitur, vnde cùm liber ſit qui *cauſa ſui eſt*, vt dicitur in 1. Metaph. Seruus eſt qui non cauſâ ſui operatur, ſed quaſi ab extrinſeco motus: quicumque autem ex amore aliquid facit, quaſi ex ſeipſo operatur, quia ex propria inclinatione mouetur ad operandum: & ideo contra rationem ſeruilitatis eſt quòd aliquis ex amore operetur: ſic ergo timor ſeruilis, in quantum ſeruilis eſt, charitati contrariatur.

Si ergo ſeruilitas eſſet de ratione timoris ſeruilis, oporteret quòd timor ſeruilis ſimpliciter eſſet malus, quia id ex quo eſt, contrariatur charitati, & pertinet ad adulterij ſpeciem: ſed prædicta ſeruilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſeruilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis: ſpecies enim moralis habitûs vel actus ex obiecto accipitur: obiectum autem timoris ſeruilis eſt pœna, cui accidit quòd bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis vltimus, & per conſequens pœna non timeatur tanquā principale malum, quod contingit in non habente charitatem: vel quòd ordinetur in Deum ſicut in finem, & per conſequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem: non enim tollitur ſpecies habitûs per hoc quòd eius obiectum vel finis ordinetur ad vlteriorem finem: Et ideo timor ſeruilis ſecundùm ſuam ſubſtantiam bonus eſt, ſed ſeruilitas eius eſt mala. 2. 2. *qu.* 19. *a.* 4. *in corp.* 3. *ſent. d.* 34. *quaſt.* 2. *ar.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.*

Qu. 21 quomodo ſit intelligendum illud quod dicit gloſſa Auguſtini ad Rom. 8. qui timore aliquid facit, etſi bonum ſit quod facit non tamen benè facit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd verbum illud Auguſtini intelligendum eſt de eo, qui facit aliquid timore ſeruili inquantum eſt ſeruilis; vt ſcilicet non amet iuſtitiam, ſed ſolùm pœnam timeat 2. 2. *q.* 19. *art.* 4. *ad* 1.

Digitized by Google

Qu. 22. quomodo ſicut ait D. Gregorius (ſuper illud 3. quare non in vulua mortuus ſum (cùm ex peccato præſens pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd timor ſeruilis ſecundùm ſuam ſubſtantiam non oritur ex tumore; ſed eius ſeruilitas ex tumore naſcitur, inquantum ſcilicet homo affectum ſuum non vult ſubijcere iugo iuſtitiæ per amorem. *ibidem ad 2.*

Qu. 23. quare Apoſtolus ad Rom. 11. ait: noli altum ſapere, ſed time.

Reſp. D. Thomas, inducit admonitionem dicens: *noli altum ſapere*, ideſt noli de te vltra teipſum præſumere: infra, *non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*: Pſalm. 129. *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* Sed *time*, ne tu frangaris per incredulitatem, quòd pertinet ad timorem caſtum, Prou. 28. *beatus homo qui ſemper eſt pauidus, qui verò mentis eſt dura, corruet in malum*: Eccl. 1. *timor Domini expellit peccatum. in expoſ. illius cap. 11. lect. 3.*

Qu. 24. cur timor Domini inter ſeptem Spiritus-Sancti dona enumeratur Iſa. 11.

Reſp. D. Dhomas, dicendum quòd multiplex eſt timor, vt dictum eſt: timor autem humanus, vt dicit Auguſtinus in lib. de gratia, & libero arbitrio non eſt donum Dei, hoc enim timore Petrus negauit Chriſtum; ſed ille timor, de quo dictum eſt Matthæi 10. *Illum timete, qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam.* Similiter etiam timor ſeruilis non eſt numerandus inter ſeptem dona Spiritus Sancti, licet ſit à Spiritu-Sancto, quia vt Auguſtinus dicit in lib. de natura, & gratia poteſt habere annexam voluntatem peccandi: dona autem Spiritus-Sancti non poſſunt eſſe cum voluntate peccandi, quia non ſunt ſine charitate: Vnde relinquitur, quòd timor Dei, qui numeratur inter ſeptem dona Spiritus-Sancti, eſt timor filialis ſiue caſtus. Dona enim Spiritus-Sancti ſunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ quibus redduntur benè mobiles à ratione: ad hoc autem quòd aliquid ſit benè mobile ab aliquo mouente, primò requiritur vt ſit ei ſubiectum, non repugnans; quia ex repugnantia mobilis ad mouens impeditur motus: hoc autem facit timor filialis & caſtus, inquantum per ipſum, Deum reueremur, & refugimus nos ipſi ſubducere: & ideo timor filialis quaſi primum locum tenet aſcendendo, inter dona Spiritus-Sancti, vltimum autem deſcendendo, ſicut dicit Auguſtinus in lib. de ſermone Domini in monte. 2. 2. q. 19. a. 9. 3. ſ. d. 43. qu. 3. art. 1. qu. 15.

Plura de timore videantur v. Contritio qu. 2. 35. 37. Iuramentum qu. 18. Matrimonium qu. 27. & qu. 112. & ſequentibus Et v. metus o. Paupertas qu. 4. & Pœnitentia qu. 27. 28. & 29. plura quoque alia de eodem timore omittuntur; quia perti-

Digitized by Google

nentvel ad ſcholaſticam , vel ad moralem ſpeculatiuè & in communi ſumptam , non autem practicè & in particulari , ſicut in hoc opere traditur.

TRIBVTVM.

Qu. 1. an & quomodo & in quibus caſibus poſſint Principes à ſubditis ſuis tributa exigere.

RESp.D.Thomas, dicendũ quòd Principes terrarum ſunt à Deo inſtituti , non quidem vt propria lucra quærant, ſed vt communem populi vtilitatem procurent : In reprehenſione enim quorundam Principum dicitur in Ezech. 22. *Principes eius in medio eius quaſi lupi rapaces , poſiti ad effundendum ſanguinem, & ad quærendas animas , & auaritiæ lucra ſectanda :* & alibi dicitur per eundem Prophetam cap. 34, *væ Paſtoribus Iſraël , qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur à Paſtoribus? lac comedebatis , & lanis cooperiebamini , quod craſſum erat occidebatis , gregem autẽ meum non paſcebatis* : vnde conſtituti ſunt redditus terrarum Principibus , vt ex illis viuentes , à ſpolatione ſubditorum abſtineãt: vnde in eodem Propheta Domino mandante dicitur c.45.quòd *Principi erit poſſeſſio in Iſrael , & non depopulabunur vltrà Principes populum meum.*

Contingit tamen aliquando quòd Principes non habent ſufficientes redditus ad cuſtodiam terræ , & ad alia quæ imminent rationabiliter Principibus expetenda. Et in tali caſu iuſtum eſt, vt ſubditi exhibeant , vnde poſſit communis eorum vtilitas procurari & inde eſt quòd in aliquibus terris ex antiqua conſuetudine Domini ſuis ſubditis certas collectas imponunt , quæ ſi non ſint immoderatæ,abſque peccato exigi poſſunt ; quia ſecundum Apoſtolum 1. ad Corinth.9. *nullus militat ſtipendiis ſuis* : Vnde Princeps, qui militat vtilitati communi, poteſt de communibus viuere , & communia negotia procurare ; vel per redditus deputatos ; vel ſi huiuſmodi deſint , aut ſufficientes non fuerint , per ea quæ à ſingulis colliguntur.

Et ſimilis ratio eſſe videtur , ſi aliquis caſus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi , vel pro honeſto ſtatu Principis conſeruando, ad quæ non ſufficiunt redditus proprij, vel exactiones conſuetæ ; putà ſi hoſtes terram inuadant,vel aliquis ſimilis caſus emergat. Tunc enim & præter ſolitas exactiones , poſſent licitè terrarum Principes à ſuis ſubditis aliqua exigere pro vtilitate communi.

Si verò velint exigere vltra id quod eſt inſtitutum, pro ſola libidine habendi, aut propter inordinatas & immoderatas expenſas, hoc eis omnino non licet. Vnde Ioannes Baptiſta militibus ad ſe venientibus dixit Luc. 3.*Neminem concutiatis , nec calumniam faciatis & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Sunt enim quaſi ſtipendia Principum eorum redditus , quibus debent eſſe contenti , vt vltra non exigant , niſi ſecundùm rationem prædictam , & ſi vtilitas eſt communis. Opuſc. 21. *ad Duciſſam Brabantiæ art. 6.*

Qu. 2. quid debeant facere Principes,

Digitized by Google

quando eorum officiales aliquid extorſerunt ab eorum ſubditis præter ordinem iuris.

Reſp. D. Thomas, in eodem opuſculo ad Duciſſam Brabantiæ quærebatis, ſi officiales veſtri abſque iuris ordine aliquid à ſubditis extorſerint, quod ad manus veſtras deuenerit vel non fortè, quid circa hoc facere debeatis ſuper quo plana eſt reſponſio: quia ſi ad manus veſtras deuenerint, debetis reſtituere vel certis perſonis, ſi poteſtis, vel in pios vſus expendere, ſiue pro vtilitate communi, ſi perſonas certas non poteſtis inuenire. Si autem ad manus veſtras non deuenerint, debetis compellere officiales veſtros ad conſimilem reſtitutionem, etiamſi non fuerint notæ vobis aliquæ certæ perſonæ, à quibus exegerint, ne à ſua iniuſtitia commodum reportent. Quinimò ſunt à vobis ſuper hoc grauiùs puniendi, vt cæteri à ſimilibus abſtineant in futurum: quia ſicut Salomon dicit Prouerb. 29. *Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior fit. ibidem, art. 7.*

Qu. 3 an Clerici teneantur ſoluere tributa Principibus.

Reſp. D. Thomas, quòd à debito ſoluendi tributum liberi ſunt Clerici ex priuilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet: vnde etiam apud Gentiles liberi erant à tributis illi qui vacabant rebus diuinis: legitur enim Geneſis 47. quòd *Ioſeph ſubiecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*: & infra dicitur quòd *in vniuerſa terra Ægypti quinta pars ſoluitur abſque terra ſacerdotali, quæ libera erat ab hac conditione.* Hoc autem ideo æquum eſt: quia ſicut Reges ſolicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita miniſtri Dei in ſpiritualibus; & ſic per hoc quòd Deo in ſpiritualibus miniſtrant, recompenſant Regi, quod pro eorum pace laborant *ad Romanos 13. lect. 1.*

Videatur ſupra v. Iudæi q. 1. quomodo liceat exigere tributum à Iudæis, & v. lex qu. 15. 16. & 17. quomodo tributorum leges ſint iuſtæ vel iniuſtæ & obligent, vel non obligent, & v. pœnitentia qu. 38. an liceat ipſis etiam pœnitentibus publicanorum officium exercere ad tributorum exactionem, & v. Princeps qu. 1. cur debetur principibus honor & tributum.

TRISTITIA.

Quær. 1. quare triſtitia magis nocet quàm omnis alia paſſio, iuxta illud prou. 17. animus gaudens ætatem floridam facit; ſpiritus triſtis exſiccat oſſa: prou. 25. ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet corpori: & Eccleſ. 37. à triſtitia feſtinat mors.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd triſtitia inter omnes animæ paſſiones magis corpori nocet. Cuius ratio eſt, quia triſtitia repugnat humanæ vitæ quantùm ad ſpeciem motûs ſui, & non ſolùm quantùm ad menſuram ſeu quantitatem, ſicut aliæ animæ paſſiones: conſiſtit enim humana vita

vita in quadam animi motione, quæ à corde in cætera membra diffunditur: quæ quidem motio conuenit naturæ humanæ ſecundùm aliquam determinatam menſuram: ſi ergo iſta motio procedat vltra menſuram debitam, repugnabit humanæ vitæ ſecundùm quantitatis menſuram, non autem ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei: ſi autem impediatur proceſſus huius motionis, repugnabit vitæ ſecundùm ſuam ſpeciem: eſt autem attendendum in omnibus animæ paſſionibus, quòd tranſmutatio corporalis quæ eſt in eis materialis, eſt conformis & proportionata motui appetitûs, qui eſt formalis, ſicut in omnibus materia proportionatur formæ: illæ ergo animæ paſſiones quæ important motum appetitûs ad proſequendum aliquid, non repugnant vitali motioni ſecundùm ſpeciem; ſed poſſunt repugnare ſecundùm quantitatem; vt amor, gaudium, deſiderium & huiuſmodi: Et ideo iſta ſecundùm ſpeciem ſuam iuuant naturam corporis: ſed propter exceſſum poſſunt nocere: paſſiones autem quæ important motum appetitûs cum fuga vel retractione quadam, repugnant vitali motioni, non ſolùm ſecundùm quantitatem, ſed etiam ſecundùm ſpeciem motûs: Et ideo ſimpliciter nocent: ſicut timor, & deſperatio, & præ omnibus triſtitia, quæ aggrauat animum ex malo præſenti, cuius eſt fortior impreſſio quàm futuri. 1. 2. q. 37. a. 4. in corp.

Quær. 2. an & quomodo triſtitia debilitet omnem operationem, iuxta illud Philoſ. in decimo ethicorum, delectatio perficit operationem, & è conuerſo triſtitia impedit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut triſtitia quandoque non ita aggrauat vel abſorbet animum, vt omnem motum interiorem & exteriorem excludat: ſed aliqui motus quandoque ex triſtitia cauſantur. Vno modo ſicut ad id, de quo eſt triſtitia; & ſic triſtitia quamlibet operationem impedit: nunquam enim illud quod cum triſtitia facimus, ita benè facimus ſicut illud quod facimus cum delectatione vel ſine triſtitia: cuius ratio eſt, quia voluntas eſt cauſa operationis humanæ: vndæ quando operatio eſt, de qua aliquis contriſtatur, neceſſe eſt quòd actio debilitetur. Alio modo comparatur operatio ad triſtitiam, ſicut ad principium & ad cauſam, & ſic neceſſe eſt quòd operatio talis ex triſtitia augeatur: ſicut quantò aliquis magis triſtatur de re aliqua, tantò magis conatur ad expellendam triſtitiam dummodo remaneat ſpes expellendi: alioquin nullus motus vel operatio ex triſtitia cauſaretur. 1. 2. q. 37. a. 3.

Qu. 3. an & quomodo triſtitia mitigetur per fletum, ſicut D. Aug. dicit in 4o. confeſſionum, quòd quando dolebat de morte amici, in ſolis gemitibus & lachrymis erat ei aliquantula requies.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd lachrymæ & gemitus naturaliter mitigant triſtitiam, & hoc duplici ratione. Primò quidem quia omne nociuum interiùs clauſum magis affligit: quia magis multiplicatur intenſio animæ circa ipſum: ſed quando ad exteriora diſ-

Digitized by Google

funditur, tunc animæ intenſio ad exteriora quodammodo diſgregatur & ſic interior dolor minuitur. Et propter hoc quando homines, qui ſunt in triſtitiis exteriùs ſuam triſtitiam manifeſtant, vel fletu, vel gemitu, vel etiam verbo, mitigatur triſtitia. Secundò quia ſemper operatio conueniens homini ſecundùm diſpoſitionem, in qua eſt, ſibi eſt delectabilis: fletus autem & gemitus ſunt quædam operationes conuenientes triſtato vel dolenti: & ideo efficiuntur eis delectabiles. Cum igitur omnis delectatio aliqualiter mitiget triſtitiam vel dolorem, vt dictum eſt, ſequitur quod per planctum & gemitum triſtitia mitigetur. 1. 2. q. 38. a. 2.

Qu. 4. an & quomodo triſtitia mitigetur per compaſſionem amicorum, ſicut Philoſ. dicit in 9. ethic. quòd in triſtitiis amicus condolens conſolatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd naturaliter amicus condolens in triſtitiis eſt conſolatiuus: cuius duplicem rationem tangit Philoſ. quarum prima eſt; quia cùm ad triſtitiam pertineat aggrauare, habet rationem cuiuſdam oneris, à quo aliquis aggrauatus alleuiari conatur: cùm ergo aliquis videt de ſua triſtitia alios contriſtatos, fit ei quaſi quædam imaginatio, quòd illud onus alii cum ipſo ferant, quaſi conantes ad ipſum ab onere alleuiandum: Et ideo leuius fert triſtitiæ onus: ſicut etiam in portandis oneribus corporalibus contingit. Secunda ratio & melior eſt, quia per hoc quòd amici contriſtantur ei percipit ſe ab eis amari, quod eſt delectabile: vnde cùm omnis delectatio mitiget triſtitiam, ſequitur quòd amicus condolens triſtitiam mitiget. *in eadem qu. 38. a. 3.*

Qu. 5. quomodo triſtitia mitigetur per omnem delectationem & præſertim per ſomnum & balnea, iuxta illud D. Auguſtini 9. Confeſſ. audieram balnei nomen inde dictum, quòd anxietatem pellat ex animo: & infra: dormiui, & euigilaui, & non parua ex parte mitigatum inueni dolorem meum: & inducit quod in hymno D. Ambroſii dicitur, quòd quies artus ſolutos reddit laboris vſui, menteſque feſſas alleuat, luctuſque ſoluit anxios.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd triſtitia ſecundùm ſuam ſpeciem repugnat vitali motioni corporis: & ideo illa, quæ reformant naturam corporalem in debitum ſtatum vitalis motionis, repugnant triſtitiæ, & ipſã mitigant. Per hoc etiam quòd huiuſmodi remediis reducitur natura ad debitum ſtatum, cauſatur ex his delectatio: hoc enim eſt quod delectationem facit, vt ſupra dictum eſt. Vnde cum omnis delectatio triſtitiam mitiget, per huiuſmodi remedia corporalia triſtitia mitigatur. *in eadem qu. a. 5.*

Qu. 6. quomodo per contemplationem veritatis mitigatur triſtitia iuxta illud D. Aug. in 1. ſoliloquiorum videbatur mihi, ſi ſe ille mentibus noſtris, veritatis fulgor apperiret, aut non me ſenſurum fuiſſe illum dolorem, aut certè pro nihilo toleraturum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in contemplatione veritatis maxima delectatio conſiſtit: omnis autem delectatio dolorem mitigat:& ideo cõtéplatio veritatis mitigat triſtitiam vel dolorem; & tantò magis quantò perfectiùs aliquis eſt amator ſapientiæ: Et ideo homines ex contemplatione diuina, & futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent; ſecundùm illud Iacobi 1. *omne gaudium existimare fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*. Et quòd eſt amplius etiam inter corporis cruciatus huiuſmodi gaudium inuenitur, ſicut Tiburtius martir, cùm nudatis plantis ſuper ardentes prunas incederet, dixit, *videtur mihi quòd ſuper roſeos flores incedam in nomine Ieſu-Chriſti*. 1.2. q. 38. a. 4. *in corp.*

Qu. 7. cur Apoſtolus ad Rom. 9. ait, triſtitia mihi magna eſt: & vtrum triſtitia ſit aliquando laudabilis.

Reſp. D. Thomas, triſtitia eſt magna, quia ſcilicet eſt de magno malo, ideſt de excidio tantæ gentis, Thren. 2. *magna eſt velut mare contritio tua*. Sed contra hoc videtur eſſe quod dicitur Eccl. 30. *triſtitiam non des animæ tuæ*. Quod videtur ſententiæ ſtoicorum conſonare, qui triſtitiam omnino ab animo ſapientis propellabant. Cùm enim triſtitia ſit de malo præſenti, non poteſt ſapienti competere: cui nullum malum eſt præſens:non enim æſtimabant aliquid eſſe bonum niſi honeſtum, & malum niſi peccatum.

Sed hæc opinio refellitur dupliciter. Primò quidem quia corporales defectus, licet non ſint ſimpliciter mala, quibus ſcilicet homines fiant mali, ſunt tamen quædam mala quæ natura abhorret: vnde & Dominus pro his triſtatus legitur, Matth. 26. *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. Secundò cùm ex charitate homo debet ſuum diligere proximum ſicut ſeipſum, imminet ſapienti triſtitia laudabilis de peccato ſui ipſius:vnde Apoſt. dicit 2. Corinth. 12. *& lugeam multos ex eis qui peccauerunt*. Sic igitur reprobatur ſæculi triſtitia quæ mortem operatur, procedens ex amore ſæculi: ſed triſtitia quæ eſt ſecundùm Deum vt pote ex diuina charitate procedens ſalutem operatur, vt dicitur 2. cor. 7. *in expoſ. eiuſdem cap. 9. ad Roman. lect.* 1. 3. *p. q.* 47.

Qu. 8. quare boni non debent triſtari de malorum proſperitate.

Reſp. ſupra V. malus *qu.* 4.

De acedia quæ eſt triſtitia aggrauans hominis animum: itaut nihil ei agere libeat, & inuidia quæ eſt triſtitia de bono alieno, de contritione quoque & attritione, necnon de pœnitentia, quæ important dolorem ſeu triſtitiam de peccatis, agitur ſub huiuſmodi titulis: vbi videri poteſt an & quando triſtitia ſit bona & laudabilis, vel econtra mala & vituperabilis.

VENDITIO.

Qu. 1. an liceat aliquid cariùs vendere, vel viliùs emere quàm valeat.

RESp. D. Thomas, dicendum quòd fraudem adhibere ad hoc

Digitized by Google

relinquit, quod ſit virtuti contrarium: Vnde ſecundùm diuinam legem illicitum reputatur, ſi in emptione & venditione non ſit æqualitas iuſtitiæ obſeruata: Et tenetur ille qui plus habet, recópenſare ei qui damnificatus eſt, ſi ſit notabile damnum. Quod ideo dico, quia iſtud pretium rerum non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtit; ita quòd modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem iuſtitiæ. *ibidem ad* 1. *quodl.* 2. *a* 10. *ad* 1. *&* 2.

Quær. 3. *an ſit naturale vel potius vitioſum deſiderium cariùs vendendi & viliùs emendi, circa quod D. Auguſtinus* 13. *de trinit. refert dictum cuiuſdam mimi quod fuit ab omnibus acceptum, vili vultis emere, & carò vendere: cui etiam conſonat quod dicitur Prou.* 20. *malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cùm receſſerit, gloriatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Aug. ibidem dicit, *mimus ille vel ſe ipſum inſpiciendo, vel alios experiendo, vili velle emere, omnibus id credidit eſſe commune. Sed quoniam reuera vitium eſt poteſt quiſque adipiſci huiuſmodi iuſtitiam, qua huic reſiſtat & vincat*: Et ponit exemplum de quodam, qui modicum pretium de quodnam libro propter ignorantiam poſtulanti iuſtum pretium dedit: vnde Pater quòd illud commune deſiderium non eſt naturæ, ſed vitii: & ideo commune eſt multis qui per latam viam vitiorum incedunt. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 2.

Quær. 4. *vtrum in venditione & emptione recompenſatio fieri poſſit & debeat, ſicut fit in amicitia vtili, vt ait Philoſophus, iuxta vtilitatem quam conſecutus eſt ille qui beneficium ſuſcepit: quæ quidem quandoque excedit valorem rei datæ; ſicut contingit cùm aliquis multùm re aliquâ indiget; vel ad periculum euitandum, vel ad aliquod commodum conſequendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in iuſtitia commutatiua conſideratur principaliter æqualitas rei: ſed in amicitia vtilis, conſideratur æqualitas vtilitatis: Et ideo recompenſatio fieri debet ſecundùm vtilitatem perceptam: in emptione verò ſecundùm æqualitatem rei *ibidem ad* 3.

Qu. 5. *quomodo venditio vel emptio illicita reddi poſſit ex triplici defectu rei quæ venditur: & quomodo ſeruari debeat regula quam D. Ambroſius tradit in lib. de officiis; Regula iuſtitiæ manifeſta eſt, quòd à vero declinare virum non deceat bonum; nec damno iniuſto afficere quemquam; nec doli aliquid annectere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa rem quæ venditur, triplex defectus conſiderari poteſt. Vnus quidem ſecundùm ſpeciem rei, & hunc quidem defectum ſi venditor cognoſcat in re quam vendit, fraudem committit in venditione; vnde venditio illicita redditur; & hoc eſt quod dicitur contra quoſdam Iſaiæ 1. *Ar-*

Digitized by Google

tis, & benè currat, & ſimiliter in cæteris. Has autem qualitates de facili venditor, & emptor cognoſcere poſſunt. 2. 2. *qu.* 77. *art.* 2. *ad* 3.

Qu. 9. *an & quando teneatur venditor manifeſtare vitium rei venalis iuxta illud D. Amb. in lib. de off. in contractibus vitia eorum quæ veneunt, prodi iubentur; ac niſi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris tranſierint, doli actione vacuantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd dare alicui occaſionem periculi vel damni ſemper eſt illicitum: quamuis non ſit neceſſarium, quòd homo alteri ſemper det auxilium vel conſilium pertinens ad eius qualemcunque promotionem. Sed hoc ſolùm eſt neceſſarium in aliquo caſu determinato; putà cùm alius eius curæ ſubditur, vel cùm non poteſt ei per alium ſubueniri.

Venditor autem, qui rem vendendam proponit, ex hoc ipſo dat emptori damni vel periculi occaſionem, quòd rem vitioſam ei offert; ſi ex eius vitio damnum, vel periculum incurrere poſſit: damnum quidem, ſi propter huiuſmodi vitium res quæ vendenda proponitur, minoris ſit pretij, ipſe verò propter huiuſmodi vitium, nihil de pretio ſubtrahat: Periculum autem, ſi propter huiuſmodi vitium vſus rei reddatur impeditus, vel noxius; putà ſi aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinoſam domum pro firma, vel cibum corruptũ ſiue venenoſum pro bono: Vnde ſi huiuſmodi vitia ſint occulta, & ipſe non detegat, erit illicita, & doloſa venditio; & tenetur venditor ad damni recompenſationem.

Si verò vitium ſit manifeſtum; putà ſi equus ſit monoculus; vel cùm vſus rei, etſi non competat venditori, poteſt tamen eſſe conueniens aliis; & ſi ipſe propter huiuſmodi vitium ſubtrahat quantùm oportet de pretio, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei: quia fortè propter huiuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio, quàm eſſet ſubtrahendum: vnde poteſt licitè venditor indemnitati ſuæ conſulere, vitium rei reticendo. 2. 2. *q.* 77. *a.* 3. *in corp. quodlibeto* 2. *art.* 10. *in corp.*

Qu. 10. *quomodo manifeſtari debeat vitium rei venalis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd non oportet, quòd aliquis per præconem vitium rei venditæ prænunciet, quia ſi prædicerat vitium; exterrerentur emptores ab emendo, dum ignorarent alias conditiones rei, ſecundùm quas eſt bona, & vtilis; ſed ſingulariter eſt dicendum vitium rei ei, qui ad emendum accedit, qui poteſt ſimul omnes conditiones ad inuicem comparare, bonas, & malas: nihil enim prohibet rem in aliquo vitioſam in multis aliis vtilem eſſe. 2.2.*q.* 77. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 11. *an liceat vendere rem pluſquam valeat, alicui in neceſſitate conſtituto.*

Reſp. D. Thomas, ſi quis alieni in neceſſitate conſtituto venderet rem aliquem multò ampliùs quàm

valeat, eſſet iniuſta venditio. *qu. 13. de malo art. 4. ad 7.*

Qu. 12. vtrum ille qui defert triticum ad locum vbi eſt ipſius penuria, teneatur dicere ſi ſciat alios poſt ſe venire ſimiliter deferentes, cùm ſicut dicit Tullius in libro de officiis, ad officium boni viri pertineat, vt dicat emptori illud pro quo res minùs venderetur.

Reſp. D. Thomas, in caſu præmiſſo in futurum res expectatur eſſe minoris valoris per ſuperuentum negotiatorum, qui ab ementibus ignorantur: Vnde venditor, qui vendit rem ſecundùm pretium, quod inuenit, non videtur contra iuſtitiam facere, ſi quod futurum eſt, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet virtutis: quamuis ad hoc non videatur teneri ex iuſtitiæ debito. 2.2. *q.* 77. *a.* 3. *ad* 4. *quodl.* 2.*a.*10.

VERBERARE.

Qu. 1. an debeant Patres verberare filios, & domini ſeruos, cauſâ correctio,nis & diſciplinæ, iuxta illud prou. 13. qui parcit virgæ odit filium ſuum: & infra 23. noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur: tu virgâ percuties eum, & animam eius de inferno liberabis: & Eccleſ. 23. dicitur: ſeruo maleuolo tortura & compedes.

Reſp. D.. Thomas, dicendum quòd per verberationem nocumentum quoddam infertur corpori eius, qui verberatur; aliter tamen quàm in mutilatione: nam mutilatio tollit corporis integritatem: verberatio verò tantummodo afficit ſenſum dolore: vnde multò minus nocumentum eſt quàm mutilatio membri: nocumentum autem inferre alicui non licet: niſi per modum pœnæ propter iuſtitiam: nullus autem iuſtè punit aliquem, niſi ſit eius iuriſdictioni ſubiectus: & ideo verberare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem aliquam ſuper illum, qui verberatur licitè: & quia filius ſubditur poteſtati patris, & ſeruus poteſtati Domini, licitè poteſt verberare pater filium, & Dominus ſeruum, cauſâ correctionis, & diſciplinæ. 2. 2. *q.* 65. *a.* 2. *in corp. quæſt.* 72. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 2. an liceat cuilibet alium verberare: & cur canones hoc permittunt Prælatis reſpectu inferiorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quòd exhibere diſciplinam volenti, cuilibet licet: ſed diſciplinam nolenti adhibere, eſt ſolùm eius, cui alterius cura committitur: & ad hoc pertinet aliquem verberibus caſtigare. quod extra de ſententia excommunicationis Alexander 3. cap. *ex tenore*, & Gregorius 9. cap. *cùm voluntate* propter miniſterium vel officium prælaturæ permittunt. 2. 2. *q.* 65. *a.* 2. *ad* 3.

Qu. 3. quomodo ſicut ait Philoſophus in 10. ethic. ſermo paternus habet ſolùm admonitionem, & non coactionem: & quare non licet Patribus vel Dominis occidere vel mutilare filios aut ſeruos, ſed ſolummodo verberare.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maior poteſtas maiorem debet habere coactionem. Sicut autem Ciuitas eſt perfecta communitas; ita Princeps Ciuitatis habet perfectam poteſtatem coercendi: & ideo poteſt infligere pœnas irreparabiles, ſcilicet occiſionis, vel mutilationis: Pater autem, & dominus, qui præſunt familiæ domeſticæ, quæ eſt imperfecta Communitas, habent imperfectam poteſtatem coercendi ſecundùm leuiores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentum: & huiuſmodi eſt verberatio. *in eodem a. 2. ad 2.*

Qu. 4. quomodo intelligantur illa verba Apoſtoli ad Epheſios 9. Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: & infra: & vos domini eadem facite ſeruis remittentes minas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per hoc quòd patribus interdicitur, ne filios ad iracundiam prouocent, non prohibetur quin filios verberent causâ diſciplinæ, ſed quòd non immoderatè eos affligant verberibus.

Quod verò indicitur dominis, quòd remittant ſeruis minas, poteſt dupliciter intelligi: vno modo, vt remiſſè minis vtantur, quod pertinet ad moderationem diſciplinæ: alio modo, vt aliquis non ſemper impleat, quòd comminatus eſt, quod pertinet ad hoc quòd iudicium, quo quis comminatus eſt pœnam, quandoque per remiſſionis miſericordiam temperetur *ibidem ad 1.*

VERECVNDIA.

Qu. 1. quid ſit verecundia: & cur Philoſophus dicit in 2. & 4. ethic. eam non eſſe virtutem: cùm tamen D. Ambroſius in 1. de officiis ſic loquatur: verecundia ſocia ac familiaris eſt mentis placiditati, proteruiam fugitans, ab omni luxu aliena, ſobrietatem diligit, honeſtatem fouet, decorum illud requirit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus dupliciter accipitur, propriè ſcilicet & communiter. Propriè quidem *virtus perfectio quædam eſt*, vt dicitur in 7. Phyſ. & ideo omne illud quod repugnat perfectioni, etiamſi ſit bonum, deficit à ratione virtutis: verecundia autem repugnat perfectioni: eſt enim timor alicuius turpis, quod ſcilicet eſt exprobabile: vnde Damaſcenus dicit quòd *verecundia eſt timor de turpi actu.* Sicut autem ſpes eſt de bono poſſibili & arduo, ita etiam timor eſt de malo poſſibili & arduo: Ille autem qui eſt perfectus ſecundùm habitum virtutis, non apprehendit aliquid exprobabile & turpe ad faciendum, vt poſſibile & arduum, (id eſt, difficile ad vitandum,) neque etiam actu facit aliquid turpe: vnde opprobrium timeat. Vnde verecundia propriè loquendo non eſt virtus: deficit enim à perfectione virtutis. Communiter autem virtus dicitur eſſe omne, quod eſt bonum & laudabile in humanis actibus vel paſſionibus: Et ſecundùm hoc quandoque verecundia dicitur virtus, cùm ſit quædam laudabilis paſſio. *2. 2. qu. 144. a. 1. 3. ſ. d. 23. qu.*

Digitized by Google

1. art. 3. queſt. 2. ad 2. 4. ſent. dicit 14. qu. 1. art. 1. quaſt. 2. ad 5. qu. 26. de verit. ar. 6. ad 25.

Qu. 2. cur [illegible] verecundatur de defectibus, qui non [illegible] ex ſua culpa.

Reſp. D. Thomas, verecundia, quæ eſt timor turpitudinis, primò & principaliter reſpicit vituperium ſeu opprobriũ: & quia vituperũ propriè debetur vitio, ſicut honor virtuti; ideo etiam ex conſequenti verecundia reſpicit turpitudinem vitioſam: vnde ſicut Philoſophus dicit in 2. Rhet. *minùs homo verecundatur de defectibus, qui non ex eius culpa proueniunt 2. 2. q. 144. a. 2. in c.*

Qu. 3. quare homines magis verecundãtur de illis quorũ ipſi ſunt cauſa: & vtrum virtuoſi verecundentur de opprobriis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd verecundia reſpicit propriè ingloriationem ſecundùm quòd debetur culpæ, quæ eſt defectus voluntarius: vnde Phil. dicit in 2. Rhet. quòd *omnia homo magis verecundatur, quorum ipſe eſt cauſa.* Opprobria autem, quæ inferuntur alicui propter virtutem, virtuoſus quidem contemnit, quia indignè ſibi irrogantur: ſicut de magnanimis Philoſophus dicit in 4. Ethic. & de Apoſtolis dicitur actu. 5. quòd *ibant Apoſtoli gaudẽtes à conſpectu Concilii quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Ex imperfectione autẽ virtutis contingit, quòd aliquis verecundetur de opprobriis, quæ ſibi inferuntur propter virtutem: quia quantò eſt aliquis magis virtuoſus, tantò magis contemnit exteriora bona vel mala: Vnde dicitur Iſaiæ 51. *Noli, timere opprobrium hominum. 2. 2. 144. a. 2. ad 1.*

Qu. 4. cur homo verecundatur de [illegible]uſdam quæ non ſunt peccata, ſicut de paupertate & ſimilibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut honor quamuis non debeatur verè niſi ſoli vrtuti, reſpicit tamen quandam excellentiam: ita etiã vituperium, quamuis debeatur propriè Soli culpæ, reſpicit tamen, ad minùs ſecundùm opinionem hominum, quemcumque defectum: Et ideo de paupertate, & ignobilitate, & ſeruitute, & alijs huiuſmodi aliquis verecundatur. *ibidem ad 5.*

Qu. 5. cur licet verecundia ſit de turpibus: & operationes virtuoſa non ſint turpes ſed pulcherrima, vt dicit Philoſ. in 2. ethic. nihilominus quandoque de ipſis homines verecundantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd de operibus virtuoſis in ſe conſideratis non eſt verecundia. Contingit tamen per accidens quòd aliquis de his verecundetur; vel inquantum habentur vt vitioſa ſecundùm hominum opinionem; vel inquantum homo refugit in operibus virtutis notam de præſumptione, aut etiam de ſimulatione *ib. ad 3.*

Qu. 6. cur quandoque grauiora peccata ſunt minùs verecundabilia.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quandoque contingit aliqua grauiora peccata minùs eſſe verecundabilia: vel quia minùs habent de ratione turpitudinis, ſicut peccata ſpiritualia quàm carnalia: vel quia in quodam exceſſu temporalis boni ſe habent: ſicut magis verecundatur homo de timiditate quàm de audacia, & de furto quàm de rapina, propter quandam ſpeciem poteſtatis. Et ſimile eſt in aliis. 2. 2. q. 144. a. 2. ad 4. qu. 116. a. 3.

Qu. 7. an & quare homo magis verecundetur à perſonis magis coniunctis, iuxta illud Philoſophi in 2. Rhetor. eos qui ſemper adſunt, homines magis erubeſcunt & quare verecundatur à ſapientibus & virtuoſis; non autem à peregrinis & ignotis; nec à pueris aut beſtiis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm vituperium honori opponatur, ſicut honor importat teſtimonium quoddam de excellentia alicuius, & præcipuè quæ eſt ſecundùm virtutem: ita etiam opprobrium, cuius timor eſt verecundia, importat teſtimonium de defectu alicuius, & præcipuè ſecundum aliquam culpam: Et ideo quantò teſtimonium alicuius reputatur maioris ponderis, tantò ab eo aliquis magis verecundatur. Poteſt autem teſtimonium aliquod maioris ponderis reputari, vel propter eius certitudinem veritatis, vel propter effectum. Certitudo autem veritatis adeſt teſtimonio alicuius propter duo: Vno quidem modo propter rectitudinem iudicij: ſicut patet de ſapientibus, & virtuoſis, à quibus homo & magis deſiderat honorari, & magis verecundatur: Vnde à pueris, & beſtiis nullus verecundatur propter defectum recti iudicij, qui eſt in eis. Alio modo propter cognitionem eorum de quibus eſt teſtimonium: quia vnuſquiſque bene iudicat, quæ cognoſcit: Et ſic magis verecundamur à perſonis coniunctis, quæ facta noſtra magis conſiderant. A peregrinis autem, & omninò ignotis, ad quos facta noſtra non perueniunt, nullo modo verecundamur. Ex effectu autem eſt aliquod teſtimonium magni ponderis propter iuuamentum, vel nocumentum ab eo prouueniens: Et ideo magis deſiderant homines honorari ab his, qui poſſunt eos iuuare, & magis verecundantur ab his, qui poſſunt nocere: Et inde etiam eſt quòd quantùm ad aliquid, magis verecundamur à perſonis coniunctis, cum quibus ſemper ſumus conuerſaturi, quaſi ex hoc nobis perpetuum proueniat detrimentum: quod autem prouenit à peregrinis, & tranſeuntibus, quaſi citò pertranſit. 2. 2. q. 144. a. 3. in corp.

Qu. 8. cur ſicut Philoſophus dicit in 2. Rhetor. homines magis erubeſcunt ab illis à quibus volunt in admiratione haberi, quod maximè appetunt ab illis qui ſunt meliores.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſimilis ratio eſt propter quam verecundamur de melioribus, & magis coniunctis: quia ſicut meliorum teſtimonium reputatur magis efficax propter vniuerſalem cognitionem, quam habent de rebus, & immutabilem ſententiam à veritate; ita etiam

dantis malitia non verecundantur, ſecundùm illud Ierem. 3. frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd defectus verecundiæ contingit in peſſimis, & optimis viris, ex diuerſis cauſis. Inuenitur autem in his, qui mediocriter ſe habent ſecundum quòd eſt in eis aliquid de amore boni, & tamen non ſunt totaliter immunes à malo 2. 2. *qu.* 144. *a.* 4. *ad* 1.

Qu. 14. *quare homines non ſolùm erubeſcunt vitia, ſed etiam ſigna vitiorum, vt Philoſ. dicit in* 2. *Rhet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad virtuoſum pertinet vitare non ſolùm vitia, ſed etiam ea quæ habent ſpeciem vitiorum, ſecundùm illud 1. ad Theſſal. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete nos.* & Philoſophus dicit in 4. Ethic. quòd *vitanda ſunt virtuoſo, tam ea quæ ſunt mala ſecundùm veritatem, quàm ea quæ ſunt mala ſecundùm opinionem* 2. 2. *q.* 144. *a.* 4. *ad* 2.

Qu. 15. *an virtuoſus verecundetur de opprobriis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd infamationes & opprobria virtuoſus contemnit, vt dictum eſt, quaſi ea quibus ipſe non eſt dignus: & ideo etiam nec de his multùm verecundatur. Eſt tamen aliquis motus verecundiæ præueniens rationem, ſicut & cæterarum paſſionum. 2. 2. *qu.* 144. *art.* 4. *ad.* 3.

Qu. 16. *cur verecundia laudabilis eſt, præſertim in iuuenibus & mulieribus.*

Reſp. D. Thomas, verecundia eſt de turpi actu, & ideo eſt laudabilis in illis qui facilè ſolent declinare in actus turpes, cuiuſmodi ſunt iuuenes & mulieres, & ideo hoc in eis laudatur, non autem ſenes & perfecti. Eccl. 26. *gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata.* 1. *ad Timoth. lect.* 3.

Qu. 17. *quare homines maximè verecundantur de actibus venereis, & de ipſo etiam actu coniugali, & quibuſcunque ſignis eius: & cur pudicitia attenditur præcipuè circa huiuſmodi ſigna.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nomen pudicitiæ à pudore ſumitur, in quo verecundia ſignificatur: & ideo oportet quòd pudicitia propriè ſit circa illa de quibus homines magis verecundantur: maximè autem verecundantur homines de actibus venereis, vt D. Auguſtinus dicit in 14. de ciuit. Dei, intantum quòd etiam concubitus coniugalis, qui honeſtate nuptiarum decoratur, verecundiâ non careat: & ideo quia motus genitalium membrorum non ſubiicitur imperio rationis, ſicut motus aliorum exteriorum membrorum: verecundatur autem homo non ſolùm de illa commixtione venerea, ſed etiam de quibuſcunque ſignis eius, vt Philoſophus dicit in 2. lib. Rhetor. & ideo pudicitia attenditur propriè circa ſigna venereorum, ſicut ſunt aſpectus, impudici, oſcula, &

tactus: & quia hæc magis ſolet deprehendi, ideo pudicitia magis reſpicit hæc exteriora ſigna 2. 2. *q.* 151. *a.* 4. *in c.*

Qu. 18. *cur verecundia pertinet magis ad temperantiam quàm ad alias virtutes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, verecundia eſt timor turpitudinis & exprobrationis: dictum eſt autem ſupra (v. intemperantia) quòd vitium intemperantiæ eſt turpiſſimum, & maximè ex probabile: & ideo verecundia principaliùs pertinet ad tẽperantiam, quàm ad aliquam aliam virtutem. 2. 2. *q.* 144. *a.* 1. *ad* 2.

VESTIS.

Videatur ſupra v. ornatus.

VICARIVS.

Qu. an Vicarius alicuius poſſit vices ſuas alteri committere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille, qui conſtituitur Vicarius, non poteſt totam ſuam poteſtatem committere; ſed poteſt partem: quia intentio committentis eſt, vt exequatur ſecundùm quòd poteſt ille cui committit: & fortè talis non poteſt totum facere quod ipſi committitur: & ideo poteſt aliquid alteri committere. *quodlibeto* 12. *a.* 31.

VINDICATIO.

Qu. 1. *an & quando vindicatio ſit licita vel illicita.*

REſp. D. Thomas, dicendum quòd vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Eſt ergo in vindicatione conſiderandus vindicatis animus: Si enim eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum; quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat qua omnes homines debemus diligere.

Nec aliquis excuſatur, ſi malum intendat illius, qui ſibi iniuſte intulit malum; ſicut non excuſatur aliquis per hoc quòd odit ſe odientem: non enim debet homo in alium peccare propter hoc quòd ille peccauit prius in ipſum; hoc enim eſt vinci à malo, quod Apoſtolus prohibet ad Rom. 13. dicens *Noli vinci à malo, ſed vince in bono. malum.*

Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam vindicantis: putà ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem eius, & ad quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſernationem, & ad Dei honorem, poteſt eſſe vindicatio licita: alijs debitis circunſtantijs ſeruatis. 2. 2. *q.* 108. *a.* 1. *in corp.*

Qu. 2. *in quo ſenſu dicitur Deuter.* 32. *mea eſt vltio, & ego retribuam: & quandonam mortaliter peccet ille qui vindictam appetit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd circa vindictam Deus aliquid ſibi ſoli retinuit. Inferre enim vindictam in manifeſtis delictis aliis commiſit: qui conſtituuntur in ordine alicuius poteſtatis: dicitur enim de homine poteſtatem habente ad Rom. 13. Quòd eſt *vin-*

dex Dei in iram ei qui malè agit : de occultis verò ſibi ſoli iudicium,& vindictam reſeruauit , ſecundùm illud primæ ad Corinthios 4. *Nolite ante tempus iudicare.* Sibi etiam ſoli reſeruauit Deus , vt propter ſeipſum vindicaretur ; homo enim non debet vindicari propter ſeipſum, ſed propter culpam in ſeipſo commiſſam , quæ eſt Dei offenſa. Quando ergo aliquis quærit vindictam propter ſeipſum, vel præter ordinem iudiciariæ poteſtatis , vſurpat ſibi quod Dei eſt : & ideo peccat mortaliter , niſi ſit actus imperfectus. *q.* 12. *de malo a.* 3. *ad* 5.

Qu. 3. *an vindicta ſit ſumenda de malis , cùm gloſſa ſuper illud cantic.* 2. *ſicut lilium inter ſpinas dicat : non fuit bonus qui malos tolerare non potuit.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd mali tolerantur à bonis in hoc quòd ab eis proprias iniurias patienter ſuſtinent ſecundùm quod oportet : non autem tolerant eos , vt ſuſtineant iniurias Dei , & proximi : dicit enim Chryſoſt. ſuper Matth. *in propriis iniuriis eſſe quempiam patientem, laudabile eſt ; iniurias autem Dei diſſimulare , nimis eſt impium.* 2. 2. *q.* 108. *a.* 1. *ad* 2.

Qu. 4. *an liceat ipſis etiam iudicibus vindicare ſe, cùm D. Chryſoſtomus dicat ſuper Matth. diſcamus exemplo Chriſti noſtras iniurias magnanimiter ſuſtinere , Dei autem iniurias nec vſque ad auditum ſufferre.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd iniuria quæ infertur perſonæ alicui , quandoque redundat in Deum & in Eccleſiam : & tunc debet aliquis propriam iniuriam vlcici ; ſicut patet de Helia , qui fecit ignem deſcendere ſuper eos qui venerant ad ipſum capiendum, vt legitur 4. Reg. 1. Et ſimiliter Heliſæus maledixit pueris eum irridentibus, vt habetur 4. Reg. 2. Et Syluerius Papa excommunicauit eos qui eum in exilium miſerunt, vt habetur 23. q. 4.

Inquantum verò iniuria in aliquem illata ad eius perſonam pertinet , debet eam tolerare patienter , ſi expediat : huiuſmodi enim præcepta patientiæ intelligenda ſunt ſecundùm præparationem , vt Auguſtinus dicit in lib. de Sermone domini in monte. *ib. ad* 4.

Qu. 5. *an ſit vindicta ſumenda de peccato multitudinis , cùm ſuper illud Matth.* 13. *ſinite vtraque creſcere, ne fortè eradicetis triticum , dicat gloſſa : multitudo non eſt excommunicanda nec Princeps.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd quando tota multitudo peccat , eſt de ea vindicta ſumenda : vel quantùm ad totam multitudinem, ſicut Ægyptij ſubmerſi ſunt in mari rubro perſequentes filios Iſrael , vt habetur Exodi 14. Et ſicut ſodomitæ vniuerſaliter perierunt : Vel quantùm ad magnam multitudinis partem , ſicut patet Exodi 32. In pœna eorum qui vitulum adorauerunt.

Quandoque verò ſi ſpetetur multorum correctio debet ſeueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos principaliores , quibus punitis cæteri terreantur ; Sicut

Dominus numer. 25. Mandauit ſuſpendi populi principes pro peccato multitudinis: Si autem non tota multitudo peccauit, ſed pro parte; tunc ſi poſſunt mali ſecerni à bonis, debet in eos vindicta exerceri; ſi tamen hoc fieri poſſit ſine ſcandalo aliorum: alioquin parcendum eſt multitudini, & detrahendum ſeueritati.

Et eadem ratio eſt de Principe, quem ſequitur multitudo: Tolerandum enim eſt peccatum eius; ſi ſine ſcandalo multitudinis puniri non poſſit: niſi fortè eſſet tale peccatum Principis, quòd magis noceret multitudini, vel ſpiritualiter vel temporaliter, quàm ſcandalum, quod exinde orietur *ibid. ad 5.*

Qu. 6. an vindicatio debeat exerceri per ſubtractionem omnium, quæ maximè ab hominibus diliguntur.

Reſp. D. Dhomas, dicendum quòd vindicatio intantum licita eſt & vituoſa, inquantum tendit ad cohibitionem malorum. Cohibentur autem aliqui à peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quòd timent amittere aliqua quæ plus amant, quàm illa quæ peccando adipiſcuntur, aliàs timor non compeſceret peccatum: & ideo per ſubtractionem omnium quæ homo maximè diligit eſt vindicta de peccatis ſumenda.

Hæc autem ſunt quæ homo maximè diligit; vitam, incolumitatem corporis, libertatem ſui, & bona exteriora, putà diuitias, patriam, & gloriam: Et ideo, vt Auguſtinus refert 21. de Ciui. Dei, Octo genera pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tullius; ſcilicet *mortem*, per quam tollitur vita: *verbera*, *& talionem*, vt ſcilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit quis corporis incolumitatem; *ſeruitutem*, *& vincula*, per quæ perdit libertatem; *exilium*, per quod perdit diuitias: ignominiam per quam perdit gloriam. *2. 2. q. 108. a. 3. in corp.*

Qu. 7. an vindicta exerceri poſſit in aliquos ſine eorum culpa, vel etiam ſine cauſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pœna poteſt dupliciter conſiderari: Vno modo ſecundùm rationem pœnæ, & ſecundum hoc pœna non debetur niſi peccato: quia per pœnam reparatur æqualitas iuſtitiæ, inquantum ille qui peccando nimis ſecutus eſt ſuam voluntatem, aliquid contra ſuam voluntatem patitur: vnde cùm omne peccatum ſit voluntarium, etiam originale, conſequens eſt quòd nullus punitur hoc modo, niſi pro eo quod voluntariè factum eſt: Alio modo poteſt conſiderari pœna inquantum eſt medecina non ſolùm ſanatiua peccati præteriti, ſed etiam præſeruatiua à peccato futuro, vel etiam promotiua in aliquod bonum; & ſecundùm hoc aliquis interdum punitur ſine culpa, non tamen ſine cauſa.

Sciendum tamen, quòd numquam medicina ſubtrahit maius bonum vt promoveat minus bonum: ſicut medicina carnalis nunquam cæcat oculum vt ſanet calcaneũ: quandoque tamẽ infert nocumentum in minoribus, vt in melioribus auxilium præſtet: & quia bona ſpiritualia ſunt maxima, bona

bona autem temporalia ſunt minima; & ideo quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis abſque culpa, cuiuſmodi ſunt plures pœnæ præſentis vitæ diuinitus inflictæ ad humiliationem vel probationem: non autem punitur aliquis in ſpiritualibus bonis ſine propria culpa neque in præſenti, neque in futuro, quia ibi pœnæ non ſunt medecinæ, ſed conſequuntur ſpiritualem damnationem. 2. 2. *quæſt.* 108 *art.* 4. *in corp.*

Qu. 8. *an & quomodo vnus pro alio puniatur ſecundùm illud exodi* 20. *ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios eorum in tertiam & quartam generationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vnus homo pœnâ ſpirituali numquam punitur pro peccato alterius; quia pœna ſpiritualis pertinet ad animam, ſecundùm quam quilibet eſt liber ſui: pœnâ autem temporali quandoque vnus punitur pro peccato alterius triplici ratione.

Primò quidem, quia vnus homo temporaliter eſt res alterius, & ita per pœnam eius etiam ipſe punitur; ſicut filij ſecundùm corpus ſunt quædam res patris, & ſerui quædam dominorum.

Alio modo inquantum peccatum vnius deriuatur in alterum; vel per imitationem ſicut filij imitantur peccata parentum, & ſerui peccata dominorum, vt audaciùs peccent; vel per modum meriti, ſicut peccata ſubditorum merentur peccatorum prælatum, ſecundùm illud 3. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*: vnde & pro peccato Dauid populum numerantis, populus Iſraël punitus eſt, vt habetur 2. Reg. vlt. Siue etiam per aliquem conſenſum ſeu diſſimulationem: ſicut etiam interdum boni ſimul puniuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt, vt Auguſt. dicit in primo de Ciuit. Dei.

Tertiò, ad commendandum vnitatem humanæ ſocietatis, ex qua debet vnus pro alio ſolicitus eſſe ne peccet: & ad deteſtationem peccati, dum pœna vnius redundat in omnes quaſi omnes eſſent vnum corpus, vt Auguſt. dicit de peccato Acham.

Quod autem Dominus dicit, *viſitans peccata Parentum in filios in tertiam & quartam generationem*, magis videtur ad miſericordiam quàm ad ſeueritatem pertinere; dum non ſtatim vindictam adhibet, ſed in poſterum, vt vel ſaltem poſteri corrigantur; ſed creſcente malitiâ poſterorum, quaſi neceſſe eſt vltionem inferri *ibidem ad* 1.

Qu. 9. *cur pueri & bruta puniuntur etiam pro peccatis hominum quamuis non ſint peccati capacia, ſicut paruuli ſodomitarum cum parentibus perierunt, vt legitur gen.* 19. *& paruuli Datan & Abiron cum eis abſorpti ſunt, vt habetur num.* 16. *bruta etiam animalia iuſſa ſunt interfici pro peccato Amalechitarum, vt habetur* 1. *Reg.* 15.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd paruuli diuino judicio ſimul

Digitized by Google

puniuntur temporaliter cum parentibus: Tum quia ſunt res parentum, & in eis etiam parentes puniuntur: Tum etiam quia hoc in eorum bonum cedit, ne ſi reſeruarentur eſſent imitatores paternæ malitiæ, & ſic grauiores pœnas mererentur.

In Bruta verò animalia & quaſcunque alias rationales creaturas vindicta exercetur; quia per hoc puniuntur illi quorum ſunt: & iterum propter deteſtationem peccati. 2. 2. *q.* 108. *a.* 4. *ad* 3.

Qu. 10. *quomodo fortitudo diſponat ad vindicationem; zelus autem ſit prima ipſius radix.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd fortitudo diſponit ad vindictam remouendo prohibens, ſcilicet timorem periculi imminentis: zelus autem ſecundùm quòd importat feruorem amoris, importat primam radicē vindicationis, prout aliquis vindicat iniurias Dei, vel proximorum quas ex charitate reputat quaſi ſuas: cuiuſlibet autem virtutis actus ex radice charitatis procedit, quia vt Gregor. dicit in quadam homilia, *nihil habet viriditatis ramus boni operis, ſi non procedat ex radice charitatis.* 2. 2. *q.* 108. *a.* 2. *ad* 2.

Quær. 11. *quare Apoſtolus de principe loquens ad Rom.* 13. *ait: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.*

Reſp. D. Thomas, eſt miniſter Dei vindex, ideſt vindictam exercens; in iram, ideſt, ad exequendam iram Dei, ideſt iuſtum iudicium eius, ei qui malè agit, ideſt contra malefactorem. Ezech. 16. *ecce ego congregabo omnes amatores tuos, & iudicabo te in iudiciis adulterorum, & dabo te in manus eorum.* & Prou. 16. *abominabiles regi qui impiè agunt quoniam iuſtitia firmatur ſolium.* Ex quo patet quod non ſolùm eſt licitum, ſed etiam meritorium principibus qui zelo iuſtitiæ vindictam exercent in malos. Vnde dicitur Ezech. 29. *Erit merces exercitui illius, & operi quo ſeruiuit mihi aduerſus eam. In expoſ. eiuſd. cap.* 13. *lect.* 1.

Quomodo debeat aliquis moderari vindicationem patet ex dictis ſupra v. clementia, & manſuetudo, & v. verberare qu. 4. *quidquid etiam habetur v. pœna, ipſam quoque vindicationem concernit.*

VINVM.

Quær. 1. *an vinum moderatè potatum proſit animæ, & corpori.*

Reſp. D. Thomas, quòd Apoſtolus dicit 1. ad Timoth. 5. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*: & Eccleſ. 31. dicitur: *Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum.* 2. 2. *q.* 149. *a.* 3. *in argumento ſed contra.*

Qu. 2. *vtrum vſus vini ſit illicitus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullus cibus vel potus ſecundùm ſe conſideratus eſt illicitus, ſecundùm ſententiam Domini dicentis Matth. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*: & ideo bibere vinum (ſecundùm ſe lo-

Digitized by Google

quendo) non eſt illicitum.

Poteſt tamen reddi illicitum per accidens: quandoque quidem ex conditione bibentis; quia vino de facili læditur, vel quia ex ſpeciali voto obligatur ad vinum non bibendum: quandoque autem ex modo bibendi; quia ſcilicet menſuram in bibendo excedit: quandoque autem ex parte aliorum, qui ex hoc ſcandalizantur. 2. 2. q. 149. *a. 3. in corp.*

Qu. 3. vtrum abſtinentia à vino ſit neceſſaria ad obtinendam ſapientiã iuxta illud Eccl. 2. Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meã vt transferrem animum meum ad ſapientiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſapientia poteſt haberi dupliciter: vno modo, ſecundum modum communem, prout ſufficit ad ſalutem: & ſic non requiritur ad ſapientiam habendam, quòd aliquis à vino omnino abſtineat, ſed quòd abſtineat ab immoderato vſu vini: alio modo, ſecundùm quemdam perfectionis gradum: Et ſic requiritur in aliquibus ad perfectè ſapientiam percipiendam; quòd omnino à vino abſtineat, ſecundùm conditiones quarumdam perſonarum & locorum. *Ibid. ad* 1.

Quar. 4. cur Apoſtol. 1. ad Timot. 5. ait: te ipſum caſtum cuſtodi, noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

Reſp. D. Thomas, primò hortatur eum ad chaſtitatem; ſecundò ex hoc reprimit immoderatam eius abſtinentiam, ibi *noli adhuc* &c. dicit ergo, *tu qui alios debes corrigere.* Te ipſum caſtum, &c. 1. cor. 9. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauero ipſe reprobus efficiar.* Iſte ſi quidem Timotheus erat nimiæ abſtinentiæ, & ad vitandum carnis peccata corpus macerabat; vel 2. *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam,* &c. quia propter hoc fuit infirmus totaliter, ideo dicit *noli adhuc*, poſtquam es infirmus, *aquam bibere.* Et quare? quia Leu. 2. *quidquid obtuleris ſacrificij, ſale*, ſcilicet diſcretionis, *condies.* Rom. 12. *rationabile obſequium veſtrum.* Et ideo dicit *vtere vino, ſed modico*, non ad ebrietatem. Eccl. 13. *Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. Popter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas,* &c. quæ tibi ex abſtinentia prouenerunt. Gloſſ. *Laborandum enim eſt, vt ſi fieri poteſt cœptum officium gradatim promoueatur: priùs quam per inconſiderationem diminuatur. In expoſitione eiuſd. cap. 5. lect. 3.*

Qu. 5. quàm ſit vtilis & neceſſaria moderatio in vſu vini.

Reſp. v. Sobrietas.

VIRGINITAS.

Qu. 1. an virginitas, ſicut dicit D. Auguſtinus in lib. de virginitate, ſit continentia, qua integritas carnis ipſi Creatori animæ & carnis vouetur, conſecratur, ſeruatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nomẽ virginitatis à virore ſumptum videtur: & ſicut illud

Digitized by Google

dicitur virens & in ſuo vigore perſiſtere, quod non eſt ex ſuperabundantia caloris aduſtionem expertum; ita etiam virginitas hoc importat quòd perſona cui ineſt, immunis ſit à concupiſcentiæ aduſtione; quæ eſſe videtur in conſummatione maximæ delectationis corporalis, qualis eſt venereorum delectatio: vnde Ambroſius dicit in lib. 1. de virginibus quòd caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas. *2.2.qu.152. a. 1. 4.ſ. d. 33. qu. 3. a. 1. quodl. 6. a.* 18.

Qu. 2. quomodo intelligantur hæc verba D. Aug. in lib. de nuptiis & concupiſcentia, virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.

Reſp. D. Thomas, per meditationem intelligitur propoſitum rationis: quòd autem additur perpetua, non ſic intelligitur quòd oporteat virginem ſemper actu talem meditationem habere; ſed quia hoc debet in propoſito gerere, vt perpetuò in hoc perſeueret. *2.2. q. 152.a.1. ad.1.*

Qu. 3. quomodo ſicut dicit D. Aug. in 1. de Ciu. Dei, illa membra (ſcilicet ſignaculi virginalis) poſſunt diuerſis caſibus vulnerata vim perpeti: & Medici quandoque ſaluti opitulantes, hæc ibi faciunt quæ horret aſpectus; obſtetrix etiam virginis cuiuſdam integritatem manu velut explorans dum inſpicit, perdidit, (Et tamen non fit præiudicium virginitati:) vnde idem ſanctus ibidē ſubdit non opinor quēquam tam ſtultè ſapere vt huic periiſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamuis mēbri illius integritate iam perditâ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd integritas corporalis membri per accidens ſe habet ad virginitatem, inquantum ſcilicet per hoc quòd ex propoſito voluntatis abſtinet quis à delectatione venerea, remanet integritas in membro corporeo: vnde ſi contingat quòd per alium modum membri integritas corrūpatur, non magis præiudicat virginitati, quàm ſi corrumpatur manus aut pes. *ibid. ad 3.*

Qu. 4. quænam delectatio virginitatem tollat: & quomodo intelligatur illud D. Auguſt. lib. de Virginitate, Virginis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd delectatio quæ eſt ex ſeminis reſolutione, dupliciter poteſt contingere: Vno modo ſi procedat ex mentis propoſito, & ſic tollit virginitatem ſiue fiat per concubitum ſiue abſque concubitu: facit autem mentionem Auguſtinus de concubitu; quia huiuſmodi reſolutio communiter & naturaliter ex concubitu cauſatur: alio modo poteſt prouenire vel in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non conſentit, quamuis caro delectationem experiatur; vel ex infirmitate naturæ, vt patet in his qui fluxum ſeminis patiuntur: & ſic non perditur virginitas; quia talis pollutio non accidit per impudicitiam quam virginitas excludit. *ib. ad 4.*

Qu. 5. quomodo virginitas ſit à natiuitate: & vnde habeat quòd ſit virtus,

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd homines ex ſua natiuitate habent id quod eſt materiale in virginitate, ſcilicet integritatem carnis immunem ab experimento venereorum: non tamen habent id quod eſt formale in virginitate; vt ſcilicet habeant propoſitum ſeruandi huiuſmodi integritatem propter Deum: & ex hoc habet rationem virtutis: vnde Auguſtinus dicit in libro de Virginitate, *Nec nos hoc in virginibus prædicamus quòd virgines ſunt, ſed quòd Deo dicata piâ continentiâ virgines ſunt. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 1.*

Qu. 6. an & quando per coruptionem perdatur virginitas mentis vel corporis: & vtrum reparari poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd corruptio mentis eſt duplex: vna quæ eſt quaſi paſſio mentis quando mens ſubditur delectationi quæ in coitu ſolet accidere: & quia hæc delectatio cōpletur in ſeminis diſtillatione, ideo talis corruptio mentis non poteſt accidere ſine aliqua corruptione carnis quæ fit per ſeminis deciſionem: alia autem eſt corruptio mentis, quæ eſt actus eius; ſcilicet conſenſus aut electio prædictæ corruptionis: ſed quia vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum, ideo quandoque contingit quòd ex actu mentis cogitantis de corruptione carnis, & intendentis delectationem ipſius experiri, calor excitatur in corpore, & ſemen diſtillat, & cauſatur delectatio qua mens ſuffocatur, ſicut in coitu; & tunc abſque dubio Virginitas eſt amiſſa: ſi autem corruptio ſiſtat in actu mentis conſentientis, amittitur quidem virginitas ſecundùm illud formale quod habet in mente, non autem ratione eius quod eſt materiale in ipſa: vnde talis non poteſt dici virgo niſi materialiter: Et ideo hæc virginitatis amiſſio poteſt recuperari: non autem illa virginitatis amiſſio in qua etiam illud quod eſt materiale, ſubtrahitur: Quia virginitas ex parte ſui actus reſpicit tantùm præſens aut futurum; ſicut eſt in qualibet virtute: Electio enim aut præſens, aut futurum reſpicit, non autem præteritum: ſed ex parte materiæ non ſolùm præſens ſed præteritum reſpicit: Dicitur enim virgo quæ elegit incorruptionem quæ eſt materialis in virginitate, quam nunquam amiſit, & habere & conſeruare intendit: non autem exigitur quòd nunquam contrariam electionem habuerit, ſed quòd nunquam contrariam corruptionem. Ex hoc autem virginitas amiſſa recuperari non poteſt; quia illud quod in præteritum tranſit, recuperari non poteſt. *4. ſ. d. 33. qu. 3. a. 1. ad 4.*

Qu. 7. an virginitas reparari poſſit per pænitentiam: & vtrum verum ſit id quod D. Hieronymus dicit in epiſtola de cuſtodia virginitatis ad Euſtochium: audenter loquar: cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus per pœnitentiam recuperari poteſt quantùm ad id quod eſt formale in virtute, non autem quantùm ad id quod eſt materiale in ipſa: non enim ſi quis magnificus conſumpſerit di-

Digitized by Google

uitias ſuas, per pœnitentiam peccati reſtituuntur ei diuitiæ: & ſimiliter ille qui virginitatem peccando amiſit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis materiã, ſed recuperat virginitatis propoſitum. Circa materiam autem virginitatis eſt aliquid quod miraculosè reparari poterit diuinitùs, ſcilicet integritas membri, quam diximus accidentaliter ſe ad virginitatẽ habere: aliud autem eſt quod miraculosè reparari non poteſt: ſcilicet quòd qui expertus eſt voluptatum veneream, fiat non expertus: non enim Deus poteſt facere vt ea quæ facta ſunt, non ſint facta. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 3.

Qu. 8. an perdatur virginitas per luxuriam contra naturam etiam quando preueuit tempus perfecta ætatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illæ quæ ſine concubitu ſe corrumpunt, non eſt dubium quòd virginitatem amittunt, etiam quãtùm ad id quod eſt materiale in ipſa: quia ſi concubitus non adſit, adeſt tamen delectatio quæ in concubitu corruptionem virginitatis facit: ſi autem luxuria contra naturam tempus perfectæ ætatis præueniat, cùm non adſit ſeminis deciſio, & per conſequens nec delectatio completa mentem ſuffocans, non amittitur virginitas quantùm ad id quod eſt materiale in ipſa. 4. ſ. d. 33. q. 3. a. 1. ad 5.

Qu. 9. an perdatur virginitas per pollutionem quæ in ſomno contingit; vel ſi mulier dormiens, aut inebriata, aut amens à viro cognoſcatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd paſſiones partis ſenſitiuæ non poſſunt eſſe materia virtutis, niſi ſecũdùm quòd ſunt ordinabiles à ratione in eis medium ponente, prout concupiſcibilis & iraſcibilis obediunt rationi: Et ideo delectatio quæ in ſomnis accidit cum ſeminis deciſione non eſt materia virtutis: Et propter hoc nec talis corruptio incorruptionem tollit quæ eſt virginitatis materia: Et ideo ratione talis pollutionis virginitas non perditur: Et ſimilis ratio eſt de mulieribus quæ dormientes, aut inebriatæ, aut amentes à viris cognoſcuntur; niſi fortè hac intentione dormitum irent, vt à viro cognoſcerentur. *ibid. ad 6.*

Qu. 10. Verum illa virginitatem perdant quæ per violentiam corrumpuntur, ſiue ab homine, ſiue à dæmone incubo; & cur ille foret irregularis qui virginem violenter defloratam duceret in vxorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud cuius principium totaliter eſt extra, non eſt ordinabile à ratione: & ideo eadem ratione nec illæ quæ per violentiam corrumpuntur (ſiue ab homine, ſiue à dæmone incubo) virginitatem amittunt, ſi quantùm poſſunt renitantur vt conſeruent corpus à corruptione immune, vel ſaltem mentem contrariam conſenſui: quia tamen in ſignificationibus ſacramentorum magis attenditur quod exteriùs geritur quàm quod interiùs fit, irregularitas quæ ex defectu ſignificationis in Sacramento cauſatur, nihilominus induceretur in illum qui virginem defloratam duceret in vxorem: & præcipuè cùm propter delecta-

tionem nimiam ratio in actu illo ſuffocetur, difficillimum eſt tali delectationi diſſentire in ſtatu illo, Et ideo præſumptio videtur eſſe quòd conſenſerit. *Ibid. ad 7.*

Qu. 11. quibuſnam virginibus aureola debeatur.

Reſp. D. Thomas, illis tantùm virginibus aureola propriè debetur, quæ propoſitum habuerunt virginitatem perpetuò conſeruandi: ſiue hoc propoſitum voto firmauerunt, ſiue non. Et hoc dico ſecundùm quòd aureola propriè accipitur vt præmium quoddam merito redditum: quamuis hoc propoſitum aliquando fuerit interruptum (integritate tamen carnis manente) dummodo in fine vitæ inueniatur. Quia virginitas mentis reparari poteſt, quamuis non virginitas carnis, vt ſupradictum eſt. 4. *ſent. d. 49. q. 5. a. 3. q. 1. in corp.*

Qu. 12. an & quomodo pugna virginum ſit maior vel minor quàm viduarum, ſed tamen ſemper nobiliſſima ſit virginum victoria, ipſique aureola debeatur: & quomodo intelligatur illud D. Hieronymi, quantò maior eſt difficultas ex parte quadam à voluptatis illecebris abſtinere, tantò maius eſt præmium: & illud Philoſophi in lib. de animal. iuuenes corrupta magis appetunt coitum propter rememorationem delectationis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in continendo ſecundùm aliquid maiorem pugnam ſuſtinent Virgines, & ſecundùm aliquid viduæ, cæteris paribus: virginibus enim concupiſcentiam inflammat experiendi deſiderium, quod ex quadam quaſi curioſitate procedit (qua etiam fit vt homo libentiùs videat quæ nunquam vidit) & etiam quandoque eis concupiſcentiam auget æſtimatio maioris delectationis quàm ſit ſecundùm veritatem, & inconſideratio eorum incommodorum quæ delectationi huiuſmodi adiunguntur: & quantùm ad hoc viduæ minorem ſuſtinent pugnam; maiorem autem propter delectationis memoriam: & in diuerſis vnum alteri præiudicabit ſecundùm diuerſas hominis diſpoſitiones: quia quidam magis mouentur hoc, quidam illo.

Quidquid autem ſit de quantitate pugnæ: tamen hoc certum eſt, quòd perfectior eſt victoria Virginum quàm viduarum: perfectiſſimum enim genus victoriæ eſt, & pulcherrimum, hoſti nunquam ceſſiſſe: corona autem non debetur pugnæ, ſed victoriæ de pugna. 4. *ſ. d. 49. q. 5. a. 3. q. 1. ad 1.*

Qu. 13. an ſi Virgo violenter opprimatur & ex hoc concipiat, perdat virginitatis meritum & aureolam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliqua per violentiam oppreſſa ſit, non amittit propter hoc aureolam dummodo propoſitum perpetuò virginitatem ſeruãdi inuiolabiter ſeruauerit, ſi illi actui nullo modo eſt conſentiens: Non tamen per hoc virginitatem perdit. Et hoc dico, ſiue pro fide, ſiue pro quacunque alia cauſa, violenter corrumpatur: ſed ſi hoc pro fide ſuſtineat, hoc erit ei meritorium, & ad genus martyrij

pertinebit : Vnde Lucia dixit : *Si me inuitam violari feceris, mihi caſtitas duplicabitur ad coronam :* Non quòd habeat duas virginitatis aureolas, ſed quia duplex præmium reportabit; vnum pro virginitate cuſtoditâ, aliud pro iniuria quam paſſa eſt. Dico etiam quòd ſi talis violenter oppreſſa concipiat, nec ex hoc meritum virginitatis perdet. *ibid. ad 4.*

Qu. 14. virum frigidi & eunuchi poſſint habere meritum & aureolam virginitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi frigidi & eunuchi voluntatem habeant incorruptionem perpetuam ſeruare, etiamſi facultas adeſſet coëundi, virgines ſunt dicendi, & aureolam merentur: Faciunt enim de neceſſitate virtutem: ſi verò habeant voluntatem ducendi coniugem ſi poſſent, aureolam non merentur : Vnde dicit Aug. in lib. de ſancta Virginitate: *quibus ipſum virile membrum debilitatur ; vt generare non poſſint (vt ſunt eunuchi) ſufficit cùm Chriſtiani fiunt, & Dei præcepta cuſtodiunt (eo tamen propoſito ſunt, vt coniuges ſi poſſent, haberent.) coniugatis fidelibus adæquari. ibid. ad 7*

Qu. 15. an virginibus ſpeciale velum debeatur præ viduis ; & ad quem ſpectet ipſum dare.

Reſp. D. Thomas, ſicut matrimonium carnale repræſentat matrimonium ſpirituale quantùm ad fœcunditatem; ita oportuit aliquid eſſe quod repræſentaret ſpirituale matrimonium quantùm ad eius integritatem : & hoc fit in velatione virginum, ſicut per omnia quæ ibi proferuntur & geruntur, oſtenditur : & propter hoc ſolus Epiſcopus, cui cura Eccleſiæ committitur, virgines deſponſat velando, non ſibi ſed Chriſto, quaſi ſponſi paranymphus & amicus: & quia integritatis ſignificatio plenè poteſt eſſe in continentia virginali, ſed in continentia viduali eſt ſemiplena; propter hoc etiam viduis datur aliquod velum non quidem cum illa ſolemnitate, qua virginibus datur. *4 ſent. d. 38. q. 1. a. 5. in corp.*

Qu. 16. an virginum deſponſatio ſignificari debeat etiam in viris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia Eccleſia iu matrimonio ſpirituali ſe habet vt ſponſa, Chriſtus autem vt ſponſus; per votum autem continentiæ anima Chriſto deſponſatur : ideo non competit, vt hæc deſponſatio ſignificetur in viro, ſed in muliere tantùm. *ibidem ad 1. & d. 10. in exp. textus.*

Qu. 17. an in conſecratione virginum detur gratia.

Reſp. v. conſecratio *quæſt. 1. & 2.*

Qu. 18. an velum denegari debeat illis virginibus, quæ per violentiam corrumpuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illæ quæ per violentiam corrumpuntur, ſi nullo modo conſentiant, virginitatis gloriam quoad Deum non perdunt : ſed quia valde eſt difficile quòd in tali

decertatione

decertatione aliquis placentiæ motus non inſurgat; ideo Eccleſia, quæ de interioribus iudicare non poteſt, cùm exteriùs corrupta ſit, eam inter virgines non velat: vnde Leo Papa Epiſtola 87 ad Epiſcopos Africanos dicit, *illa famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate & verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant copulare virginibus*. 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 4.

Qu. 19. *vtrum ad vitandum ſcandalum dari debeat virginale velum mulieri, quæ occultè corrupta fuit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullo modo illæ quæ ſunt corruptæ occultè, ſiue à viris ſiue alio modo, ſunt velandæ: quia propter vitandum ſcandalum non debent Eccleſiæ ſacramenta, vel ſacramentalia variari. Sed ſicut quidam dicunt, quòd poteſt aliqua cautela adhiberi ad vitandum ſcandalum, vt ſcilicet illa quæ non ſunt de ſubſtantia virginalis veli, vt accenſio candelarum & alia huiuſmodi fiant, mutatis occultè his quæ ſunt de ſubſtantia virginalis veli; putà quòd nomen virginitatis in caſtitatem varietur. *in eodem a.* 5. *ad* 5.

Qu. 20. *cur Virginitas eſt excellentior matrimonio, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de virginitate: & certâ ratione & ſanctarum ſcripturarum authoritate, nec peccatum eſſe nuptias inuenimus, nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut patet in libro Hieronymi contra Iouinianum, hic error fuit Iouiniani, qui poſuit virginitatem non eſſe matrimonio præferendam: qui quidem error præcipuè deſtruitur, & exemplo Chriſti, qui & matrem Virginem elegit, & ipſe virginitatem ſeruauit: & ex doctrina Apoſtoli, qui ad Corint. 7. Virginitatem conſuluit tanquam melius bonum: & etiam ratione. Tum quia bonum diuinum, eſt potius humano bono: Tum quia bonum animæ præfertur bono corporis: tum etiam quia bonum contemplatiuæ vitæ præfertur bono actiuæ: Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ ſecundùm vitam contemplatiuam, quod eſt cogitare ea quæ ſunt Dei: coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod eſt corporalis multiplicatio generis humani, & pertinet ad vitam actiuam, quia vir & mulier in matrimonio viuentes neceſſe habent cogitare quæ ſunt mundi, vt patet per Apoſtolum ad Corinth. 7. Vnde indubitanter virginitas præferenda eſt continentiæ coniugali. 2. 2. *q.* 152. *a.* 4. *in corp.* 3. *contra gentes c.* 157.

Qu. 21. *in quo ſenſu D. Aug. in lib. de bono coniugali dixit, non eſt impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in abraham qui filios generauit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd meritum non ſolùm penſatur ex genere actûs, ſed magis ex animo operantis: habuit autem animum Abraham ſic diſpoſitum, vt paratus eſſet virginitatem ſeruare, ſi eſſet tempori congruum: ex

quo meritum continentiæ coniugalis in ipſo æquatur merito continentiæ virginalis in Ioanne, reſpectu præmij ſubſtantialis, non autem reſpectu præmij accidentalis: Vnde Aug. dicit ibidem quòd *Ioannis Cælibatus & Abrahæ cõnubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt, ſed continentiam Ioannes etiam in opere Abraham verò in ſolo habitu habebat. ibidem ad 1.*

Qu. 22. quomodo licet coniugium ordinetur ad bonum commune ſiue ad conſeruationem generis humani, virginitas verò ad bonum ſpeciale, ſiue ad vitandam tribulationem carnis, quam ſuſtinent coniugati, ſicut patet per Apoſtolum 1. ad corinth. 7. nihilominus virginitas fœcunditati carnali preferatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd bonum commune potius eſt bono priuato; ſi ſit eiuſdem generis: ſed poteſt eſſe quòd bonum priuatum ſit melius ſecundùm ſuum genus: & hoc modo virginitas Deo dicata præfertur fœcunditati carnali: Vnde Auguſt. dicit in lib. de Virginitare, quòd *fœcunditas carnis etiam illarum quæ in hoc tempore nihil aliud in coniugio quàm prolem requirunt quàm mancipent Chriſto, pro amiſſa virginitate compenſari non poſſe credendum eſt. ibid. ad 3.*

Qu. 23. quomodo Virgines ſeſe comparantes coniugatis humilitatem conſeruare debent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt virginitas ſit melior quàm continentia coniugalis, poteſt tamen coniugatus melior eſſe quàm virgo, duplici ratione. Primò quidẽ ex parte caſtitatis, ſi ſcilicet ille qui eſt coniugatus, habeat animum magis paratum ad virginitatem ſeruandam, ſi oporteret, quàm ille qui eſt actu virgo: vnde Auguſtinus inſtruit virginem in lib. de bono coningali vt dicat, *Ego non ſum melior quàm Abraham, ſed melior eſt caſtitas cœlibum quàm caſtitas nuptiarum*: & rationem poſtea ſubdit dicens; *quod enim nunc ago, meliùs ille egiſſet ſi tunc agendum eſſet: Quod autem illi egerunt, ſic ego non agerem, etiamſi nunc agendum eſſet*. Secundò, qnia fortè ille, qui non eſt virgo, habet aliquam excellenriorem virtutem: vnde Auguſtinus dicit in lib de Virginitate: *Vnde ſcit virgo, quamuis ſollicita quæ ſunt Domini, ne fortè propter aliquam ſibi incognitam mentis infirmitatem non ſit matura martyrio, illa verò mulier, cui ſe preferre geſtiebat, iam poſſit bibere calicem dominicæ paſſionis. ibid. ad 2.*

Qu. 24. quænam ſint prærogatiuæ Virginitatis.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt hîc quòd ſancta Virginitas magnum bonum eſt propter multa. Primò, quia carnis munditiam conſeruat, Apocalip. 14. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, &c.* Sicut bonum eſt ſal, quia conſeruat carnem à corruptione. Secundò, quia animam decorat & ornat: vnde frequenter in ſcriptura iungitur, virgo pulchra, Sap. 4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate*: Cant. 4. *tota pulchra eſt amica mea.* Tertiò, quia Angelis cœli aſſimilatur, Matthæi 21.

In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei: Hieronymus, *in carne præter carnem viuere, Angelica vita eſt.* Quartò, quia Chriſto deſponſat 2. ad Corinth. 11. *Deſponsai enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quintò, quia iungit, & approximat Deo. Pſal. 44. *Adducentur Regi virgines poſt eam:* Sap. 6. *Incorruptio facit proximum Deo.* Hier. 3. *Dux virginitatis meæ tu es.* Sextò, quia cæteris ſtatibus præponderat, 26. *Non eſt digna ponderatio animæ continentis:* 1. ad Corint 7. *Qui matrimonio iungit virgines, benefacit, qui non iungit, melius facit.* Septimò, quia odorem bonæ famæ ſpirat, Lucæ 1. *Et nomen Virginis, Maria:* Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Hieruſalem.* Octauò, quia ad nuptias æternas inuitat, Matthæi 23. *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* Sed heu, quia ad conſeruandum difficilis, ideo Eccl. 42. *filia patris abſcondita, &c.* & hoc quia Diabolus ſuggerit contrarium: corruptio inclinat ad actum: pulchritudo allicit ad conſenſum. 1. *ad Corint. 7. lect. 5.*

Qu. 25. an virginitas ſit maxima virtutum vel ſit minor Religione & martyrio, iuxta illud D. Auguſtini in lib. de virginitate, nemo, quantum puto, auſus fuerit virginitatem præferre monaſterio: & in eodem libro dicit: præclariſſimum teſtimonium perhibet Eccleſiaſtica authoritas in qua fidelibus notum eſt, quo loco martyres & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris ſacramenta recitantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliquid poteſt dici excellentiſſimum dupliciter: vno modo, in aliquo genere: & ſic virginitas eſt excellentiſſima ſcilicet in genere caſtitatis: tranſcendit enim & caſtitatem vidualem, & coniugalem: Et quia caſtitati antonomaſticè attribuitur decor: ideo virginitati per conſequens attribuitur excellentiſſima pulchritudo: vnde & Amb. dicit in lib. de virgin. *pulchritudinem quis poteſt maiorem æſtimare decore virginis, quæ amatur à rege, probatur à iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo?* Alio modo poteſt dici aliquid excellentiſſimum ſimpliciter: & ſic virginitas non eſt excellentiſſima virtutum: ſemper enim finis excellit id quod eſt ad finem, & quantò aliquid efficaciùs ordinatur ad finem, tantò melius eſt: finis autem ex quo virginitas laudabilis redditur, eſt vacare rebus diuinis, vt dictum eſt: vnde ipſæ virtutes theologicæ, & etiam virtus religionis, quarum actus eſt ipſa occupatio circa res diuinas, præferuntur virginitati. Similiter etiam vehementiùs operantur ad hoc quòd inhæreant Deo martyres qui ad hoc poſtponunt propriam voluntatem, & omnia quæ poſſunt habere quàm virgines, quæ ad hoc poſtponunt veneream voluptatem: Et ideo virginitas non eſt ſimpliciter maxima virtutum. 2.2. *q. 152. a. 5. q. 155. a. 1. q. 185. a. 4. 4. ſ. d. 33. q. 3. a. 3. 3. contra gentes cap. 134.*

Qu. 26. in quo ſenſu verificetur illud D. Cypriani in libro de virginitate, nunc nobis ad Virgines ſermo eſt; quarum quò ſublimior gloria, eò eſt maior cura: flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamen-

Digitized by Google

tum gratia ſpiritualis, illuſtrior portio gregis Chriſti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virgines ſunt illuſtrior portio gregis Chriſti, & eſt earum ſublimior gloria per comparationem ad viduas, & coniugatas. *ibidem ad* 1.

Qu. 27. *an B. Virgo virginitatem prætulerit dignitati Matris Dei.*

Reſp. D. Thomas, Gregorius Nyſſenus oratione in diem natalem Chriſti ait; *attende mundæ virginis vocem:* partum annunciat Angelus; ipſa verò virginitati innititur, præſtantiorem incorruptibilitatem angelicâ viſione dijudicans. *in catena aurea ſuper cap.* 1. *D. Lucæ.*

Plura de laudibus virginitatis, & de ipſius impedimentis, nec non de remediis ad eam conſeruandam neceſſariis habentur ſupra v. caſtitas. Concupiſcentia. Fructus Euangelicus. Maceratio corporis. Et infra ſub finem operis in opuſculo de caſtitate.

VIRTVS.

Qu. 1. *an virtus conuenienter ſic diffiniatur, bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur: & quænam ſint cauſæ virtutis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iſta diffinitio perfectè complectitur totam rationem virtutis: perfecta enim ratio vniuſcuiuſque rei colligitur ex omnibus cauſis eius: comprehendit autem prædicta diffinitio omnes cauſas virtutis.

Cauſa namque formalis virtutis, ſicut & cuiuſliber rei accipitur ex eius genere & differentia, cùm dicitur *bona qualitas*: genus enim virtutis qualitas eſt, differentia autem *bonum*: eſſet tamen conuenientior diffinitio, ſi loco qualitatis *habitus* poneretur, qui eſt genus propinquum; virtus autem non habet materiam *ex qua*, ſicut nec alia accidentia, ſed habet materiam *circa quam*, & materiam *in qua*, ſcilicet ſubiectum: materia autem *circa quam* eſt obiectum virtutis; quod non potuit in prædicta diffinitione poni: eoquòd per obiectum determinatur virtus ad ſpeciem; hîc autem aſſignatur diffinitio virtutis in communi: vnde ponitur ſubiectum loco cauſæ materialis, cùm dicitur quòd eſt *bona qualitas mentis*. Finis autem virtutis cùm ſit habitus operatiuus eſt ipſa operatio.

Sed notandum quòd habituum operatiuorum aliqui ſunt ſemper ad malum, ſicut habitus vitioſi: aliqui verò quandoque ad bonum, & quandoque ad malum, ſicut opinio ſe habet ad verum & falſum: virtus autem eſt habitus ſemper ſe habens ad bonum: & ideo vt diſcernatur virtus ab his quæ ſemper ſe habent ad malum, dicitur, *qua rectè viuitur*: vt autem diſcernatur ab his quæ ſe habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, dicitur, *qua nullus malè vtitur*. Cauſa autem efficiens virtutis infuſæ (de qua diffinitio datur) Deus eſt: propter quod dicitur *quam Deus in nobis ſine nobis operatur*: quæ quidem particu-

Digitized by Google

la ſi auferatur, reliquum diffinitionis erit commune omnibus virtutibus & acquiſitis & infuſis. 1. 2. q. 55. a. 4. 2. ſ. d. 27. a. 2. 3. ſ. d. 23. quaſt. 1. a. 2. q. 1. de verit. a. 2.

Qu. 2. an ſint quatuor virtutes Cardinales ſeu principales, iuxta illud D. Gregorij in 2. moralium, in quatuor virtutibus tota boni operis ſtructura conſurgit: & quodnam ſit earum ſubiectum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd numerus aliquorum accipi poteſt aut ſecundùm principia formalia, aut ſecundùm ſubiecta: & vtroque modo inueniuntur quatuor Cardinales virtutes. Principium enim formale virtutis, de qua nunc loquimur, eſt rationis bonum: quod quidem dupliciter poteſt conſiderari: vno modo ſecundùm quòd in ipſa conſideratione rationis conſiſtit: & ſic erit vna virtus principalis, quæ dicitur *prudentia*: alio modo, ſecundùm quòd circa aliquid ponitur rationis ordo: & hoc vel circa operationes: & ſic eſt *Iuſtitia*: vel circa paſſiones: & ſic neceſſe eſt eſſe duas virtutes: ordinem enim rationis neceſſe eſt ponere circa paſſiones, conſideratâ repugnantiâ ipſarum ad rationem: quæ quidem poteſt eſſe dupliciter: vno modo ſecundùm quòd paſſio impellit ad aliquid contrarium rationi: & ſic neceſſe eſt quòd paſſio reprimatur, & ab hoc denominatur *temperantia*: alio modo ſecundùm quòd paſſio retrahit ab eo quod ratio dictat, ſicut timor periculorum, vel laborum: & ſic neceſſe eſt quòd homo firmetur in eo quod eſt rationis ne recedat, & ab hoc denominatur *fortitudo*.

Et ſimiliter ſecundùm ſubiecta idem numerus inuenitur: quadruplex enim inuenitur ſubiectum huius virtutis, de qua nunc loquimur, ſcilicet rationale per eſſentiam, quod prudentia perficit; & rationale per participationem, quòd diuiditur in tria, ideſt in voluntatem, quæ eſt ſubiectum iuſtitiæ: & in concupiſcibilem, quæ eſt ſubiectum temperantiæ: & in iraſcibilem quæ eſt ſubiectum fortitudinis. 1. 2. q. 61. a. 2. *in corp. & in aliis locis ſupracitatis.*

Qu. 3. an ſint tres virtutes Theologicæ Fides, Spes, Charitas.

Reſp. D. Thomas. oportuit quòd aliquid homini ſupernaturaliter adderetur ad ordinandum ipſum in finem ſupernaturalem. Et primò quidem quantùm ad intellectum adduntur homini quædam principia ſupernaturalia, quæ diuino lumine capiuntur: & hæc ſunt credibilia, de quibus eſt fides. Secundò verò eſt voluntas, quæ ordinatur in illum finem; & quantùm ad motum intentionis in ipſum tendentem, ſicut in id quod eſt poſſibile conſequi, quod pertinet ad ſpem; & quantùm ad vnionem quandam ſpiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per charitatem. 1. 2. q. 62. a. 3. *in corp.* 2. 2. q. 17. a. 6 3. ſ. d. 23. q. 1. a. 6. 1. *ad cor. lect.* 2.

Videantur omnia, quæ virtutes tam Cardinales quàm Theologales concernunt, ſub propriis earum titulis. Plu-

Digitized by Google

ra autem quæ Theologiam ſcholaſticam concernunt, ad tractatum de virtutibus remittuntur.

VITA.

Qu. 1. *an verum ſit quod communiter dicitur, quòd homines ſunt nunc breuioris vitæ quàm antiquitùs.*

RESp. D. Thomas, dicendum quòd paſſibilitates non ſunt modò magis in homine, quàm antiquitùs fuerint à tempore diluuij: Vnde etiam Dauid de hominibus ſui temporis loquitur, *dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.* Sed verum eſt quòd ante diluuium homines diutius viuebant, virtute diuina hoc faciente ad generis humani multiplicationem. 2. *ſent. diſt.* 32. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 4.

Qu. 2. *in quo conſiſtat vita & felicitas contemplatiua: & quomodo ſicut ait D. Iſidorus in lib. de ſummo bono, contemplatiua vita mundo renuncians ſoli Deo viuere delectatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vita contemplatiua ſanctorum præſupponit amorem ipſius contemplati, ex quo procedit: vnde cùm vita contemplatiua conſiſtat in operatione quam quis maximè intendit, oportet quòd ſit circa contemplationem maximè amati: hoc autem Deus eſt: vnde principaliter conſiſtit in operatione intellectus circa Deũ: vnde Gre. ſuper Ezech. dicit, quòd *contemplatiua vita ad ſolum videndum principium anhelat*; ſcilicet Deum. Nihilominus tamen & contemplatiuus conſiderat alia, inquantum ad Dei contemplationem ordinantur ſicut ad finem; putà creaturas in quibus admiratur diuinam maieſtatem: & ſapientiam, & beneficia Dei, ex quibus inardeſcit in eius amorem; & peccata propria, ex quorum ablutione mundatur cor, vt Deum videre poſſit: vnde & nomen contemplationis ſignificat illum actum principalem, quo quis Deum in ſe ipſo contemplatur, ſed ſpeculatio magis nominat illum actum, quo quis diuina in rebus creatis quaſi in ſpeculo inſpicit. Et ſimiliter etiam felicitas contemplatiua de qua Philoſophi tractauerunt in contemplatione Dei conſiſtit; quia ſecundùm Philoſophum conſiſtit in actu altiſſimæ potentiæ, quæ in nobis eſt (ſcilicet intellectus) & in habitu nobiliſſimo (ſcilicet ſapientiâ) & etiam obiecto digniſſimo quod Deus eſt. Vnde etiam Philoſophi vltimum tempus vitæ ſuæ reſeruabant (vt dicitur) ad contemplandum diuina, præcedens tempus in aliis ſcientiis expendentes, vt ex illis habiliores fierent ad conſiderandum diuina. 3. *ſ. d.* 35. *q.* 1. *a.* 2. *qu.* 3. *in c.*

Qu. 3. *quomodo ſicut de contemplatione dicitur ſap.* 8. *non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus eius, ſed lætitiam & gaudium: & D. Greg. dicit ſuper Ezech. quòd contemplatiua vita amabilis valde dulcedo eſt: & vtrum omnem humanam delectationem ſuperet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliqua contemplatio poteſt eſſe delectabilis dupliciter: vno

modo ratione ipſius operationis, quia vnicuique delectabilis eſt operatio ſibi conueniens ſecundùm propriam naturam vel habitum: contemplatio autem veritatis competit homini ſecundùm ſuam naturam, prout eſt animal rationale, ex quo contingit quòd omnes homines naturâ ſcire deſiderant, & per conſequens in cognitione veritatis delectantur: & adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum ſapientiæ & ſcientiæ: ex quo accidit quòd ſine difficultate aliquis contemplatur: alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte obiecti: inquantum ſcilicet aliquis rem amatam contemplatur: ſicut etiam accidit in viſione corporali: quæ delectabilis redditur non ſolùm ex eo quòd ipſum videre eſt delectabile, ſed etiam ex eo quòd videt quis perſonam amatam: quia ergo vita contemplatiua præcipuè conſiſtit in contemplatione Dei, ad quam mouet charitas, inde eſt quòd in vita contemplatiua non ſolùm eſt delectatio ratione ipſius contemplationis, ſed etiam ratione ipſius diuini amoris: & quantùm ad vtrumque, delectatio eius omnem delectationem humanam excedit: nam & delectatio ſpiritualis potior eſt quàm carnalis: & ipſe amor quo ex charitate Deus diligitur, omnem amorem excedit: vnde & in pſalmo 33. dicitur, *guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. 2. 2. qu. 180. a. 7. in c.*

Qu. 4. an contemplatio rerum diuinarum licèt imperfecta ſit magis delectabilis quàm quæcunque alia contemplatio quantumcunque perfecta.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd contemplatio Dei in hac vitâ imperfecta eſt reſpectu contemplationis patriæ, & ſimiliter delectatio contemplationis viæ, eſt imperfecta reſpectu delectationis contemplationis patriæ: de qua dicitur in pſalmo 35. *de torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sed contemplatio diuinorum quæ habetur in via, etſi ſit imperfecta: tamen eſt delectabilior omni alia contemplatione quantumcunque perfecta, propter excellentiam rei contemplatæ. Vnde Philoſ. dicit in 1. de partibus animalium, *accidit circa illas honorabiles exiſtentes & diuinas ſubſtantias minores nobis exiſtere theorias: ſed etſi ſecundùm modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoſcendi, delectabilius aliquid habent quàm quæ apud nos omnia.* Et hoc eſt etiam quod Greg. dicit ſuper Ezech. *contemplatiua vita amabilis valde dulcedo eſt, quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cæleſtia aperit, ſpiritualia mentis oculis patefacit. 2. 2. q. 180. a. 7. ad 3.*

Qu. 5. cur de ſapientia dicitur prou. 8. ludens coram eo.

Reſp. D. Thomas, ludens propter otium contemplationis ſapientiæ: ſicut enim operationes ludi non appetuntur propter aliud, ſed in ſeipſis habent delectationẽ ita & contemplatio ſapientiæ. *1. ſ. d. 2. in exp. textus.*

Qu. 6. quomodo licèt vita contemplatiua conſiſtat eſſentialiter in intellectu, ſuum tamen habet principium, ſuumque terminum, ſiue finem habeat in affectu.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vita contemplatiua, licèt eſſentialiter conſiſtat in intellectu, principium tamē habet in affectu: inquantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis reſpondet principio, inde eſt quòd etiam terminus & finis contemplatiuæ vitæ habetur in affectu: dum ſcilicet aliquis in viſione rei amatæ delectatur, & ipſa delectatio rei viſæ amplius excitat amorem. Vnde Greg. dicit ſuper Ezech. quòd cùm quis ipſum quem amat viderit, in amorem ipſius amplius igneſcit. Et hæc eſt vltima perfectio contemplatiuæ vitæ, vt ſcilicet non ſolùm diuina veritas videatur, ſed etiam vt ametur. 2. 2.q.180 *a.7.ad* 1.

Qu. 7. quomodo ſicut dicit D. Greg. anima cùm contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine poſita, modò quaſi exuperat, quia intelligendo & ſentiendo de incircunſcripto lumine aliquid deguſtat, modò ſuccumbit, quia & deguſtando iterum deficit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd contentio vel certamen quod prouenit ex contrarietate exterioris rei, impedit illius rei delectationem: non enim aliquis delectatur in re contra quam pugnat: ſed in re pro qua aliquis pugnat, cùm eam homo adeptus fuerit, cæteris paribus magis in ea delectatur: ſicut Aug. dicit in 8. Conf. quòd *quantò fuit maius periculum in prælio, tantò maius eſt gaudium in triumpho.* Non eſt autem in contemplatione contentio & certamen ex contrarietate veritatis quam contemplamur; Sed ex defectu noſtri intellectûs, & ex corruptibili corpore, quod nos ad inferiora retrahit, ſecundùm illud ſap. 9. *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam; & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem:* & inde eſt quòd quando homo pertingit ad contemplationem veritatis, ardentiùs eam amat; ſed magis odit proprium defectum & grauitatem corruptibilis corporis vt dicat cum Apoſt. *infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* vnde Greg. dicit ſuper Ezec. *cùm Deus iam per deſiderium & intellectum cognoſcitur, omnem in nobis voluptatem carnis areſacit.* 2. 2.180. *a.6.ad* 2.

Qu. 8. vtrum hugo à S. Victore conuenienter aſſignet tres contemplationis partes, ſcilicet lectionem, meditationem, & orationem.

Reſp. ſupra v. meditatio *qu.* 1.

Qu. 9. an conuenienter aſſignentur à Richardo de S. Victore ſex contemplationum ſpecies: quarum prima eſt ſecundùm ſolam imaginationem, dum attendimus res corporales: ſecunda eſt in imaginatione ſecundùm rationem, prout ſcilicet ſenſibilium ordinem & diſpoſitionem conſideramus: tertia eſt in ratione ſecundùm imaginationem; quando ſcilicet per inſpirationem rerum viſibilium ad inuiſibilia ſubleuamur: quarta autem eſt in ratione ſecundùm rationem, quando ſcilicet animus intendit inuiſibilibus quæ imaginatio non nouit: quinta autem eſt ſupra rationem non tamen præter rationem, quando ex diuina reuelatione cognoſcimus

mus

mus ea quæ humanâ ratione comprehendi non poſſunt : ſexta autem eſt ſupra rationem & præter rationem, quando ſcilicet ex diuina illuminatione cognoſcimus ea quæ humanæ rationi repugnare videntur, ſicut ea quæ dicuntur de myſterio Trinitatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd per illa ſex deſignantur gradus quibus per creaturas ad Dei contemplationem aſcenditur: nam in primo gradu ponitur perceptio ipſorum ſenſibilium : in ſecundo verò gradu ponitur progreſſus à ſenſibilibus ad intelligibilia : in tertio verò gradu ponitur diiudicatio ſenſibilium ſecundùm intelligibilia : in quarto verò gradu ponitur abſoluta conſideratio intelligibilium in quæ per ſenſibilia peruenitur : in quinto verò gradu ponitur contemplatio intelligibilium quæ per ſenſibilia inueniri non poſſunt, ſed per rationem capi poſſunt: in ſexto gradu ponitur conſideratio intelligibilium quæ ratio nec inueuire, nec capere poteſt, quæ ſcilicet pertinent ad ſublimem contemplationem diuinæ veritatis in qua finaliter contemplatio perficitur. 2. 2. *q.* 180. *a.* 4. *ad* 3.

Qu. 10. an vita contemplatiua ſit melior quàm actiua.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nihil prohibet aliquid ſecundùm ſe eſſe excellentius, quod tamen ſecundùm quid ab alio ſuperatur. Dicendum eſt ergo quòd vita contemplatiua ſimpliciter melior eſt quàm actiua, quod Philoſophus in 10. ethic. probat octo rationibus. Quarum prima eſt : quia vita contemplatiua conuenit homini ſecundùm illud quod eſt optimum in ipſo, ſcilicet ſecundùm intellectum; & reſpectu propriorum obiectorum, ſcilicet intelligibilium : vita autem actiua occupatur circa exteriora : vnde Rachel, per quam ſignificatur vita contemplatiua, interpretatur *viſum principium* : vita autem actiua ſignificatur per Liam, quæ erat *lippa oculis*, vt Gregorius dicit 6. moralium. Secunda, quia vita contemplatiua poteſt eſſe magis continua, licet non quantùm ad ſummum contemplationis gradum : vnde & Maria, per quam ſignificatur vita contemplatiua, deſcribitur *ſecus pedes Domini* aſſiduè ſedens.

Tertia quia maior eſt delectatio vitæ contemplatiuæ quàm actiuæ : vnde Auguſt. dicit in lib. de verb. Domini, quòd *Martha turbabatur, & Maria epulabatur.*

Quarta, quia in vita contemplatiua eſt homo magis ſibi ſufficiens, quia paucioribus ad eam indiget : vnde dicitur Luc. 10. *Martha, Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima.*

Quinta, quia vita contemplatiua magis propter ſe diligitur ; vita autem actiua ad aliud ordinatur : vnde in Pſal. 26. dicitur *vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini.*

Sexta, quia vita contemplatiua conſiſtit in quadam vacatione, & quiete; ſecundùm illud Pſal. 45. *vacate, & videte quoniam ego ſum Deus.*

Septima, quia vita contem-

plātiua eſt ſecundùm diuina, vita autem actiua ſecundùm humana, vnde Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini, *in principio erat verbum; ecce quod Maria audiebat: verbum caro factum eſt; ecce cui Martha miniſtrabat.*

Octaua, quia vita contemplatiua eſt ſecundùm id quod eſt magis proprium homini; ſcilicet ſecundùm intellectum: in operationibus autem vitæ actiuæ communicant etiam inferiores vires, quæ ſunt nobis & brutis communes: vnde in Pſalm. 35. poſtquam dictum eſt, *homines & iumenta ſaluabis Domine*, ſubditur id quod eſt hominibus ſpeciale, *in lumine tuo videbimus lumen.*

Nonam rationem addit Dominus Luc. 10. cùm dicit, *optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea*, quod exponens Auguſtinus in lib. de verbis Domini dicit: *non tu malam, ſed illa meliorem: audi vnde meliorem: quia non auferetur ab ea: à te autem auferetur aliquando onus neceſſitatis, æterna eſt dulcedo veritatis.*

Secundùm quid tamen & in caſu eſt magis eligenda vita actiua propter neceſſitatem præſentis vitæ; ſicut etiam Philoſophus dicit in 3. Topic. quòd *Philoſophari eſt melius quàm ditari, ſed ditari melius eſt neceſſitatem patienti.* 2.2.q. 182. a. 1. *in corp.*

Qu. 11. an vita contemplatiua ſit maioris meriti quàm actiua, iuxta illud D. Gregorii in 6. moralium, magna ſunt actiua vitæ merita, ſed contemplatiua potiora.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd radix merendi eſt charitas: cùm autem charitas conſiſtat in dilectione Dei & proximi, eum diligere, ſecundùm ſe eſt magis meritorium quàm diligere proximum: & ideo illud quod directiùs pertinet ad dilectionem Dei, magis eſt meritorium ex genere ſuo, quàm id quod directè pertinet ad amorem proximi propter Deum: vita autem contemplatiua directè & immediatè pertinet ad dilectionem Dei: dicit enim Auguſt. 19. de ciuit. Dei, quòd *otium ſanctum* (ſcilicet contemplatiuæ vitæ) *quærit charitas veritatis*, ſcilicet diuinæ, cui potiſſimum vita contemplatiua inſiſtit: vita autem actiua directiùs ordinatur ad dilectionem proximi; quia *ſatagit circa frequens miniſterium*, vt dicitur Luc. 10. & ideo ex ſuo genere contemplatiua vita eſt maioris meriti quàm actiua: & hoc eſt quod Gregor. in 3. homil. ſuper Ezechielem dicit, *contemplatiua maior eſt merito, quàm actiua; quia hæc in vſu præſentis operis laborat* (in quo ſcilicet neceſſe eſt proximis ſubuenire) *illa verò ſapore intimo venturam iam requiem degustat*, ſcilicet in contemplatione Dei.

Poteſt tamen contingere quòd aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ; putà ſi propter abundantiam diuini amoris, vt eius voluntas impleatur, propter ipſius gloriam interdum ſuſtinet à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus ſeparari, ſicut Apoſt. dicebat ad Rom. 9. *optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, quod exponens Chryſoſt. in lib. 1 de compunctione ait *ita totam mentem eius demerſerat amor Chriſti, vt etiam hoc*

quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, eſſe cum Chriſto, rurſus idipſum quia ita placeret Chriſto: contemneret 2. 2. q. 182. a. 2. *in corp.*

Qu. 12. *an vita actiua ſit maioris meriti quantùm ad remiſſionem culpæ, contemplatiua verò quantùm ad conſecutionem gloriæ.*

Reſp. D. Thomas, eſt duplex meritum; ſcilicet dimiſſionis culpæ; & conſecutionis gloriæ; quantùm ad primum maioris meriti dicitur actiua quàm contemplatiua, inquantum laborioſior: vnde habet plus de ratione ſatisfactionis: quantùm autem ad meritũ conſecutionis gloriæ, ſic contẽplatiua vita eſt maioris meriti quàm actiua, quantùm ad puritatem, quia non admiſcetur ei tantùm de puluere terrenorum, ſicut fit in actiua vita: ſed quantùm ad intenſionem meriti videtur contemplatiua iterum maioris meriti illâ parte actiuæ, quæ circa ſui moderationem ſtudet: minoris autem quantùm ad illam partem, quæ profectui aliorum inuigilat: quia hoc ipſum videtur eſſe fortioris charitatis ſecundùm genus, quòd homo prætermiſsâ conſolatione, qua in Dei contemplatione reficitur, gloriam Dei in aliorum conuerſione quærat: quia etiam in humana amicitia verus amicus quærit magis bonum amici, quàm de eius præſentia delectari. 3. *ſ. d.* 35. q. 1. a. 4. *qu.* 2.

Qu. 13. *cur ſicut D. Gregorius dicit ſuper Ezech. in actiua fixi permanere poſſumus, in contemplatiua autem intentâ mente manere nullo modo valemus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd durabilitas vitæ actiuæ in ſtatu præſenti, excedens durabilitatem vitæ contemplatiuæ, non prouenit ex proprietate vtriuſque vitæ ſecundùm ſe conſideratæ; ſed ex defectu noſtri, qui ex corporis grauitate retrahimur ab altitudine contemplationis: vnde ibidem ſubdit Gregorius, quòd *ipsâ ſuâ infirmitate ab immenſitate tantæ celtitudinis animus repulſus, in ſemetipſo relabitur* 2. 2. q. 181. *a.* 4. *ad* 3.

Qu. 14. *quinam apti ſint ad vitam actiuam, & quinam ad contemplatiuam: & quomodo ſicut ait D. Gregorius in 6. moral. ſæpe qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus preſſi ceciderunt; & ſæpe qui occupati benè humanis vſibus viuerent, gladio ſuæ quietis extincti ſunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui ſunt proni ad paſſiones propter earum impetum ad agendum, ſunt ſimpliciter magis apti ad vitam actiuam, propter ſpiritus inquietudinem, vnde dicit Gregor. in 6. moral. quòd *nonnulli ita inquieti ſunt, vt ſi vacationem laboris habuerint, grauiùs laborent; quia tantò deteriores cordis tumultus tolerant, quantò eis licentiùs ad cogitationes vacat.*

Quidam verò habent naturaliter animi puritatem & quietem per quam ad contemplationem ſunt apti, qui ſi totaliter actionibus deputentur detrimentum ſuſtinebunt. Vnde Gregor. dicit in 6. moral. quòd *quorundam hominum ita otioſæ mentes ſunt, vt ſi eos labor occupationis excipiat, in ipſa operis in-*

choatione ſuccumbant.

Sed ſicut ipſe poſtea ſubdit, *ſæpe & pigras mentes amor ad opus excitat; & inquietas in contemplatione timor refrænat:* Vnde & illi qui ſunt magis apti ad actiuam vitam, poſſunt per exercitium actiuæ ad contemplatiuam præparari: & illi nihilominus qui ſunt magis ad contemplatiuam apti, poſſunt exercitia vitæ actiuæ ſubire; vt per hoc ad contemplationem paratiores reddantur. 2.2.q. 182. *a.4.ad* 4.

Plura de contemplatione videantur ſupra v. amor qu 4. charitas qu. vlt. deuotio qu. 7. & ſequent. Prælatio qu. penult. & vltima. Hora canonica. Meditatio. Oratio. Vbi omnes ferè quæſtiones contemplationem concernunt vel ſtrictè vel latè ſumptam & v. Religio, vbi agitur de ordinibus religioſis qui ſunt inſtituti ſiue ad vitã contemplatiuam, ſiue ad actiuam, ſiue ad vitam ex vtraque mixtam. Vide quoque v. zelus ſalutis animarum.

VITIVM.

Qu. 1. quare ſicut ait D. Auguſtinus in 3. de lib. arb. omne vitium eo ipſo quòd vitium eſt, contra naturam eſt.

RESP. D. Thomas, dicendum quòd vitium virtuti contrariatur: Virtus autem vniuſcuiuſque rei conſiſtit in hoc quòd ſit benè diſpoſita ſecundùm conuenientiam ſuæ naturæ: Vnde oportet, quòd in qualibet re vitium dicatur ex hoc quòd eſt diſpoſita contra id quod conuenit ſuæ naturæ: Vnde & de hoc vnaquæque res vituperatur, à vitio autem nomen vituperationis tractum creditur, vt Auguſtinus dicit in 3. de lib. arbitrio.

Sed conſiderandum eſt quòd natura vniuſcuiuſque rei potiſſimè eſt forma, ſecundùm quam res ſpeciem ſortitur: homo autem in ſpecie conſtituitur per animam rationalem: & ideo id quod eſt contra ordinem rationis, propriè eſt contra naturam hominis inquantum eſt homo; quod autem eſt ſecundùm rationem, eſt ſecundùm naturam hominis inquantum eſt homo: *bonum* autem *hominis eſt ſecundùm rationem eſſe, & malum hominis eſt præter rationem eſſe*, vt Dionyſius dicit 4. capit. de diuinis nominibus. Vnde virtus humana, quæ hominem facit bonum, & opus ipſius bonum reddit, intantum eſt ſecundùm naturam hominis, inquantum conuenit rationi: Vitium autem intantum eſt contra naturam hominis, inquantum eſt contra ordinem rationis. *p. 2. qu. 71. art. 2. in corp.*

Qu. 2. quænam ſint vitia capitalia.

Reſp. ſupra capitale vitium.

Plura traduntur ſupra de peccatis v. Peccatum, quæ ipſa etiam vitia concernunt: multóque plura remittuntur ad tractatum de vitiis & peccatis, eo quòd pertinent ad Theologiam ſcholaſticam.

VITVPERIVM.

Qu. an nomen vituperationis à vitio diriuetur: & virum homines virtuoſi verecundentur de vituperiis ſiue opprobriis.

Reſp. in præcedenti quæſt. de

vitio. & v Verecundia *qu. 3. & ſequent.*

VNCTIO·EXTREMA.

Qu. 1. an & quare Extrema-vnctio nedum ſit aliquid Sacramentale, ſed etiam Sacramentum.

REſp. D. Thomas, dicendum quòd in his quæ Eccleſia viſibiliter operatur, quædam ſunt ſacramentalia, vt exorciſmus; quorum hæc eſt differentia; quia ſacramentum dicitur illa actio Eccleſiæ quæ attingit ad effectum principaliter intentum in adminiſtratione ſacramentorum: ſed ſacramentale dicitur illa actio quæ quamuis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem effectus autem intentus in adminiſtratione ſacramentorum eſt curatio morbi peccati, Eſaiæ 28. *hic e ſt omnis fructus vt auferatur peccatũ;* Et ideo cùm ad hunc effectum pertingat extrema-vnctio, nec ordinetur ad aliud ſacramentum quaſi ei annexum, conſtat quòd extrema-vnctio non eſt ſacramentale, ſed ſacramentum. *4.ſ.d. 22. q.1.a.1.q.1. in corp.*

Qu. 2. vtrum oleum oliuarum ſit conueniens materia huius Sacramenti cùm ſpiritualis ſanatio per olei iniunctionem ſignificetur Iſa 1. plaga tamens non eſt curata medicamine, neque fota oleo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſpiritualis curatio quæ in fine adhibetur, debet eſſe perfecta (quia poſt eam alia non relinquitur) & lenis, vt ſpes quæ exeuntibus maximè eſt neceſſaria, non frangatur, ſed foueatur: oleum autem lenitiuum eſt, & penetratiuum vſque ad intima, & etiam diffuſiuum: Et ideo quantùm ad vtrumque prædictorum eſt conueniens materia huius Sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur oliuæ liquor; cùm alij liquores ex ſimilitudine ad ipſum olei nomen accipiant: ideo oleum oliuæ etiam debet eſſe, quod aſſumitur in materiam huius Sacramenti. *4. ſent. d. 23. q. 1. a. 3. quaſt. 1. in corp. 4. contra gentes cap. 73.*

Qu. 3. an & quare illud oleum debet eſſe conſecratum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam dicunt quòd oleum ſimplex eſt materia huius Sacramenti, & in ipſa ſanctificatione olei quæ fit per Epiſcopum, perficitur Sacramentum. Sed hoc patet eſſe falſum, quia ſolum Euchariſtiæ Sacramentum conſiſtit in conſecratione materiæ: Et ideo dicendum quòd hoc Sacramentum conſiſtit in ipſa vnctione, ſicut baptiſmus in ablutione; & materia huius Sacramenti eſt oleum ſanctificatum.

Poteſt autem triplex ratio aſſignari, quare exigitur materiæ ſanctificatio in hoc Sacramento, & in quibuſdam aliis. Prima eſt, quia omnis efficacia Sacramentorum à Chriſto deſcendit: Et ideo Sacramenta illa, quibus ipſe eſt vſus, habent efficaciam ex ſuo vſu; ſicut tactu ſuæ carnis vim generatiuam contulit aquis; ſed hoc Sacramento non eſt vſus, nec aliqua corporali vnctione: & ideo in omnibus vnctionibus requiritur ſanctifica-

tio materiæ. Secunda cauſa eſt propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non ſolùm vt culpam tollat, ſed etiam reliquias, & infirmitatem corporis. Tertia eſt ex hoc quòd effectus eius corporalis (ſcilicet ſanatio corporalis) non cauſatur ex materiæ naturali proprietate: Et ideo oportet quòd hæc efficacia per ſanctificationem ei detur. 4. *ſent. d.* 23. *qu.* 1. *a.*3. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

Qu. 4. *an ſit de neceſſitate huius Sacramenti quòd oleum conſecretur: & quare non admiſcetur ipſi balſamum.*

Reſp. ſupra v. Chriſma *qu.* 2. & v. Conſecratio *qu.* 3.

Qu. 5. *cur iterum conſecratur oleum, dum confertur hoc Sacramentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prima ſanctificatio eſt materiæ ſecundùm ſe; ſed ſecunda magis pertinet ad vſum ipſius ſecundùm quòd eſt actu conferens effectum ſuum: Et ideo neutra ſuperfluit: quia etiam inſtrumenta efficaciam accipiunt ab artifice, & dum fiunt, & dum ad actum applicantur. 4. *ſent. diſt.*23. *q.* 1. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 1.

Qu. 6. *an prima huius olei ſanctificatio debeat fieri ab Epiſcopo.*

Reſp D. Thomas, dicendum quòd miniſter Sacramenti non propriâ virtute effectum Sacramenti inducit vt principale agens, ſed per efficaciam Sacramenti quòd diſpenſat: quæ quidem efficacia primò eſt à Chriſto, & ab ipſo in alios deſcendit ordinatè, ſcilicet in populum mediantibus miniſtris qui Sacramenta diſpenſant; & in miniſtros inferiores mediantibus ſuperioribus, qui materiam ſanctificant. Et ideo in omnibus Sacramentis, quæ indigent materiâ ſanctificatâ, prima ſanctificatio materiæ fit per Epiſcopum; & vſus quandoque per Sacerdotem, vt oſtendatur Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali deriuata, ſecundùm illud Pſ. 132. ſicut vnguentum in capite, quod priùs deſcendit in barbam; deinde vſque ad oram veſtimenti. 4 *ſent. diſt.* 23. *qu.* 1. *art.* 3. *qu.* 3. *in corp.*

Qu. 7. *an forma huius Sacramenti debeat eſſe oratio deprecatiua iuxta illud D. Iacobi* 5. *oratio fidei ſeruabit infirmum, & iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, qua his verbis vtitur, per iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, &c.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd forma huius Sacramenti eſt oratio deprecatiua, vt patet per illa verba Iacobi & ex vſu Romanæ Eccleſiæ, quæ ſolùm illis verbis vtitur in collatione deprecatiuis huius Sacramenti.

Cuius ratio multiplex aſſignatur. Primò, quia ſuſcipiens Sacramentum hoc eſt viribus propriis deſtitutus: vnde indiget orationibus ſubleuari. Secundò, quia datur exeuntibus, qui iam deſinunt de foro Eccleſiæ eſſe, & in ſolius Dei manu requieſcunt: vnde & ei per orationem committuntur. Tertiò, quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper

ex operatione miniſtri conſequatur, omnibus quæ ſunt de eſſentia Sacramenti ritè peractis ; ſicut character in baptiſmo, & confirmatione, & tranſubſtantiatio in Euchariſtia, & remiſſio peccati in pœnitentia, exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, non autem de eſſentia huius Sacramenti : Et ideo in hoc Sacramento non poteſt eſſe forma indicatiui modi, ſicut in prædictis Sacramentis. 4. *ſ. d.* 23. *qu.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

Qu. 8. *an prædicta oratio ſit competens forma huius Sacramenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd prædicta oratio eſt competens forma huius Sacramenti: quia tangit Sacramentum in hoc quòd dicitur, *per iſtam vnctionem*; & illud quod operatur in Sacramento, ſcilicet diuinam miſericordiam ; & effectum, ſcilicet remiſſionem peccatorum. 4. *ſ. d.* 23. *q.* 1. *a.* 4. *quæſtiunc.* 3. *in corp.*

Qu. 9. *cur potius in hoc Sacramento quàm in aliis ſit mentio diuinæ miſericordiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd miſericordia reſpicit miſeriam : & quia hoc Sacramentum datur in ſtatu miſeriæ (ſcilicet infirmitatis) ideo potius hîc quàm in aliis fit de miſericordia mentio. *ibidem ad* 2.

Qu. 10 *an ſolus Sacerdos ſit miniſter huius Sacramenti : & vtrum requirantur plures, vel ſufficiat vnus.*

Reſp. D. Thomas, quia per hoc Sacramentum peccata dimittuntur : peccatum autem non dimittitur niſi per gratiam : manifeſtum eſt quòd in hoc Sacramento gratia confertur. Ea verò in quibus gratia illuminans mentem confertur, exhibere ſolùm pertinet ad Sacerdotes, quorum ordo eſt illuminatiuus ; vt dicit Dyonyſius. Nec requiritur ad hoc Sacramentum Epiſcopus ; cùm per hoc Sacramenrum non conferatur excellentia ſtatûs, ſicut in illis quorum eſt miniſter Epiſcopus.

Quia tamen hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento quòd multi Sacerdotes interſint; & quòd oratio totius Eccleſiæ effectum huius Sacramenti coadiuuet : vnde Iacobus dicit : *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & oratio fidei ſanabit infirmum.* Si tamen vnus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cuius miniſter exiſtit, & cuius perſonam gerit. 4. *contra gentes cap.* 73. 4. *ſ. d.* 23. *q.* 2. *a.* 1.

Qu. 11. *quid agendum ſit quando moritur Sacerdos antequam potuerit perficere hoc Sacramentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis in Euchariſtia ſi poſt conſecrationem panis moriatur Sacerdos poſſit à conſecratione vini incipere vbi ille dimiſit, vel etiam incipere à capite ſupra aliam materiam, tamen in extrema vnctione non poteſt à capite incipere, ſed debet ſẽper procedere; quia vnctio in eadẽ parte facta,

Digitized by Google

tantùm valet ac ſi cõſecraretur bis eadem Hoſtia; quod nullo modo faciendum eſt. Nec tamen miniſtrorum pluralitas tollit vnitatem Sacramenti: quia inſtrumentaliter tantùm operantur; mutatio autem martellorum non tollit vnitatem operationis fabri. *4. ſ. d. 23. q. 1. a. 1. q. 2. ad. 3.*

Qu. 12. cur hoc ſacramentum non debet conferri ſanis ſed tantùm infirmis, iuxta illud D. Iacobi 5. infirmatur quis in vobis &c.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum eſt quædam ſpiritualis curatio; quæ quidem per quendam corporalis curationis modum ſignificatur: & ideo illis quibus corporalis curatio non competit, ſcilicet ſanis, non debet hoc ſacramentum conferri. *4. ſen. d. 23. q. 2. a. 2. qu. 1. in corp. 4. contra gentes cap. 73.*

Qu. 13. cur non debet hoc ſacramentum conferri niſi illis quorum infirmitas eſt periculoſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum eſt vltimum remedium, quod Eccleſia poteſt conferre, quaſi immediatè diſponens ad gloriam: Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc quòd ægritudo nata eſt mortem inducere, & de periculo timetur. *Ibid. q. 2. a. 2. q. 2. in corp.*

Qu. 14. vtrum hoc ſacramentum dari poſſit in qualibet ægritudine periculoſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quælibet infirmitas poteſt mortem inducere: Et ideo ſi genera infirmitatum penſentur, in qualibet ægritudine poteſt dari hoc ſacramentum: quia Apoſtolus non determinat infirmitatem aliquam: ſed ſi penſetur infirmitatis modus & ſtatus, non ſemper debet infirmantibus hoc ſacramentum dari. *Ibid. ad 1.*

Qu. 15. an damnatis ad mortem hoc ſacramentum ſit conferendum.

Reſp. D. Thomas, licèt aliqui ſint in ſtatu propinquo mortis etiam abſque infirmitate, vt patet in his qui damnantur ad mortem, qui ſpiritualibus effectibus huius ſacramenti indigerent; non tamen exhibendum eſt, niſi infirmanti: cùm ſub ſpecie medicinæ corporalis exhibeatur, quæ non competit niſi corporaliter infirmato, oportet enim in ſacramentis ſignificationem ſeruari. *4. contra gentes cap. 73. 4. ad hannib. d. 23. q. 2. a. 2.*

Qu. 16. an & quando furioſis & amentibus hoc ſacramentum conferri poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad effectum huius ſacramenti percipiendum plurimùm valet deuotio ſuſcipientis, & perſonale meritum conferentium, & generale totius Eccleſiæ: quod patet ex hoc quòd per modum deprecationis forma huius ſacramenti confertur: & ideo illis qui non poſſunt recognoſcere, & cum deuotione ſuſcipere, hoc ſacramentum dari non debet: & præcipuè furioſis & amentibus, qui poſſunt irriueren-

Irreuerentiam ſacramento per aliquam immunditiam facere; niſi haberent lucida interualla, in quibus ſacramenta recognoſcerent: & ſic eis conferri in ſtatu illo poſſet. *4. ſent. diſt. 23. q. 2. a. 2. quaeſt. 3. in corp.*

Qu. 17. vtrum hoc ſacramentum debeat conferri pueris.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum exigit actualem deuotionem in ſuſcipiente, ſicut & Euchariſtia: Vnde ſicut Euchariſtia non debetur dari pueris, ita nec hoc ſacramentum. *4. ſ. d. 23. q. 2. a. 2. q. 4. in corp.*

Qu. 18. vtrum hoc ſacramento totum corpus inungi debeat.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum per modum curationis exhibetur: curatio autem corporalis non oportet quòd fiat per medicinam toti corpori appoſitam, ſed illis partibus vbi eſt radix morbi: & ideo vnctio etiam ſacramentalis debet fieri in illis partibus tantùm, in quibus eſt radix ſpiritualis infirmitatis. *4. ſent. d. 23. q. 2. a. 3. quaeſt. 1. in corp.*

Qu. 19. in quibus partibus vngi debeat infirmus: & quaenam ex vnctionibus ſint de neceſſitate Sacramenti.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd principia peccandi in nobis ſunt eadem quae & principia agendi: quia peccatum in actu conſiſtit: principia autem agendi in nobis ſunt tria. Primum eſt dirigens, ſcilicet vis cognoſcitiua: ſecundum eſt imperans, ſcilicet vis appetitiua: tertium eſt exequens, ſcilicet vis motiua: omnis autem noſtra cognitio à ſenſu ortum habet. Et quia vbi eſt in nobis prima origo peccati, ibi debet vnctio adhiberi, ideo vnguntur loca quinque ſenſuum: ſcilicet oculi propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, manus propter tactum qui in pulpis digitorum praecipuè viget: ſed propter appetitiuã vnguntur à quibuſdam renes: propter motiuam vnguntur pedes qui ſunt principalius eius inſtrumentum.

Et quia primum principium eſt cognoſcitiua: ideo illa vnctio ab omnibus obſeruatur quae fit ad quinque ſenſus quaſi de neceſſitate ſacramenti: ſed quidam non ſeruant alias: quidam verò illam ſeruant, quae ad pedes, & non quae ad renes: quia appetitiua, & motiua ſunt ſecundaria principia. *4. ſent. d. 23. q. 2. a. 3. qu. 2. in corp. 4. ad hannib. d. 23. q. 2. a. 2. ad 2. 4. contra gent. cap. 73.*

Qu. 20. quomodo vngi debeant illi, qui aliquo membro vel ſenſu ſunt priuati.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd mutilati inungi debent quantò propinquiùs eſſe poteſt ad partes illas, in quibus vnctio fieri debuerat: quia quamuis non habeant membra, habent tamen potentias animae, quae illis membris debentur, ſaltem in radice: & interiùs peccare poſſunt per ea quae ad partes illas pertinent, quamuis non exteriùs. *4. ſent. d.*

23. *quaeſt.* 2. *art.* 3. *queſtiunc.* 3. *in corp.*

Quær. 21. *vtrum hoc ſacramentum iterari poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd nullum ſacramentale nec ſacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari: quia oſtenderetur ſacramentum non fuiſſe efficax ad faciendum illum effectum: & ſic fieret iniuria illi ſacramento.

Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, poteſt iterari ſine iniuria; vt effectus deperditus, iteratò recuperetur: & quia ſanitas corporis & mentis quæ ſunt effectus huius ſacramenti, poſſunt amitti poſtquam fuerunt per ſacramentum effectæ, ideo hoc ſacramentum ſine ſui iniuria poteſt iterari. 4. *ſ.d.*23. *q.* 2. *a.q.*1. *in corp.*

Qu. 22. *an & quando in eadem vel diuerſa infirmitate extrema vnctio iterari poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc ſacramentum non reſpicit tantùm infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum: quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecundùm humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non ſunt diuturnæ: vnde ſi in eis datur hoc ſacramentum, tunc cùm homo ad illum ſtatum perueniat quòd ſit in periculo mortis, non recedit à ſtatu illo, niſi infirmitate curatâ; & ita iterum non debet inungi: ſed ſi recidiuum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam verò ſunt ægritudines diuturnæ, vt hectica, & hydropiſis, & huiuſmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis: & ſi homo illum articulum euadat eâdem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi; quia iam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamuis non ſit alia infirmitas ſimpliciter. 4. *ſ. d.* 23. *q.* 2. *a.* 4. *q* 2. *in corp.* 4. *contra gentes cap.* 73.

Qu. 23. *vtrum extrema-vnctio conferri debeat infirmis, qui notitiam amiſerunt, antequam ſacerdos accedat.*

Reſp. ſupra v. abſolutio *q.* 17.

Qu. 24. *an & quomodo Extrema-Vnctio licet principaliter ordinetur ad tollendas peccati reliquias, ex conſequenti tamen conferat gratiam, & tollat peccatum mortale & veniale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quodlibet ſacramentum eſt inſtitutum principaliter ad vnum effectum; quamuis etiam alios ex conſequenti inducere poſſit: quia ſacramentum efficit quod figurat: ideo ex ipſa ſignificatione ſacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc ſacramentum ſecundùm modum cuiuſdam medicationis, ſicut baptiſmus per modum ablutionis: medicina autem eſt ad pellendum infirmitatem: vnde principaliter hoc ſacramentum eſt inſtitutum ad ſanandum infirmitatem pecca-

ti; vt ſicut baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio, ita & Extrema-Vnctio ſit quædam ſpiritualis ſanatio vel medicatio, ſicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitam in medicato; ita ſpiritualis ſpiritualem. Et ita hoc ſacramentum non datur contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur (ſcilicet peccatum originale & mortale) ſed contra illos defectus quibus homo ſpiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ: & hic defectus nihil eſt aliud quàm quædam debilitas & ineptitudo quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali: & contra hanc debilitatē homo roboratur per hoc ſacramentum.

Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideo ex conſequenti ſi inuenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis: ſicut etiam in Euchariſtia, & Confirmatione ſupra dictum eſt: & ideo etiam Iacobus de remiſſione peccati non conditionaliter loquitur dicens, *ſi in peccatis ſit, dimittentur ei* (quoad culpam) non enim ſemper delet peccatum, quia non ſemper inuenit. Sed ſemper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt. 4. *ſent. d. 23. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 1. in corp.*

Qu. 25. an & quomodo Extrema-Vnctio remittat peccata quoad tria, ſcilicet maculam, reatum pœnæ, & peccati reliquias.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Extrema-Vnctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum: quamuis enim culpa quoad maculam ſine contritione non dimittatur, tamen hoc ſacramentum per gratiam quam infundit, facit quòd ille motus liberi arbitrij in peccatum ſit contritio; ſicut etiam in Euchariſtia & Confirmatione poteſt accidere: ſimiliter etiam & reatum pœnæ temporalis dimittit, ſed ex conſequenti, in quantum debilitatem tollit; quia eandem pœnam leuiùs portat fortis quàm debilis: vnde non oportet quòd propter hoc minuatur ſatisfactionis menſura. Reliquiæ autem peccati non dicuntur hîc diſpoſitiones ex actibus relictæ, quæ ſunt quidam habitus inchoati; ſed quædam ſpiritualis debilitas in ipſa mente exiſtens, quâ ſublatâ (etiam eiſdem habitibus vel diſpoſitionibus manentibus) non ita poteſt inclinari mens ad peccata. *ibidem ad 2.*

Quær. 26. an & quando Extrema-Vnctio cauſet corporalem ſanitatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut baptiſmus per ablutionem corporalem facit ſpiritualem emundationem à maculis ſpiritualibus, ita hoc ſacramentum per medicationem ſacramentalem exteriorem facit ſanationem interiorem: & ſicut ablutio baptiſmi habet effectum corporalis ablutionis quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam Extrema-Vnctio habet effectum corporalis medicationis, ſcilicet corporalem ſanationem. Sed hæc eſt differentia: quia corporalis ablutio ex

ipſa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem,& ideo ſemper eam facit: ſed Extrema-Vnctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute diuina, quæ operatur rationabiliter: & quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundùm quòd expedit ad principalem: ideo ex hoc ſacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper; ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem: & tunc ſemper eam inducit; dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis. 4. *ſent. d. 23. q. 1. art. 2. quaſtiunc. 2. in corp. 4. contra gentes cap. 73.*

Quær. 27. vtrum huius ſacramenti effectus impediatur per fictionem.

Reſp. D. Thomas, impeditur huius ſacramenti effectus per fictionem ſuſcipientis, ſicut contingit & in aliis ſacramentis. 4. *contra gentes cap. 73.*

Qu. 28. an & quomodo ſacramentum iſtud ſicut & alia producunt ſuum effectum recedente fictione.

Reſp. v. fictio *qu.* 7.

Quær. 29. quomodo ſit intelligendum illud quod ait Magiſter ſententiarum, ſi ex contemptu, vel negligentia ſacramentum hoc prætermittitur, periculoſum eſt, & damnabile.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd hoc magis accipiendum eſt copulatiuè quàm disiunctiuè: non enim quælibet negligentia, ſed ex contemptu procedens, vel contemptum inducens, damnabilis eſt. 4. *ſent. d. 23. in expoſitione textus.*

Qu. 30. quomo extrema vnctio eſt vltimum Sacramentum, & conſummatiuum totius curationis qua homo præparatur ad gloriam.

Reſp. D. Thomas, infirmitates ſpirituales per pœnitentiam ſunt curandæ prout pœnitens per opera virtutis quibus ſatisfaciendo vtitur à malis retrahitur, & ad bonum inclinatur. Sed quia homo vel per negligentiam aut per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis breuitatem, aut propter alia huiuſmodi prædictos effectus in ſe perfectè non curat: ſalubriter ei prouidetur, vt per hoc ſacramentum prædicta curatio compleatur, & à reatu pœnæ temporalis liberetur: vt ſic nihil in eo remaneat quod in exitu animæ à corpore eum poſſit à perceptione gloriæ impedire: Et ideo Iacobus addit: *& alleuiabit eum Dominus.* contingit etiam quòd homo omnium peccatorum quæ commiſit, notitiam vel memoriam non habet, vt poſſit per pœnitentiam ſingula expurgare: ſunt etiam quotidiana peccata ſine quibus præſens vita non agitur, à quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc ſacramentum emundari, vt nihil inueniatur in eo quod perceptioni gloriæ repugnet: & ideo addit Iacobus: quòd *ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Vnde manifeſtum eſt quòd hoc Sacramentum eſt vltimum & quodammodo conſummatiuum totius ſpiritualis curationis: quo homo quaſi ad participandam gloriam præparatur:

vnde & Extrema-Vnctio nuncupatur. 4. *contra gentes cap.* 73.

VOLVNTAS.

Qu. 1. an & quomodo debemus voluntatem noſtram conformare voluntati diuinæ, iuxta illud Pſal. 32. rectos decet collaudatio: vbi dicit gloſſa: Rectum cor habet qui vult quod Deus vult.

RESp. D. Thomas, dicendũ quòd voluntas fertur in ſuum obiectum ſecundùm quòd à ratione proponitur. Contingit autem aliquid à ratione conſiderari diuerſimodè ita quòd ſub vnâ ratione eſt bonum, & ſecundùm aliã rationem non bonũ: & ita ſi volũtas alicuius velit illud eſſe ſecundùm quod habet rationem boni, eſt bona: & voluntas alterius ſi velit illud idem non eſſe ſecundùm quòd habet rationem mali, erit voluntas etiam bona: ſicut Iudex habet bonam voluntatem dum vult occiſionem latronis quia iuſta eſt: voluntas autem alterius, , putà vxoris vel filij, qui vult non occidi ipſum inquantum eſt ſecundùm naturam mala occiſio, eſt etiam bona. Cùm autem voluntas ſequatur apprehenſionem rationis vel intellectus, ſecundùm quòd ratio boni apprehenſi fuerit communior, ſecundùm hoc & voluntas fertur in bonum communius: ſicut patet in exemplo propoſito: nam Iudex habet curam boni communis quod eſt iuſtitia, & ideo vult occiſionem latronis, quæ habet rationem boni ſecundùm relationem ad ſtatum communem: vxor autem latronis conſiderare habet bonum priuatum familiæ & ſecundùm hoc vult maritum latronem non occidi: bonum autem autem totius vniuerſi eſt id quod eſt apprehenſum à Deo, qui eſt vniuerſi factor & gubernator: vnde quidquid vult vult ſub ratione boni communis, quod eſt ſua bonitas, quæ eſt bonum totius vniuerſi: Apprehenſio autem creaturæ ſecundùm ſuam naturam eſt alicuius boni particularis proportionati ſuæ naturæ: Contingit autem aliquid eſſe bonum ſecundùm rationem particularem, quod non eſt bonum ſecundùm rationem vniuerſalem: aut è conuerſo, vt dictum eſt: & ideo contingit quòd aliqua voluntas eſt bona, volens aliquid ſecundùm rationem particularem conſideratum, quod tamen Deus non vult ſecundùm rationem vniuerſalem, & è conuerſo: & inde eſt etiam quòd poſſunt diuerſæ voluntates diuerſorum hominum circa oppoſita eſſe bonæ, prout ſub diuerſis rationibus particularibus volunt hoc eſſe, vel non eſſe.

Non autem eſt recta voluntas alicuius hominis volentis aliquod bonum particulare niſi referat illud in bonum commune ſicut in finem: cùm etiam naturalis appetitus cuiuſlibet partis ordinetur in bonum commune totius: ex fine autem ſumitur quaſi formalis ratio volendi illud quod ad finem ordinatur: vnde ad hoc quòd aliquis rectâ voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quòd illud particulare bonum ſit volitum materialiter: bonum autem commune diuinum ſit volitum formaliter.

Voluntas igitur humana tenetur conformari diuinæ voluntati in volito formaliter: ſed non mate-

rialiter. Sed tamen quantùm ad vtrumque aliquo modo voluntas humana conformatur voluntati diuinæ: quia ſecundùm quòd conformatur voluntati diuinæ: in communi ratione voliti, conformatur ei in fine vltimo: ſecundùm autem quòd non conformatur ei in volito materialiter, conformatur ei ſecundùm rationem cauſæ efficientis: quia hanc propriam inclinationem conſequentem naturam vel apprehenſionem particularem huius rei habet res à Deo, ſicut à cauſa effectiua. Vnde conſueuit dici quòd conformatur quantùm ad hoc voluntas hominis voluntati diuinæ: quia vult hoc quod Deus vult eum velle. 1. 2. *q. 19. a. 10. in corp. 1. ſent. d. 48. q. 1. a. 4. in corp. 1. ad hann. d. 48. a. 2. q. 23. de verit. q. 1. a. 4. qu. 23. de verit. a. 7. & 8. & opuſc. 7. q 87.*

Qu. 2. quomodo in afflictionibus ſufficit non recalcitrare diuinæ voluntati: nec ſit neceſſe gaudium experiri de ipſius executione.

Reſp. D. Thomas, ſi apprehendatur aliquid eſſe volitum à Deo (quod præcipuè per ſignum operationis manifeſtatur) voluntas deliberata, quæ ſequitur rationem prout eſt apprehendens & conferens de iſta ratione bonitatis, tenetur aliquid velle; quamuis voluntas naturalis & appetitus ſenſitiuus refugiant; & in refugiendo voluntati diuinæ conformantur: inquantum tendunt in bonum ſecundùm rationem apprehenſum; ſicut eſt in illo qui piè dolet de morte patris, vel alicuius vtilis in Eccleſia.

Sciendum tamen, quòd in talibus motus voluntatis deliberatæ in peccatoribus eſt corruptus, qui ex toto relinquunt deliberationem rationis, & ſequuntur impetum voluntatis naturalis, & ſenſitiuæ, murmurantes de Dei ordinatione. In iuſtis verò viatoribus manet quidem integer, ſed imperfectus dupliciter: tum ex parte cognitionis; quia non plenè voluntatem diuinam cognoſcit: tùm ex parte affectionis; quia retardatur ex motibus inferioribus: vnde in talibus ſufficit non recalcitrare diuinæ ordinationi: nec oportet gaudium experiri de hoc quod ſecundùm illius voluntatem fit, ſicut etiam dicit Philoſophus in 3. Eth. quòd *ſufficit fortem non triſtari in periculo mortis; quamuis non gaudeat. 1. ſent. d. 48. a. 4. in corp p. 1. quæſt. 19. art. 10. qu. 23. de ver. a. 8.*

Quær. 3. an ſi Deus reuelaret alicui ſuam reprobationem, teneretur conformare ſe diuinæ voluntati.

Reſp. v. Reuelatio.

Qu. 4. vtrum actus exterior aliquid addat de bonitate, vel malitia ſuper actum interiorem voluntatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi loquamur de bonitate exterioris actùs quam habet ex bonitate finis: tunc actus exterior nihil addit ad bonitatem, niſi contingat ipſam voluntatem ſecundùm ſe fieri meliorem in bonis, vel peiorem in malis: quod quidem videtur poſſe contingere tripliciter. Vno modo ſecundùm numerum, puta cùm aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo & tunc quidem non facit, poſt mo-

modum autem vult, & facit, duplicatur actus voluntatis: & ſic fit duplex bonum, vel duplex malum. Alio modo quantùm ad extenſionem; putà cùm aliquis vult facere aliquid bono fine, vel malo, & propter aliquod impedimentum deſiſtit; alius autem continuat motum voluntatis quouſque opus perficiat: manifeſtum eſt quòd huiuſmodi voluntas eſt diuturnior in bono vel malo, & ſecundùm hoc eſt peior vel melior. Tertiò ſecundùm intenſionem: ſunt enim quidam actus exteriores, qui inquantum ſunt delectabiles vel pœnoſi, nati ſunt intendere voluntatem vel remittere: conſtat autem quòd quantò voluntas intenſiùs tendit in bonum vel malum, tantò eſt melior vel peior.

Si autem loquamur de bonitate actûs exterioris quam habet ſecundùm materiam & debitas circunſtantias, ſic comparatur ad voluntatem vt terminus & finis: & hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis; quia omnis inclinatio vel motus perficitur in hoc quòd conſequitur finem vel attingit terminum: vnde non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis quæ opportunitate datâ operetur: Si verò poſſibilitas deſit, voluntate exiſtente perfectâ, vt operaretur ſi poſſet, defectus perfectionis quæ eſt ex actu exteriori, eſt ſimpliciter inuoluntarius: inuoluntarium autem ſicut non meretur pœnam vel præmium, in operando bonum aut malum; ita non tollit aliquid de præmio vel de pœna, ſi homo inuoluntariè deficiat ad faciendum bonum vel malum. *p.2.q.20.a.4. in corp. qu.2. de malo a. 2. ad 8.*

Qu. 5. an ſoli bonæ voluntati correſpondeat præmium eſſentiale, actibus verò exterioribus accidentale.

Reſp. D. Thomas, ad præmium eſſentiale ordinatur actus per bonitatem, quam habet à voluntate, prout ex liberalitate redditur & ex amore; ideo actus exterior nihil adiungit ad præmium eſſentiale: tantùm enim meretur, qui habet perfectam voluntatem aliquid faciendi, quantùm ſi faceret illud; & qui facit vnum actum, quantùm ſi faceret multos; voluntate æqualiter perfectà manente.

Ad præmium autem accidentale ordinatur per bonitatem, quæ eſt ipſius actûs exterioris ſecundùm ſe: & ideo actus exterior adiungit aliquid ad præmium accidentale. *2. ſ.d.40.q.1. a.3. in corp.*

Qu. 6. an ſola voluntas martyrij ſufficiat ad obtinendum præmium martyrum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quidam actus ſunt, qui in ipſo actu habent quandam vehementiam delectationis, vel difficultatis, & in talibus actus ſemper addit ad rationem meriti vel demeriti, ſecundùm quòd in actu oportet voluntatem variari ex vehementia actûs à ſtatu, in quo priùs erat: & ideo cæteris paribus actu luxuriam exercens plus peccat, quàm qui ſolùm in actum conſentit; quia in ipſo actu voluntas augetur.

Similiter cùm actus martyrij maximam difficultatem habeat, voluntas martyrii non pertingit ad illud meritum, quod actui mar-

Digitized by Google

plus ſatisfaciebant; vel etiam miniſtros templi plus ad orandum pro ſe prouocabant, vel quidquid huiuſmodi eſt, quod actum exteriorem ſecundùm ſe ſequitur. *Ibidem ad 5.*

Qu. 11. quomodo intelligi debeat D. Chryſoſtomus ſuper Matth. dicens, voluntas eſt, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Chryſoſt. loquitur, quando voluntas hominis eſt conſummata, & non ceſſatur ab actu niſi propter impotentiam faciendi. *1. 2. q. 20. a. 4. ad 1.*

Qu. 12. an & quomodo ex bonitate intentionis & voluntatis iudicentur opera.

Reſp. v. intentio.

Qu. 13. an & quomodo voluntas rationi concordans vel diſcordans, ſit bona vel mala.

Reſp. ſupra v. conſcientia.

VOTVM.

Qu. 1. quid ſit votum, & quanam exigat ex neceſſitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum quandam obligationem importat ad aliquid faciendum vel dimittendum. Obligat autem homo ſe homini ad aliquid per modum promiſſionis, quæ eſt rationis actus, ad quam pertinet ordinare: ſicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo quid ſibi ab alijs fiat; ita promittendo ordinat quid ipſe pro alio facere debeat: ſed promiſſio quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri niſi per verba vel quæcunque exteriora ſigna: Deo autem poteſt fieri promiſſio per ſolam interiorem cogitationem, quia vt dicitur primi Reg. 16. *homines vident ea quæ patent, ſed Deus intuetur cor.* Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora: vel ad ſui ipſius excitationem, ſicut circa orationem dictum eſt: vel etiam ad alios conteſtandum, vt non ſolùm deſiſtant à fractione voti propter timorem Dei, ſed etiam propter reuerentiam hominum: promiſſio autem procedit ex propoſito faciendi: propoſitum autem aliquam deliberationem præexigit, cùm ſit actus voluntatis deliberatæ.

Sic ergo ad votum tria ex neceſſitate requiruntur. Primò quidem, deliberatio: Secundò, propoſitum voluntatis: Tertiò, promiſſio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur verò quandoque & alia duo ad quandam voti confirmationem; ſcilicet pronunciatio oris, ſecundùm illud Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea:* & iterum, teſtimonium aliorum: vnde Magiſter dicit 38. diſt. 4. lib. ſent. Quòd *votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de his quæ ſunt Dei, fieri debet:* quamuis teſtificatio poſſit ad interiorem teſtificationem propriè referri. *2. 2. q. 88. a. 1. in corp. 4. ſent. d. 38. q. 1. q. 1. in corp.*

Qu. 2. quomodo votum poſſit fieri ſanctu, & principaliter referatur ad Deum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum non fit ſanctis niſi ſecundùm quòd per ſuffragia ſunt mediatores inter nos & Deum, ſicut & oratio ad ſanctos fit: & ideo omne votum principaliter ad Deum reducitur, ſicut & oratio. 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 4.

Qu. 3. an votum debeat ſemper fieri de meliori bono, vel poſſit etiam fieri de aliis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum eſt promiſſio Deo facta: promiſſio autem alicuius eſt quod quis pro aliquo voluntariè facit: non enim eſſet promiſſio ſed comminatio, ſi quis diceret ſe contra aliquem facturum: ſimiliter vana eſſet promiſſio, ſi aliquis alicui promitteret id quod ei non eſſet acceptum. Et ideo cùm omne peccatum ſit contra Deum, nec aliquod opus ſit Deo acceptum, niſi ſit virtuoſum, conſequens eſt quòd de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum; ſed ſolùm de aliquo actu virtutis.

Sed quia votum promiſſionem voluntariam importat: neceſſitas autem voluntariam excludit, id quod eſt abſolutè neceſſarium eſſe vel non eſſe, nullo modo ſub voto cadit: ſtultum enim eſſet, ſi quis voueret ſe eſſe moriturum, vel ſe non eſſe volaturum. Illud verò quòd non habet abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis (putà quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus) cadit quidem ſub voto, inquantum voluntariè fit, non autem inquantum eſt neceſſitatis: Illud autem quod neque cadit ſub neceſſitate finis, omnino eſt voluntarium: Et ideo hoc propriiſſimè cadit ſub voto: Hoc autem dicitur eſſe maius bonum in comparatione ad bonum quod communiter eſt de neceſſitate ſalutis: ideo propriè loquendo, votum dicitur de meliori bono. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. *in corp.* 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 2. *in corp.*

Qu. 4. an vota quæ vergunt in periculum perſonæ, vel ſunt de rebus indifferentibus & ad nihil valentibus ſint obſeruanda.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd maceratio proprij corporis (putà per vigilias, & ieiunia) non eſt Deo accepta, niſi inquantum eſt opus virtutis: Quod quidem eſt, inquantum cum debita diſcretione fit; vt ſcilicet concupiſcentia refrænetur, & natura non nimis grauetur: & ſub tali tenore poſſunt huiuſmodi ſub voto cadere, propter quod & Apoſtolus Rom. 12. Poſtquam dixerat, *exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*, addidit, *rationabile obſequium veſtrum*.

Sed quia in his, quæ ad ſeipſum pertinent, de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentiùs ſecundùm arbitrium ſuperioris ſunt vel ſeruanda vel prætermittenda; ita tamen quòd ſi ex obſeruatione talis voti magnum, & manifeſtum grauamen ſentiret, & non eſſet facultas ad ſuperiorem recurrendi, non debet homo tale votum ſeruire. Vota vero quæ ſunt de rebus vanis & inutilibus ſunt magis deridenda quàm ſeruanda. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. *ad* 2. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *quæſt.*

Qu. 5. an poſſit ſecurè frangi votum, quod ex infirmitate vel paupertate redundat in periculum perſonæ, ſicut votum abſtinendi à cibo duobus vel tribus diebus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in periculum perſonæ vergens votum non eſt ſeruandum, quia nullus poteſt aliquid vouere in periculum perſonæ ſuæ; & ideo tutum eſt quòd in talibus quæratur diſpenſatio ſuperioris: ſi tamen eam non daret, & periculum immineret, poſſet ſecurè frangere votum. Poſſet autem periculum imminere vel ex infirmitate, vel ex paupertate; vt ſi non habeat aliud ad comedendum quàm illud à quo nouit abſtinere. 4. *ſent. d. 36. quæſt. 1. a. 1. quæſtiunc. 2. ad 4.*

Qu. 6. an peccent mulieres quæ faciunt votum non pectinendi caput tali vel tali die.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd talia vota mulierum ſunt ſortilegia magis, quàm vota, ſunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, ſecundùm quam obſeruantur dies, & menſes: Et ideo pro non votis habenda ſunt: & peccant talia vouentes: quia vt Hieronymus dicit, *cum infidelibus etiam nec nomina habere debemus communia. 4. ſent. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 2. ad. 2.*

Qu. 7. vtrum omne votum ad ſui obſeruationem obliget, iuxta illud Eccleſiaſtæ 5. quodcunque voueris, redde: multòque melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere: & quomodo fractio voti ſit infidelitatis ſpecies.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ad fidelitatem hominis pertinet, vt ſoluat id quod promiſit, vnde ſecundùm Auguſtinum lib. de mendacio, *Fides dicitur ex hoc quòd fiunt dicta:* maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij ſuſcepti: Et ideo maximè obligatur homo ad hoc quòd impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo: Fractio autem voti eſt quædam infidelitatis ſpecies, vnde Salomon rationem aſſignat, quare ſint vota reddenda, quia *diſplicet Deo infidelis promiſſio. 2. 2. q. 88. a. 3. in corp. 4. ſent. d. 38. quæſt. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. in corp. quodlibeto 3. a. 12.*

Qu. 8. an & quando votum ſit ſtatim adimplendum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio voti ex propria voluntate & intentione cauſatur: vnde dicitur Deuter. 23. *Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis obſeruabis; & facies ſicut promiſiſti domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es:* Et ideo ſi in intentione, & voluntate vouentis eſt obligare ſe ad ſtatim ſoluendum, tenetur ſtatim ſoluere, ſi autem ad certum tempus, vel ſub certa conditione, non ſtatim tenetur ſoluere, ſed nec debet tardare vltra quàm intendit ſe obligare: dicitur enim ibidem, *cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 2. 2. qu. 88. art. 3. ad 2. 4. ſent. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 4. & 7.*

Digitized by Google

Qu. 9. an ille qui nouit religionem, ſi non poſſit in vna recipi, teneatur alteram ingredi: Et vtrum ille qui dubitat quomodo votum fecerit, teneatur tutiorem partem eligere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd obligatio voti ex propria voluntate cauſatur: vnde ſi in vouendo priùs cogitauit de religionem intrando, & poſtea elegit talem religionem, vel talem locum, obligatur ſimpliciter ad religionem: vnde ſi non poteſt in illa quam elegit recipi, debet aliam quærere: Si autem primò & principaliter cogitauit de tali religione, vel tali loco, in voto eius intelligitur hæc conditio, ſi illi volunt eum recipere; aliàs eſſet indiſcretum votum: vnde conditione non extante non obligatur: ſi autem dubitet quomodo ſe in vouendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne ſe diſcrimini committat. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *qu.* 1. *ad* 6. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 2. 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 10. an votum ſit adimplendum vel ex toto, vel ſaltem ex parte, ſi fieri poteſt, vt ſi quis vouit ædificare Eccleſiam, & non poteſt totam, teneatur ad partem; & ſi qua vouit virginitatem, & eam poſtea perdidit, teneatur ad continentiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illud quod votum fiendum impediret, ſi præſens eſſet, etiam voto facto obligationem aufert: vnde cùm de impoſſibili non poſſit eſſe votum, ſi aliquid fiat impoſſibile poſt voti emiſſionem, quod prius erat poſſibile, obligatio voti quantùm ad illud tollitur: vt ſi quis diues vouerit ædificare Eccleſiam, quod poſtmodum perficere non poſſit paupertate ſuperueniente, non obligatur ex voto ad implendum: ſed tamen in in hoc diſtinguendum eſt dupliciter: vno modo, quia vel omnino factus eſt impotens: & tunc non tenetur ſimpliciter ad hoc quod vouit: vel eſt factus impotens ad totum perficiendum, quamuis non ad partem: & tunc ad illud quod poteſt remanet obligatus.

Alio modo diſtinguendum eſt, vtrum ex ſua culpa impotentiam incurrerit; quia tunc oportet recompenſare per pœnitentiam; vel non ex culpa ſua, & tunc non tenetur ad aliquam recompenſationem. Illa ergo quæ virginitatem vouit, ſi corrupta eſt, quamuis non poſſet virginitatem reddere, tamen poteſt reddere continentiam; & ad hoc remanet obligata, & vlteriùs ad pœnitentiæ lamētum, per quod virginitatem amiſſam Deo recompenſet, quod quidem etſi non ſit æquiualens ſimpliciter, eſt tamen æquiualens quantùm ad reputationem Dei, qui non exigit ab homine vltra poſſe. 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 1. 4. *ad hann. d.* 38. *a.* 1. 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *ad* 2.

Qu. 11. cur votum ſolemne magis obliget, quàm votum ſimplex: & vtrum tranſgreſſio vtriuſque ſit peccatum mortale.

Reſp. D. Thomas, votum ſolemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum ſimplex: & grauiùs peccat qui illud tranſgreditur. Quod autem

dicitur, quòd votum ſimplex non minus obligat apud Deum quàm ſolemne, intelligendum eſt quantùm ad hoc quòd vtriuſque tranſgreſſor peccat mortaliter. 2. 2. *q.* 88. *a.* 8. *ad* 1. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a. quæſt.* 2. *ad* 3.

Qu.* 12. *an votum ſit ad implendum, quando ipſius materia vel eſt, vel poſtea redditur illicita, vel minus bona.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut iuramentum quod vergit in deteriorem exitum, non eſt ſeruandum, ita nec votum: vnde Iſidorus dicit, *in turpi voto muta decretum*: quia uotum non extendit ſe ad illicita, vel minus bona vt dictum eſt. Nec differt vtrum tunc fuerit illicitum, quando votum emiſſum eſt; vel poſtmodum illicitum fiat. 4. *ſent. d.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 3.

Qu.* 13. *an qui vouit ſtatim ingredi religionem, poſſit differre vt ſoluat debita: & quid agere debeat ſi timet perpetuum impedimentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi quando quis vouit, putà ſe intraturum religionem, intendebat ſe ad ſtatim obligare, vel ad arbitrium alienum, non poteſt vlterius differre etiam propter debita ſoluenda: ſed ille qui eum recipit, tenetur ea perſoluere: ſi tamen in vouendo de debitis cogitabat, probabiliter præſumi poteſt, quòd non intendebat ſe obligare antequam de rebus ſuis diſpoſuiſſet. Quando autem timet rationabiliter perpetuum impedimentum, tenetur vlterius non differre. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *qu.* 1. *ad* 7.

Qu.* 14. *cur illi qui ſunt alterius poteſtati ſubditi, non poſſunt vouere ſine ipſius conſenſu, ſicut dicitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, votum eſt promiſſio quædam Deo facta: nullus autem poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius: ſed ſolùm ad id, quod eſt omninò in ſua poteſtate: quicunque autem eſt ſubiectus alicui quantùm ad id, in quo eſt ſubiectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere, quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius: & ideo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubijcitur, ſine conſenſu ſui ſuperioris. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *in corp.* 4. *ad Hann. d.* 38. *a.* 1.

Qu.* 15. *an religioſus poſſit vouere aliquid ſine conſenſu Prælati: vel puella ſine conſenſu patris: aut vxor ſi te conſenſu viri.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd religioſus ſubditus eſt prælato quantùm ad ſuas operationes ſecundùm profeſſionem regulæ: & ideo etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur à prælato: quia tamen nullum tempus eſt exceptum, in quo prælatus non poſſit eum circa aliud occupare, nullum votum religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu prælati.

Sicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris. Nec vxoris, niſi ſit de conſenſu viri. 2. 2. *q.* 88. *a.* 8. *ad* 3.

Digitized by Google

3.4.ſe 11.d.38 .qu.1.a.1.quaſt.3.ad 3.

Qu. 16. cur ſicut ſeruus non poteſt votum aliquod facere ſine conſenſu ſuperioris, ita nec religioſus.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis religioſus non teneatur ad obediendum in omnibus quæ ei poſſent imperari, tamen tenetur ad obediendum quantùm ad omne tempus de his quæ ipſi imperari poſſent; ſicut & ſeruus non eſt exemptus aliquo tempore à ſeruitio Domini ſui; & ideo nullum tempus eſt eis vacans, quo poſſint quodlibet facere: & quia omne votum eſt aliquo tempore complendum, ideo ſicut nec ſeruus, ita nec religioſus aliquod votum emittere poteſt ſine conſenſu ſui ſuperioris. *4.ſ.d.38.q.1. a.1.q.3.ad 3.*

Qu. 17. an ſicut vouere non poſſunt illi qui ſunt ſub alterius poteſtate, ita nec etiam illi qui carent vſu rationis, nec pueri ante annos pubertatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd votum non poteſt emitti ab aliquo, niſi de his quæ ſubiacent voluntati eius; & ideo ille qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus, quantùm ad ea in quibus ei ſubiacet, vouere non poteſt; quia talia non ſubiacent eius voluntati. Similiter etiam illi qui non habent vſum liberi arbitrii, ſicut aliqui qui non ſunt ſanæ mentis, vouere non poſſunt, nec etiam pueri ante annos pubertatis. *4.ſ.d. 38.q.1.a 1.q.3.in corp.*

Qu. 18. vtrum inferiores dum vouent eximantur à peccato, ex hoc quòd ſubintelligitur iſta conditio, ſi ſuperioribus placeat, vel ſi non contradicant.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd licèt votum eorum, qui ſunt alterius poteſtati ſubditi, non ſit firmum ſine conſenſu eorum quibus ſubijciuntur: non tamen peccant vouendo: quia in eorum voto intelligitur debita conditio, ſcilicet ſi ſuis ſuperioribus placuerit, vel non renitantur. *2.2. qu. 88. ar. 8. ad 4.*

Qu. 19. an filii vel ſerui poſſint aliquid vouere ſine conſenſu parentum, vel Dominorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis, quantùm ad ea quæ pertinent ad ſuam perſonam: putà quòd obliget ſe religioni per votum: vel quòd matrimonium contrahat: non autem eſt ſuæ poteſtatis quantùm ad diſpenſationem domeſticam: vnde circa hoc non poteſt aliquid vouere, quod ſit ratum ſine conſenſu patris.

Seruus autem, quia eſt in poteſtate domini etiam quantùm ad perſonales operationes, non poteſt ſe voto obligare ad religionem per quam ab obſequio Domini ſui abſtraheretur. *2.2.quaſt. 88. ar.8.ad 2.*

Qu. 20. an coniuges aliquid vouere poſſint ſine mutuo conſenſu.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in his, in quibus vxor viro

tenetur, & è conuerſo, neuter poteſt vouere ſine mutuo conſenſu, ſicut patet de voto continentiæ: ſed quia in diſpenſatione domûs, & regimine vitæ mulier eſt ſubiecta viro, & non è conuerſo: ideo vir poteſt in talibus vouere ſine conſenſu vxoris, ſed non è conuerſo. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *quæſtiunc.* 3. *ad* 4.

Qu. 21. *an & quomodo coniuges votum facere poſſint circa coniugale debitum.*

Reſp. v. debitum coniugale *qu* 16. *& quatuor ſequent.*

Qu. 22. *an religioſi teneantur obſeruare vota facta ante ingreſſum religionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd omnia alia vota ſunt quorundam particularium operum, ſed per religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat: particulare autem in vniuerſali includitur: Et ideo decretalis dicit, quòd *reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam religionis obſeruantiam commutat.* Nec religionem ingrediens tenetur implere vota, vel ieiuniorum, vel orationum, vel aliorum huiuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit: quia religionem ingrediens moritur priori vitæ: & etiam ſingulares obſeruantiæ religioni non competunt: & religionis onus ſatis hominem onerat, vt ſuperaddere non oporteat. 2, 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *ad* 1.

Qu. 23. *an religioſi ſita ſit à prædictis votis abſoluti, vt non requiratur diſpenſatio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia per introitum religionis homo moritur priori vitæ, ideo illa vota quæ vouit in ſæculari vita explenda, non tenetur exoluere ex quo religionem intrat; & præcipuè quia ſingularitas in Religionibus eſt periculoſa; & onus religionis adeo grauat, quòd non manet eadem facilitas ad obſeruandum votum, quæ in ſæculari vita erat. Tamen quidam dicunt quòd debet Prælato ſuo exponere, & ille penſatis conditionibus perſonæ, & voti, poterit cum eo diſpenſare: ſed ſecundùm alios hoc non exigitur; quia ex ipſa vi voti religionis à peioribus votis eſt abſolutus, rationibus dictis. 4. *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 4. *ad* 2.

Qu. 24. *quomodo Religioſi obligentur ad vota quæ ipſam Religionem concernunt.*

Reſp. ſupra v. Religio *qu.* 6. 7. 8. 9. 10. 12. 17. 18. 19. 20. 26. 29. 30. 32. 59. 60. *&* 64.

Qu. 25. *vtrum in voto poſſit & debeat quandoque diſpenſari: & in quo differat diſpenſatio à commutatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd diſpenſatio voti intelligenda eſt ad modum diſpenſationis, quæ fit in obſeruantia alicuius legis: quia lex ponitur reſpiciendo ad id quod eſt vt in pluribus bonum; ſed quia contingit huiuſmodi in aliquo caſu non eſſe bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari caſu legem non eſſe ſeruandam: & hoc propriè eſt diſpenſare in lege; nam diſpenſatio

videtur importare quandam commenſuratam diſtributionem vel applicationem communis alicuius ad ea quæ ſub ipſo continentur, per quem modum dicitur aliquis diſpenſare cibum familiæ.

Similiter autem ille qui vouet, quodammodo ſibi ſtatuit legem, obligans ſe ad aliquid quod eſt ſecundùm ſe, & vt in pluribus bonum. Poteſt tamen contingere, quòd in aliquo caſu ſit, vel ſimpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, quod eſt contra rationem eius, quod cadit ſub voto: & ideo neceſſe eſt quòd determinetur in tali caſu votum non eſſe ſeruandum.

Et ſi quidem abſolutè determinetur aliquod votum non eſſe ſeruandum, dicitur eſſe diſpenſatio voti: ſi autem pro hoc quod ſeruandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti: vnde minus eſt votum commutare, quàm in voto diſpenſare: vtrumque tamen in poteſtate Eccleſiæ conſiſtit. 2. 2. *q.* 88. *a.* 10. *in corp.* 4 *ſ. d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *quæſt.* 1. *in corp.*

Qu. 26. an per votum fieri poſſit præiudicium authoritati ſuperioris, itaut in eo diſpenſare non poſſit.

Reſp. D. Thomas, votum de illicito eſſe non poteſt, non autem licet ſubtrahere alicui quod ei debetur, ideo per votum alicuius non poteſt fieri præiudicium ſuo prælato, quin debeat eius mandatis parere cùm fuerit opportunum: vnde ſi prælatus videat expedire aliquâ rationabili causâ, vel propter ipſum qui vouit, vel propter alios, quòd votum non ſeruet, poteſt eum ab obſeruatione voti deobligare, qui aliàs de iure obligatus erat. 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *qu.* 1. *in corp.*

Qu. 27. cur in voto ſolemni caſtitatis nequidem ſummus Pontifex diſpenſare poteſt, ſicut dicitur in Decret. extra de ſtatu Mon. abdicatio proprietatis, ſicut etiam cuſtodia caſtitatis, adeo annexa eſt Regulæ Monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut habetur Leuit. vltimo, illud quod ſemel ſanctificatum eſt domino, non poteſt in alios vſus commutari: non autem poteſt facere aliquis Eccleſiæ Prælatus, vt id quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis; putà quòd calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer: vnde multò minùs poteſt hoc facere aliquis Prælatus, vt homo Deo conſecratus, quamdiu viuit, conſecratus eſſe deſiſtat: ſolemnitas autem voti conſiſtit in quadam conſecratione ſeu benedictione vouentis: & ideo non poteſt fieri per aliquem Prælatum Eccleſiæ, quòd ille qui votum ſolemne emiſit, deſiſtat ab eo ad quod eſt conſecratus: putà quòd ille qui eſt ſacerdos, non ſit ſacerdos: licèt poſſit Prælatus ob aliquam cauſam executionem ordinis inhibere. Et ſimili ratione Papa non poteſt facere, quòd ille, qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus: licèt quidam Iuriſtæ ignoranter contrarium dicant.

Eſt ergo conſiderandum, vtrum continentia ſit eſſentialiter anne-

xa ei ad quod votum ſolemnizatur: quia ſi non eſt eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolemnitas conſecrationis ſine debito continentiæ: quod non poteſt contingere: ſi ſit eſſentialiter annexum: ei ad quod votum ſolemnizatur non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ ordini ſacro; ſed ex ſtatuto Eccleſiæ: Vnde videtur quòd per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri ordinis. Eſt autem debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis, per quem homo abrenunciat ſæculo, totaliter Dei ſeruitio mancipatus: quod non poteſt ſimul ſtare cum matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum quæ ad hoc requiruntur: vnde Apoſtol. dicit primæ ad Corint. quòd *qui eſt cum vxore, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt:* Vnde nomen Monachi ab vnitate ſumitur per oppoſitum ad diuiſionem prædictam. Et ideo in voto ſolemnizato per profeſſionem religionis, non poteſt per Eccleſiam diſpenſari. Et rationem aſſignat decretalis: quia *caſtitas eſt annexa regulæ monachali.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *in corp.*

Qu. 28. *an poſſit diſpenſari in huiuſmodi voto quando per matrimonium talium perſonarum poſſet pax patriæ procurari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd periculis rerum humanarum eſt obuiandum per res humanas, non autem per hoc quòd res diuinæ conuertantur in vſum humanum. Profeſſi autem religionem mortui ſunt mundo, & viuunt Deo: vnde non ſunt reuocandi ad vitam humanam occaſione cuiuſcũque euentûs. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. *ad* 1.

Oppoſitam ſententiam, nempe quòd ſi communis vtilitas Eccleſiæ, aut vnius Regni, vel Prouinciæ expoſceret, poſſet conuenienter & in voto continentiæ, & in voto Religionis diſpenſari, quantumcunque eſſet ſolemnizatum, ſub his expreſſis terminis probabiliorem eſſe dixit idem Angelicus Doctor eamque vt talem docuit in primo ſcripto ſuper ſent. lib. 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *qu.* 11. *ad* 3. *Vtramque autem ſententiam, & negatiuam & affirmatiuam refert, & neutram reiicit, in altero ſentent. ſcripto, ſiue ad hann.* 1. 4. *d.* 38. *a.* 2. *ad* 2.

Qu. 29. *vtrum ille qui votum fecit poſſit abſque diſpenſatione alium loco ſui ſubſtituere.*

Reſp. D. Thomas, ſi aliquis vouet religionem intrare, non poteſt alium ponere loco ſui in religione. Similiter etiam ſi vouet ire in terram ſanctam, non poteſt alium loco ſui mittere, niſi per diſpenſationem ſuperioris. Secus autem eſt in aliis votis, in quibus perſona determinata non deſtinatur ad ſpecialem cultum Dei. 4. *ſent. d.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 3. *ad* 1.

Qu. 30. *vtrum ad commutationem vel diſpenſationem votorum requiratur Prælati authoritas: & quid in eis intendi debeat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum

quòd ſicut dictum eſt, votum eſt promiſſio Deo facta de aliquo quod ſit Deo acceptum: quid ſit autem in aliqua promiſſione acceptum ei cui promittitur, ex eius pendet arbitrio: Prælatus autem in Eccleſia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione, vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati authoritas, quæ in perſona Dei determinat, quid ſit Deo acceptum, ſecundùm illud ſecundæ ad Corinth. 2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos, in perſona Chriſti.* Et ſignanter dicit propter vos: quia omnis diſpenſatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cuius perſona diſpenſat; vel ad vtilitatem Eccleſiæ, quæ eſt eius corpus. *2.2.quæſt.* 88. *art.12.in corp.*

Qu. 31. in quibus votis ſummus Pontifex, vel etiam alii Prælati diſpenſare poſſint.

Reſp. D. Thomas, quòd plenitudo poteſtatis diſpenſandi reſidet penes ſummum Pontificem: alij autem participant de hac poteſtate, quantùm eis conceſſum eſt: vt quia omnes ad vnum recurrere non poſſunt, per inferiores diſpenſationem recipere poſſint: vnde in votis illis, quæ non de facili diſpenſationem recipiunt, nec frequenter, ſed rarò, ſicut votum religionis, & alia huiuſmodi vota perpetua, ſolus Papa diſpenſare poteſt.

In aliis temporalibus autem votis, ſicut peregrinationum, & ieiuniorum, & huiuſmodi, poſſunt etiam Epiſcopi diſpenſare: niſi aliquod horum ſibi Papa reſeruauerit, ſicut eſt diſpenſatio in voto terræ ſanctæ. 4 *ſent. d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

Qu. 32 cur S. Pontifex diſpenſare poteſt in omnibus votis, alij verò in aliquibus tantùm.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quia ſummus Pontifex gerit plenariè vicem Chriſti in tota Eccleſia, ipſe habet plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in omnibus diſpenſabilibus votis: aliis autem inferioribus Prælatis committitur diſpenſatio in votis quæ communiter fiunt & indigent frequenti diſpenſatione, vt habeant de facili homines ad quem recurrant: ſicut ſunt vota peregrinationum, & ieiuniorum, & aliorum huiuſmodi: Vota verò maiora, putà continentiæ & peregrinationis terræ ſanctæ, reſeruantur ſummo Pontifici. 2. 2. *q.* 88, *a.* 12. *ad* 3.

Qu. 33. an debeat interuenire Prælati authoritas ad commutationem aliorum votorum in votum Religionis, vel minoris voti in aliud maius.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd in commutatione eſt quidam contractus, qui non poteſt perfici ſine conſenſu vtriuſque partis: vnde cùm homo per votum Deo ſe obliget, non poteſt fieri immutatio voti, niſi interueniat conſenſus eius qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati: niſi fortè vnum votum ab alio includatur.

Et quia votum religionis includit omnia alia vota: tum ratione perpetuitatis: tum ratione obedientiæ, quia homo voluntatem ſuam Deo tradit, per quam ſui &

omnium dominus eſſe poteſt: ideo ille, qui aliquod eorum temporale facit, poteſt non requiſitá alicuius Prælati diſpenſatione religionem intrare: non obſtante voto præcedente, quod ingreſſum religionis impediret; putà peregrinationis, vel alicuius huiuſmodi.

Si autem duo temporalia vouit, quorum vtrumque eſt alteri compoſſibile, debet vtrumque ſeruare; niſi fortè authoritate ſuperioris minus votum præcedens in maius ſequens cõmutauerit: ſi autem ſecundũ votum ſit omnino incompoſſibile primo, debet ſeruare maius, & de minori ſecundùm arbitrium Prælati ſatisfacere. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 4. *in corp.*

Qu. 34. *an poſſit diſpenſari in voto ſolemni continentiæ propter periculum mortis: & vtrum poſſit aliquis votum illud facere, licet huiuſmodi periculum prauideat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd bonum continentiæ eſt multò dignius quàm ſalus corporalis: & ideo periculum corporalis mortis non eſt ſufficiens ratio, vt in voto continentiæ diſpenſetur.

Vnde etiam non peccat quis, in tali caſu exiſtens, quòd continentia videretur vergere in periculum perſonæ, ſi continentiam voueat. Præcipuè cùm poſſit illi periculo per alia remedia obuiari. Sicut non peccat, qui propter aliquod opus virtutis ſe mortis periculo exponit. 4. *ſent. d.* 38. *q.* 1. *quæſt.* 1. *a.* 4. *ad* 4.

Quær. 35. *cur poteſt diſpenſari in voto abſtinentiæ quando vergit in periculum perſonæ, non autem in voto ſolemni caſtitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cibus directè ordinatur ad conſeruationem perſonæ: & ideo abſtinentia cibi directè poteſt vergere in periculum perſonæ: vnde ex hac ratione recipit votum abſtinentiæ diſpenſationem: ſed coitus non ordinatur directè ad conſeruationem perſonæ, ſed ad conſeruationem ſpeciei: vnde nec directè abſtinentia coitûs per continentiam vergit in periculum perſonæ: ſed ſi per accidens ex ea aliquod periculum perſonale accidat, poteſt aliter ſubueniri; ſcilicet per abſtinentiam, vel alia corporalia remedia. 2. 2. q. 88. *a.* 11. *ad* 3.

Quær. 36. *vtrum inferior in dubiis vel etiam in manifeſtis ſtare poſſit indicio ſuperioris in voto diſpenſantis vel ipſum commutantis.*

Reſp. diſpenſatio *qu.* 8.

Qu. 37. *an foret conuenientius moderatè vti concupiſcentiis in matrimonio, quàm vouere perpetuam continentiam, & perpetuam cum huiuſmodi concupiſcentiis pugnam habere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſolicitudo & occupatio, quam habent hi qui coniugio vtuntur, de vxoribus, filiis, & neceſſariis vitæ acquirendis, eſt continua: inquietatio autem quam homo patitur ex pugna concupiſcentiarum, eſt ad aliquam horam: quæ etiam minoratur per hoc quòd

uiſti ; iam te obſtrinxiſti , aliud facere tibi non licet : non talis eris ſi non feceris quod vouiſti , qualis manſiſſes, ſi nihil tale vouiſſes : minor enim tunc eſſes non peior : modò autem tantò (quod abſit) miſerior , ſi fidem Deo fregeris ; quantò beatior ſi perſolueris.

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd quando periculum naſcitur ex ipſo facto , tunc factum illud non eſt expediens ; putà quòd aliquis per pontem ruinoſum tranſeat fluuium : ſed ſi periculum immineat ex hoc quòd homo deficit ab illo facto , non deſinet propter hoc eſſe expediẽs: ſicut expediẽs eſt aſcendere equum, quãuis periculũ immineat cadẽti de equo: alioquin oportet ab omnibus bonis ceſſare; quæ etiam per accidens ex aliquo euentu poſſunt eſſe periculoſa : vnde dicitur Eccleſ. 11. *Qui obſeruat ventum, non ſeminat : & qui conſiderat nubes , nunquam metet.* Periculum autem vouenti non imminet ex ipſo voto ; ſed ex culpa hominis qui voluntatem mutat tranſgrediens votum : vnde Auguſtinus dicit in eadem epiſtola, *Non te vouiſſe pœniteat ; imò gaude iam tibi ſic non licere , quod cum tuo detrimento licuiſſet* 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 2.

Qu. 41. *quomodo votum non diminuit libertatem , & nos reddit ſimiles beatis.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd ſicut non poſſe peccare, non diminuit libertatem; ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem , vt patet in Deo & in beatis : Et talis eſt neceſſitas voti ſimilitudinem quandam habens cum confirmatione beatorum : vnde Aug. dicit in eadem epiſtola, quòd *felix neceſſitas eſt quæ in meliora compellit.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 4. *ad* 1.

Qu. 42. *an ſit magis meritorium & laudabile facere aliquid ex voto quam ſine voto.*

Reſp. D. Thomas , dicendum quòd triplici ratione facere idem opus cum voto , eſt melius & & magis meritorium, quàm facere ſine voto.

Primò quidem, quia vouere eſt actus latriæ , quæ eſt præcipua inter virtutes morales : nobilioris autem virtutis eſt opus melius , & magis meritorium : vnde actus inferioris virtutis eſt melior & magis meritorius ex hoc quòd imperatur à ſuperiori virtute (cuius actus fit per imperium) ſicut fidei vel ſpei melior actus eſt ſi imperetur à charitate, & ideo opera aliarum virtutum moralium , putà ieiunare quod eſt actus abſtinentiæ : & continere quod eſt actus caſtitatis , ſunt meliora , & magis meritoria , ſi fiant ex voto ; quia ſic iam pertinent ad diuinum cultum, quaſi quædam Dei ſacrificia, vnde Auguſtinus dicit in lib. de Virginitate , quòd *neque ipſa Virginitas quia virginitas eſt, ſed quia Deo dedicata eſt , honoratur , quam fouet & conſeruat continentia pietatis.*

Secundò , quia ille qui vouet aliquid , & facit , plus ſe Deo ſubiicit, quàm ille qui ſolùm facit: ſubiicit enim ſe Deo non ſolùm quantùm ad actum, ſed etiam quantùm ad poteſtatem; quia de cætero non poteſt aliud facere : ſicut pl[illegible] daret homini , qui daret ei ar[illegible]

Digitized by Google

Illum actum Deo offert. Sed ſi ex voto hoc faciat: non ſolùm actum, ſed etiam potentiam offert Deo. Et ſic patet quod propoſitum ſuum eſt ad aliquid maius Deo exhibendum. Erit ergò actus eius virtuoſior ratione maioris boni intenti, etſi in executione alius videatur feruentior. 3. *c. Gen. c.* 138.

Qu. 45. quomodo executio voti ſit laudabilis etiam quando voluntas non fertur actualiter ad opus, vel fertur remiſsè.

Reſp. D. Thomas, voluntas præcedens actum manet virtute in tota conſecutione actûs, & ipſum laudabilem reddit, etiam quando de propoſito voluntatis, propter quod actum incipit, in executione operis non cogitabat. Non enim oportet quod qui propter Deum aliquod iter arripuit, in qualibet parte itineris de Deo cogitet actu. Patet autem quod ille qui vouit ſe aliquid facturum, intenſiùs illud vouit quàm qui ſimpliciter facere diſponit: quia non ſolùm facere voluit, ſed voluit ſe firmare vt non deficeret à faciendo: Ex hac igitur voluntatis intentione redditur executio voti cum intentione quadam laudabilis: etiam quando voluntas vel non actu fertur in opus, vel fertur remiſsè. Sic ergo laudabiliùs fit quod ex voto fit quàm quod fit ſine voto: cæteris tamen paribus,&c. 3. *contra Gentes c.*138.

VSVRA.

Qu. 1. vtrum accipere vſuram pro pecunia mutuata ſit peccatum: & vſurarius obligetur ad reſtitutionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd accipere vſuram pro pecunia mutuata eſt ſecundùm ſe iniuſtum:quia venditur id quod non eſt: per quod manifeſtè inæqualitas conſtituitur, quæ iuſtitiæ contrariatur.

Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd quædam res ſunt, quarum vſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus eo vtendo ad potum, & triticum conſumimus eo vtendo ad cibum: vnde in talibus non debet ſeorſum computari vſus rei à re ipſa, ſed cuicunque conceditur vſus, ex hoc ipſo conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium: ſi quis ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere vſum vini; venderet eandem rem bis, vel venderet id quod non eſt: vnde manifeſtè per iniuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione iniuſtitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens ſibi duas recompenſationes; vnam quidem reſtitutionem æqualis rei aliam verò pretium vſûs,quod *vſura* dicitur.

Quædam vero ſunt, quorum vſus non eſt ipſa rei conſumptio, ſicut vſus domus eſt inhabitatio, non autem diſſipatio: & ideo in talibus ſeorſum poteſt vtrumque concedi: putà cùm aliquis tradit alteri dominium domûs, reſeruato ſibi vſu ad aliquod tempus: vel è conuerſo, cùm quis concedit alicui vſum domus, reſeruato ſibi eius dominio. Et propter hoc licitè poteſt homo accipere pretium

pro vſu domûs: & præter hoc repetere domum accommodatam: ſicut patet in conductione, & locatione domûs.

Pecunia autem ſecundùm Philoſophum in 5. Eth. & in 1. polit. Principaliter eſt inuenta ad commutationes faciendas: & ita proprius & principalis pecuniæ vſus eſt ipſius conſumptio, ſiue diſtractio, ſecundùm quòd in commutationes expenditur: & propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro vſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur *vſura*.

Et ſicut alia iniuſtè acquiſita, tenetur homo reſtituere, ita pecuniam, quam per vſuram accepit. *2. 2. q. 78. art. 1. in corp. 3. ſ. d. 37. q. 1. a. 6. quaſt. 13. de malo art. 4. quodlibeto 3. art. 19.*

Qu. 2. an lex diuina prohibeat vſuras abſolutè: & quomodo intelligantur illa verba, Deut. 23. Non fœneraberis fratri tuo ad vſuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Iudæis prohibitum fuit accipere vſuram à fratribus ſuis, ſcilicet Iudæis: per quod datur intelligi, quòd accipere vſuram à quocunque homine eſt ſimpliciter malum: debemus enim omnem hominem habere quaſi proximum, & fratrem; præcipuè in ſtatu Euangelij, ad quem omnes vocantur: vnde in Pſal. 14. abſolutè dicitur. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram*: & Ezech. 18. *Qui vſuram non acceperit.*

Quòd autem ab extraneis vſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad maius malum vitandum: ne ſcilicet à Iudæis Deum colentibus vſuras acciperent propter auaritiam, cui dediti erant, vt habetur Iſaiæ 26. quòd autem in præmium promittitur, fœnerabis gentibus multis, &c. fœnus ibi largè accipitur pro mutuo, ſicut & Eccleſ. 29. dicitur, multi non causâ nequitiæ non fœnerati ſunt, id eſt non mutuauerũt. Promittitur ergo in præmium Iudæis abundantia diuitiarum: ex quo contingit quòd alijs mutuare poſſint. *2. 2. q. 78. a. 1. ad. 2. q. 1. a. 6. q. 13. de malo a. 4.*

Qu. 3. cur leges humanæ permittant aliquando vſuras, quamuis ipſa etiam naturalis ratio dictet eas eſſe malas.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum: in quibus multæ vtilitates impedirentur, ſi omnia peccata diſtrictè prohiberentur: & ideo vſuras lex humana conceſſit, non quaſi exiſtimans eas eſſe ſecundùm iuſtitiam, ſed ne impedirentur vtilitates multorum: vnde in ipſo Iure Ciuili dicitur, quòd *res, quæ vſu conſumuntur, neque ratione naturali, neque Ciuili recipiunt vſum fructum*; & quòd *ſenatus non fecit earum rerum vſum fructum (nec enim poterat) ſed quaſi vſum fructum conſtituit*, concedens ſcilicet vſuras.

Et Philoſophus naturali ratione ductus dicit, in 1. polit. cap. 7. quòd *vſuraria acquiſitio pecuniarum eſt maximè præter naturam. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 3. quaſt. 13. de malo a. 4. ad 5.*

Qu. 4.

Qu. 4. an & quomodo id quod dicitur Lucæ 6. date mutuum, nihil inde ſperantes, ſit conſilium, vel præceptum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd dare mutuum non ſemper tenetur homo: & ideo quantùm ad hoc ponitur inter conſilia: ſed quòd homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit ſub ratione præcepti. Poteſt tamen dici conſilium per comparationem ad dicta Phariſæorum, qui putabant vſuram aliquam eſſe licitam; ſicut & dilectio inimicorum eſt conſilium. 2. 2. *qu.* 78. *a.* 1. *ad* 4. *q.* 13. *de malo a.* 4. *ad* 3.

Qu. 5. an & quomodo vſus vaſi argenti, & etiam pecunia argentea licitè vendi poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd vſus principalis vaſorum argenteorum non eſt ipſa eorum conſumptio; & ideo vſus eorũ poteſt vendi licitè, ſeruato Dominio rei: vſus autem principalis pecuniæ argenteæ eſt deſtructio pecuniæ in commutationes; vnde non licet eius vſum vendere, cum hoc quòd aliquis velit eius reſtitutionem, quod mutuo dedit.

Sciendum tamen, quòd ſecundarius vſus argenteorum vaſorum poteſt eſſe commutatio: & talem vſum eorum non licet vendere. Et ſimiliter poteſt eſſe aliquis ſecundarius vſus pecuniæ argenteæ; vt purà ſi quis concederet pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem vſum pecuniæ licitè homo vendere poteſt, 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 6. *q.* 13. *de malo a.* 4. *ad* 5.

Qu. 6. an & quomodo in prædicto caſu ſit contractus mutui & vſura, vel potius locatio & conductio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in 1. Polit. duplex vſus poteſt eſſe alicuius rei, vnus proprius & principalis, alius ſecundarius & communis: ſicut calceamenti proprius & principalis vſus eſt calceatio, ſecundarius autem commutatio. Pecuniæ autem è conuerſo principalis vſus eſt commutatio, propter hanc enim pecunia facta eſt. Secundarius autem vſus pecuniæ poteſt eſſe quicunque alius, putà, quòd ponatur in pignore, vel quòd oſtentetur. Commutatio autem eſt vſus quaſi conſumens ſubſtantiam rei commutatæ, inquantum facit eam abeſſe ab eo qui commutat: & ideo ſi quis pecuniam ſuam alteri concedat ad vſum commutationis, qui eſt proprius pecuniæ, & pro hoc vſu pretium aliud quærat vltra ſortem, erit contra iuſtitiam. Si verò aliquis concedat alteri pecuniam ſuam ad vſum alium, quo pecunia non conſumitur, erit eadem ratio, quæ eſt de rebus illis, quæ ipſo vſu non conſumuntur, quæ licitè locantur, & conducuntur. Vnde ſi quis pecuniam ſignatam in ſacculo concedat alicui ad hoc quòd ponat eam in pignore: & exinde pretium accipiat: non eſt vſura, quia non eſt ibi contractus mutui, ſed magis locatio, & conductio. Et eadem eſt ratio, ſi quis concedat alteri pecuniam ad vſum oſtentationis, ſicut è conuerſo, ſi quis concedit alteri calceamenta ad

ium commutationis, & ex hoc aliud pretium quæreret vltra calceorum valorem, eſſet vſura. q. 13. *de malo a.* 4. *ad* 15.

Qu. 7. *an & quomodo poſſit & debeat fieri recompenſatio accepti beneficij in mutuo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in 9. Eth. Recompenſatio beneficij accepti aliter fit in amicitia vtilis, & aliter in amicitia honeſti: quia in amicitia vtilis eſt menſuranda recompenſatio ſecundùm vtilitatem quam conſecutus eſt ille, qui beneficium accipit: in amicitia autem honeſti eſt recompenſatio menſuranda ſecundùm affectum eius qui beneficium dedit: obligare autem ex certo pacto ad beneficium recompenſandum non competit amicitiæ honeſti: quia in tali amicitia amicus benefaciens affectum amici inclinat, vt ſcilicet ſibi gratis, & liberaliter recompenſet, cùm opportunitas fuerit: ſed obligare certo pacto ad recompenſandum beneficium eſt proprium in amicitia vtilis: & ideo non debet obligari ad plus reddendum, quàm accepit: non autem aliquis aliquid plus accepit, quàm ipſam quantitatem pecuniæ: quia eius vſus, qui eſt pecuniæ conſumptiuus, non eſt aliud quàm ipſa pecunia: & ideo non debet ad plus obligari quàm ad reſtituendum pecuniam. *q.* 13. *de malo a.* 4. *ad* 5. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 5. *&* 2. *ad* 2.

Qu. 8. *an liceat pro pecunia mutuata aliquid recipere ſicut gratuitum donum; vel etiam exigere beneuolentiam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſecundùm Philoſophum in 4. Eth. Omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium poteſt pecuniâ menſurari: & ideo ſicut ſi aliquis pro pecunia mutuata vel quacunque aliqua re quæ ex ipſo vſu conſumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito vel expreſſo, peccat contra iuſtitiam, vt dictum eſt: ita etiam quicunque ex pacto tacito vel expreſſo quodcunque aliud acceperit, cuius pretium pecuniâ menſurari poteſt, ſimile peccatum incurrit.

Si verò accipiat aliquid huiuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet licitè poterat aliquod donum gratis accipere: nec peioris conditionis efficitur per hoc quòd mutuauit.

Recompenſationem verò eorum, quæ pecuniâ non menſurantur, licet mutuo exigere: putà beneuolentiam, & amorem eius cui mutuauit, vel aliquid huiuſmodi. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *in corp. qu.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 10.

Qu. 9. *an & quando damnum ex mutuo proueniens ſit recompenſandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ex pecunia mutuata poteſt ille qui mutuat, incurrere damnum rei iam habitæ dupliciter. Vno modo ex quo non redditur ſibi pecunia ſtatuto termino: & in tali caſu ille qui mutuum accepit, tenetur ad intereſſe: alio modo infra tempus deputatum; & tunc non tenetur ad intereſſe ille

qui mutuum accepit: debebat enim ille qui pecuniã mutuauit, ſibi cauiſſe, ne detrimentum incurreret: nec ille qui mutuò accepit, debet damnũ incurrere de ſtultitia mutuantis. Et eſt etiam ſimile in emptione: qui enim emit rem aliquam, tantùm pro ea iuſtè dat quantùm valet: non autem quantum ille qui vendit, ex eius carentia damnificatur. *quæſt.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 14.

Qu. 10. *an poſſit mutuator deducere in pactum recompenſationem damni ex mutuo emergentis, vel lucri ceſſantis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui mutuum dat, poteſt abſque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompenſationem damni, per quod ſubtrahitur ſibi aliquid quod debet habere: hoc enim non eſt vendere vſum pecuniæ, ſed damnum vitare: & poteſt eſſe quòd accipiens mutuum maius damnum euitet quàm dans incurrat: vnde accipiens mutuum ſua vtilitate damnum alterius recompenſat.

Recompenſationem verò damni, quod conſideratur in hoc quòd de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere: quia non debet vendere id quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 1.

Qu. 11. *an pro mutuo liceat exigere munus ſaltem ab obſequio, vel à lingua.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliquis ex pecunia mutuata expectet vel exigat, quaſi per obligationem pacti taciti vel expreſſi, recompenſationem muneris ab *obſequio* vel à *lingua*, perinde eſt ac ſi expectaret vel exigeret munus à *manu*; quia vtrumque pecunia æſtimari poteſt; vt patet in his qui locant operas ſuas, quas manu vel linguâ exercent. Si verò munus ab obſequio vel à linguâ non quaſi ab obligatione rei exhibetur, ſed ex beneuolentia, quæ ſub æſtimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 3. *q.* 13. *de malo a.* 4. *ad* 13.

Qu. 12. *an & quare ille qui dat mutuum poteſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare, non autem ille quod dat beneficium Eccleſiaſticum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd munus aliquod vel à manu, vel à lingua, vel ab obſequio, poteſt vſurarius ſperare ex mutuo, quod concedit dupliciter. Vno modo, quaſi debitum ex quadam obligatione tacita vel expreſſa: Et ſic quodcunque munus ſperet, illicitè ſperat. Alio modo poteſt aliquod munus ſperare, non quaſi debitum, ſed quaſi gratuitum, & abſque obligatione præſtandum: Et ſic licitè poteſt ille qui mutuat, ſperare aliquod munus ab eo cui mutuat: ſicut ſi facit ſeruitium alicui, confidit de eo, vt amicabiliter ſuo tempore ſeruitium faciat. Alia tamen ratio eſt de ſimoniaco & de vſurario; quia ſimoniacus non dat id quod eſt ſuum, ſed quod eſt Chriſti: & ideo non debet ſperare aliquam recompenſationem ſibi fiendam,

ſed ſolùm honorem Chriſti,& vtilitatem Eccleſiæ. Sed vſurarius nihil alteri præſtat niſi quod ſuum eſt, vnde poteſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare per modum prædictum. *q. 13. de malo ad 13.*

Qu. 13. an mutuans obligare poſſit mutuatarium vt ipſi remutuet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd pecunia non poteſt vendi pro pecunia ampliori, quàm ſit quantitas pecuniæ mutuatæ quæ reſtituenda eſt. Nec ibi aliquid eſt exigendum aut expectandum niſi beneuolentiæ affectus, qui ſub æſtimatione pecuniæ non cadit: ex quo poteſt procedere ſpontanea mutuatio.

Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in poſterum: quia etiam talis obligatio pecuniâ æſtimari poſſet: Et ideo licet mutuanti vnum, ſimul aliquod aliud mutuum recipere:non autem licet eum obligare ad mutuum in poſterum faciendum. 2.2. *q.* 78.*a.* 2. *ad* 4.

Qu. 14. quare non liceat exigere pecuniam ex mutuo, cum tamen liceat lucrum exigere de pecunia Mercatori vel Artifici commiſſa per modum ſocietatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat; vnde ille cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo tenet eam, & tenetur eam reſtituere integrè: Vnde non debet amplius exigere ille qui mutuauit. Sed ille qui committit pecuniam ſuam vel mercatori vel artifici per modum ſocietatis cuiuſdam, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet eius; ita quòd cum periculo ipſius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: Et ideo ſic licitè poteſt partem lucri inde prouenientis expetere tanquam de re ſua. 2.2.*q.* 78.*a.*2.*ad* 5.

Qu. 15. quid faciendum quando pro pecunia mutuata homo pignus accipit, cuius vſus poteſt pretio aliquo vendi, ſicut agrum vel domum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi quis pro pecunia ſibi mutuata obliget rem aliquam, cuius vſus pretio æſtimari poteſt, debet vſum illius rei ille qui mutuauit, computare in reſtitutionem eius quod mutuauit: alioqui ſi vſum illius rei quaſi gratis ſuperaddi velit, idem eſt ac ſi pecuniam acciperet pro mutuo, quod eſt vſurarium; niſi fortè eſſet talis res, cuius vſus ſine pretio ſoleat concedi inter amicos, ſicut patet de libro accommodato. 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 6.

Qu. 16. an ſit vſura cariùs aliquid vendere vt expectetur ſolutio, aut etiam aliquid viliùs quia anticipatur ſolutio: & vtrum poſſit aliquid de iuſto pretio diminui, vt pecunia ſtatim tradatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi aliquis cariùs velit vendere res ſuas, quàm ſit iuſtum pretium, vt de pecunia ſoluenda emptorem expectet, manifeſtè vſura committitur: quia huiuſmodi expectatio pretij ſoluendi habet rationem

mutui:vnde quidquid vltra iuſtum pretium pro huiuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui; quod pertinet ad rationem vſuræ.

Similiter etiam, ſi quis emptor velit rem emere viliùs quàm ſit iuſtum pretium,eo quòd pecuniam ante ſoluit quàm poſſit ei res tradi; eſt peccatum vſuræ;quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium eſt, quod diminuitur de iuſto pretio rei emptæ.

Si verò aliquis de iuſto pretio velit diminuere,vt pecuniam priùs habeat, non peccat peccato vſuræ. 2.2.*quæſt*.78.*a*.2.*ad* 7.

Quær. 17. *an ſi officiales Principum dent mutuum, hoc pacto vt accipiant officium,ſit vſura.*

Reſp. ſupra v. officium *qu*. 6.

Qu. 18. *an & quomodo fieri debeat reſtitutio bonorum, quæ per vſuras acquiſita ſunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum ſicut ſupradictum eſt; res quædam ſunt, quarum vſus eſt ipſarum rerum conſumptio,quæ non habent vſum-fructum ſecundùm iura: Et ideo ſi talia fuerint per vſuram extorta, putà denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiuſmodi, non tenetur homo ad reſtituendum, niſi id quod accepit: quia id quod de tali re eſt acquiſitum,non eſt fructus huiuſmodi rei, ſed humanæ induſtriæ. Niſi fortè per detétionem talis rei alter ſit damnificatus amittendo aliquid de bonis ſuis: tunc enim tenetur ad recõpenſationem nocumenti. Quædam verò res ſunt, quarum vſus non eſt earum conſumptio;& talia habent vſumfructum, ſicut domus, & ager,& alia huiuſmodi:& ideo ſi quis domum alterius: vel agrum per vſuram extorſiſſet,non ſolùm tenetur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus inde perceptos,quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt Dominus, & ideo ei debentur.2. 2. *q*.78.*a*. 3. *in corp. quolib*.3.*a*.19,*in corp.*

Qu. 19. *quomodo ſit intelligenda decretalis extra, de vſuris (cùm tu, ſicut aſſeris) vbi dicitur,poſſeſſiones quæ de vſuris ſunt comparatæ debent vendi, & ipſarum pretia his à quibus ſunt extorta,reſtitui.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd poſſeſſiones, quæ de vſuris ſunt comparatæ, non ſunt eorum quorum ſunt vſuræ, ſed illorum qui eas emerunt:ſunt tamen obligatæ illis à quibus fuerunt vſuræ acceptæ, ſicut & alia bona vſurarij.Et ideo non præcipitur quòd aſſignentur illæ poſſeſſiones his à quibus fuerunt acceptæ vſuræ; quia fortè plus valent quàm vſuræ quas dederunt: ſed præcipitur quòd vendantur poſſeſſiones, & earum pretia reſtituantur; ſcilicet ſecundùm quantitatem vſuræ acceptæ. 2.2.*quæſt*.78.*art*.3.*ad* 2.

Qu. 20. *an liceat pecuniam accipere mutuò ſub vſura.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd inducere hominem ad peccandum nullo modo licet, vti tamen peccato alterius ad bonum, licitum eſt; quia & Dominus vti-

tur omnibus peccatis ad aliquod bonum, ex quolibet enim malo elicit alquod bonum; vt dicitur in Enchirid.cap. 11. & ideo Aug.Publicolæ quærenti vtrũ liceret vti iuramento eius, qui per falſos Deos iurat, in quo manifeſtè peccat eis diuinam reuerentiam adhibens, reſpondit quòd *qui vtitur fide illius, qui per falſos Deos iurat, non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, quo per Demonia iurauit, ſed pacto eius bono, quo fidem ſeruauit: ſi tamen induceret eum ad iurandum per falſos Deos, peccaret.*

Ita etiam in propoſito dicendum eſt, quòd nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub vſuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & vſuras exercet, mutuum accipere ſub vſuris propter aliquod bonum, quod eſt ſubuentio ſuæ neceſſitatis, vel alterius; ſicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifeſtare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Iſmaël, *noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro.* vt dicitur Ierem. 41. 22. *q.* 78. *a.* 4. *in corp. q.* 33. *de malo. a.* 4. *ad* 17.

Qu. 21. vtrum ad vitandum ſcandalum aliquis teneatur non petere mutuum ab vſurario.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille, qui accipit pecuniam mutuò ſub vſuris non dat occaſionem vſurario vſuras accipiendi; ſed mutuandi: ipſe autem vſurarius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui: vnde ſcandalum paſſiuum ex parte ipſius eſt non autem actiuum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiuſmodi ſcandalum paſſiuum debet alius à mutuo petendo deſiſtere, ſi indigeat; quia huiuſmodi paſſiuum ſcandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, ſed ex malitia. 2. 2. *quæſt.* 78. *a.* 4. *ad* 2.

Quær. 22. an liceat deponere pecuniam apud vſurarium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi quis committeret pecuniam ſuam vſurario non habenti alias vnde vſuras exerceret: vel hac intentione committeret, vt inde copioſiùs per vſuram lucraretur, daret materiam peccandi; vnde & ipſe eſſet particeps culpæ; ſi autem aliquis vſurariò aliàs habenti, vnde vſuras exerceat, pecuniã ſuam cõmittat, vt tutiùs ſeruetur, non peccat; ſed vtitur homine peccatore ad bonum. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4 *ad* 3.

Qu. 23. an poſſit aliquis pecuniam ſuam concedere illi, de quo credit, quod ea vtitur ad vſuras.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſi quis ea intentione pecuniam alicui vſurario committeret, vt ex inde lucrum vſurarium quæreret, abſque dubio peccaret tanquam conſentiens in peccatum: Et idem videtur dicendum de eo qui concedit pecuniam ſuam ſcienter ei de quo credit, quòd vtatur eâ ad vſurarium lucrum, quod aliàs exercere non poſſet: ſi verò aliquis pecuniam ſuam vſurario tradat aliàs vſuras exercenti, non

vt ille lucretur, ſed propter ſuam neceſſitatem, magis vtitur malitia eius quàm in peccatum ipſius conſentiat, vel materiam peccandi ei tradat: Et ideo hoc abſque peccato fieri poteſt. q.13. *de malo.a.4. ad* 18.

Qu.24. vtrum in vſura ſemper committatur iniuſtitia, etiam quando ille, qui mutui neceſſitatem habet, huiuſmodi vſuram dat ſciens, & volens.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iſte qui dat vſuram, patitur iniuſtum non à ſeipſo, ſed ab vſurario; qui licet ei non inferat violentiam abſolutam, infert tamen ei quandam violentiam mixtam, quia ſcilicet neceſſitatem habenti accipere mutuum, grauem conditionem imponit, vt ſcilicet plus reddat quam ſibi præſtetur. Et eſt ſimile, ſi quis alicui in neceſſitate conſtituto venderet rem aliquam multò amplius quàm valeret: eſſet enim iniuſta venditio, ſicut & vſurarii mutatio eſt iniuſta. *Ibidem. ad* 7.

Qu. 25. cur vſura dicatur furtum aut homicidium.

Reſp. D. Thomas, quòd Greg. Niſſen. dicit: *malignam fœnoris excogitationem ſi quis appellaret furtum aut homicidium, non peccabit, nam quid refert ſuffoſſo pariete quemquam erepta poſſidere, an fœnorum neceſſitate poſſidere illicita. Ibid. in* 1. *arg. ſed contra.*

In decreto S. Congregationis approbato à S. P. Innocentio 10. *vt diximus ſupra. V. Fides, Pro miſſionariis China, ſeu Sinarum habentur ſequentes difficultates circa vſuram cum ſequentibus reſolutionibus.*

Tertiò. In præfato regno lege ſtabilitum eſt vt in mutuo triginta pro centum accipiantur abſque reſpectu lucri ceſſantis & damni emergentis, quaeritur vtrum Chriſtianis ſit licitum pro pecuniarum ſuarum mutuo, licet non interueniat lucrum ceſſans aut damnum emergens prædictam triginta pro centum quantitatem regni lege Taxatam accipere: & cauſa dubitationis quia in recuperanda pecunia eſt aliquod periculum, ſcilicet quòd qui accipit mutuum, fugiat, vel quod tardet in ſoluendo, vel quod neceſſarium ſit coram Iudice repetere, vel propter alia eiuſmodi.

Cenſuerunt. Ratione mutui immediatè & præcisè nihil eſſe accipiendum vltra ſortem principalem: ſi verò aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis eiuſdem, ac ſeruatâ proportione inter periculum, & id quod accipitur.

Quartò. In vniuerſo Chinarum regno domos publicas vſuris deputatas reperiri res eſt vſitata, in quibus vſurarij publici factâ ſub pignoribus cautione pecuniam ſuam ſumpto lucro ad vſuram dare ſolent, eâ tamen conditione vt pro vno ducato ſingulis menſibus tantùm quid accipient, & ſi tantis elapſis annis pignorum dominus pro iiſdem pignoribus recuperandis, ſolutâ principali pecuniâ cum lucro nõ redderit, actionem & dominium, quod habet in ſuis pignoribus illico remittat. Iſtæ autem domus, Reipublicæ neceſſariæ ſunt, & quamuis vſurariis vitam vſurariam dimittere velint, à non diſcedendo à prædictis vſuris Iudicis au-

tum finem, ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis; peccabit mortaliter non faciens quod in ſe eſt, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale ſine mortali, niſi poſtquam totum fuerit ei per gratiam remiſſum. 1. 2. q, 89. *art.* 6. *in corp.*

Quær. 2. an puer incipiens habere vſum rationis excuſetur à peccato, ſi non impleat præceptum conuertendi ſe ad Deum.

Reſpond. v. *Charitas q. 9.*

Quær. 3. an puer habens vſum rationis naturali lege ad hoc obligetur, vt primò ſit ſolicitus de ſua ſalute.

Reſp. D. Thomas dicendum, quòd licet præcepta affirmatiua cõmuniter loquendo non obligent ad ſemper: tamen ad hoc eſt homo naturali lege obligatus, vt primò ſit ſollicitus de ſua ſalute, ſecundùm illud Matth. 6. *primùm quærite regnum Dei.* Vltimus enim finis naturaliter cadit in appetitu, ſicut prima principia naturaliter primò cadunt in apprehenſione. Sic enim omnia deſideria præſupponunt deſiderium vltimi finis, ſicut omnes ſpeculationes præſupponunt ſpeculationem primorum principiorum. q. 7. *de malo art. 10. ad 9.*

Qu. 4. an ſit impoſſibile quòd adultus habeat originale peccatum ſine actuali ex hoc quod ſi faciat quod in ſe eſt gratiam obtinet.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd iſta poſitio apud quoſdam impoſſibilis reputatur, quòd aliquis adultus habeat peccatum originale ſine actuali. Cùm enim quilibet teneatur peccatum vitare, & hoc fieri non poſſit, niſi præſtito ſibi debito fine, tenetur quilibet cùm primò ſuæ mentis eſt compos ad Deum ſe conuertere, & in eo finem conſtituere; & per hoc ad gratiam diſponitur. q. 28. *de verit. art.* 3. *ad* 4.

De his plura tradunt ſcholaſtici.

ZELVS SALVTIS ANIMARVM.

Quær. 1. vtrum zelus ſit effectus amoris.

Reſpond. v. *Amor. q. 9.*

Quæ. 2. an debeat vnuſquiſque ex propria inclinatione principaliter intendere ſaluti ſuæ: ex iniunctione verò ſuperiorum ſaluti alienæ.

Reſp. ſupra v. *Epiſcopatus. q. 8.*

Quær. 3. an illi, qui aliis prodeſſe refugiunt, tantùm rei ſint, quantùm prodeſſe potuerunt.

Reſp. D Thomas, dicit Gregorius in Paſtorali, quòd *illi, qui prodeſſe vtilitati proximorum prædicatione refugiunt, ſi diſtrictè iudicentur, ex tantis proculdubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt.* 2. 2. q. 133. *art.* 1. *ad* 1.

Quær. 4. an illi qui vitâ, & ſcientiâ aliis prodeſſe poſſunt, ſi ab eorum correctione, & gubernatione deſiſtunt vt ſuæ propriæ ſaluti vacent, incurrant maledictionem; de qua dicitur

Digitized by Google

imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem: ſed nec ſic omnino veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubrahatur illa ſuauitas, & opprimat iſta neceſſitas. Et ſic patet, quòd cùm aliquis à contemplatiua vita ad actiuam vocatur, non hoc fit per modum ſubtractionis, ſed per modum additionis. 2. 2. q. 182. *art.* 1. *ad* 3.

Quær. 7. virùm quando D. Greg. dicit ſuper Ezech. hom. 12. quod nullum ſacrificium eſt Deo magis acceptum quàm zelus animarum, intendat præferre meritum vitæ actiuæ merito vitæ contemplatiuæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Sacrificium ſpiritualiter Deo offertur, cùm aliquid ei exhibetur: inter omnia autem bona hominis, Deus maximè acceptat bonum humanæ animæ, vt hoc ſibi in Sacrificium offeratur: offerre autē debet aliquis Deo, primò quidem animam ſuam, ſecundùm illud Eccleſ. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo:* Secundò autem animas aliorū, ſecundùm illud Apoc. vlt. *qui audit dicat, veni:* quantò autē homo animā ſuam vel alterius propinquiùs Deo coniungit, tantò ſacrificium eſt Deo magis acceptum: vnde magis acceptum eſt Deo, quòd aliquis animam ſuam & aliorum applicet contemplationi, quàm actioni. Per hoc ergo quòd dicitur, quòd *nullum Sacrificium eſt Deo magis acceptum quàm zelus animarum*, non præfertur meritum vitæ actiuæ merito contemplatiuæ: ſed oſtenditur magis eſſe meritorium, ſi quis offerat Deo animam ſuam, & aliorum, quàm quæcunque alia exteriora dona. 2. 2. q. 182. *art.* 2. *ad* 3.

Qu. 8. virùm in ordinibus Religioſis ſummum gradum obtineant illi, qui ordinantur ad ſalutem animarum procurandam per prædicationem, & doctrinam.

Reſp. v. *Relegio* 4.

Quær. vltimò an Epiſcopi, & Theologiæ Doctores debeant intermiſſè propriè officio particulariter intendere ſaluti animarum: & quanta ſit muneris eorum excellentia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd aliqua duo poſſunt comparari ad inuicem, & ſimpliciter, & ſecundùm aliquem caſum: nihil enim prohibet id quod eſt melius ſimpliciter, in aliquo caſu eſſe minùs eligendum, ſicut philoſophari eſt ſimpliciter melius quàm ditari: ſed in tempore neceſſitatis ditari eſt magis eligendum: & aliqua pretioſa margarita eſt carior vno pane; & tamen in aliquo caſu famis, panis præeligeretur, ſecūdùm illud threni 4. *dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandas animas*.

Eſt autem conſiderandum, quòd in quolibet artificio ſimpliciter melior eſt qui diſponit de artificio, & dicitur architecton, quam aliquis manualis qui opera exequitur ſecundùm quòd ei ab alio diſponitur: vnde & in ædificiis conſtruendis maiori mercede conducitur qui diſponit de ædificio. licet nihil manibus operetur, quàm manuales artifices, qui dolant ligna, & incidunt lapides: in ædificio autem ſpirituali ſunt quaſi manuales operarij, qui particulariter inſiſtunt

Digitized by Google

curæ animarum (putà Sacramenta miniſtrando, vel aliquid huiuſmodi particulariter agendo) ſed quaſi principales artifices ſunt Epiſcopi, qui imperant & diſponunt qualiter prædicti ſuum officium exequi debeant: propter quod, & Epiſcopi, ideſt ſuperintendentes dicuntur: & ſimiliter Theologiæ Doctores ſunt quaſi principales artifices, qui inquirunt & docent qualiter alij debeant ſalutem animarum procurare.

Simpliciter ergo melius eſt docere ſacram doctrinam, & magis meritorium, ſi bonâ intentione agatur, quàm impendere particularem curam ſaluti huius & illius: vnde Apoſtolus de ſe dicit 1. ad Cor. 1. *non enim miſit me Chriſtus baptiZare, ſed euangelizare*; quamuis baptizare ſit opus maximè conferens ſaluti animarum: & 2. ad Timot. 2. idem Apoſtolus commendat fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere: ipſa etiam ratio demonſtrat quòd melius eſt erudire de pertinentibus ad ſalutem eos qui in ſe & in aliis proficere poſſunt, quàm ſimplices qui in ſe tantùm proficere poſſunt. In aliquo tamen caſu neceſſitate imminente deberent & Epiſcopi & Doctores, intermiſſo proprio officio, particulariter intendere ſaluti amarum. *quodlib.* 1. *aliàs art.* 14. *nunc qu.* 7. *art.* 2. *in corpore.*

Plura circa zelum ſalutis animarum videantur locis citatis & etiam aliis v. Amor. Charitas. Cathedra Circa animarum. Docere. Epiſcopatus. Prædicare. Prælatio & Religio.

SVPPLEMENTVM.

Cum aliquorum erratorum correctione.

Contigit variis de cauſis tum ex parte Typographorum, tum ex parte aliorum qui impreſſioni præfuerunt vt ſequentes quæſtiones ſuis locis non ſint incertæ, nec alibi poſtea inſeri conuenienter potuerint: vnde hîc ponuntur, vt nihil deſit operi. Cùm autem videret Author ſupplementum iſtud eſſe neceſſarium, iudicauit in eo potius quàm in ipſo opere referenda eſſe quæ dicentur de ſcrupulis, quia non ſunt ipſius D. Thomæ, & quæ dicentur de vſuris ex opoſculo 73. quia non eſt omnino certum an huiuſmodi opuſculum ſit S. Doctoris, vt mox notabimus. Occaſione etiam acceptâ quædam errata corriguntur.

ABBATISSA.

Qu. 3. habetur *delbora*, lege *debbera*.

AMICITIA.

Vocabulum iſtud cum ſuis quæſtionibus, quod propter affinitatem doctrinæ poſitum eſt poſt verbum *affabilitas*, quæ ab ipſo D. Thoma vocatur etiam *amicitia*, ponendum erat poſt v. *Ambitio*.

COMMVNIO.

Sub iſto vocabulo, vel ſaltem ſub v. *Euchariſtia* in fine poni debebant quæſtiones quæ habentur v. *Sacrificium* ſub finem.

CONTRITIO.

Quæſt. ſequens debebat eſſe vltitima ſub hoc vocabulo.

Qu. 38. vtrum aliquando illi qui non ſunt perfectè contriti, gratiam contritionis virtute clauium in pœnitentia aliiſque Sacramentis conſequantur: & vtrum eadem ſit ratio de Sacramento Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Reſp. D. Thomas, ſi quis in ipſa abſolutione incipit conteri, & claues Eccleſiæ habere in voto, in ipſa abſolutione Sacerdotis culpa ei dimittitur pet gratiam quæ infunditur in hoc Sacramento, ſicut & in aliis Sacramentis nouæ legis: vnde quandoque contingit quòd aliqui non perfectè contriti virtute clauium gratiam contritionis conſeſequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui ſancto: Et idem eſt in aliis Sacramentis nouæ legis; in quibus gratia confertur. Videtur tamen eſſe differentia inter Baptiſmum & pœnitentiã, propter hoc quòd Sacramentum Pœnitentiæ ſemper exhibetur adultis, in quibus vt plurimum contritio præcedit tempore confeſſionem, & abſolutionem: Baptiſmus autem multoties confertur pueris, in quibus votum Baptiſmi non præcedit: omnino autem ſimile appareret, ſi etiam Baptiſmus exhiberetur adultis. *quodl. 4. q. 7. a. 1. in corp.*

IRREGVLARITAS.

Pro quæſtione 4. videatur annotatio quæ habetur v. ordo qu. 49. quòd ſcilicet ille qui alterum occidit defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, iuxta ius nouum non eſt irregularis, quamuis talis eſſet iuxta ius antiquum.

MISERICORDIA.

Qu. 1. quid ſit miſericordia, & quenam mala homines excitare ſoleant ad miſericordiam.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut Auguſt. dicit 9. de ciu. Dei, *miſericordia eſt aliena miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua vtique ſi poſſemus ſubuenire compellimur.* Dicitur enim miſericordia ex eo quòd aliquis habet miſerum cor ſuper miſeria alterius: miſeria autem felicitati opponitur, eſt autem de ratione beatitudinis ſiue felicitatis, vt aliquis potiatur eo quod vult & quod pertinet ad iuſtitiam: nam ſicut Auguſtinus dicit 13. *de Trin. beatus eſt qui habet omnia quæ vult, & nihil malè vult.* Et ideò è contrario ad miſeriam pertinet, vt homo patiatur quæ non vult. Tripliciter autem aliquis vult aliquid: vno quidem modo appetitu naturali, ſicut omnes homines volũt eſſe & viuere: alio modo homo vult aliquid per electionem ex aliqua præmeditatione: tertio modo homo vult aliquid, non ſecundùm ſe, ſed in cauſa ſua; putà qui vult comedere nociua, quodammodo dicimus eum velle infirmari. Sic ergo, motiuum miſericordiæ eſt tãquam ad miſeriam pertinens: primò quidem modo illud quod contrariatu.

appetitui naturali voluntatis, ſcilicet mala corruptiua, & contriſtantia; quorum contraria homines naturaliter appetunt: vnde Phil. dicit in 2. Reth. quòd *miſericordia eſt triſtitia quædam ſuper apparenti malo corruptiuo vel contriſtatiuo:* ſecundò, huiuſmodi magis efficiuntur ad miſericordiam prouocantia, ſi ſint contra voluntatem electionis: vnde & Philoſ ibidem dicit, quòd *illa mala ſunt miſerabilia, quorum fortuna eſt cauſa:* vt putà cùm aliquod malum euenit vnde ſperabatur bonum: tertiò autem ſunt adhuc magis miſerabilia, ſi ſunt contra totam voluntatem; putà ſi aliquis ſemper ſectatus eſt bona, & eueniunt ei mala; & ideo Philoſ. dicit ibidem quòd *miſericordia eſt maximè ſuper malis eius qui indignus patitur. 2. 2. q. 30. a. 1. in corp.*

Qu. 2. an defectus ſit ſemper ratio miſerendi: & quare homines miſericordiâ mouentur præſertim erga amicos, & coniunctos, & alios homines ſibi ſimiles: cur etiam ſenes & ſapientes, debiles & formidoloſi ſunt magis miſericordes, non autem illi qui ſe reputant felices.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd cùm miſericordia ſit compaſſio ſuper miſeria aliena, vt dictum eſt, ex hoc contingit quòd aliquis miſereatur, ex quo contingit quòd de miſeria aliena doleat. Quia autem triſtitia ſeu dolor eſt de proprio malo, intantum aliquis de miſeria aliena triſtatur aut dolet, inquantum miſeriam alienam apprehendit vt ſuam. Hoc autem contingit dupliciter: vno modo ſecundùm vnionem affectus, quod fit per amorem; quia enim amans reputat amicum tanquam ſeipſum, malum ipſius reputat tãquam ſuum malum: & ideo dolet de malo amici, ſicut de ſuo. Et inde eſt quòd Philoſop. in 9. Eth. inter alia amicabilia ponit hoc quod eſt condolere amico: & Apoſt. dicit ad Rom. 12. *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Alio modo contingit ſecundùm vnionem realem, vtpote cùm malum aliquorum propinquum eſt, vt ab eis ad nos tranſeat; & ideo Philoſophus dicit 2. Retho. quòd homines miſerentur ſuper illos qui ſunt eis coniuncti & ſimiles: quia per hoc fit eis æſtimatio quòd ipſi etiam poſſint ſimilia pati: & inde eſt etiam quòd ſenes & ſapientes qui conſiderãt ſe poſſe in mala incidere, & debiles, & formidoloſi, ſunt magis miſericordes: E contrario autem illi qui reputanr ſe eſſe felices, & intantum potentes quòd nihil mali putant ſe poſſe pati, non ita commiſerentur. Sic ergo, ſemper defectus eſt ratio miſerendi: vel inquantum aliquis defectum alicuius reputat ſuum propter vnionem amoris, vel propter poſſibilitatem ſimilia patiendi. *ia ead. qu. art. 2. in corp. 3. ſent. diſt. 27. qu. 3 art. 3.*

Qu. 3. cur ſicut Philoſophus dicit in 2. Rhet. illi qui ex toto perierunt non miſerentur: ſicut nec illi qui valde timent.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui iam ſunt in infinitis malis, non timent ſe vlterius pati aliquid. Et ideo non miſerentur: ſimiliter etiam nec illi qui valde timent, quia tantùm intendũt propriæ paſſioni, quòd non intendunt miſeriæ alienæ. *in ead. art. ad 2.*

Qu. 4. cur ſicut Philoſophus dicit ibidem, illi qui ſunt in contumeliatiua diſpoſitione non miſerentur : ſicut nec illi qui ſunt ſuperbi.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd illi qui ſunt in contumeliatiua diſpoſitione, ſiue quia ſunt contumeliam paſſi, ſiue quia velint contumeliam inferre, prouocantur ad iram & ad audaciam, quæ ſunt quædam paſſiones virilitatis, extollentes animum hominis ad arduum : vnde inferunt homini æſtimationem quòd non ſit aliquid in futurum paſſurus : vnde tales dum ſunt in hac diſpoſitione, non miſerentur, ſecundùm illud prouerb. 27. *Ira non habet miſericordiam, neque erumpens furor.* Et ex ſimili ratione ſuperbi non miſerentur, quia contemnunt alios, & reputant eos malos : vnde reputant quòd dignè patiuntur quidquid patiuntur : vnde Greg. dicit, quòd *falſa iuſtitia,* ſcilicet ſuperborũ, *non habet cõpaſſionem, ſed dedignationem. ibid. ad 3.*

Qu. 5. de qua miſericordia loquatur Saluſtius, dum ait : omnes homines qui de rebus dubiis conſultant, ab ira & miſericordia vacuos eſſe decet: non enim animus facilè verum prouidet, vbi iſta officiunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd authoritas illa Saluſtij intelligitur de miſericordia, ſecundùm quòd eſt paſſio ratione non regulata : Sic enim impedit conſilium rationis, dum facit à iuſtitia diſcedere. 2. 2. q. 30. a. 3. ad 1.

Qu. 6. an miſericordia ſit virtus omnibus aliis admirabilior & gratior.

Reſp. D. Thomas, quòd Aug. dicit in 9. de Ciuit. Dei : *longe meliùs & humaniùs & piorum ſenſibus accommodatius Cicero in Cæſaris laude locutus eſt, vbi ait : nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miſericordiâ eſt. Ibid. in arg. ſed contra.*

Qu. 7. an & quomodo miſericordia ſit omnium virtutum maxima.

Reſp. D. Thmas, dicendum quòd aliqua virtus poteſt eſſe maxima dupliciter : vno modo ſecundùm ſe : alio modo per comparationem ad habentem. Secundùm ſe quidem miſericordia maxima eſt : Pertinet enim ad miſericordiam quòd aliis effundat; & quod plus eſt, quòd defectus aliorum ſubleuet : Et hoc maximè ſuperioris eſt : vnde & miſereri ponitur proprium Deo; & in hoc maximè dicitur eius omnipotentia manifeſtari. Sed quoad habentem, miſericordia non eſt maxima, niſi ille qui habet, ſit maximus, qui nullum ſupra ſe habeat ſed omnes ſub ſe: Ei enim qui ſupra ſe aliquem habet, maius eſt, & melius coniungi ſuperiori, quàm ſupplere defectum inferioris: Et ideo quantùm ad hominem, qui habet Deum ſuperiorem, charitas per quam Deo vnitur, eſt potior quàm miſericordia, per quam defectus proximorum ſupplet. Sed inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, potiſſima eſt miſericordia; ſicut etiam eſt potioris actûs : nam ſupplere defectum alterius, inquantum eſt huiuſmodi, eſt ſuperioris & melioris. *Ibid. art. 4. in corp. ad Rom. 13. lect. 2.*

Qu. 8. cur miſericordia præfertur cultui diuino Oſeæ 6. & Matth. 12. vbi dicitur: miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd Deum non colimus per exteriora ſacrificia aut munera, propter ipſum, ſed propter nos, & propter proximos; non enim indiget ſacrificiis noſtris; ſed vult ſibi offerri propter noſtram deuotionem, & proximorum vtilitatem: Et ideo miſericordia qua ſubuenitur defectibus aliorum, eſt ſacrificium ei magis acceptum; vtpote propinquiùs vtilitatem proximorum inducens, ſecundùm illud Heb. vlt. *beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Ibid. ad* 1.

Qu. 9. quomodo ſicut Gloſſa D. Ambroſii (ſuper illud 1. ad Timoth. 4. pietas ad omnia vtilis eſt) dicit: omnis ſumma diſciplinæ chriſtianæ in miſericordia & pietate eſt

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſumma Religionis Chriſtianæ in miſericordia conſiſtit, quantùm ad exteriora opera: interior tamen affectio charitatis, qua coniungimur Deo, præponderat & dilectioni & miſericordiæ in proximos. *Ibid. ad* 2.

Plura de miſercordia ipſiuſque operibus videantur ſupra v. Eleemoſyna.

MODESTIA.

Quæſtionibus quæ ſub hoc voc. habentur de modeſtia iungantur ſequentes.

Qu. 4. an & quomodo virtus modeſtiæ verſetur circa exteriores actus corporis quantùm ad perſonas & negotia.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd virtus moralis conſiſtit in hoc quòd ea quæ ſunt hominis, per rationem ordinantur: Manifeſtum eſt autem quòd exteriores motus hominis ſunt per rationem ordinabiles: Ad imperium enim rationis exteriora membra mouentur: vnde manifeſtum eſt quòd circa horum motuum ordinationem virtus moralis conſiſtat: Ordinatio autem horum motuum attenditur quantùm ad duo: Vno quidem modo, ſecundùm conuenientiam perſonæ: alio modo; ſecundùm conuenientam ad exteriores perſonas, ſeu loca: Vnde dicit Ambroſius, in 1. de officiis, *hoc eſt pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique ſexui, & perſonæ reddere*: Hoc pertinet ad primum: quantùm autem ad ſecundum, ſubditur: *Hic ordo geſtorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus*: 2. 2. *qu.* 168. *art.* 1. *in corp.* 4. *Ethic. lect.* 16.

Qu. 5. vtrum in modeſtia ſiue in compoſitione exteriori debeamus imitari naturam.

Reſp. D. Thomas, dicit Amb. in 1. de officiis: *Sicut molliculum & infractum aut vocis ſonum, aut geſtum corporis non probo, ita neque agreſtem, ac ruſticum. Naturam imitemur, effigies eius formula diſciplinæ, forma honeſtatis eſt.* 2. 2. *q.* 168. *a.* 1. *in arg. ſed contra.*

Qu. 6. an circa modeſtiam defectus naturæ ſuppleri vel corrigi debeat per induſtriam.

Reſp.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd quamuis ex naturali diſpoſitione habeat homo aptitudinem ad hanc vel ad illam diſpoſitionem exteriorum motuum: tamen quod deeſt naturæ poteſt ſuppleri ex induſtria rationis: vnde Amb. dicit in 1. de offic. *Motum natura informet. Si quid ſanè in natura vitij eſt, induſtria emendet. Ibid. ad 2.*

Qu. 7. quomodo modeſtia ſiue moderatio in exteriori compoſitione exigat moderationem paſſionum.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſicut dictum eſt, exteriores motus ſunt quædam ſigna interioris diſpoſitionis, quæ præcipuè attenditur ſecundùm animæ paſſiones. Et ideo moderatio exteriorum motuum requirit moderationem interiorum paſſionum: vnde Ambroſius dicit in 1. de officiis quòd *hinc* (ſcilicet ex motibus exterioribus) *homo cordis noſtri abſconditus aut leuior aut iactantior aut turbidior, aut contra grauior & conſtantior & purior & maturior æſtimatur.* Per motus etiã exteriores alij homines de nobis iudicium capiunt; ſecundùm illud Eccleſiaſtici 19. *Ex viſu cognoſcitur vir: & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus:* Et ideo moderatio exteriorum motuum quodammodo ad alios ordinatur; ſecundùm illud quod Auguſtinus dicit in regula, *In omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Ibid. ad 3.*

OCCIDERE.

Sub hoc vocabulo tres vltimæ quæſtiones adiungi debebant de homicidio per comparationem ad alia peccata, quæ inſertæ ſunt v. *Peccatum* poſt qu. 9.

POENITENTIA.

Quæſt. 61. poſt hæc verba (ſcilicet de facili) deſunt ſequentia, ſecundùm quòd dicitur ille non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili.

PROBABILITAS.

Ibi omiſſa fuit cenſura Summi Pontificis Alexandri 7. qui in decreto ſæpiſſime citato inter alias propoſitiones damnauit iſtam quæ eſt 27. *Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectã eſſe à ſede Apoſtolica tanquam improbabilem.*

RESTITVTIO.

Doctrina quæ traditur in quæſtione quarta huius vocabuli, adhuc magis explicatur in ſequenti.

Qu. 5. quandonam ille qui diffamat alterum, teneatur ad reſtitutionem honoris: & quomodo fieri debeat hæc reſtitutio.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ille qui malitiam alicuius manifeſtat ei qui habet corrigere, vel etiam (ſi ſit incorrigibilis) in conſpectu Eccleſiæ, vt confuſus à peccato deſiſtat, vel ſaltem vt alij ab eius conſortio corruptiuo diſcedant, ſeruato ordine charitatis fraternæ, non iniuſtè famam aufert: vnde non tenetur ad famæ reſtitutionem: Si autem intentione diffamandi hoc fecerit, iniuſtè aufert,

Digitized by Google

etiamſi verum ſit quod dicit; & tūc tenetur ad famæ reſtitutionem, vel dicendo ſe falſum dixiſſe, ſi falſum dixit; vel quocunque alio modo, non mentiendo, ſi verum dixit: ſine hoc tamen quòd ſe verum non dixiſſe dicat; quia non debet alterius famam cum mendacio reſtituere. 4. *ſent. d.* 14.*q.*2.*a.*5. *qu.* 2. *ad* 1.

RIXA.

Quæſtio ſequens debet eſſe tertia ſub hoc vocabulo: illa autem quæ ibi eſt tertia & aliæ ſequentes citantur ex 2. 2.qu. 41. a. 1. cùm tamen contineantur in artic. 2.

Quær. 3. *quomodo ſicut dixit D. Gregorius* 31. *mor. rixa proueniat ex ira, & ſit ipſius filia, iuxta illud prou.* 15. *&* 29. *vir iracundus prouocat rixas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd rixa importat quandam contradictionem vſque ad facta peruenientem, dum vnus alterum lædere molitur. Dupliciter autem vnus alium lædere intendit: vno modo quaſi intendens abſolutè malum ipſius: Et talis læſio pertinet ad odium, cuius intentio eſt ad lædēdum inimicum vel in manifeſto, vel in occulto: alio modo aliquis intendit alium lædere, eo ſciente & repugnante; quod importatur nomine iræ: Et hoc propriè pertinet ad iram, quæ eſt appetitus vindictæ: non enim ſufficit irato quòd latenter noceat ei contra quem iraſcitur; ſed vult quòd ipſe ſentiat, & quòd contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, vt vindictam eius quod fecit: & ideo rixa propriè oritur ex ira. 2. 2. *qu.* 41. *art.* 2. *in corp.*

SILENTIVM.

Qu. 1. *quanam bona proueniant ex refrænatione linguæ ſiue ſilentio.*

Reſp. D. Thomas, notandum quòd multa bona contingunt ex refrænatione linguæ. Primum eſt, vitæ perfectio, Iacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Secundum eſt, mentis in Deum eleuatio, Thren. 3. *ſedebit ſolitarius, & tacebit, &c.* Tertium eſt, vitæ æternæ acquiſitio, Pſal. 33. *quis eſt homo qui vult vitam; diligit dies videre bonos; cohibe linguam tuam à malo, &c. Serm.* 4. *ſuper epiſtolam Dominica* 4. *poſt paſcha.*

Qu. 2. *quàm ſit difficile ſeruare ſilentium, iuxta illud D. Iacobi.* 3. *linguam autem nullus hominum domare poteſt.*

Reſp. D. Thomas, linguam nullus hominum domare poteſt, ideſt regere, quin labatur aliquo modo: Gloſſa: *nullus eſt qui aliquando in lingua non delinquat.* Sed contra, pſalmiſta: *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Reſponſio. Poteſt ſeruari à delicto graui, ſicut doli, detractionis, iactantiæ, ſed non à leui ſemper: imò omnes offendunt, vel ſuperfluè vél otioſè loquendo. Gloſſa: *nullus Doctorum poteſt domare linguam verboſorum ſubditorum. In expoſ. eiuſdem cap.* 3.

Plura circa ſilentium videri poſſunt ſupra v. Religio, vbi agitur de ordinibus Religioſis ad vitam contempla-

nam ordinatis, & infra v. vita, vbi agitur de ipſa vita contemplatiua; præcipuus enim ſilentii finis eſt contemplatio.

SIMONIA.

Titulus primæ quæſtionis talis eſſe debet. *an ſimonia, quæ eſt ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum, ſit peccatum Religioni & fidei oppoſitum, iuxta illud D. Gregorij in regiſtro, altare vel decimas vel Spiritum-Sanctum emere vel vendere ſimoniacam hæreſim eſſe nullus fidelium ignorat.*

SCRVPVLI.

Quamuis ea quæ dicuntur de ſcrupulis, aliqualiter inferri poſſint ex principiis doctrinæ D. Thomæ (ſicut etiam ſupra notanimus de æquiuocatione) quia tamen de ipſis expreſſè non loquitur Doctor Sanctus; Et aliunde materia eſt valde neceſſaria: viſum eſt expediens eam ſupplere ex altero ſancto eiuſdem ordinis, nempe D. Antonino, qui ex noſtro Prædicatorum ordine ad Archiepiſcopatum Florentinum fuit aſſumptus; quique ſanctitate & ſcientia fuit valde celebris, & à caſuiſtis ſæpe cum magna laude citatur. Sanctus iſte in illo opere omnino egregio, quod ſumma maior & aurea nuncupatur, plura dicit de ſcrupulis: præcipua ſunt quæ ſequuntur.

Qu. 1. quid ſit ſcrupulus.

Reſp. D. Antoninus, ſciendum quòd ſcrupulus eſt vacillatio quædam conſurgens cum formidine ex aliquibus coniecturis debilibus & incertis. Vnde videtur eſſe ſcrupulus id quod apud alios dicitur puſillanimitas: quæ eſt tædio ſeu timore rerum aduerſarũ iners & inconſiderata fracti animi deiectio. Et ſic vtrumque ſcilicet, tam ſcrupulus quàm puſillanimitas importat inordinatum timorem. Vnde ipſe ſcrupulus à quibuſdam vocatur erronea conſcientia, ab aliis timor conſcientiæ, & ab aliis puſillanimitas, contra quod dicitur Eccleſ. 7. *Noli eſſe puſillanimis in animo tuo. 1. p. ſumma tit. 3. cap.* 10. § 9.

Qu. 2. ex quibus cauſis oriantur ſcrupuli.

Reſp. D. Antoninus, cauſatur iſta ſcrupuloſitas ſiue puſillanimitas quandoque ex complexione ad timorem idonea, vt eſt complexio frigida; putà in feminis vetulis & melancholicis. Timor enim naturaliter ſecundùm Damaſcenum, conſtringit; ſicut & frigida conſtringunt, & congelationem faciunt: ad quem motum contractionis imaginatio mouetur à timoris diſpoſitione, itaut concipiat quis aliquid eſſe futurum malum & per conſequens fugiendum. Quãdoque cauſatur puſillanimitas ſeu ſcrupulus ex ægritudine maniaca vel melancholica, quæ eſt infirmitas capitis, per quam læditur imaginatio, & quandoque ratio: vnde Galenus & Auicenna dicunt, quòd mania eſt infectio anterioris cellulæ capitis cum diminutione imaginationis; melancholia verò eſt infectio mediæ cellulæ capitis cum diminutione rationis. Cauſatur & aliquando ſcrupulus ex tentatione diabolica. Poteſt enim diabolus Deo permittente, mouere melan-

cholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare poteſt, aut turbari ad timorem inordinatum: vnde & Auicenna dicit, quòd quibuſdam medicis viſum eſt quòd melancholia contingat à dæmonio. Aliquando verò procedit puſillanitas ſeu ſcrupulus ex regiminis corporalis negligentia, ſcilicet per nimiam abſtinentiam, vigilias, & huiuſmodi: vnde beatus Hieronymus, *rationalis hominis dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, aut vigilias præfert ſenſus integritati; vt per immoderatiorem abſtinentiam, atque indiſcretam pſalmorum vel officiorum decantationem aut amentia aut triſtitia* (ideſt melancholiæ) *notam incurrat*, de conſecra. diſt. 5. *non mediocriter*. Aliquando cauſantur ſcrupuli ex ſocietate timidorũ: nam vnus ſcrupuloſus facit alium ſcrupuloſum. *In illa ſumma maiori, prima parte, titulo* 3. *ca.*10. §. 9.

Quæ. 3. quodnam ſit optimum contra ſcrupulos remedium.

Reſp. D. Antoninus, eſt orationis deuotæ continuatio: vnde Iacobi 1. dicitur, *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei*: ſapiens in ſe expertus ait Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ*: qui ſpiritus eſt vnctio, quæ docet de omnibus, vt dicitur in 1. cano. ſcilicet, neceſſariis ad ſalutem. Sic & Salomon poſtulans ſibi dari ſapientiam ad rectè iudicandum populum, vbi occurrunt multa dubia, obtinuit eam. 3. Reg. 3. & Ioſaphat Rex ad Dominum inquit: *cùm ignoremus quid agere debeamus; hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te*. Et præcipuè oratio valet ad tollendum ſcrupulos, prout procedunt ex tentatione diaboli. Quod figuratum eſt Matth. 17. in dæmoniaco lunatico ſanato à Chriſto, qui proiiciebat illum obſeſſum quandoque in ignem, quandoque in aquam: Sic ſcrupuloſus de vno contrario vadit ad aliud: & de eo dixit quòd illud genus dæmoniorum eiicitur in oratione, & ieiunio. Sic beatus Petrus martyr oratione liberatus fuit à ſcrupulo infidelitatis. *In eodem capite* 10. *&* §. 9.

Quæ. 4. quodnam ſit aliud optimum remedium contra ſcrupulos.

Reſp D. Antoninus, eſt obedientiæ humilis imitatio; vt ſcilicet ſcrupuloſus captiuet intellectum ſuum dictis ſapientum & obedientiæ ſuperiorum, quantumcunque ſcrupulus ipſi dictet aliud. Vnde prouerb. 3. dicitur: *ne innitaris prudentiæ tuæ*: & Iob. 4. *conſilium ſemper à ſapiente perquire*: Et Prou. 22. *ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui*. Hinc & cancellarius Pariſien. in 4. de vita animæ inquit: *Vnum hoc generale damus documentum credere videlicet faciliter ſapientiorum, & bonorum iudicio; & contra communes ſententias non leuiter ſibimet formare ſcrupulos anxios & timidos.* & in lib. de vitis Patrum Prædicatorum narratur; quòd cùm quidam defunctus appareret alteri eiuſdem ordinis, ſcilicet Prædicatorum, qui erat multum ſcrupuloſus, ipſo interrogante de ſcrupulis ſuis, reſpondit defunctus: *Conſule diſcretos, & acquieſce eis*. Similiter legitur de quodam diſcipulo beati Bernardi, qui cùm non

poſſet deponere ſcrupulos ſuos, propter quod ad celebrandum non auderet accedere, dixit ei Bern. *vade fra er, & in fide mea celebres*: obediuit ille ſimpliciter, & omnis ille ſcrupulus perpetuò receſſit. Sed ſi quis ſcrupuloſus diceret. Vtinam tális eſſet prælatus qualis erat Bernardus, crederem faciliter imperanti, & acquieſcerem conſulenti: nunc autem cùm ſuperioris mei paruam ſapientiam conſpicio, non audeo meam conſcientiam eius fidei committere. Reſpondet cancellarius: quiſquis ita dicis & ſapis, erras & deciperis; debes ergo illi obedire non vt homini, ſed vt Deo iubenti cuius vices gerit: Vnde Luc. 10. Chriſtus dicit: *qui vos audit me audit*, Si tamen non contra Deum iuſſerit. *Ibidem.*

Qu. 5. quodnam aliud remedium ſit conueniens ſcrupuloſis.

Reſp. D. Antoninus, eſt animoſa pugnatio, ſeu repulſio ſcrupulorum, ſeu puſillanimitatis. Ad quod hortatur Dominus Iſa. 35. dicens: *Confortamini puſillanimes: confortamini, & nolite timere; ecce Deus veſter*, ſcilicet adiuuans & illuſtrans. Vnde Greg. in mor. dicit, quòd diabolus aſſimilatur mirmico leoni, quod animal dicitur leo formicarum. Nam formicis quæ minutiſſimæ ſunt diſcurrentibus inſidiatur & occidit: ſed alia animalia grandiuſcula itinerando conculcant & perimunt. Sic diabolus inueſtigat complexiones hominum, vt dicit Greg. & quos videt parui cordis & puſillanimes & ſcrupuloſos, ipſos aggreditur, & ſcrupulis, & vitiis occidit: Sed à magnis ſpe & vigore rationis diabolus ipſe proſternitur & abiicitur. Hinc & Cancellarius in quodam tractatu ſuo inquit: *Mille ſurgunt apud aliquos ſcrupuli more canum oblatrantes, & lacerare minantes ipſos qui volunt ire per viam Dei, quos conuincere & compeſcere melius quàm per contemptum nequimus: tantummodo ſi contemptus ille ſit temoratus, & regulatus, non abſque premio alterius præſertim ſuperioris conſilio.* Etidem in tractatu de regulis moralibus ait: *Conſilium ſalubre eſt frequenter agere contra ſcrupulos leues & tepidos, vitando eos ad alterum iudicium; quatenus ex conſuetudine fiat homo robuſtus, ſolidus, & tranquillus in exercitio ſpirituali. Sicut etiam ſi quis vellet ligamentum diſtortum ad rectitudinem ducere, oporteret quòd retorqueret ipſum ex parte oppoſita curuando; & ſic reduci poſſet ad rectitudinem. In eodem* §. 9.

Qua. 6. quomodo ſanandi ſint ſcrupuloſi, quando ſcrupuli ex infirmitate corporali proueniunt: & vtrum expediat viuere iuxta regulas medicina.

Reſp. D. Antoninus, cùm cauſa ſcrupuloſitatis aliquando procedat ex qualitate complexionis præcipuè melancholicæ; aliquando ex ægritudine ſuperueniente maniacha, vel melancholia; aliquando ex indiſcreto vitæ regine, putà per nimias abſtinentias: pertinebit ad moralem medicum rectorem, vel confeſſorem in huiuſmodi adhibere remedia de conſilio medicinæ: vt ſcrupuloſus ſeipſum vincat, etſi durum videatur in aſſumenda illa remedia præcipuè conſulta, vel data ſeu impoſita ab ipſo medico ſpirituali: dicitur enim Eccleſ. 38. *altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.*

Non tamen expedit in omnibus viuere medicinaliter, præcipuè religioſis. Nam vt dicit Amb. de Conſec. diſt. 5. *Contraria ſunt diuina conditioni præcepta medicinæ, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, vigilare non permittunt, ab omni intentione meditationis abducunt.* Nec etiam ſcrupuloſus debet timere vitam ſibi abbreuiare ex obſeruatione præceptorum Dei & Eccleſiæ, vel obſeruatione ſuæ religionis: dummodo ex capite ſuo non addat alia magis auſtera: nam vedicit Iob, *Conſtituiſti terminos eius*, ſcilicet vitæ hominis, *qui præteriri non poterunt*: nec ſecundùm prolongationem, nec ſecundùm abbreuiationem: ſed etſi abbreuiaretur ſecundùm cauſas ſecundas & naturales, ſibi eſſet ad cumulum præmij, non peccati; illa ſcilicet faciendo ad placendum Deo, & ſecundùm communes regulas traditas ab Eccleſia, & religionibus approbatas. *ibidem.*

Quær. 7. an ſcrupuloſi & etiam alij poſſint ſequi quamlibet opinionem; dummodo ſit alicuius magni Doctoris.

Reſp. D. Antoninus, ex reſponſis quæ videntur data ab Alberto magno, habetur quòd frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcumque opinionem voluerit; dummodo alicuius Doctoris magni opinionem ſequatur, *ibidem.*

Quær. 8. quid ſit certitudo moralis, quidue probabilitas: & quanam ſufficere debeat & ſcrupuloſis, & aliis.

Reſp. D. Antoninus, certitudo moralis, ſeu ciuilis, tangitur in principio Ethicorum: Vbi dicitur quòd diſciplina eſt in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam materiæ: æquè enim vitioſum eſt per ſuadentem quærere mathemati cum, & moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex euidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis, groſſis, & figurabilibus magis ad vnam partem quàm ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile quod pluribus & maximè ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur quòd in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abiiciat; ſed ſufficit vt contemnat ſeu ſuperet eos. *ibidem.*

STVLTITIA.

Qu. 1. quomodo ſtultitia ſit peccatum, de quo dicitur Prou. 1. proſperitas ſtultorum perdet eos.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſtultitia importat quemdam ſtuporem ſensûs in iudicando: & præcipuè circa altiſſimam cauſam, quæ eſt finis vltimus & ſummum bonum: circa quod aliquis poteſt pati ſtuporem in iudicando, dupliciter: vno modo in diſpoſitione naturali, ſicut patet in amentibus: & talis ſtultitia non eſt peccatū: alio modo inquantum immergit homo ſensū ſuum rebus terrenis: ex quo redditur eius ſenſus ineptus ad percipienda diuina: ſecundùm illud 1. ad Cor. 2. *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritûs Dei*: ſicut etiam homini habenti guſtum in-

Digitized by Google

fectum malo humore, non ſapiunt dulcia, & talis ſtultitia eſt peccatum. 2. 2. q. 46. a. 2. in c.

Qu. 2. an ſtultitia ſit luxuria filia, iuxta illud Prou. 7. ſtatim eam ſequitur (ſcilicet meretricem) ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ſtultitia ſecundùm quòd eſt peccatum, prouenit ex hoc quòd ſenſus ſpiritualis hebetatus eſt, vt non ſit aptus ad ſpiritualia diiudicanda: maximè autem ſenſus hominis immergitur ad terrena per luxuriam: quæ eſt circa maximas delectationes, quibus anima maximè abſorbetur: Et ideo ſtultitia quæ eſt peccatum, maximè naſcitur ex luxuria. *ibid. a. 3. in corp.*

Quær. 3. quomodo ſtultitia maximè prouenit tam ex ira quàm ex luxuria.

Reſp. D. Thomas, dicendum quòd ira ſuâ acuitate maximè immutat corporis naturam: vnde maximè cauſat ſtultiam, quæ prouenit ex impedimento corporali: ſed ſtultitia quæ prouenit ex impedimento ſpirituali, ſcilicet ex immerſione mentis ad terrena, maximè prouenit ex luxuria, vt dictum eſt. *ibid. ad 3. Iob. 5. lect. 1.*

TACTVS.

Qu. an tactus impudici ſint peccata mortalia: & vtrum contineantur ſub immunditia, de qua Apoſtolus ad Epheſ. 5. ait: nec nominetur in vobis ſicut decet Sanctos.

Reſp. ſupra v. Delectatio moroſa *qu. 3.* v. Luxuria *qu. 24.* & v. Oſculum *qu. 2. & 3.*

VIDVITAS.

Apoſtolus per mulierem innuptam intelligit viduam, iungendo eam virgini dum 1. ad Corinth. 7. ait: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* vt dicemus ex Angelico noſtro Doctore in opuſculo de caſtitate.

Continentiæ viduali correſpondet fructus ſexageſimus, vt habetur ſupra v. *Fructus Euangelicus.*

An velandæ ſint viduæ: vtrum ipſis debeatur aureola: & vtrum ſit maior vel minor earum pugna quàm virginum, videatur v. *Virginitas qu. 12. & 15.*

VSVRA.

In impreſſione Romana operum D. Thomæ iuſſu Summi Pontificis Beati Pij 5. ex noſtro Prædicatorum ordine aſſumpti editâ, opuſculum 73. de vſuris ponitur inter opuſcula dubia, quæ minuſculis characteribus ſunt impreſſa, vt diſtinguantur ab opuſculis indubitatis eiuſdem Angelici Doctoris, quæ ſunt maiuſculis impreſſa characteribus. Plures aſſerunt opuſculum illud eſſe Sancti Doctoris: alij negant: nec ego vnquam potui hoc mihi perſuadere. Nam ſi totum attentè legatur, conſtabit quòd ſtylus prorſus diſcrepat ab ordinario ſtylo Doctoris Angelici; & quòd quædam in eo habentur ſententiæ omnino oppoſitæ illis, quas ſanctus Doctor tradit in aliis ſuis operibus indubitatis.

Omitto alias rationes, quæ pro vtraque parte afferri poſſunt. Sufficit monere, quòd ne illi qui primæ adhærent opinioni, aliquid in

Digitized by Google

hoc opere noſtro deſiderent: & quia aliunde ſi hoc opuſculum non eſt D. Thomæ, ſaltem eſt Authoris ſatis antiqui; cùm Bergomenſis, qui à pluſquam ducentis annis floruit, ipſum inter alia D. Thomæ opuſcula recenſeat, & ipſius reſolutiones inſerat in ſua tabula aurea omnium operum eiuſdem Angelici Præceptoris: ideo ex ipſo refero quæſt. ſequentes prætermiſſis illis, quæ in aliis ſancti Doctoribus operibus omnino indubitatis & clariùs & exactiùs exponuntur; & habentur ſupra v. *Reſtitutio*, & v. *Vſura*. Omiſſis quoque nonnullis propter rationes, quas ſtudioſus illius opuſculi lector ſuſpicari facilè poterit.

Qu. 1. an ſine vſura poſſit iniri contractus quo redditus vel ſenſus emũtur minori pretio ad tempus, ſicut emuntur pro ſemper: v. g. aliquis habet redditus certos ex parrochia, vel prabenda, vel patrimonio, vel aliunde; & eos vult vendere ad ſex annos, vel ad decem, vel ad tempus determinatum, vt ſimul habeat paratam pecuniam, an licitè poſſint emi pro minori pretio quàm valeant in tot annis.

Reſpondetur in prædicto opuſculo 73. de vſuris cap. 9. Contractus ille de natura ſua habet in ſe tria, quæ ipſum iuſtum oſtendunt. Vnum eſt ipſa vendẽtis liberalitas, qua poteſt rem ſuam dare gratis, vel permutare pro re minoris pretij quàm ſit ſua res; & ſecundùm hoc nullum incidit vitium in emente, quia id quod accipitur, totum eſt de voluntate libera Domini. Aliud eſt ipſa æquitas permutationis rerum, quia quando res venditur pro tanto quanto æſtimatur iuſtè ſiue à venditore & emente, ſiue ab his qui ſunt legis poſitiuæ, tunc eſt iuſtitia in permutatione: ſed conſtat quòd vendens non poteſt plus habere pro tempore pro quo vendidit: & etiam res futuræ per tempora non ſunt tantæ æſtimationis, ſicut eædem collectæ in inſtanti; nec tantam vtilitatem inferunt poſſidentibus: propter quod oportet quòd ſint minoris æſtimationis ſecundùm iuſtitiam. Tertium eſt ipſa ratio ſortis, quia quod plus accipitur quàm datur, eſt de ratione ſortis: eo quòd emens totum emit quòd euenturum erat tempore determinato: & ideo non vltra ſortem propriam accipit, ſicut nec ille qui emit redditus ad omne tempus.

Qu. 2. an ſit vſurarius contractus, quando emuntur redditus, vel poſſeſſiones ad vitam, quæ eſt tempus indeterminatum; v. g. quando datur certa pecunia ſumma alicui Eccleſiæ pro aliquibus poſſeſſionibus tenendis ad vitam illius qui dat pecuniam; itaut poſt eius mortem redire debeant ad eamdem Eccleſiam.

Reſp. in eodem cap. 9. quòd tum propter iuſtam æſtimationem rerum in tempore contractus, quia tantùm res æſtimatur iuſtè, quantùm ad vtilitatem poſſidentis refertur, & tantùm iuſtè valet, quãtùm ſine fraude vendi poteſt: tum etiam propter periculum æqualiter annexum ipſi contractui per naturam eius ex parte vtriuſque Domini: tum etiam propter liberam voluntatem Dominorum res transferentium cum ſuis prouentibus, fit huiuſmodi contractus ex natura ſui à vitio vſuræ liber.

Quæ. 3.

Qu. 3. an ſine vſura poſſint fieri contractus, quibus pro minori pretio ſtatim perſoluendo emuntur res fructiferæ plus poſtea valitura ſiue per naturam temporis, ſiue per exercitium laboris. vt ſemina & ſyluæ.

Reſpond. in illo opuſculo de vſuris, cap. 10. Illud quod per naturam temporis accreſcit rei alicui, iuſtè eſt illius, cuius eſt ipſa res; vt ſi quis emit terras frutiferas, vel arbores, vel animalia frutifera, quidquid euenit per naturam temporis, & non tantùm per exercitium laboris, iuſtè fit illius, cuius ſunt huiuſmodi terræ, &c. Quare cùm per naturam temporis ſegetes in terra ſatæ veniant ad maiorem valorem, & ſimiliter ſyluæ; ſequitur quòd quidquid prouenit vltra pretium datum, iuſtè fit illius qui emit ipſa, & cedit in propriam ſortem: quare nihil accipit vltra ſortem, licèt plus accipiat emens quàm dederit.

Qu. 4. an poſſit aliquis extinguere debitū diminuendo de ſumma propter anticipationem ſolutionis, vt ſi aliquis debeat alteri centum ſolidos perſoluendos poſt annum, vel annuatim ad duos vel tres terminos; & creditor vult remittere debitori tertiam, vel quartam, vel quintam partem, ſi ſoluat ei in principio anni, ſiue ante terminos præfixos, quando petierit.

Reſp. in eodem opuſc. cap. 8. hîc poteſt cadere excuſatio vſuræ dupliciter. Vno modo, quando gratis & liberaliter creditor huiuſmodi ſuperabundantiam tribuit debitori; & debitor non cauſâ temporis accipit. Alio modo, quando debitor per damnum propriæ rei recompenſat huiuimodi ſuperabundantiam, vt quando non poteſt habere pecuniam ſine alicuius rei propriæ alienatione & damno, ex qua ſoluat creditori quod petit ante terminum ſolutionis. Alias eſt caſus vſurarius.

Qu. 5. vtrum ratione dubii vel periculi excuſetur aliquis ab vſura, licet vendat rem plus quàm valeat, recepturus ſolutionem dum erat tantùm valitura; vel emat minùs quàm valeat, recepturus rem dum eſſet fortè plus valitura.

Reſpondetur in prædicto opuſculo cap. 6. Declaratio prædictorum per exempla magis patebit. Ponamus igitur, quòd aliquis poſt Auguſtum, multum de blado, vel de vino habeat venalia; & pro illo tempore menſura bladi tres ſolidos tantùm valeat, & modius vini decem, & vendat bladum pro quatuor ſolidis, & vinum pro duodecim, recepturus tamẽ pecuniam in feſto ſancti Ioannis. Quia nec volebat dare pro minori pretio etiamſi ſtatim reciperet, eo quòd rem ſuam æſtimabat tantùm valiturã probabiliter in prædicto tempore ſolutionis. Dico, quòd non committit vſuram, licèt plus accipiat in ſpe, quàm det tempore venditionis: quia illud non accipit cauſâ temporis, ſed pro natura rei, quam probabiliter, & veri ſimiliter dubitari poteſt tantùm valituram in tempore pro quo vendidit, etiam ſi non valuit tantùm in tempore, quo vendidit. Et hæc ratio poteſt applicari ad aliquos alios contractus; etiam quando res minùs emitur quàm

valeat tempore emptionis, recipienda tamen in alio tempore in quo veriſimiliter poteſt dubitari, vtrum plus, vel minùs ſit valitura quàm empta ſit.

Sicut autem dictum eſt de ratione dubij in mutuo, & in contractibus alijs, ita dicendum eſt de ratione periculi, quia ratio periculi, etiam circa ſortem, non tollit rationem vſuræ in mutuo, vt probatur in capitulo, *Nauiganti*. Et huius ratio patet per prædicta. In contractibus verò aliis, in quibus videtur ſuperabūdare acceptum ſuper datum, poteſt excuſare, ſcilicet quando ipſa ratio periculi poteſt recōpenſare huiuſmodi ſuperabundantiam. Res enim, quæ extra periculum poſſidentur eiuſdem ſpeciei, plus æſtimantur, quàm eædem exiſtentes in periculo; & ideo ad naturam rei conuertitur recompenſatio, quæ propter periculum æſtimatur plus, vel minùs valere.

Qu. 6. an ſine vſura poſſit aliquis committere pecuniam mercatori pro certa parte lucri.

Reſpondetur in eodem opuſc. cap. 11. quòd aut commiſſio ſit pecuniæ, ita quòd transfertur dominium in toto, vel in parte rei commiſſæ in poteſtatem eius, cui committitur; aut ita ſit commiſſio, quòd non tranſeat dominium, ſed remanet tota res commiſſa in dominio committentis. Primo modo eſt vitium vſuræ, eo quòd ſperat lucrum iam de re non ſua, quia iam erat tranſlata per commiſſionem in dominium alterius; & in hoc aſſimilatur mutuo. Sed ſecundo modo poteſt ſperari lucrum ſine vitio vſuræ, quia tunc commiſſa eſt pecunia, vel res alia ſicut ſeruo, & miniſtro, qui de re domini negotiantur ad vtilitatem domini ſui: & ideo committens poteſt ſperare lucrum, ſicut ex re ſua, & ſic non accidit ſorti, nec poſſidetur ſine iuſto titulo: quia ſicut rei propriæ partum recipit, non tamen partum numiſmatis ex numiſmate immediatè, ſed partum ipſarum rerum, quæ per numiſmata ſua ſunt acquiſitæ iuſtâ commutatione.

Qu. 7. quandonam licitè & ſine vſura dari poſſint commiſſiones nutriendorum animalium, vel aliarum rerum, ad lucrum ipſius committentis.

Reſpondetur ibidem, tunc huiuſmodi commiſſiones licitè fieri poſſunt, quando mutuum, vel ſimilitudo mutui non permiſcetur in talibus, ſed dominium retinetur cum periculo, quod communiter accidere poteſt: vel dominium rei commiſſæ communicatur ei qui eam ſuſcipit ad lucrum nutriēdam, & ſimile periculum communicatur vtrique; Et quando ſecundùm iuſtam æſtimationem taxatur lucrum, per quod iuſtè recompenſatur labor & ſollicitudo alumni.

Qu. 8. vtrum ille qui vendit ad credentiam poſſit carius vendere ad vitandum damnum ſuum: & quomodo in hoc dignoſcatur intentionis rectitudo.

Reſpondetur in eodem opuſc. cap. 10. Si venditor rem ſuam intendat vendere cariùs, non propter tempus tantùm ſed tantùm propter damnum, quod ſibi videt imminere

re ex dilatione perſolutionis recuperandæ, ſeu propter vexationem ſuam redimendam, quam probabiliter timet futuram ſibi in repetitione debiti ſui, propter malitiam, vel impotentiã debitoris, tunc excuſatur à vitio; & fit æquitas æſtimationis in huiuſmodi contractibus, per recompenſationem damni, vel quando probabiliter timentur hæc in credentia accidere: & tunc rectitudo huiuſmodi intentionis apparet, quando venditor optaret potius non vendere talibus, quàm vendere ad credentiam; & quando libentiùs daret aliis pro minori pretio in continenti perſoluendo, quàm venderet ad credentiam talibus pro pretio maiori.

Qu. 9. an ſine vſura poſſit aliquis alteri eunti ad nundinas ſuam committere pecuniam ad lucrum.

Reſp. in eod. opuſc. cap. 14. diſtinguendum eſt circa hoc: quia aut eſt ſimpliciter commiſſio, quæ fit propriæ rei bonæ fidei alterius, & ſic non incideret vſuræ vitium; ſicut oſtendimus ſupra: aut eſt commiſſio ſecundùm quid, ſeu ſimpliciter tranſlatio, ſicut eſt in mutuo: commiſſionem verò ſecundùm quid dico, inquantum committens non retinet periculum ſuper ſe rei commiſſæ: & hoc modo propter rationem tranſlationis, quæ debuit fieri gratis ſine ſpe lucri, incidit vitium vſuræ: & in hoc caſu loquitur Decretalis, *nauiganti*.

Qu. 10. vtrum ille qui dat mutuo triticum, vel vinum, vel oleum ad certas menſuras, & hoc in tempore quo minùs valent: vt ſibi reddatur in æqualibus menſuris & ſpeciebus, in alio tempore, quo verìſimile eſt res prædictas plus valituras, committat vſuram.

Reſp. ibidem, dicimus quòd in hoc caſu conſcientia aut excuſat aut accuſat: quia verò mutuum debet fieri gratis & ſine ſpe lucri, quandocunque in mutuo & ex mutuo intenditur ſpes lucri, tunc non caret vitio vſuræ: ſed ſic non eſt in emptione & venditione.

Poteſt autem excludi ſpes lucri ab intentione dantis mutuo modo prædicto, dupliciter. Vno modo, quando dans mutuo paratus eſt omni tempore accipere rem mutuatam, etiam ante illud tempus determinatum, quo res veriſimiliter deberent eſſe cariores: hoc modo ſpes lucri, etſi per accidens intendatur, non tamen per ſe: quia non tollit rationem gratuiti à mutuo. Alio modo, quando dans mutuo, etiam tempus illud determinauit in in quo veriſimiliter plus valituræ erant, propter ſolam damni vitationem: tunc enim damnum vitat, quando neceſſitati propriæ conſulens intendit conſeruare res ſuas ſibi magis neceſſarias ad vſum vitæ, quas ſi tunc non haberet, oporteret eas alibi emere: & ſic reportaret damnum de gratia mutui facta proximo: & ſic intendens in mutuo excuſatur ab omni vitio vſuræ.

Qu. 11. an ſit vſura quando ciuitates bona pupillorum conſeruant, & ſaluâ ſemper ſorte dant aliquid ſuperabundans.

Reſp. in eodem opuſculo cap. 12. ſi non datur huiuſmodi ſuperabundantia vt lucrũ, ſed vt gratia, vel vt donum, tunc licet retinere eis: Et per iſtam rationem excuſat conſue-

Digitized by Google

tudo vſuratium vitium in multis ciuitatibus: & huius ſignum, quòd gratis ſit datum, accipitur ex eo quòd præter voluntatem pupillorum determinant ſibi ſuperabundantiam, quam dant eis, & quòd numquam repetunt, nec repeti faciunt à pupillis aliquid.

Qu. 12. an & quomodo illi qui ſunt ſolummodo participes lucri vſurariorum, teneantur ad restitutionem, ſicut ſerui, vel filij, vel vxores, vel operarij, vel mendici.

Reſp. in opuſc. 73. de vſuris, cap. 17. ſi quis particeps fuerit tantùm lucri, aut ſcienter, aut ignoranter. Si ſcienter, tunc iterum poteſt fieri iuſtè, aut pro neceſſitate corporali, quando aliàs commodè non poteſt inueniri remedium, ſicut accidit pauperibus mendicantibus: Et ſic aliquando etiam per hoc excuſari poſſunt filij, & filiæ in domo parentum vſurariorum, qui aliàs nequeunt victum ſibi neceſſarium inuenire: & ſimiliter vxor eadem neceſſitate poteſt excuſari. Aut hoc fit pro vtilitate ſpirituali, ſicut & Dominus cum publicanis manducabat pro conuerſione ipſorum Luc. 15. et hoc fit iterum iuſtè aut propter recompenſationem iam factam, vel ſaltem in ſpe fiendam. Et primo modo, artifices, vt laborantes, & ſeruientes poſſunt iuſtè aliquando percipere de bonis vſurariorum, quæ acquirunt ab vſurarijs: quia quantum accipiunt ab vſurarijs, tantumdem reddunt ipſis per recompenſationem operis, vel laboris, vel artificij, ita quòd per hoc non ſunt vſurarij impotẽtes effecti ad reſtitutionem faciendam. Nihilominus tamen huiuſmodi artifices, ſi credant vſurarios nihil habere de bono, & eadem facilitate poſſunt ab alijs lucrari, peccant ſcienter vſurarijs communicando opera ſua pro lucro, quòd ſciunt eſſe rem alienam: & maximè propter ſcandalum. Sed modo ſecundo etiam poſſunt participare filij, & filiæ & vxor in ſpe recompenſandi in aliquo futuro tempore, quando ſperant ſe probabiliter facultatem habituros, quanquam tunc non habeant quando participant. Quicunque verò participes fuerint ſcienter extra aliquam triũ cauſarum dictarum, ſiuè etiam ignoranter, & aliquando huiuſmodi notitiam habuerint, tales ad reſtitutionem tenentur, pro parte illa in qua participes exiſtunt rei alienæ;

Qu. 13. vtrum vxor reſtitutionem vſurarum licitè facere poſſit ignorante marito, vel etiam ipſo inuito.

Reſpondet author prædicti opuſ. in eodem cap. 17. puto, ſine præiudicio, quòd poſſit facere reſtitutiones de rebus alienis, viro ignorante & non prohibente, quia ſic agit cauſam viri. Quòd ſi viro ſciente, ſed diſſimulante fecerit, tantò ſecuriùs agere poteſt, quia iam eſt argumentum quòd vir approbat ex quo non reprobat: Si verò viro prohibente, vel priùs aut poſtmodum puniente, ita mulier fecerit vel facere voluerit, iam non licet ei: quia ſicut res ſunt ſub poteſtate viri, ita & vxor: quare oportet eam ſic ſubditã viro obedire per omnia, ſecundùm Apoſtolum 1. Petr. 3. etſi non faciendo malum, tamen obedire debet

In omittendo bonum : quia non eſt neceſſarium ad propriam ſalutem, Vndè ſi vxor non faciat quod ſibi videtur bonum, non imputatur ei ad peccatum, ſed ei, qui hoc ei prohibet.

Qu. 14. an & quando vxor teneatur ad reſtitutionem vſurarum pro marito defuncto.

Reſpondetur ibidem dicendum eſt quòd vxor vſurarij tenetur ad reſtitutionem pro marito defuncto, ſecundùm quòd ad eam bona malè acquiſita deuoluta ſunt, vel inquantùm ipſa viuente marito, talibus bonis vſa eſt. Quòd ſi nihil de talibus bonis ad eam deuoluitur: vel ſi fortè de bonis quæ in matrimonio attulerat, fructus erant ſufficientes ipſius neceſſitatibus, & pro omnibus quæ expendit in vita mariti, tunc non tenetur ad reſtitutionem aliquam faciendam; niſi fuerit vſa rebus mariti in ſpe recompenſandi : vel niſi aliquid alienum poſt mortem mariti ſibi retinuit: Nihil autem eſt reſtituendum, niſi alienum.

Qu. 15. an illi qui ab vſurarijs accipiunt oblationes, & eleemoſynas vel munera, teneantur ad reſtitutionem.

Reſpondetur ibidem, dicendum quòd tales qui ab eis recipiunt aut ſciunt eos vſurarios, aut neſciunt, nec tunc quando accipiunt, nec poſt: Et ſi ſic neſciunt, non peccant accipiendo, nec tenentur ad reſtitutionem. Si verò ſciuerint, tunc vel poſt: vel neceſſitate compelluntur ad accipiendum, aut non: ſi neceſſitate, non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem: ſi verò neceſſitas non fuerit, adhuc aut ſunt vſurarij notorij, aut non notorij: ſi notorij, tunc omnis ab eis accipiens peccat propter ſcandalum, & quia ipſo iure ſunt excommunicati: & ideo ſemper reſtituendum eſt, ſed non eis ſemper: ſi verò non ſunt notorij, aut aliquid creduntur habere de bono proprio præter vſuras, aut nihil: ſi nihil, tunc reſtitutio facienda eſt ab his, qui aliquid acceperunt: Si verò aliquid, tunc etiam accipi poſſunt ſine peccato ab eis munera, & huiuſmodi, & ad reſtitutionem non obligantur.

Qu. 16. an priùs reſtituenda ſint ea quæ per vſuras vel aliter iniuſtè ablata ſunt quàm ſoluenda debita vel legata: & quis ordo ſeruari debeat in reſtitutione, quando pluribus eſt facienda.

Reſp. in eodem opuſc. cap. 18. ſciendum eſt quòd conſuetudo ferè in omnibus apud nos habet, quòd priùs perſoluantur debita quæ clara ſunt, & poſtea fiant reſtitutiones; & vltimò legata ſoluātur. Et huius conſuetudinis poteſt eſſe ratio: quoniam legata ſunt ſecundùm quid donata, & non ſimpliciter donata: ratio enim legati duo importat, ſcilicet quòd non eſt res data ſimpliciter, niſi per mortem legatoris: vnde ſemper viuente legatore poteſt reuocari: & quòd ſint legata propter vtilitatem aliquam legantis poſt mortem. Ex his poteſt patere, quòd legati inquantum huiuſmodi ſunt, non obligant ſecundùm neceſſitatem iuſtitiæ, ſed ſecundùm deuotionem, & vtilitatem legantis. Quare cùm neceſſaria ad ſalutem præcedant ea quæ

ſunt deuotionis & ſupererogationis, iuſtè ſoluuntur debita ante legata. Sed maiori iuſtitiâ reſtituenda ſunt ablata, quàm debita ſint ſoluenda: cùm in hoc impleatur iuſtitia tollens iniuriam factam Deo, & proximo: ſed in ſolutione debitorum nulla tollitur iniuria, ſed tantùm ſoluitur iuſtitia: quare, ſecundùm hoc, videntur priùs reſtituenda ablata, quam ſoluenda debita.

Sed contrarium fit vt in pluribus, quod tamen habere poteſt rationem ex duobus. Vno modo, quando debita ſunt clara & manifeſta, ſed reſtitutiones non ſic, ſed inquirendæ ſunt: & clarum ſemper præcedit obſcurum in iure humano. Alio modo, quando res quæ debetur, eſt determinata, ſcilicet centum, vel decem; ſed reſtituenda non ſic: ſed determinatum iure præcedit indeterminatum inquantum huiuſmodi. Et ex hoc concluditur, quòd quando reſtituenda ſunt clara, & aperta, & determinata per apertam confeſſionem reſtituentis, debent iure præcedere omnia debita. Quod tamen raró obſeruatur, quia quod iuris eſt, à paucis aduertitur. Et ſecundùm dicta patet quando priùs poteſt reſtitutio fieri vni perſonæ quàm alteri, ſcilicet quando reſtitutio vnius eſt clara, & determinata, & alterius non ſic, cæteris paribus.

Sed iterum ſi vnus ſit diues, & alter pauper & plus indigens his de quibus reſtitutio facienda eſt, & æqualiter ſit clarum in vtroque; adhuc priùs pauperi poteſt reſtitutio iuſtè fieri, quàm diuiti; eo quòd plus læſus eſt in ablatione ſuorum; & quia plus indiget. Tamen ſi vterque ſit æqualis conditionis, ſcilicet in paupertate, vel diuitiis, & æqualiter clarum ſit de vtroque; ſi vni prius facta ſit iniuria quàm alteri, adhuc illi priùs eſt reſtituendum, ordine iuris naturalis, cui priùs facta fuit iniuria.

Itemque ſi per partes facienda eſt reſtitutio, vnicuique proportionabiliter reſtituendum eſt ſecundùm quantitatem ablati; ita quòd ſi tantùm eſt tertia pars ablatorum, vel media vel alia quælibet pars, cæteris paribus, facienda eſt omnibus reſtitutio tertiæ partis omnium reſtituendorum. Cuius ratio eſt, vt omnibus oſtendatur bona voluntas reſtituendi omnia, ſi adeſſet facultas: Et ſic fit pronior quilibet ad condonandum iniuriam ſibi factam, quando videt voluntatem ad emendandum paratam.

Qu. 17. vtrum vſurarius publicus debeat publicam facere reſtitutionem.

Reſpondetur ibidem, ſciendum eſt quòd aliud neceſſarium eſt loquendo de neceſſitate ſatisfactionis, & aliud loquendo de perfectione ipſius. Ad neceſſitatem verò ſatisfactionis duo ſufficiunt: vnum quantùm ad Deum, ſcilicet humilitas veræ pœnitentiæ contra contemptum Dei: & aliud quoad proximum, ſcilicet reſtitutio plena ablati iniuſtè, contra iniuriam proximi. Sed de perfectione ſatisfactionis vltra exiguntur ſigna & teſtimonia prædictorum, in quibus eſt meritum perfectæ humilitatis quantùm ad Deum, & reſtitutio famæ perſonalis contra ſcandalum ex peccato innatum, quantùm ad Eccleſiam. Et quantùm ad hoc, etiam vſurario notorio, non tantùm eſt perfectionis, ſed etiam

neceſſitatis, ſaltem publicè, & in manu Eccleſiæ reſtitutiones faciendas promittere, & firmare: quia aliàs priuaretur de iure, Sacramento ſalutis, & Chriſtiana ſepultura. Et propter hoc etiam dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. *peccantem coram omnibus argue.*

Qu.18. quibusnam pœnis vſurarii puniri debeant in foro externo: & quomodo cum ipſis agendum ſit in foro interno.

Reſp. in eodem opuſc. cap. vlt. ſciendum eſt quòd generaliter pœnæ publicæ ſolùm vitijs publicis ſunt infligendæ: Et ideo vſurarij publici pœnâ iuris coërcendi ſunt; & aliquando propter contumaciam concomitantem, eſt etiam pœna iudicis adiungenda. Pœnâ verò iuris triplici coërcentur, ſcilicet quòd prohibentur ad ſanctam communionem recipi; & ne ſimiliter recipiantur eorum oblationes in altari: & ne recipiantur in Chriſtianorum ſepultura: Et hæc tria habentur Extra. cap. *Quare in omnibus fere.* Et inſuper additur pœna his qui contra fecerunt, ſcilicet ſuſpenſionis; niſi per arbitrium Epiſcopi ſui priùs ſatisfecerint. Et inſuper etiam per accidens conſequitur talis nota infamiæ. Vnde & vſurarij publici quando propter vſuras, pecunias ab alio, quas dederant, repetunt, repelli poſſunt per exceptionem, donec priùs de vſuris ſatisfecerint, extra. eodem, cap. *Quia fruſtra leges.* ſpecialiter autẽ ſuper his pœnis poſſunt clerici iure ab officijs ſuſpendi, ſi fuerint vſurarij, Extra eod. c. *Plures clericorum.* Cõtumaces verò qui nec propter pœnas prædictas corrigũtur, debet & poteſt Iudex per ſuſpenſionis, & depoſitionis ſententiam coërcere: laicos verò per excommunicationis ſententiam cohibere, vt habetur Extra. eod. c. *Prædicta.* Item, ſi non ſufficit iuſtitia Eccleſiaſtica, debet iuſtitia laicalis in auxilium aduocari, Extra. *Deinde. Cum verò ab homine*, diſtinct. 17. *ne liceat.*

In foro verò pœnitentiali, vbi de correctione peccati agitur, maximè inquantum eſt contra legem Dei, ſic compellendi ſunt vſurarij ad reſtitutionem, vt beneficium abſolutionis eis denegetur, niſi reſtitutionem faciant plenam, quantùm potuerint: aut dilationem petierint ab his quibus tenentur reſtituere. Aut ſi pauperes & impotentes ſunt ad reſtitutionem faciendam, promittant Deo & confeſſori ſuo, ſi aliquando ad frugem proſperitatis venerint, ſe reſtituturos pro ſua facultate: aut certè remiſſionem poſtulabunt ab his, quibus reſtituere tenentur: aliàs non debent abſolui in foro pœnitentiæ. Et hæc omnia probantur Beati Auguſtini authoritate, qua dicitur, *quòd non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Sicut ergo Confeſſor oſtendit abſolutum à Deo quem abſoluit verbo; ita non debet abſoluere verbo, niſi cùm videt ſigna reſtitutionis fiendæ in confitente: Quæ ſigna determinata ſunt in his, quæ prædiximus, ſecundùm diuerſos ſtatus reſtituentis.

Extat aliud opuſculum quod eſt 67. in quo reſoluitur quomodo vſura committitur in emptione & venditione ad tempus. Habetur in prædicta impreſſione Romana inter alia opuſcula, de quibus incer-

tum eſt an ſint D. Thomæ: & ideo minuſculis characteribus ſunt impreſſa. Sed quamuis ſtylus & doctrina ſint ſatis conformes menti Sancti Doctoris, ac propterea communiter cenſeatur ipſius opuſculum: nihil tamen ex ipſo refero: quia quæſtiones quæ in eo reſoluuntur, explicantur in aliis operibus omnino certis eiuſdem angelici Doctoris, & referuntur ſupra v. *venditio*, & v. *vſura*. In corpore libri v. *vſura*, in titulo quæſtionis quintæ habetur (*vaſi argenti*) lege (*vaſis argentei*) & in reſponſione (*deſtructio*) lege (*diſtractio*.)

Cap. *nauiganti*, tit. De vſuris, quod citatur in reſponſionibus ad præcedentes quæſtiones, occaſionem dedit pluribus caſuiſtis aſſerendi eſſe vſuram, ſi aliquod intereſſe ſumatur propter periculum ſortis: aliis verò caſuiſtis, qui oppoſitum docent, ſemper viſum eſt cap. illud valde difficile. Quia nempe ſic communiter legitur: *nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd ſuſcepit in ſe periculum recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus*, ſed notatu digniſſimum eſt quod ait Barboſa ſuper illud cap. citans Bernatium de vtilitate legendæ hiſtoriæ lib. 2 in princ. ſcilicet, mendum irrepſiſſe omiſſione voculæ, *non*. Sic igitur legendus eſt textus, *vſurarius non eſt cenſendus*: quod clarè colligitur ex connexione verborum immediatè ſequentium, quæ ſunt iſta: *Ille quoque qui dat decem ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani vini vel olei menſuræ reddantur: quæ licèt tunc plus valeant, vtrum plus vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc vſurarius reputari*. Vbi particulæ (ille quoque) indicant S. Pontificem velle neutrum cenſendum eſſe vſurarium, ſi enim vellet vnum talem eſſe cenſendum non autem alterum, diceret, *ille econtra*, &c.

Nec in hoc ſolo loco mendum inuenies, ſed etiam in decretis, can. *dedit*, 1. quæſt. 1. quod benè aduertit noſter Serra 3. p. qu. 64. in comm. art. 8. legitur enim in illo canone: *quos baptizat ebrius, homicida, adulter: Chriſtus baptizat*: ſed legendum eſt (*ebrioſus*) vt habet textus D. Aug. ex quo canon ille deſumptus eſt, tract. 5. in Ioan. ideſt vino deditus, qui tamen cum non eſt actu ebrius, pollet vſu rationis requiſito ad intentionem neceſſariam in baptizante pro validitate baptiſmi. Sed quamuis illa communis lectio cap. *Nauiganti*, retineretur, communis etiam expoſitio inter alias plures optima eſt, quòd nempe ibi eſt ſermo de præſumptione in foro externo: vnde ſumm. Pont. Greg. 9. non ait: *vſurarius eſt*, ſed, *vſurarius eſt cenſendus*. Cæterùm quòd iuxta rei veritatem in foro interno nedum propter lucrum ceſſans, vel damnum emergens, ſed etiam propter periculum ſortis aliquid ſumi poſſit, poteſt ex reſponſione ad tertium dubium Miſſionariorum Chinenſium datâ à ſacra Congregatione; & à S. Pontifice Innocentio 10. approbatâ, quam retulimus in corpore, huius libri v. *vſura ſub finem*.

Tomi ſecundi finis.

OPVSCVLVM

OPVSCVLVM

DE CASTITATE.

In quo nouum ac ſingulare traditur pro tuenda Caſtitate remedium, tam facile quam efficax, ad hanc virtutem conferens, & etiam ad ſanitatem.

PARATVM habeo opus integrum de virtute Caſtitatis tres in partes diuiſum. Prima continet huius virtutis elogia ſecundùm omnes gradus, ſcilicet Caſtitatis virginalis, vidualis, & coniugalis; quæ fere omnia ex ſcriptura ſacra, & ſanctis Patribus ſunt deprompta. In ſecunda omnes quæ ad ipſam ſpectant controuerſiæ, inter Catholicos & huius temporis Hæreticos agitari ſolitæ, præſertim circa votum Caſtitatis, exactiſſimè reſoluuntur. In tertia oſtenditur, quòd remedia ad tuendam caſtitatem & concupiſcentiam refrænandam inſtuta debent ex vna parte compati cum ſanitate; vt ſicut ait D. Thomas, concupiſcentia refrænetur, & natura non extinguatur nec nimis grauetur: ex altera verò parte debent contribuere ad eleuationem mentis in Deum; talis enim eleuatio vt docent SS. Patres, eſt finis Caſtitatis Chriſtianæ. Oſtenditur quoque quòd omnia quæ à Philoſophis gentilibus & à Medicis traduntur remedia, vel ſanitati nocent, vel mentis eleuationem impediunt: omnia econtra quæ ab Eccleſia, & à Religioſis ordinibus præſcribuntur, vt ieiunia, abſtinentia, vigiliæ, cilicia, diſciplinæ, veſtitus laneus, nuditas pedum, cantus, aliaque ſimilia, ad caſtitatem ita conferunt vt ſimul ad ſanitatem contribuant, vel ſaltem ipſi non noceant, & ad eleuationem mentis in Deum mirum in modum diſponant. Sed aliis pro completo opere reſeruatis ſufficiet in hoc opuſculo pauca dicere in laudem continentiæ, & poſtea prædictum nouum ac ſingulare remedium exponere.

§. I.

Status continentiæ aliis eſt melior, quia tranquillior, quia ſanctior, quia vtilior, & quia magis facilis, & honeſtus, & liber. Ita noſter Doctor Angelicus 1. ad Corinth. 7. lect. 7. Hoc totum probans ex Apoſtolo: expoſitionem eius fere ad verbum referimus. Poſtquam Apoſtolus virginibus dedit conſilium continendi, & nubentibus documentum benè viuendi, oſtendit quòd magis expedit continere, dicens: *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe*: quaſi dicat: ſi nubitis, debetis prædicta facere: ſed magis volo vos eſſe ſine ſollicitudine rei vxoriæ.

Prima ratio eſt maior tranquillitas. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ*

Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Ideſt continentes tranquillitatem magnam experiuntur in contemplatione & amore Dei, & ipſius obſequio: coniugati verò tribulationem carnis patiuntur, vt ait ibidem Apoſtolus, per quam illa tranquillitas impeditur: continentes non ſunt ſollicitj niſi quomodo placeant Deo, cui propterea toto corde adhærent; coniugati verò ſolliciti ſunt circa res huius mundi, quomodo ſibi inuicem placeant, & domui ſuæ prouideant: atque ita cor veluti diuiſum habent, partim Deo, partim mundo deditum.

Secunda ratio eſt maior ſanctitas. *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Mulier innupta, ideſt vidua, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ideſt maiorem habet facultatem contemplandi res diuinas. Vt ſit ſancta, magis quàm nupta: multæ enim nuptæ ſunt ſanctæ: vnde D. Auguſtinus in lib. de bono coniugali cap. 11. ait: *Ampliorem non nuptarum & in corpore & in ſpiritu ſanctificationem intelligi voluit; non tamen nuptas omnino ſanctificatione priuauit.* Sancta, inquam, corpore, ſiue corporalibus actionibus, & ſpiritu, ſiue ſpiritualibus. Vel ſancta corpore, ſiue contra peccata carnalia, & ſpiritu, cõtra ſpiritualia. Quæ autẽ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, ſcilicet de cura filiorum; de regimine domus, & huiuſmodi: & quomodo placeat viro; & ornande ſe hoc fine non peccat, quamuis debeat ſtudere vt ei placeat ornatu morum potius quam veſtimentorum.

Tertia ratio eſt maior vtilitas. *Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico:* maius enim eſt continentiæ commodum: quia ſic mortificatur caro, quæ eſt inimica ſpiritus: D. Auguſtinus de verb. Dom. ſer. 44. *Sicut inimicus occiſus non facit iniuriam; ſic caro mortificata non turbat animam.* Quarta ratio eſt maior facilitas. *Non vt laqueum vobis iniciam:* nimirum laqueum fornicationis perſonis incontinentibus: imò potius laqueus iniiceretur, ſi matrimonium conſuleretur: quia de muliere dicitur Eccl. 7. quòd *laqueus venatorum eſt.* Non igitur conſulo quod difficilius eſt, ſed potius quod facilius: maior enim facilitas eſt ſeruandi caſtitatem, minuſque periculum eam perdendi in ſtatu continentiæ quàm in ſtatu coniugij: D. Chryſoſtomus lib. 2. aduersùs vituperatores vitæ Monaſticæ: *Agè illud quoque inquiramus; ſi tamen inquiſitione opus eſt in re tam manifeſta, vtrius ſit pronior ac facilior lapſus. Putaſcetiam quidem is qui vxorem habet, facilè ſeruare poſſe videtur, quippe qui ſolatio non minimo ſuffultus: cæterùm in reliquis nulla comparatio eſt. Verum ſic quoque plures longè videas lapſos ex coniugatorum, quàm ex Monachorum ordine: neque enim tam multi ex Monaſteriis ad matrimonia accedunt, quàm ex iugali thoro ad ſcorta ſe recipiunt.* Quinta ratio eſt maior honeſtas. *Sed ad id quod honeſtum eſt!* non quòd coniugalis ſtatus non ſit honeſtus; ſed quòd adhuc magis honeſtus eſt ſtatus continentiæ: D. Auguſtinus in lib. de bono viduitatis cap. 5. *Non matrimonium turpe eſſe monſtrauit, ſed quod honeſtius erat, generalis honeſti nomine commendauit.* Vltima ratio eſt maior libertas. *Et quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi:* vos reddendo

Liberos ac omnino expeditos ad obſequium Dei, & præſertim ad orationis exercitium, ſine impedimentis quæ ineuitabilia ſunt in matrimonio.

Verè eligendus eſt ſtatus continentiæ: in quo maior eſt tranquillitas, ſanctitas, & vtilitas, maior quoque facilitas, honeſtas, & libertas.

§. 2.

Veniamus modò ad noſtrum nouum ac ſingulare remedium. Pro cuius intelligentia quædam ſunt aduertenda. 1. quòd ſicut retulimus ex angelico Præceptore v. *ieiunium*, *qu. 26. & ſequent.* Abundantia ſeminis eſt maximum luxuriæ incitamentum: & quòd ad generationem tria concurrunt, ſcilicet humor, calor, & ſpiritus ſiue flatus. Docet idem ſanctus Doctor 4. ſent. d. 40. a. 1. ad 4. ſanguinem eſſe id quod proximè in ſemen conuertitur. Inde fit quòd illæ perſonæ ſunt naturaliter procliues ad libidinem, quæ ſunt complexionis ſanguineæ, vel humidæ ſimul & calidæ, vel melancholicæ ſiue flatuoſæ, vel bilioſæ ſiue ſpirituoſæ, de quibus multa tradit Philoſophorum princeps in ſuis problematibus. Propterea etiam illa pronitas ad libidinem maior eſt in iuuentute quàm in ſenectute; quia in iuuenibus magis abundant humor, calor, & ſpiritus. Quamuis mirum ſit quòd vt ait Beatus Albertus magnus lib. 9. de animalibus tract. 1. cap. 1. quædam perſonæ in iuuentute ſua nullas patiuntur tentationes carnis, quibus tamen maximè vexantur in ſenectute, ſicut de ſeipſo fatetur D. Gregorius Nazianzenus. Ratio eſt iuxta eumdem Albertum magnum, quòd illæ perſonæ ſunt complexionis calidæ & ſiccæ, quæ in iuuentute non format ſemen; ſed quando per ſenectutem tepeſcit calor & humectatur complexio, tunc ſemen formatur, quod iam diximus eſſe maximum luxuriæ incitamentum.

2. Materia ſeminis ex omni corporis parte attrahitur, in cerebro fermentatur, & ex ipſo ad renes deſcendit. Ad ipſius formationem cor & iecur valde contribuunt. Hoc colligo ex Hyppocrate, Galeno, & Auicenna, Platone, & Ariſtotele; imò etiam ex D. Chryſoſtomo, & Hieronymo, B. Alberto magno, & D. Thoma, aliiſque innumeris authoribus. Sed vbicunque formetur, certum eſt quòd tandem ad renes defertur: vnde renes ſunt præcipua, & proxima concupiſcentiæ ſedes. Quod probari poſſet pluribus ſcripturæ teſtimoniis, iuxta SS. Patrum expoſitionem, vt ex illo Iob. 40. vbi de Dæmone ſub figura Behemot dicitur, *fortitudo eius in lumbis eius*: & ex illo pſ. 37. *quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, aliiſque ſimilibus: ſed res nimis nota eſt quàm vt probatione indigeat. Imò omnes carnis tentationes ex ſolis renibus ſeu lumbis originem habere dicit D. Petrus Chryſologus in ſermone 24. de ſeruo vigili, explicans hæc verba Chriſti Domini, *ſint lumbi veſtri præcincti: nil*, inquit, *de veſtitu, nil de calceamentis, nil de ipſius occurſus apparatu ſerui vigiles admonentur, ſed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in conſtringendis lumbis ſtatuitur vis præcepti.* Et paulò poſt: *ſed di-*

xiſſe ſuffecerat, eſtote pracincti : cur lumbos potiſſimum nominat ? cur tanta inhabentis reuerentia lumborum facit magnopere mentionem. Quæris quare ? quia in lumbis eſt tota corporis cauſa, ex lumbis tota carnis negotia ſuſcitantur, in lumbis tota eſt humani lapſus, humanæ fragilitatis occaſio.

3. Cingulũ fuit ſemper caſtitatis Symbolum apud omnes mundi nationes tum fideles tum infideles. Apud Hæbreos in veteri teſtamẽto dum ſacerdotes accedebant ad ſacrificia, vehementer renes ſuos aſtringebant in caſtitatis ſignum, vt tradit D. Hieronymus epiſt. 128. de veſtitu ſacerdotali ad Fabiolam. Et nunc inter Chriſtianos ſacerdotes celebraturi ſumendo cingulum dicunt : *præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis ; vt maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis.* Apud Chaldæos illæ quæ volebant reputari virgines, ſeſe funibus præcingebant, vt dicunt expoſitores ſcripturæ in illud Baruch cap. 6. *mulieres circumdatæ funibus in viis ſedent.* De Græcis teſtantur Pauſanias, Appollonius, & Plutarchus, quòd eorum virgines in ſuæ virginitatis ſignum zonâ erãt præcinctæ. De Latinis idem teſtatur Ouidius, vt videri poteſt apud Cornelium à lapide in comment. Epiſtolæ ad Epheſios cap. 6. & apud Pierium Hieroglyphico 40.

4. Cingulum etiã ſanitatem conſeruat, augendo corporis vires: ideoque fuit ſemper ſymbolum fortitudinis, & conſtantiæ: renum enim & lũborum mollitiẽ roborat: naturalem calorem veluti coadunat & cõcentrat, quod non mediocriter iuuat ad digeſtionẽ & bonam corporis diſpoſitionem: vnde Cornelius ib. & D. Chryſoſtomus homil. 23. in epiſt. ad Eph. dicunt lumbos ſuperiorum & inferiorum corporis partium eſſe fundamentum & iuncturam : ideoque laborantes & laſſos plerumque manus illuc quaſi in fundamentum quoddam immittere, vt hoc pacto ſeſe confortent. Itinerantes quoque, & illi qui currunt, ac præ cæteris milites cingulo ſeſe muniunt, vt ſui corporis robur & ſanitatem tueantur & contineant. Eloquentiæ Princeps Cicero inter alia documenta iſtud dat oratori : *arctiori cingulo latera cingat, vt ad aſcendum ſint firmiora & fortiora.* Apud Macedones, Romanos, alioſque populos lex erat, vt milites ſemper cincti incederent : quia viros præcinctos arbitrabantur generoſos, diſcinctos verò ignauos. Imò hoc retulerunt ad mores, & virum præcinctum iudicabant virum probum, diſcinctum verò improbum : vnde ortum eſt prouerbium, *diſcincta veſtis, & diſcinctus animus.* Plura de his videri poſſunt in viridario Mendocæ lib. 8. ſaturnaliorum, decade 6. cap. 1.

§. 3.

Sed quod magis ad rem noſtram facit : omnes pietatis & puritatis amatores ſemper vſi ſunt cingulo renes cingente caſtitatis tuendæ cauſâ. D. Baſil. in aſceticis cap. 23. & Caſſian. libro 1. de inſtitutis cœnobiorum c. 2. de cingulo monachi; dicunt Religioſos debere indeſinenter renes ſuos cingulo præcinctos habere : idque probant Exemplis Eliæ, Eliſæi, D. Ioannis Baptiſtæ, D. Petri, & Pauli, aliorumque omnium

qui caſtitatem maximè coluerunt, D. Hieronymus in epiſtola de cuſtodia virginitatis ad Demetriadem loquens de ſeniori Demetriade ait: *Itupebat ad conuerſationem Heliæ & Ioannis Baptiſtæ, quorum vterque zona pelliceâ aſtrinxit, & mortificauit lumbos ſuos.*

In Doctrinis ſancti Dorothei Abbatis, quæ habentur tomo 2. bibliothecæ Patrum, doctrina 1. quæ eſt de abrenunciatione ſic dicitur: *habemus autem & zonam pelliceam circa renes noſtros*: & paulò poſt: *mortificati quoque corporis ſignum eſt: nos enim deſideria noſtra mortificare debemus; præſertimque ea quæ à renibus procedunt, in quibus animæ voluptas eſſe dicitur, iuxta quod agebat Apoſtolus, (mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terrã, fornicationem, immunditiam) quæque ſequuntur.* In vita S. Pachomij cap. 22. refertur, idque tradunt Palladius Epiſcopus alijque ſcriptores Eccleſiaſtici, quòd in regula, quam Angelus de cœlo eidem D. Pachomio attulit, & quam Religioſi & Sanctimoniales per totam Thebaidem & Ægyptum obſeruabant, ſic habebatur: *induantur autem noctibus lebitones lineos, præcincti lumbos.* In impreſſione autem Romana regularum ordinum Religioſorũ Orientis in præfatione prædictæ regulæ dicitur, illud cingulum quo renes cingebant, fuiſſe lineum. D. Benedictus in ſua regula cap. 22. ait: *veſtiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus.* Paulus autem Diaconus, qui fuit valde celebris tam in ſæculo quàm in Religione, in ſuo libro de veteri conſuetudine Monaſterii caſſinenſis dicit, huiuſmodi cingula ſiue funes debere fieri ex cannabe. Sed hæc conſuetudo cingendi renes ob caſtitatem viget maximè in ſacro ordine carthuſianorum, qui ſemper diu noctuque lumbaria renes cingentia immediatè ſuper carnem geſtant, iuxta ſua inſtituta, in quibus p. 2. cap. 12. §. 1. ſic legitur: *ad veſtitum accipimus duo lumbaria, id eſt funiculos, quibus renes ſuper carnem præcingimus*: & paulo poſt dicitur, quòd debent fieri ex cannabe; taliſque eſt praxis totius ordinis, vt ab ipſius viſitatoribus didici: vnde P. Sutor, qui fuit Doctor Sorbonæ, & Prior Carthuſiæ Pariſienſis, lib. 1. de vita Carthuſiana, cap. 5. de indumentis, ſic loquitur: cingulum quod interiùs occultè geritur, lumbare dicitur: eſt enim funis ex cannabe cruda, quo lumbi cinguntur; quem & ipſi ferunt, vt obſcœnæ libidinis ſedes mortificetur. Sciunt enim virtutem Dæmonis, hoc eſt luxuriam, in lumbis ſeu renibus eſſe: igitur vt lumbi ipſi, quibus luxuriæ ſemina in viris continentur, aſperiùs mortificentur, lumbare ferunt Carthuſiani. Noſter Hugo Cardinalis de Carthuſianis ad litteram intelligit illum locum Iob. 12. *Balteum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum*: quando diuites Baltheos deauratos deponunt, & aſſumunt funes quibus cinguntur.

§ 4.

Ex his habemus remedium quod prætendimus, iungendo regulas religioſorum Oriẽtis & Occidentis. Et quia huiuſmodi regulæ vel ſunt ab Angelis de cœlo allatæ, vel ſaltem diuinitùs inſpiratæ: præſertim illæ quæ approbatæ fuerunt à ſummis Pontificibus, qui in earum approba-

tione errare non poſſunt (falluntur autem, vt hoc obiter dixerim, qui putant quòd Carthuſianorum regula non eſt approbata, ſed ſolummodo tolerata, vel quòd non eſt approbata niſi tacitè; etenim P. Sutor in prædicto libro vitæ Carthuſianæ plures refert SS. Pontificum bullas, quibus approbatur expreſſè) ideo remedium iſtud cenſeri debet angelicum & diuinum. Sumi debet igitur duplex cingulum, quod indeſinenter diu noctuque geſtandum eſt, vnum ex cannabe, alterum ex lino: & vtroque cingendi ſunt renes immediatè ad carnem, quantùm fert complexio vel neceſſitas exigit. Nihil melius ad caſtitatem, & ſanitatem: nihil etiam vt per ſe conſtat eſt facilius. Quamuis ad hoc demonſtrandum ſola ſufficeret experientia, quæ eſt ſumma rerum omnium magiſtra, attamen pro maiori lectoris ſatisfactione breuiter notabo proprietates naturales canabis & lini, ex quibus conſtabit qualis quantaque ſit excellentia huius remedij. Cannabis quoad corticem ex quo fit tela cannabina, prout exteriùs applicatur, refrigerat & exſiccat cum moderatione: humorem libidinis conſumit, ipſiuſque ardorem extinguit: feruentem ſanguinem temperat: flatuoſitates diſcutit: bilem per corpus reſperſam reſoluit: humores putridos extrahit: & vermes in corpore genitos enecat. Linum ex quo fit tela linea, æſtuantem refrigerat: valet aduersùs omnes internas & externas inflammationes: valet quoque contra Spaſmos: excrementa euocat: & pectoris ac lienis vitia emendat. Hæc legi partim in vno partim in altero ex ſequentibus authoribus, ſcilicet Galeno, Auicenna, Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, Ruellio, Matthiolo, Dalechampio, Schrodero, quorum & plurium aliorum teſtimonia referam in opere integro. Sufficit nunc dicere cannabem & linum modo prædicto, tollendo cauſas libidinis & variorum morborum, caſtitatem & ſanitatem conſeruare. Neſcio an ſanitatis vel etiam caſtitatis gratiâ in toto vaſtiſſimo Chinarum imperio, cùm ſit magna tam lini quàm cannabis copia, ad induſium tamen interius quod carni adhæret non vtuntur telâ lineâ, ſed ſolummodo cannabinâ, nequidem perſonæ nobiliſſimæ etiam ipſæ imperatrices.

Dicet aliquis: ſi ita eſt quòd cannabis & linum ad caſtitatem & ſanitatem tam efficaciter tamque facilè contribuunt, cur in tot regulis ordinum religioſorum approbatis à ſummis Pontificibus, qui in hoc ſunt infallibiles, prohibetur vſus induſii tam cannabini quàm linei, & præcipitur veſtitus laneus: cur non præcipitur potius ſicut in regula ab Angelo de cœlo allata D. Pachomio, quòd omnes lino vel ſaltem cannabe induantur: maximè cùm exiſtiment aliqui lanam caſtitati nocere, quia calefacit.

Antequam reſpondeam, paucis oſtendo, quod in opere integro fusè demonſtrabo, veſtitum laneum maximè conuenire amatoribus pietatis, pœnitentiæ & puritatis; eoquòd calefacit quidem ſed ſimul etiam exſiccat. Imprimis S. Ioannes Baptiſta maximum totius ſanctitatis exemplar inſtinctu Spiritus Sancti vſus eſt veſtimento de pilis camelorum, quibus nihil eſt calidius, nihilque ſiccius, vt aduertit Beatus Albertus magnus. Deinde Prophetæ veteris teſtamenti veſtiti erant melotis &

pellibus caprinis, vt teſtatur Apoſt. ad Hebræ. 11. melota, vt exiſtimat D. Clemens Alexandrinus, eſt veſtimentum ex lana. Dicunt communiter interpretes quòd eſt ipſa ouina pellis cum lana; & quòd ſumi poteſt pro pelle cuiuſuis quadrupedis. D. Thomas in expoſ. illius loci ſic ait: *Melota eſt veſtis facta de pilis camelorum: vel melius, animal habet pellem hirſutam, de qua fit veſtis hirſuta, quæ dicitur melota.* Quidquid ſit de hoc, certum eſt quòd omne illud veſtimentorum genus eſt valde calefaciens & exſiccans. Præterea innumera ſunt in vtroque teſtamento exempla Sanctorum, qui vſi ſunt ciliciis: In Oriente autem cilicia fiunt ex pilis caprarum, vnde inter epiſtolas S. Pachomij vnam inuenimus, quæ hunc habet titulum, ad fratres qui præſunt tonſoribus caprarum, de quarum pilis fiunt cilicia: in Occidente verò fiunt ex crinibus equorum, vt eſt Carthuſianorum conſuetudo: & conſtat quòd hæc omnia valde calefaciunt & exſiccant. Sed argumentum eſt vnum pro millibus, miraculum illud quod factum eſt & adhuc ſubſiſtit in fauorem huius auſteritatis veſtitus lanei, ſcilicet puritas corporis, qua omnino à pediculis exemptæ ſunt ſanctimoniales S. Thereſiæ: cuius tot teſtimonia referuntur in actis canonizationis eiuſdem Sanctæ, totque adhuc perhibentur, vt in dubium reuocari non poſſit. Miraculum iſtud dicitur ab Authoribus huc uſque inauditum, miraculum perpetuum & generale, tot complectens miracula quot in illo ordine ſunt ſanctimoniales. Certè diuina prouidentia non facit miracula niſi in fauorem pietatis pœnitentiæ & puritatis.

Ratio etiam naturalis eſſe poteſt, quòd frigus naturam mortificat in omnibus ſuis operationibus, calor econtra eam viuificat, vt ait B. Albertus magnus, & experientiâ conſtat tempore hyemis & æſtatis: humiditas quoque ſi nimia fuerit, vſum rationis aliaſque functiones impedit, vt patet in omnibus pueris, & quandoque etiam in ſenibus: vnde veſtimentum quod calefacit & exſiccat, quodque ſemper carni adhærens, indeſinenter ſuum habet effectum, licet quaſi imperceptibiliter: illud, inquam, veſtimentum ad operationes mentis contribuit, & dum carnem mortificat, viuificat ſpiritum, quod prætendere debent omnes pietatis & pœnitentiæ profeſſores.

Reſpondeo nunc ad argumentum, & dico eos omnino falli, qui exiſtimant quidquid calefacit nocere caſtitati; cùm potius ipſi faueat ſi nedum calefacit ſed etiam ſimul exſiccat. Arbor eſt valde calida & valde ſicca; quæ tamen propter ſingularem vim & efficaciam caſtificandi dicitur Agnuſcaſtus: quid etiam calidius quidue ſiccius tabaco: & tamen iuxta commune prouerbium tabacum caſtificat: & quidem pluſquam omne aliud naturale remedium. Quamuis ob rationes ab initio allatas non ſit ſaltem regulariter loquendo, vtendum huiuſmodi remediis.

Quòd ſi angelica regula S. Pachomij concedebat ſolatium indumenti linei, hoc erat ad temperandos nimios calores Thebaidis & Ægypti: ſicut eâdem de causâ omnes regulæ Orientis prohibent vſum vini; cùm tamen nulla ſit in Occidente regula ſaltem approbata, quæ vini vſum

non permittat;ſicut nulla eſt tantiſper auſtera,quæ veſtitum laneum non præcipiat.

Plura de his dicemus in opere integro : in quo plures obiectiones ſoluemus. Nunc vnum addo : quòd cùm prædictum remedium ſit ita facile ac ita efficax nedum ad caſtitatem ſed etiam ad ſanitatem , perſonæ quæ ipſo non indigent pro caſtitate , ipſo vti nihilominus poſſunt pro ſanitate. Aliquibus autem perſonis , quæ ita naturaliter ad libidinem ſunt procliues, vt nullo naturali remedio à tentationibus carnis liberari poſſint , ſufficere debet, quòd per noſtrum ſingulare remedium ita temperantur huiuſmodi tentationes , vt eas facilè ſuperare poſſint , vel ſaltem eis non conſentire ; atque ita mortale peccatum euitare.

§ 5.

Quidquid de hoc ſingulari remedio dixi : & quidquid de quolibet alio naturali remedio dici poteſt : hoc totum nihil eſt in comparatione remedij ſupernaturalis , quod eſt donum caſtitatis. Iſtud mirabile donum, quantùm ex his quæ legi coniicere potui , tres habet gradus. quandoque enim in ſola parte ſuperiori ſolaque voluntate reſidet , nec effluit ad inferiorem partem & ſenſualitatem : & tunc perſonæ in appetitu ſenſitiuo patiuntur tentationes carnis plus vel minùs iuxta complexionum varietatem , ſed in voluntate eas velut infernum ac dæmones ipſos abhorrent & execrantur. Quandoque à parte ſuperiori redundat ad inferiorem , & tam in appetitu ſenſitiuo reſidet quàm in appetitu rationali ſeu voluntate. Hoc caſtitatis donum humorem libidinis in renibus omnino conſumit & ipſius ardorem extinguit : itaut perſonæ nedum non conſentiant tentationibus carnis,ſed nequidem eas ſentiant.Quandoque nedũ in parte tam inferiori quàm ſuperiori reſidet, ſed etiam ſeſe diffundit per totum corpus , ex cuius qualibet parte materia libidinis attrahitur , vt ſupra diximus. Hoc excellentiſſimum caſtitatis donum nedum eximit ab omnibus carnis tentationibus , totâque hominis mentem & carnem purificat;ſed etiam ſanitatem conſeruat , vires auget, ac mirum in modum diſponit & cooperatur ad eleuationes mentis in res diuinas;itaut caro ipſa non amplius terreſtris,ſed cœleſtis,nec materialis ſed ſpiritualis eſſe videatur.Hæc eſt caſtitas illa apud omnes SS. Patres laudatiſſima , quæ ex hominibus Angelos facit ; imò homines ipſi Deo ſimillimos efficit. Pauciſſimi ſunt qui caſtitatis donum in hoc ſupremo gradu obtineant : quamuis nemini ritè poſtulanti denegetur, quantùm ipſi opus eſt ad ſalutem.

Hæc omnia pleniſſimè exponuntur in opere integro de Caſtitate : & breuiter notantur in paruo libro Sodalitij noſtri Doctoris Angelici, quod in hoc noſtro conuentu Auenionenſi eſt inſtitutum , pro omnibus quidem perſonis , ſed præſertim pro diſcipulis eiuſdem ſancti Doctoris, vt caſtitatem pro ſe & pro aliis obtineant. Propterea ſodalibus in receptione datur cingulum benedictum in memoriam illius cinguli ab Angelis de cœlo allati , quo D. Thomas ab ipſis præcinctus fuit.

Titulus

titulus etiam huius ſodalitii à ſummo Pontifice Innocentio 10. datus hic eſt; *militia Angelica contra vitia carnis ſub auſpiciis Doctoris Angelici D. Thomæ.*

Fruere, amice Lector, his laboribus meis: & mihi tuis precibus impetra, vt alios tibi communicare valeam: nempe opus illud integrum de caſtitate: opus aliud de veritate ſolius Religionis Chriſtianæ & catholicæ: & præſertim meum Vniuerſæ Theologiæ curſum, in quo plures videbis de Theologia Scholaſtica, morali, & controuerſa quæſtiones, vel nouas, vel nouo modo expoſitas.

OPVSCVLI DE CASTITATE

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
VOCABVLORVM.

Nota ſecundum Tomum incipere à v. ingratitudo, vbi etiam reincipiunt numeri.

A
Abbas. pagina 1
Abbatiſſa. pag. 2.
vide Supplementum.
Abortus. p. 3.
Abſolutio. p. 4.
Abſtinentia. p. 8.
Acceptio perſonarum. p. 11.
Accuſatio. p. 12.
Acedia. p. 16
Actus humanus. p. 20
Adiuratio. p. 23
Admonitio. p. 24
Adoptio. ibidem.
Adoratio. ibid.
Adulatio. p. 28
Adulterium. p. 30
Aduocatus. p. 32
Æquiuocatio. p. 35.
Affabilitas. ſiue amicitia. ibid.
Affinitas. p. 37
Amicitia. ibidem.
Vide ſupplem.
Alchymia. p. 39
Altare. p. 40
Ambitio. ibid
Amor. p. 41
Appellatio. p. 46
Apoſtaſia. p. 47
Aqua benedicta. ibid.
Arbiter. p. 48.
Arrogantia. ibidem
Ars. p. 49
Aſtrologia iudiciaria. ibid.
Attritio. p. 52
Auaritia. ibid.
Audacia. p. 55
Augurium. p. 57
Auſpicium. ibid.

B
Baptiſmus. ibidem.
Vide finem ſupplementi.
Bellum. p. 81.
Benedictio. p. 85
Beneficentia. p. 86
Beneficium Eccleſiaſticum. p. 88.
Bigamia. p. 93
Blaſphemia. p. 95
Bona Eccleſiaſtica p. 97.

C
Cæcitas mentis. ibidem
Calix. p. 98
Calumnia. p. 99
Cambium. p. 100
Canonizatio. p. 101
Cantus. p. 102
Capitale vitium. p. 103
Capitulum Religioſorum. p. 105
Carcer. p. 106
Caſtitas. p. 107
Caſus reſeruatus. p. 112
Catechiſmus. ibid.
Cathedra. ibid.
Cenſura. p. 113
Charitas. p. 114.
Chorea. p. 126
Chriſma. ibid.
circunſtantia. p. 127.
Ciuitas p. 132
Clementia & manſuetudo. p. 133
Clericus. ibidem
Cœmeterium. p. 138
Communio. ibid.
Vide ſupplementum
Comœdia p. 161
Concilium. ibidem
Concordia. p. 162
Concubinatus. ibid.
Concupiſcentia. p. 163
Condemnatus. p. 166.
Confeſſio. p. 167
Vide ſupplementum. Notandum quoque quòd ſub eodem voc. poſt quæſtionem 42. deeſt linea. Sic enim legi debet: Vrbanus 8. in Bulla data 21. ſept. an. 1624. renouat decretum S. P. Clementis 8. datum 26. Martij 1593. vbi §. 4. ſic admonet &c.
Confirmatio. p. 188
Conſcientia. p. 193
Conſecratio. p. 195
Conſenſus. p. 199
Conſilium. ibid.
Conſuetudo... p. 200
Conſuetudo. p. 201
Contemplatio. p. 203
Contemptus. ibid.
Contentio. p. 204
Continentia. p. 205
Contractus. ibidem
Contritio. p. 206
V. ſupplem.
Contumacia. p. 218
Contumelia. ibid.
Corporalia. p. 222
Correctio fraterna. ibid.
Credere. p. 235
Crimen. ibid.
Crudelitas. ibid.
Crux. ibid.
Cultus. p. 236
Cupiditas. p. 237
Cura animarum. ibidem
Curioſitas. p. 238

D
Dæmon. p. 240
Dæmoniacus. p. 241
Damnum. p. 242
Debitum coniugale. ibidem
Decimæ. p. 252
Deffendere. p. 259
Degradatio. ibid.
Delectatio moroſa. ibid.
Denunciatio. p. 263
Depoſitum. p. 267
Derifio. p. 268.
Deſiderare malum. p. 269
Deſperatio. p. 270
Detractio. p. 272

Deuotio. p. 278
Diaconus. p. 282
Dignitas. p. 283
Diſcordia. ibid.
Diſpenſatio. p. 285
Diſputatio. p. 288
Diſſenſio. p. 290
Diuinatio. ibidem
Diuitiæ. p. 295
Diuortium. p. 296
Docere. ibid.
Dolus. p. 297
Dominica Dies. p. 298
Dominium. p. 299
Donum, p. 300
Dos. p. 302.
Dubium. ibid.
Duellum. p. 303.

E

Ebrietas. p. 304
Eccleſia. p. 307
Electio. ibid.
Eleemoſyna. p. 310
Epiikeia, ſiue æquitas. p. 332
Epiſcopatus. p. 333
Error. p. 348
Euangelium. ibid.
Eubulia. p. 349.
Eucharistia. ibidem
Vide ſupplementum in verbo Communio.
Euſtochia. p. 365
Eutropelia. ibidem
Excommunicatio. ibid.
Exequiæ. p. 377
Exorciſmus. ibidem
Excuſatio. p. 378
Extrema Vnctio. ibidem

F

Familiaritas. ibi
Faſcinatio. p. 379
Feſta p. 380
Fictio. p. 382
Fides. p. 385
Fiducia. p. 394
Fornicatio. p. 395
Fortitudo. p. 396
Fraus. p. 402
Fructus Euangelicus. ibid.
Fructus Spiritus Sancti. p. 403.
Furtum. p. 405

G

Gaudium. p. 408
Gloria. ibidem
Gratia. p. 413
Gratiarum actio. p. 417
Gula. p. 420

H

Hæreſis. p. 426
Hebetudo ſenſus. p. 435.
Heremitæ. p. 436
Hiſtrionatus. ibid.
Homicidium. ibid.
Honor. ibid
Horæ Canonicæ p. 440
Humilitas p. 444
Hypocriſis. p. 453

I

Iactantia. p. 456
Idololatria. p. 458
Ieiunium. p. 464
Ignorantia. p. 470
Illegitimus. p. 480
Imago. p. 481
Immunitas à peccato. p. 482
Impœnitentia. ibid.
Imprudentia. p. 483
Impugnatio, ibid.
Incantatio. p. 484
Inceſtus. ibidem
Inconſideratio. p. 485
Inconſtantia. p. 486
Incontinentia. ibidem
Indeuotio. p. 491
Indulgentię. ibidem
Infidelitas. p. 501
Ingratitudo. pagina 1.
Inimici. 6.
Iniuſtitia. p. 9
Inobedientia. p. 10
Inſenſibilitas. p. 12
Inſpirationes. p. 13
Intellectus Donum. p. 15
Intemperantia. p. 16.
Intentio. p. 17
Interdictum. p. 18
Intimiditas. ibidem
Inuentio. p. 20.
Inuidia. ibidem
Ira. p. 26.
Ironia. p. 43
Irregularitas. p. 44
Vide ſupplementum
Iubilæum. p. 46
Iubilus. ibidem
Iudæi. p. 47
Iudicium. p. 49
Iudicium temerarium. p. 54
Iuramentum. p. 55.
Iuriſdictio. p. 65
Iuſpatronatus. ibidem
Ius & iuſtitia. ibid.

L

Laus. p. 70
Legatus. p. 71
Lex. p. 72
Liberalitas. p. 82
Litigium, p. 85
Ludus. p. 86
Luxuria. p. 92

M

Maceratio Carnis. pag. 100.
Titulus iſte ſic proponitur Maceratio carnis & tactus delectatur (& tactus).
Magnanimitas. p. 101
Magnificentia. p. 107
Maledictio. p. 109
Maleficium. p. 111
Malignitas. p. 112
Malitia. ibid.
Malus. p. 114
Manſuetudo. p. 116
Martyrium. p. 118
Matrimonium. p. 124
Medicina. p. 179
Meditatio. ibidem
Mendacium. p. 180
Meretrix. p. 184.
Meritum. p. 185
Metus. p 194
Miles. p. 196
Miſericordia.
Vide ſupplementum.
Miſſa. p. 196
Modeſtia. p. 209
Vide etiam ſupplementum
Mollities. p. 210
Monachus. ibid.
Moneta. ibid.
Mortalitas. p. 211
Moribundus. ibid.
Mulier. p. 212
Muſica. ibidem
Mutilatio. ibid.
Mutuum. p. 213

N

Negligentia. ibidem
Negotiatio p. 214
Nemeſis. p. 215
Notorium. ibid.
Nuntij p. 216

O

Obedientia. ibid.
Oblatio. p. 230
Obligatio. p. 233
Obſeruantia. ibidem
Obſtinatio. p. 234
Occaſio. p. 235
Occidere. ibid.
v. quoque ſupplem.
Odium. p. 241
Officium. p. 246
Omiſſio. p. 247
Opinio. p. 248
Opprobrium. p. 251
Oratio. ibid.
Ordo. p. 274
Ornatus. p. 291
Oſculum. p. 297
Otioſum verbum. p. 298

P.

Apa. p. 299
Paruificentia. p. 301
Paruipenſio. p. 302
Paſſio. p. 304
Patientia. p. 306
Paupertas. p. 309
Pax. p. 313
Peccatum. p. 317
Permiſſio. p. 328
Perſeuerantia. ibid.
Pigritia. ibid.
Pœna. ibid.
Pœnitentia. p. 329
v. ſupplem.
Perfectio. p. 352
Periculum. p. 355
Periurium. p. 356
Permutatio. p. 361
Pertinacia. p. 362
Perturbatio. ibidem
Pietas. p. 363
Hoc vocabulum (pietas) ponendum erat ante voc. (pigritia) & voc. (perfectio) cum quinque ſequentibus ante vocabu. (pœna.
Pollutio. p. 367
Præceptum. p. 372
Præcipitatio. p. 374
Prædicare. p. 375
Prædicatorum Ordo. p. 380
Prælatio. ibidem
Præſcriptio. p. 384
Præſumptio. p. 385
Primitiæ. p. 387
Princeps. p. 388
Priuilegium. p. 389
Probabilitas. p. 393
v. ſupplementum
Proclamationes. p. 394
Prodigalitas. ibidem
Profeſſio. p. 395
Prohibitio. ibidem
Promiſſio. p. 396
Prudentia. p. 397
Punitio. p. 401
Purgatorium. ibid
Puſillanimitas. ibid.

Q

Vadrageſima. p. 404
Quæſtio. ibid.

R

Rapina ibid.
Raptus. p. 405
Recidiuans. ibidem
Religio. p. 407
Reliquiæ. p. 441
Reſtitutio. ibidem
v. etiam ſupplem.
Reuelatio. p. 450
Reuerentia. p. 451
Reus. p. 452
Rex. p. 453
Rixa. p. 456
v. quoque ſupplem.

S

Acerdos. p. 457
Sacramentale. p. 458
Sacramentum. p. 461
Sacrificium. p. 480
Sacrilegium. p. 487
Salus. p. 491
Sapientiæ Donum. ibidem
Satisfactio. p. 494
Scandalum. p. 505
Schiſma. p. 511
Scientiæ Donum. p. 513
Scrupuli.
v. ſupplementum
Secretum. p. 515
Seditio. p. 517
Senſualitas. ibidem
Sepultura. p. 519
Silentium. *v. ſupplementum*
Simonia p. 522
v. quoque ſupplem.
Simulatio. p. 538
Sobrietas. p. 539
Sodomia. p. 541
Solertia. p. 542
Solitudo. ibidem
Sollicitudo. ibid.
Somnium. p. 545
Sors. p. 546
Spectacula. p. 548
Spes. p. 549
Sponſalia. p. 552
Studioſitas. p. 557
Stultitia. *v. Supplem.*
ſtuprum. p. 559
Suffragia. p. 565
Superſtitio. p. 571
Suſpenſio. p. 575
Suſpicio. ibidem
Suſurratio. p. 576

T

Actus. *v. ſupplem.*
Temeritas. p. 578
Temperantia. ibidem
Tentatio. p. 581
Teſtimonium. p. 586
Timiditas. p. 590
Timor. p. 591
Tributum. p. 599
Triſtitia. p. 600

V

Enditio. p. 603
Verberare. p. 608
Verecundia. p. 609
Veſtis. p. 614
Vicarius. ibid.
Viduitas.
v. ſupplem.
Vinum p. 618
Virginitas. p. 619
Virtus. p. 628
Vita. p. 630
Vitium. p. 636
Vituperium. ibid.
Vnctio-Extrema. p. 637
Voluntas. p. 645
Votum. p. 649
Vſura. p. 663
v. etiam ſupplem.
Vſus rationis. p. 673

Z

Zelus ſalutis animarum. 673

FINIS.